scarce

~~30/-~~

25/-

C. IVLII CAESARIS
COMMENTARII

CVM SVPPLEMENTIS

A. HIRTII ET ALIORVM.

CAESARIS HIRTIIQVE FRAGMENTA.

CAROLVS NIPPERDEIVS

RECENSVIT OPTIMORVM CODICVM AVCTORITATES ANNOTAVIT
QVAESTIONES CRITICAS PRAEMISIT.

BREITKOPFIVS ET HAERTELIVS

SVIS SVMPTIBVS ET TYPIS PRESSERVNT

LIPSIAE A. MDCCCXLVII.

MAVRICIO HAVPTIO

PRAECEPTORI CARISSIMO

CAROLVS NIPPERDEIVS D.

CAROLI NIPPERDEII

QVAESTIONES CAESARIANAE.

C. Iulius Caesar quo tempore commentarios rerum suarum composuerit, de ea re ueterum neminem retulisse arbitror praeter Frontonem, qui de bello Parthico ad M. Aurelium p. 203 ed. Rom. haec scribit: 'fac memineris et cum animo tuo cogites C. Caesarem atrocissimo bello Gallico cum alia multa militaria tum etiam duos de analogia libros scrupulosissimos scripsisse, inter tela uolantia de nominibus declinandis, de uerborum aspirationibus et rationibus inter classica et tubas'. Et libros de analogia Suetonius uit. Caes. c. 56 in transitu Alpium a Caesare, cum ex citeriore Gallia conuentibus peractis ad exercitum rediret, scriptos esse testatur. Verum ut hoc a Frontone oratorie exornatum est, ita quod de commentariis scribit (alia enim militaria Caesaris non fuerunt) non certa auctoritate, sed sua opinione ductus affirmasse existimandus est. Nam id quidem ipsa res docet, commentarios non inter belli certamina, sed certe gestis rebus per quietem hibernorum compositos esse. Atqui ne singulis quidem annis singulos commentarios scriptitauisse Caesarem, sed uno impetu libros de bello Gallico et postea de bello ciuili perfecisse recte Schneiderus in Wachl. philom. I, 108 Hirtii uerbis demonstrari dixit, qui §. 6 praef. libri VIII de b. Gall. commentarios a Caesare et facillime et celerrime perfectos affirmat. Idque de commentariis de bello Gallico idem Schneiderus Ciceronis epistolis confirmari monuit: qui, cum post reditum ab exilio Caesari ualde familiaris siue esset siue uideri cuperet et Quintum fratrem Trebatiumque sibi familiarissimum in eius exercitu haberet, Caesarem res suas litteris mandare neque celari potuisset neque, si certior factus esset, tacere. Verum tamen ante belli ciuilis initium commentarios de bello Gallico scriptos esse statuendum est, non

ea de causa, quod Pompeius et Labienus nusquam cum contumelia, sed et hic saepe et ille VI, 1, 4 et VII, 6, 1 cum honore appellantur (neque enim illud etiam post ciuilem dissensionem nisi ab homine pusilli ingenii neque admodum circumspecti factum esset), sed quod Caesar res duobus ultimis annis in Gallia gestas neque perscripsit neque tamen se noluisse plura scribere significauit. Nam si post dissensionem ciuilem hos libros composuisset, nulla causa erat, cur prius de ciuili bello scribere aggrederetur, quam illos ad finem perduxisset. Hanc rem Schneiderus ideo accidisse putat, quod hi commentarii iam priore parte anni 51 editi essent, idque a Caesare factum existimat, quia M. Marcellus consul tum maxime incubuisset, ut Caesari succederetur: ei Caesarem hos libros quasi quosdam uerecundos, sed eosdem luculentissimos meritorum suorum testes opposuisse. Quae mihi causa nulla uidetur. Nam qui res eius extollerent et in senatu et apud populum, Romae idonei homines Caesari deesse non poterant, quorum oratio et ad plures perueniebat quam hi libri neque ulla uerecundia impediebatur. Accedit, quod Caesar inde ab initio anni 52 usque ad annum 50 in Gallia ulteriore occupatissimus fuit, ita ut ne hibernum quidem tempus a continuis bellis intermitteretur. At annus 50, qui fuit postremus, quo Caesar prouinciam obtinuit, pacata tota Gallia ab omni motu uacauit. Itaque appropinquante decessu, cum neque quicquam se iam in Gallia gesturum uideret et summum otium nactus esset, non potest dubitari, quin hoc tempus Caesari maxime idoneum uisum sit, quo res in prouincia gestas perscriberet. Atque eius rei, quam paulo ante commemoraui, quod duorum ultimorum annorum res a Caesare relatae non sunt, ita mihi uidetur aptissime ratio reddi, ut eum ciuili tumultu in scribendo interpellatum, cum sibi ob eius belli occupationes otium non fore intellegeret, imperfectum opus interim edidisse statuamus, praesertim cui nec multa nec magni momenti deessent; postquam autem rursus otium suppetebat, prius res ciuili bello gestas componendas constituisse, quae et longe maiores essent et acutiore stilo scribendae. Commentarios igitur de bello Gallico proximo ante bellum ciuile tempore scriptos et initio eius belli uulgatos esse existimo. Libri autem de bello ciuili certe non prius editi sunt, quam M. Tullius Cicero Brutum suum scripsisset. Is enim in eo libro c. 75, 262 ita de commentariis Caesaris dicit: 'Atque etiam commentarios quosdam scripsit rerum suarum. Val-

de quidem, inquam, probandos: nudi enim sunt, recti et uenusti, omni ornatu orationis tamquam ueste detracta. Sed dum uoluit alios habere parata, unde sumerent qui uellent scribere historiam, ineptis gratum fortasse fecit, qui uolent illa calamistris inurere, sanos quidem homines a scribendo deterruit'. Quod iudicium Ciceronem facturum fuisse, si iam tum libri de bello ciuili editi fuissent, incredibile est. In hoc enim bello tradendo certum est alia omnia requisisse Ciceronem, quam ut Caesaris narratio calamistris inureretur. Cum autem dialogus ille anno 46, cum Caesar in Africa bellum gereret, scriptus sit (Ellendt. p. 328. Drumann. VI p. 290), commentarii de bello ciuili non possunt ante reditum ex Africa Caesaris editi uideri: mirorque Schneiderum, cum Ciceronis iudicium ad libros de bello Gallico tantum pertinere uidisset, tamen commentarios de bello ciuili a Caesare, antequam contra Pharnacen proficisceretur, compositos statuisse. Mihi uero, cum hi quoque libri imperfecti sint (nam Caesarem plura scribere uoluisse inde apparet, quod belli Alexandrini initia tradidit), uerisimillimum uidetur eos deuictis demum Pompeii liberis inchoatos omnino non ab ipso Caesare, sed, cum morte occupatus esset, post caedem demum eius uulgatos esse.

Cum igitur aliquantum post gestas res Caesar scripsisse commentarios uideretur, hac re usus est Schneiderus ad quaestionem saepe iactatam et tamen neglectam, de ephemeridibus Caesaris, referendam atque confirmandam. Nimirum Caesarem praeter commentarios, quos habemus, librum quendam ephemerides inscriptum reliquisse Seruii testimonio quibusdam demonstrari uisum est: cui adiunxerunt, quod Plutarchus uit. Caes. c. 22 res contra Tenctheros et Vsipetes gestas *ἐν ταῖς ἐφημερίσι* easdemque Appianus uol. I p. 90 ap. Schweigh. *ἐν ταῖς ἰδίαις ἀναγραφαῖς τῶν ἐφημέρων ἔργων* relatas dicerent, item Symmachus epist. IV, 18 ephemeride Caesaris origines, situs, pugnas et quidquid fuisset in moribus aut legibus Galliarum tradi scriberet. Alii cum Plutarchum, Appianum, Symmachum ipsos commentarios de bello Gallico significasse contenderent, Seruio fidem habendam esse negauerunt. Atque illud quo minus recte iudicatum esset, ne Schneiderus quidem repugnauit, de Seruio, quoniam eius testimonium fide dignum esse asseuerauit, uideamus. Is ad Vergilii Aen. XI, 743 haec annotauit: 'C. Iulius Caesar cum dimicaret in Gallia et ab hoste raptus equo eius portaretur armatus, occurrit

de hostibus qui eum nosset et insultans ait ‘Caesar, Caesar’, quod Gallorum lingua dimitte significat: et ita factum est, ut dimitteretur. Hoc autem ipse Caesar in ephemeride sua dicit, ubi propriam commemorat felicitatem’. Hoc igitur credibile est, Gallum, cum popularem ‘Caesar, Caesar’ clamantem audiret, de dimittendo potius quam de imperatore Romano, contra quem pugnabat, cogitasse? aut, cum eundem exultantem uideret, laetitiae significatione ad dimittendum hortari putasse? Nam de mirabili illo casu, quo Caesaris nomen Gallis dimittere significasse dicitur, nihil dicam. Hoc, ni fallor, quisque uidet, Caesarem tam insignem atque admirabilem rem, si ei accidisset, in commentariis non fuisse praetermissurum. Tota res a nugatore conficta est, qui, ut fidem ineptiis adderet, impudenter haec in ephemeride Caesaris legi affirmauit hoc est in commentariis. Eos enim inferiore aetate ita appellatos esse, etiamsi a Symmacho discedamus, ex codicibus nostris constare postea monebo. At Schneiderus parum referre putabit, utrum haec narratio commenticia sit necne; ne id quidem ad rem pertinere dicet, utrum ephemeris ille liber dictus fuerit an alio nomine: nam fuisse quendam praeter commentarios in eodem argumento uersantem alia ratione se probauisse existimat. ‘Nam unde’, inquit praef. edit. suae p. 31, ‘Caesar commentarios conficeret confectosque ederet, iam antea parata et scripta habuerit necesse est, nisi forte adeo uel ualuisse eum memoria uel confisum esse putamus, ut non modo quotannis de summa rerum gestarum referre ad senatum, uerum etiam post septem annos tantam rerum uarietatem, tot mensuram itinerum, montium, fluminum et aliarum rerum saepe paruarum, tot captiuorum atque interfectorum numeros atque ipsa multorum uerba perscribere sine praesidio litterarum potuisse uideatur’. Atque haec ratio adeo firma ei uisa est, ut quae refragabantur aut nullius momenti existimaret aut plane neglegeret. Suetonium enim, qui de scriptis Caesaris accuratissime refert, nihil de eiusmodi libro inaudiuisse, eius autem famam peruenisse ad Seruium credibile ei uisum est. Nam quid non ei credibile uideretur, qui Caesarem omnes res statim, postquam gestae essent, in ephemeridibus perscripsisse et tamen, modo ne singulis diebus ephemerides scriptae uiderentur, in commentariis inde compositis memoriae errore quaedam perperam edere potuisse (quod Asinium Pollionem affirmasse Suetonius uit. Caes. c. 56 refert) non solum ipse credidit, sed etiam aliis se persuasu-

rum esse confisus est? Quam inepte autem Hirtius epist. ad Balbum §. 6 Caesarem commentarios celerrime facillimeque composuisse praedicaret, si is omnia iam habuisset in ephemeridibus perscripta, quamque peruerse idem §. 8 quereretur sibi res Alexandrino et Africano bello gestas sermone tantum Caesaris ex parte notas esse, si ephemeridibus a Caesare in ipso bello compositis uti potuisset, ne animaduertit quidem. An latuisse eos libros familiarissimum Caesaris neque ei his uti concessum fuisse, aut Caesarem in Gallia ephemerides composuisse, postea supersedisse existimauit? Sane mensuras itinerum, montium, fluminum, numeros captiuorum et interfectorum ne ego quidem credo sola memoria Caesarem custodire potuisse, sed idem haec eum ipsum, dum res gereret, perscripsisse, nisi certo testimonio comprobabitur, non magis credam. Huic enim negotio scriba aliquis par erat, et multo est uerisimilius tali homini id mandatum esse, quam Caesarem ei rei inter summas occupationes uacasse. Sed multa ex hoc genere in publicas rationes a quaestore referebantur (et tabulas in Heluetiorum castris repertas itemque eorum, qui sectionem oppidi Aduatucorum emissent, ad se relatos esse Caesar b. Gall. I, 29 et II, 33 extr. demonstrat), mensurae itinerum sine dubio a praefecto castrorum annotabantur. Et tamen quis non uidet talibus rebus breuiter notatis nullum potuisse eiusmodi librum confici, qualem et Seruius et Schneiderus (p. 32) has ephemerides fuisse opinati sunt? Res gestas autem, quemadmodum in commentariis narrantur, nisi Caesarem memoria tenere potuisse crederem, iis quoque fides esset deneganda, qui summum eius ingenium laudibus tulerunt: mediocri enim memoria ad hanc rem opus erat. Nam ipsa multorum uerba eum accurate tradere uoluisse quis tandem sibi persuaderi pateretur? Enimuero cum Caesar quotannis de rebus gestis ad senatum referret, quas epistolas et ipse extremis libris II, IV, VII de bello Gallico commemorat et editas fuisse Suetonius testatur, et ad amicos inter ipsa bella epistolas mitteret, quas ipsas quoque editas esse scimus, legati autem, si quid absente Caesare gererent, dubitari non possit, quin ad eum perscripserint, item cum publicas rationes haberet, ea praesidia litterarum Caesari suppetisse apparet, ut, qui eum his adiutum componere commentarios post quamuis longum tempus potuisse negabit, is sibi Claudio aliquo obliuiosiorem Caesarem fingat necesse sit. Neque firmius reliquis argumentis est, quod

Schneiderus in ipsis commentariis ephemeridum uestigium sibi deprehendisse uisus est. Lib. enim IV de b. Gall. 6, 4 uerba 'Eburonum et Condrusorum, qui sunt Treuerorum clientes' ex ephemeridibus retenta putat, quod, cum commentarii componerentur, neque Eburones superfuerint, neque Treueri Gallia in prouinciam redacta clientes habere potuerint: 'erant' igitur tum Caesari scribendum fuisse. Quorum neutrum uerum est. Nam etsi Eburones uehementissime a Caesare uexati sunt, tamen nusquam relatum est eos plane excisos esse. Ita enim Hirtius b. Gall. VIII, 24 de extrema Caesaris expeditione dicit, eum Ambiorigis fines adeo uastandos duxisse ciuibus, aedificiis, pecore, ut odio suorum Ambiorix, si quos fortuna fecisset reliquos, nullum reditum propter tantas calamitates haberet in ciuitatem. Deinde adicit omnia caedibus, incendiis, rapinis uastata esse, magnum numerum hominum, non omnes, interfectum aut captum. Commemorantur autem Eburones a Strabone IV p. 296 Alm.; neque, quod postea non nominantur, indicio est eos iam tum interisse. Romanos autem in constituendis prouinciis, quantum salua summa imperii potestate fieri posset, ea instituta, quae fuerant, seruasse notum est. Quidni igitur Treueri clientelas retinuerint, praesertim qui a Plinio hist. nat. IV, 17, 106 dicantur 'liberi antea'? Eadem causa est horum locorum: V, 39 in., ubi de Neruiis refertur, 'Ceutrones, Grudios, Leuacos, Pleumoxios, Geidunos, qui sub eorum imperio sunt' et VII, 75, 2 'imperant Haeduis atque eorum clientibus, Segusianis, Ambluaretis, Aulercis Brannouicibus, Brannouiis, milia XXXV, parem numerum Aruernis adiunctis Eleutheris Cadurcis, Gabalis, Velauiis, qui sub imperio Aruernorum esse consuerunt'. Quae cum ita sint, nullas fuisse Caesaris ephemerides a commentariis diuersas certum esse existimamus.

Cum autem Caesar neque Gallici neque ciuilis belli commentarios ipse perfecisset, ea, quae deerant, post mortem eius quattuor libris, octauo de bello Gallico, de bello Alexandrino, Africano, Hispaniensi suppleta sunt. De qua re in epist. ad Balbum octauo libro de b. Gall. praemissa ita relatum est: 'Caesaris nostri commentarios rerum gestarum Galliae non cohaerentibus superioribus atque insequentibus eius scriptis contexui nouissimumque imperfectum ab rebus gestis Alexandriae confeci usque ad exitum non quidem ciuilis dissensionis, cuius finem nullum uidemus, sed uitae Caesaris'. Nam 'cohaerentibus' recte emendauit Schnei-

derus in Wachl. phil. l. c., cum in optimo codice Bongarsiano primo scriptum sit 'comparentibus', in reliquis bonis et plerisque deterioribus 'comparantibus'. His igitur uerbis si credere licet, omnia commentariorum Caesarianorum supplementa ab uno eodemque homine scripta sunt. Cuius nomen si quaerimus, in codicum quidem Caesarianorum maiore parte oblitteratum deprehendimus. Nam quod octauus commentarius de bello Gallico in calce Parisini primi et Vratislauiensis primi, quibuscum Vossianum primum et Egmondanum consentire ex cognatione horum codicum statuendum est, item bellum Alexandrinum et Africanum in Parisino secundo, de quo solo ex codicibus fide dignis in hac parte constat, Gaio Caesari tribuuntur, eandem uim habet atque si nihil in his codicibus de auctoris nomine traderetur, id quod de bello Hispaniensi in Parisino secundo et Vindobonensi primo factum est. Nam aut inuentum in exemplari nomen mutatum a librariis aut nullo inuento id, quod iis placebat, positum esse apparet. Verum in Parisino secundo octauus liber de bello Gallico initio quidem ineptum nomen 'A. Hirtii Pansae' inscriptum habet, quod idem huic libro Oudendorpius nescio quam recte in uetustioribus quibusdam codicibus ascriptum esse refert, sed in fine eius commentarii in illo codice A. Hirtii nomen legitur, eidemque homini is liber in Bongarsiano primo et Scaligerano tribuitur. Hoc autem testimonium codicum diuersae originis, ut infra uidebimus, optimorum confirmatur a Suetonio, qui uit. Caes. c. 56 Hirtium de Caesaris commentariis praedicare ait, quae in epist. ad Balb. §. 5 scripta sunt. Itaque cum octauus liber de b. Gall. Hirtii esse existimandus sit, si is uere de se ea, quae supra ex epist. ad Balb. posui, retulit, etiam reliquorum trium commentariorum idem auctor uideri debebit. De qua tamen re iam antiquis temporibus dubitationem illatam esse scimus. Idem enim Suetonius paulo ante de Caesaris commentariis haec scribit: 'Reliquit et rerum suarum commentarios Gallici ciuilisque belli Pompeiani. Nam Alexandrini Africique et Hispaniensis incertus auctor est: alii Oppium putant, alii Hirtium, qui etiam Gallici belli nouissimum imperfectumque librum suppleuerit'. Haec uerba caue ita interpreteris, ut coniunctiuo 'suppleuerit' significari putes etiam octaui libri de b. Gall. incertum auctorem Suetonio uisum esse. Ita enim inepte paulo post uerba ex epist. ad Balb. Hirtii esse diceret: et si in illa sententia fuisset, octauum librum adiunxisset re-

liquis, quorum incertum auctorem esse retulerat. Coniunctiuo nihil aliud indicatur nisi ea uerba ab iis adiecta esse, qui reliquorum quoque librorum Hirtium auctorem esse contendebant. Quare octauum librum de b. Gall. ab omnibus Hirtio tributum esse statuendum est, et quod nemo aliter sensisse traditur, et quod epistola ei libro praemissa Hirtio sine dubitatione a Suetonio tribuitur. Atque illis, quibus omnium supplementorum Hirtius auctor uisus est, praeterquam quod scriptor epist. ad Balb. se commentarios Caesaris usque ad exitum eius uitae perduxisse affirmat, etiam hoc suffragatur, quod quae idem §. 8 de se refert, omnia optime conueniunt Hirtio, Oppium uero quaedam plane excludunt. Queritur enim ille sibi non contigisse, ut Alexandrino atque Africano bello interesset. Affuit igitur in Gallia duobus extremis annis, quorum res octauo commentario de b. Gall. comprehenduntur, itemque in Hispania, cum contra Pompeii liberos bellum gereretur. Iam anno 51 et 50 ubi Oppius et Hirtius commorati sint, accurate definire nequimus, nisi quod anno 51, quo tempore Cicero in Ciliciam proficiscebatur, illum Romae fuisse ex Cic. ep. ad Att. V, 1, 2 et 4, 3, hunc uero sub finem anni 50 a Caesare Romam cum mandatis ad Balbum missum statim ad Caesarem reuertisse ex eiusd. ep. ad eund. VII, 4, 2 constat. Alexandriae sane ne Oppius quidem fuit cum Caesare, sed eo tempore Romae siue in Italia commorabatur (Cic. ep. ad Att. XI, 7, 5. 8, 1. 14, 2. 17, 2. 18), neque in Africam Caesarem comitatus est (eiusd. ep. ad Fam. IX, 6, 1). Itaque Oppius legatus, qui b. Afr. 68 commemoratur, non fuit hic Gaius Oppius, notus Caesaris familiaris. Sed ne in Hispaniam quidem contra Pompeii liberos Oppius cum Caesare profectus est: nam Romae eum remansisse Cic. epp. ad Att. XII, 29, 2. 44, 4. XIII, 19, 2. 50 demonstratur. Hirtius uero, dum Caesar Alexandriae morabatur, in Achaia erat. Cicero enim ad Att. XI, 14, 3 quaedam eum de Quinto fratre sibi nuntiasse scribit, qui Patris erat (ep. 10, 1. 11, 2). Inde profectus, cum Caesar Alexandria discessisset et in Syriam uenisset, Antiochiae apud eum fuit (Cic. ad Att. XI, 20, 1). Itaque Caesarem deinde contra Pharnacen proficiscentem comitatus esse et una Romam redisse uideri debet. Eundem, cum Caesar in Africa bellum gereret, in Italia remansisse Cic. epp. ad Att. XII, 2, 2 et ad Fam. IX, 6, 1 ostendunt. At in Hispania cum Caesare fuit. Suetonius enim Aug. 68 L. Antonium Octa-

uiano exprobrasse tradit, quod pudicitiam a Caesare delibatam Aulo etiam Hirtio in Hispania CCC milibus numum substrasset. Indidem eum Ciceroni librum misisse existimo, in quo collegerat uitia Catonis, ut ille scribit ad Att. XII, 40, 1, quem ep. 41, 4 πρόπλασμα sibi uideri ait eius uituperationis, quam Caesar de Catone scripsisset. Nam Anticatones a Caesare sub tempus Mundensis proelii confectos esse ex Suet. Caes. 56 scimus. XII autem, 37, 3 Cicero Atticum certiorem facit ab Hirtio sibi scriptum esse Sextum Pompeium Corduba exisse et fugisse in Hispaniam citeriorem, item Gnaeum fugisse. Has litteras Hirtius dederat Narbone a. d. XIV Cal. Mai. hoc est unum fere mensem posteaquam ad Mundam pugnatum est, quod proelium Liberalibus, a. d. XVI Cal. April., factum est (b. Hisp. 31, 8). Nihil igitur etiamtum Hirtius de morte Cn. Pompeii adolescentis compererat, cuius caput b. Hisp. 39 extr. pridie Id. April. Hispalim allatum esse refertur. Itaque paulo post Mundense proelium ab exercitu discessisse et in Galliam profectus esse uidetur. His rebus consentiunt, quae in ipsis commentariis de scriptore referuntur, quae quidem librariorum errori obnoxia non fuerunt. Nam quae leguntur b. Alex. 3, 1 de rebus Alexandriae gestis 'quae a nobis fieri uiderant' et 19, 6 'pugnabatur a nobis ex ponte', nemo dubitabit, quin illis hominibus sint tribuenda, et altero loco recte ante Oudendorpium 'a nostris' editum, idemque priore ponendum sit. Neque pro testimonio haberi potest, quod b. Hisp. 38, 5, quo loco de caede Cn. Pompeii relatum est, in Par. sec. Leid. pr. duobusque deterioribus codd. legitur 'in aduentu nos depellunt'. Editur ibi 'nostri depelluntur': totus quidem locus perturbatissimus est. Supersunt haec. De b. Alex. 74, 3, ubi de proelio cum Pharnace a Caesare facto dicitur, ita scriptum est: 'At Pharnaces impulsus siue loci felicitate siue auspiciis et religionibus inductus, quibus obtemperasse eum postea audiebamus' cett., quae scribi non potuerunt nisi ab eo, qui pugnae interfuisset eamque rem ex captiuis cognosset. Nam qui non affuisset, inepte se id postea audisse diceret, quod antea audire omnino nequisset. Item qui librum de b. Hisp. composuit et ante Mundensem pugnam se affuisse demonstrat 11, 2 'eodem die Q. Marcius tribunus militum, qui fuisset Pompeii, ad nos transfugit', §. 3 'hoc praeterito tempore C. Fundanius eques Romanus ex castris aduersariorum ad nos confugit', 15 extr. 'in conspectu nostro hospites, qui in

oppido erant, iugulare et de muro praecipites mittere coeperunt', 19, 3 'insequenti luce materfamiliae de muro se deiecit, ad nos transiliit', 22, 2 'loricatus unus ex legione uernacula ad nos transfugit', 21, 1 'equites cum leui armatura ex aduersariorum castris ad nos transfugerunt', et Mundensi proelio interfuisse 29, 6 'itaque nostri procedunt, id quod aduersarios existimabamus facturos', et statim post pugnam cum Caesare Cordubam uenisse 33 in. 'Caesar ex proelio munitione circumdata Cordubam uenit. Qui ex caede eo refugerant, pontem occuparunt. Cum eo uentum esset, conuiciari coeperunt: nos ex proelio paucos superesse, quo fugeremus?' Omnia haec Hirtio conueniunt, ab Oppio et proxima aliena sunt, neque minus quae supra ex bello Alexandrino posuimus. Nam cum ultima epistola Ciceronis, unde Oppium Romae fuisse cognoscimus, ad Att. XI, 18, data sit a. d. XII Cal. Quint., Caesarem autem Quintili mense Antiochiae in Syria fuisse ex ep. 20 eiusd. l. constet, eundemque rebus in Syria, Cilicia, Cappadocia, Gallograecia celeriter confectis magnis itineribus in Pontum contendisse b. Alex. 65—69 referatur, non uidetur Oppius, etiamsi post illum diem Roma ad Caesarem profectus esset, prius ad eum peruenire potuisse, quam proelium cum Pharnace factum esset, quod calendaria Amiternina a. d. IV Non. Sext. accidisse demonstrant.

Adhuc quae disputauimus omnia Hirtium suppleuisse Caesaris commentarios persuadent. Superest, ut ipsos libros consideremus, utrum eos omnes ab Hirtio scriptos esse necne uerisimile uideatur. Ad quam rem ita aggredimur, ut octauum librum de b. Gall. Hirtii esse pro certo ponamus. Non esse enim Hirtii nihil est, quo probari possit, esse et Suetonii codicumque testimonia et ea, quae praeterea exposuimus, confirmant. Cum hoc igitur reliqui commentarii sunt comparandi (nam perbreuis epistola Hirtii, quae legitur apud Cic. ad Att. XV, 6, non potest ad hanc rem idonea uideri): qui si fieri potuit ut ab Hirtio scriberentur, ea, quae supra demonstrauimus, eam uim habent, ut eius esse existimandi sint; si id de uno et altero credibile non erit, ita de his statuendum est, ut et ipsis commentariis et iis rebus, quas antea declarauimus, erit accommodatissimum.

Commentarii igitur de bello Gallico octauus et de bello Alexandrino res et commodo ordine habent dispositas et sermone narratas urbano et polito, qui praestantissimorum optimae aetatis

scriptorum proprius est. Sublatis enim quibusdam librariorum erroribus, quibus relictis nullus scriptor sui similis erit, nihil in hoc genere inuenitur in his commentariis, quod abhorrere a Ciceronis et Caesaris consuetudine uideri possit. At reliquis ex partibus si hos libros cum Caesaris commentariis comparamus, in octauo libro de bello Gallico desideramus et elegantem illam facilitatem et uigorem atque alacritatem, qua is nullis artificiis oratoriis adhibitis naturali ingenii felicitate tamquam praesentem expressit rerum gestarum imaginem. Lentitudinem enim quandam et mediocritatem agnoscimus sine motu et, quod maxime reprehendas, sine uarietate. Nam immodice ea compositione usus est Hirtius, ut protasin per 'cum' particulam incipientem apodosi praemitteret, coniungeret autem sententias per pronomen relatiuum, quarum rerum illa longa fere enuntiata efficit, utraque tardam et motu carentem orationem. Atque ut forma complexionum uarietate caret, ita ordo quoque uerborum nimium saepe idem recurrit, hunc dico, ut pauca exempli causa ponam: 'qui primum aduentum potuerant effugere Romanorum' (3, 3), 'legionem ex hibernis euocat rursus undecimam' (6, 3), 'stultas cogitationes incitabat barbarorum' (10, 4), 'ex siluis instructa multitudo procedit peditum, quae nostros coëgit cedere equites' (19, 2). Quo ex genere etsi plurima iam legebantur, plura tamen ex codicibus ponenda fuerunt. Taedium, quod affert creber usus particulae 'cum', leniri poterat, si aliae non essent prorsus neglectae: ita 'postquam' ne semel quidem positum est, 'ut' de tempore bis (30, 1 et 35, 5), 'ubi' ter (15, 7. 36, 4. 48, 6), sed ita, ut semper eadem uerba ponantur 'quod ubi accidit'. Nam c. 48, 7, ubi editur 'quod ubi malum dux equi uelocitate euitauit, grauiter uulneratus praefectus, ut uitae periculum aditurus uideretur, refertur in castra', ex optimorum codicum scriptura efficitur: 'Quod malum dux equi uelocitate euitauit: ac sic proelio secundo grauiter ab eo uulneratus praefectus' cett., id quod ex parte iam a Dauisio et Oudendorpio animaduersum est. Frequenter leguntur particulae 'etsi' uel 'tametsi' — 'tamen' (9, 2. 10, 4 bis. 16, 1. 19, 7. 20, 1. 27, 3. 28, 4. 29, 1. 50, 3) et 'quamquam' — 'tamen' (praef. 8. 42, 3. 52, 3. 55, 2): numquam 'licet' aut 'quamuis'. 'Priusquam' scriptum est 3, 1. 13, 3. 14, 2. 50, 3: numquam 'antequam'. 'Repente' legimus 5, 1. 9, 1. 12, 3. 15, 7. 20, 2 bis. 27, 2. 29, 1. 36, 4. 42, 2. 43,

5. 48, 3; 'repentinus' 3, 1. 24, 3. 35, 5: 'subitus' bis ponitur 9, 1. 11 extr., numquam 'subito'. 'Proeliari' c. 19 quinquies positum est, praeterea 13, 2. 18, 2. 28, 4. 36, 4. 41, 3. 42, 1. Formulae integrae repetitae sunt: 'magna praeda potiri' 5, 4. 27, 5. 36, 5, 'magna parte amissa suorum' 5 extr. 19, 7. 43, 4. 48, 8, 'dimittere in omnes partes' 5, 3. 7, 1. 24, 1. 25, 1, 'accidit, quod accidere fuit necesse' 3, 1. 10, 3. 48, 6, 'perturbatum agmen impedimentorum' 14, 2. 29, 2, 'frustra: nam' cett. 3, 4. 5, 3, et similiter c. 19, 6 legitur 'nequiquam'.

At commentarius de bello Alexandrino Caesarianis non multo est inferior: neque enim hic facilitatem neque motum neque uarietatem merito quisquam requiret. Non nimis frequens 'cum' particulae usus (et 'postquam' 12, 2. 14, 1. 20, 3. 21; 'ubi' 17, 5. 25, 3. 45, 3; 'ut' 27, 8. 31, 2. 47, 4. 64, 2 legimus), non longiores complexiones inter se continuatae (nam c. 41—45 id factum est breuitatis studio) eaeque cum pronomine uidebantur coniungendae, saepius demonstratiuum, quod est 'hic', ex Caesaris consuetudine quam relatiuum positum, collocatio uerborum apta neque eadem nimium saepe relata. Sed ne in hoc quidem libro usquam 'licet', 'quamuis', 'antequam' posita sunt, sed 'etsi' uel 'tametsi' (12, 3. 18, 1. 24, 1. 42, 3. 44, 1), 'quamquam' (11, 2. 42, 2. 44, 3), 'priusquam' (15, 3. 28, 2. 33, 3. 60, 1. 61, 5). Item 'repente' legitur 26, 2. 45, 2 et 4. 74, 1; 'repentinus' 19, 2. 29, 4. 36, 5; 'subitus' 30, 1. 44, 2. 75, 2. 77, 1: nusquam 'subito'. 'Proeliari' quater legimus (30, 2 et 4. 31, 1. 44, 3), saepius 'confligere' (13, 3 et 4. 25, 5. 46, 4. 60, 1 et 2 et 5. 61, 4. 74, 3. 75, 4), quod in octauo libro de bello Gallico inuenitur 28, 1 et 2. 29, 3. 'Frustra: nam' cett. ponitur 29, 5. Praeterea plura uerba coniuncta eadem in utroque libro haec reperi: 'At nostri equites' — 'laetitia uictoriae elati' VIII, 29, 3, 'at nostri uictoria elati' b. Alex. 76, 3: 'celerius opinione eorum' VIII, 8, 4, 'omnium opinione' b. Alex. 51, 4. 71, 2. 78, 5: 're bene gesta' VIII, 27, 5. 36, 1. b. Alex. 26, 3. 47, 1, 'felicissime' VIII, 37, 1, 'felicissime celerrimeque' b. Alex. 32, 1. 46, 4. 48, 1. 78, 2 et 5, 'praeclarissime' b. Alex. 30, 1. 47, 5: 'conflare bellum' VIII, 6, 1. b. Alex. in.: 'tempus anni difficile' VIII, 6, 1. b. Alex. 43, 1: 'durissimae tempestates' VIII, 5, 4. b. Alex. 43, 2.

Itaque inter hos commentarios differentiam quandam inter-

cedere confitendum est, sed ea in sola compositione uersatur. Neque uero genus scribendi diuersum est, sed, cum uterque liber narrationem rerum gestarum nudam habeat atque simplicem, posterior uenustior est magisque perpolitus et alacriore animo scriptus. Eae autem res nequaquam obstant, quo minus ab eodem scriptus sit. Nam homini in scribendo non admodum exercitato (solum autem Anticatonem Hirtius ante hos libros uidetur composuisse) facile accidebat, ut, quo longius progrederetur, eo ei melius cederet: et ipsa materia alterius libri, cum uarietate rerum ac locorum bellorumque magnitudine aliquantum praestaret, et animum scribentis magis permouebat et delectatione studium atque diligentiam addebat. In priore libri parte, quae est de rebus Alexandriae gestis, etiam Caesaris narrationi nonnihil uidetur tribuendum, qua sibi Hirtius ep. ad Balb. §. 8 hoc bellum notum esse scribit. Itaque librum de bello Alexandrino aeque atque octauum de bello Gallico Hirtii existimare non dubitabimus.

Alia causa est duorum reliquorum commentariorum. Nam in libro de bello Africano primum res gestae plenius sunt relatae, quam aut a Caesare aut ab Hirtio in superioribus commentariis factum est: et cum illi seriem narrationis ita instituerint, ut, quae re coniuncta erant, componerent, hic secundum temporis ordinem distracta omnia uidemus. Ita, ut pauca commemorem, cum inde a c. 12 usque ad c. 19 pugna quaedam narrata esset, c. 21, 2 inter res plane diuersas refertur Labienum suos, qui in ea pugna fuerant sauciati, plaustris Adrumetum deportasse: res a Sittio gestae particulatim interiectae sunt c. 25. 36, 4. 95: c. 32, 3 Caesarem Gaetulos perfugas ad seditionem concitandam in regnum Iubae dimisisse, c. 55 eosdem peruenisse et a rege populares suos diduxisse narratur. Mira quadam diligentia honores singulorum hominum praeterquam eorum, qui erant notissimi, notati sunt, neque solum quos cum maxime gerebant (id quod a Caesare quoque et Hirtio, sed et multo parcius neque sine idonea causa factum est), uerum etiam ad quem gradum dignitatis peruenerant, quo ex genere sunt c. 28, 1 'C. Vergilius praetorius', 33, 3 'C. Messius aedilicia functus potestate', 34, 2 'C. Decimius quaestorius', 85, 7 'Tullius Rufus quaestorius'. De consiliis Caesaris permagna modestia a scriptore iudicatum est, ut arbitrari se (c. 7, 4) uel existimare (9, 2) eam causam Caesari rei alicuius faciendae fuisse diceret. In Pompeianos praeter

unum M. Catonem, de quo c. 87 sqq. sine malignitate relatum est, omnes contumeliae conferuntur. Hic Considius se ad sanitatem perduci non patitur, ut Caesari aduenienti Adrumetum tradat (4, 1); Caesar miseratur tanta homines esse dementia, ut malint regis esse uectigales quam cum ciuibus in patria in suis fortunis esse incolumes (8 extr. cf. 57, 3); Labienus audacia fuit inflammatus, quod Caesarem a se oppressum iri sperabat (19, 6); Caesar queritur 'Africam prouinciam perire funditusque euerti ab suis inimicis: quod nisi celeriter sociis foret subuentum, praeter ipsam Africam terram nihil, ne tectum quidem, ab illorum scelere insidiisque reliquum futurum' (26, 4); idem, cum Scipio castris eius appropinquasset, nihil ea re mouetur: 'animaduertebat enim, quamquam magnis essent copiis aduersarii freti, tamen saepe a se fugatis, pulsis perterritisque et concessam uitam et ignota peccata. Quibus ex rebus numquam tanta suppeteret ex ipsorum inertia conscientiaque animi uictoriae fiducia, ut castra sua adoriri auderent' (31, 3); Vticae Caesar ciues Romanos et negotiatores et eos, qui inter trecentos pecunias contulerant Varo et Scipioni, multis uerbis accusat et de sceleribus eorum longiorem orationem habet (90, 2). Haec siue ambitiose siue ex animi sententia scripta sunt, magnam certe simplicitatem produnt. Caesar quidem et Hirtius numquam adeo risum hominum contempserunt: neque a Caesariano de initio dissensionis ciuilis et de turbis Hispaniensibus moderatius potuit scribi quam ab altero extremo libro octauo de b. Gall. et b. Alex. 48 seqq. factum est. Quod si orationem spectamus, non solum genus scribendi plane aliud, sed etiam in sermone multa diuersa a superioribus libris reperimus. Quaedam quidem in hac parte librarii peccauerunt aut interpretes. Nam illis nemo dubitabit haec tribuere: 'dum haec ita fierent' (25, 1), 'iamque Caesar dum exercitum intra munitiones suas reducere coepisset' (61, 2), 'qui dum anima nondum expirata concidisset' (88, 4), praesertim cum eo loco, quem extremum posui, uel tempus uerbi demonstret 'cum' particulam a scriptore esse positam. Nihil aget, si quis haec eo defendere conabitur, quod aliis quoque particulis contra consuetudinem coniunctiuum in hoc libro adiunctum dicat. Neque enim c. 4, 3 scripsit auctor, ut editur, 'quo simulatque captiuus peruenisset litterasque, ut erat mandatum, Considio porrigere coepisset', sed aut uerum est, quod in codd. legitur 'simulatque capti-

uus cum peruenisset' (ipsum quoque inusitatum, sed non uitiosum, ut arbitror), aut, si cui hoc non probabitur, ei ita est emendandum, ut uitium ne importet. Neque c. 78, 4 cum haec poneret: 'Quod ubi coeptum est fieri, et equis concitatis Iuliani impetum fecissent', particulae 'ubi' eum coniunctiuum adiunxisse prima enuntiati pars docet: sed oblitus illius et 'cum' se posuisse existimans ad hanc alterum uerbum conformauit. At c. 91, 4 scripsit: 'postquam Iuba ante portas diu multumque primo minis egisset cum Zamensibus, dein, cum se parum proficere intellexisset, precibus orasset'. Et eadem forma fortasse c. 40, 5 et 50, 4 restituenda est, quorum locorum priore in tribus optimis et duobus deterioribus codd. haec leguntur: 'postquam Scipione eiusque copiis campo collibusque exturbatis atque in castra compulsis cum receptui Caesar cani iussisset', altero Oudendorpium de suis codd. recte tacere non credo, in Par. sec. sic scriptum est: 'Caesar postquam equitatu ante praemisso inscius insidiarum cum ad eum locum uenisset'. Sed his duobus locis mihi quidem uerisimilius uidetur scriptorem prioris particulae oblitum alteram superaddidisse: c. 85, 3, cum in Par. sec. et Leid. pr. ita legatur: 'Qui postquam ad ea castra, quae petebant, perfugerunt, ut refectis castris rursus sese defenderent, ducemque aliquem requirerent, quem respicerent, cuius auctoritate rem gererent, qui postquam animaduerterunt neminem ibi esse praesidio, protinus armis abiectis in regia castra fugere contenderunt', hic igitur Oudendorpio assentior alterum 'qui', quod uerba 'rem gererent' sequitur, delendum esse. Verum illo modo etiam Ciceronem composuisse de imp. Cn. Pomp. 4, 9 'posteaquam maximas aedificasset ornassetque classes' cett. grammatici annotauerunt. Addo eund. p. Cluent. 64, 181 'Oppianicus primo recusauit: posteaquam illa abducturam se filiam, mutaturam esse testamentum minaretur, mulieri crudelissimae seruum fidelissimum non in quaestionem tulit, sed plane ad supplicium dedit'; Vitruu. II, 9, 16 'postquam flamma circa illam materiam uirgas comprehendisset'; Valer. Max. V, 7, ext. 2 'postquam filium in cornu scribae humiliorem fortuna sua locum obtinentem conspexisset': ita enim, non 'conspexit', in plerisque codd. legi annotat Torrenius, edetque ex omnibus suis, quos habet optimos, amicus meus Carolus Kempfius. Taciti uerba ann. XII, 54 manca esse interpretes docuerunt. Item librariis tribuo haec: 'ex oppido This-

drae' (36, 2) et 'ad oppidum Paradae' (87, 1). Nam hic genitiuus poëtis relinquendus est: neque eiusdem generis esse apparet, quae Oudendorpius contulit, 'Thapsi, oppido maritimo, praeerat' (28, 1), 'in oppido Vzitae' (58, 3), 'in oppido Zamae' (91, 3). Eodem errore apud Caes. b. Gall. VII, 56, 2 etiam in bonis codd. 'mons Ceuennae' natus est. His igitur remotis in oratione complura inuenimus a Ciceronis, Caesaris Hirtiique consuetudine abhorrentia, maximam quidem partem antiquiora et huius aetatis antiquariis usurpata, partim apud scriptores paulo recentiores demum legimus. Ex eo genere sunt primum uerba haece, quorum exempla idonea apud Forcellinium inuenies: 'tristimonia' (10, 3), 'condensus' (14, 2. 50, 1), 'cruciabiliter' (46, 2), 'exporrigere' (42, 4. 78, 4. cf. Vitruu. IX, 6, 6), 'cateruatim' (33, 3. cf. Sall. Iug. 97), 'suppetias ire', similia (5. 25 extr. 39, 4. 41, 2. 66, 3. 68, 3. 75, 5. cf. Varr. fragm. p. 304 Bip.). 'Protinus' eodem significatu atque 'porro', ut hic 49, 1 'progredi coepit et brachia protinus ducere', legitur quidem apud Cic. quoque de diuin. I, 24, 49, sed is ibi Caelii Antipatri uerba expressit. Quod 26, 4 ponitur 'nisi celeriter sociis foret subuentum' et 91, 3 'si forte bello foret superatus', eodem modo hac aetate dixerunt Sallustius, Cornelius Nepos, Liuius: at Cicero, Caesar, Hirtius infinitiuo tantum 'fore' usi sunt. 'Supercilium' de loco edito ponitur hic 58, 1 et apud Liuium XXVII, 18. XXXIV, 29: idem I, 29 'errabundum' dixit, quod uerbum in hoc libro legitur 2, 4. 21, 3. 44, 2. 45, 2. 'Insectatus' passiue positum non uidetur alibi inueniri quam huius libri 71, 4, sed 'consectatum' eodem modo dixisse Laberium annotat Priscian. p. 792 Putsch.: idem ibi 'aspernari', quod passiuo significatu hic legimus 93, 3, Ciceronis exemplo tuetur. 'Persuasi', quibus aliquid persuasum est, dicuntur hic 55, 1 et ap. script. rhet. ad Herenn. I, 6, 9 'animus auditoris persuasus' et §. 10 'persuasus auditor'. 'Conuulnerare', quod in hoc libro saepe ponitur (5, 1. 7, 5. 15, 2. 17, 3. 41, 1. 52, 3. 61, 4. 69, 5), primum ex Seneca notatum uideo, neque ego antiquius exemplum habeo. Datiuum 'ui', qui legitur h. l. 69, 2, apud alium scriptorem non inueni. Valde auctor huius libri adamauit deminutiua (16, 1. 22, 2 et 3. 23, 1. 34, 2. 37, 3. 44, 1. 47, 5. 54, 1. 63, 2. 71, 2. 87, 2). Est hoc familiaris et uulgaris sermonis proprium: et eiusdem generis haec esse arbitror: 'sub-

ministrare' c. 19, 2: 'tantam se multitudinem auxiliorum aduersariis subministraturum, ut etiam caedendo in ipsa uictoria defatigati uincerentur'; et 'prosilire' c. 58, 2: 'sine dubio existimans ultro aduersarios, cum tam magnis copiis auxiliisque regis essent praediti promtiusque prosiluissent, ante se concursuros', et 'concursare' 81, 1 'ipse [Caesar] pedibus circum milites concursans'; et 'paucum numerum' 68, 2, quomodo Vitruu. I, 1, 6 'paucam manum' dixit; et 'sub manum submittere' 36, 1; et 'eiusmodi genera' 71, 1, 'cuiusquemodi generis' 19, 5. 23, 1. 36, 1, quamquam eodem modo Varro de ling. Lat. IX, 20 p. 474 Sp. et Sallustius Cat. 39 dixerunt; item 'sauciis decem factis' 70, 4, quod habet Cato ap. Gell. III, 7. Eodem pertinet, quod constanter 'plostra' secundum rusticam pronuntiationem dicuntur (9, 1. 21, 2. 75, 4). Idem, quod de singulis uerbis obseruauimus, cadit in compositionem. 'Potiri' in hoc libro positum est adiuncto ablatiuo 51, 1. 74, 2. 76, 1. 83, 4. 86, 1. 87, 1; genitiuo 18, 4. 50, 5. 61, 6. 74, 1; accusatiuo 36, 4. 39, 3. 68, 2. 87, 4. 89, 1. Hirtius semper usus est prima forma (VIII, 5, 4. 27, 5. 36, 5. b. Alex. 11, 5. 20, 4. 33, 1. 42, 4. 76, 3: 'spes prouinciae potiundae' 43, 5), altera extra peruagatam formulam 'rerum potiri' nonnumquam Caesar (b. Gall. I, 3 extr.), Cicero (ad Fam. I, 7, 5. Off. III, 32, 113), Nepos (Lys. 1, 4. Dion. 5, 5), Sallustius (Cat. 47. Iug. 25. 74), Liuius (XXV, 14. 17. XXXIV, 21): accusatiuus a nullo horum positus est (nam Ciceronis loci, quibus Beier ad Off. II, 23, 81 usus est, eius rei non magis fidem faciunt, quam quae apud Corn. Nep. Eum. 3, 4 leguntur); uerum antiquiore aetate hoc genus frequentatum est, neque dubitari licet, quin inde 'spes prouinciae potiundae' et similia repetenda sint, quibus optimi auctores non abstinuerunt. C. 12, 1 legimus 'puluis ingens conspici coeptus est' et 82, 2 'cum idem a pluribus animaduerti coeptum esset': atque ita Caesar et Hirtius semper dixerunt, Cicero quoque praeter unum locum Tusc. I, 13, 29 'sed qui nondum ea, quae multis post annis tractari coepissent, physica didicissent', de quo dubitandum uidetur, etsi optimi codicis regii 'tractare' ferri nequit. Sed hanc formam habemus hic 27, 2 'cum ab aduersariis lapides mitti coepissent' et 82, 4 'signa in hostem coepere inferri', atque ita scripserunt Varr. de re rust. III, 19, 12. Sall. Cat. 12. Iug. 91. 96, Liuius et inferiores saepe. Contra

antiquiores constanter, quod sciam, dixerunt 'coepit fieri', cum hoc uerbo non ut passiuo, sed ut deponenti uterentur: hic eadem constantia ponitur 'coeptum est fieri' (69, 3. 78, 4), quod Liuio familiare est (XXIV, 47. 49. XXV, 34. XXVII, 42. XXXI, 23. XXXVII, 18). C. 10, 3 scriptum est: 'animum enim altum et erectum prae se gerebat: huic acquiescebant homines', quemadmodum Senecam ep. III, 3 (24) in. et Suetonium Vit. 14 locutos esse Forcell. annotauit: nam apud eund. Tib. 31 'negante eo destinatos magistratus abesse oportere, ut praesentes honori acquiescerent' necessario Wolfius Boherii coniecturam probauit 'assuescerent' emendantis. Sed quod h. l. 75, 2 legitur 'supersedere pugnae animaduertit', dubito, an recte Dauisio 'pugna' corrigendum uisum sit. Particulis 'que', 'et' sibi respondentibus duo uocabula componere, ut h. l. 72, 4 'speciemque et uirtutem' et 93, 3 'seque et sua omnia et oppidum' legimus, non est ex consuetudine Ciceronis, Caesaris, Hirtii, sed Plauti (Captiu. II, 2, 63), Terentii (Eun. V, 2, 37. Andr. IV, 1, 53. Adelph. I, 1, 39), Sallustii (Iug. 26. 55. 76. 89. 91), Liuii (XXXIII, 19. XXXV, 41. XXXVI, 19). Nam quod ap. Caes. b. ciu. III, 109 extr. duo enuntiata ita componuntur: 'magnamque regium nomen apud suos auctoritatem habere existimans et ut potius' cett. a consuetudine omnium abhorret, recteque Vascosanus et alii priorem copulam deleuerant. Participium futuri in fine designando positum est hic 25, 4 'dum alios adiuturus proficiscitur' et 65, 3 'insidiaturus locis certis consedit', quod non ante Liuium fieri consuesse grammatici docent. Frequenter in enuntiatis relatiuis plusquamperfectum positum est, ubi imperfectum requirebatur, ut 23, 1. 31, 1. 34, 4. 43. 44, 1. 75, 3. 89, 1 et adiecta temporis significatione 76, 2 'ad oppidum Thisdram peruenit, in quo Considius per id tempus fuerat', 88, 3 'liberis suis L. Caesari, qui tum ei pro quaestore fuerat, commendatis', 89, 2 'Q. Ligario, C. Considio filio, qui tum ibi fuerant, uitam concessit'. Hoc ab iis scriptoribus, qui accurate et eleganter scripserunt, perraro factum est. Caesaris et Hirtii exempla posuit Schneiderus p. 135, ex quibus tamen haec tantum apta sunt: b. Gall. II, 6, 4 'Iccius Remus, qui tum oppido praefuerat, nuntium ad Caesarem mittit', VIII, 2, 1 'adiungit legionem undecimam, quae proxima fuerat', 54, 3 'quintam decimam' (legionem dicit), 'quam in Gallia citeriore habuerat, ex senatus-

consulto tradi iubet', b. Alex. 10, 4 'naues omnes, quas paratas habuerant ad nauigandum, propugnatoribus instruxerunt', 57, 1 'L. Titius, qui eo tempore tribunus militum in legione uernacula fuerat, nuntiat'. De b. Gall. III, 7, 2 Caesar scripsit 'P. Crassus adolescens cum legione septima proxime mare Oceanum in Andibus hiemarat' de eo tempore cogitans, quo ipse ad exercitum uenit. Sallustii locos uid. ap. Kritz. ad Iug. p. 227. Ciceronis locum, quem is ascripsit, de orat. I, 7, 24 'dici mihi memini L. Crassum se in Tusculanum contulisse, uenisse eodem, socer eius qui fuerat, Q. Mucius dicebatur' huc non pertinere, cum Crassi uxor eo tempore mortua fuisse uideatur, recentiores Ciceronis interpretes monuerunt. Idem tamen in Verr. II, 29, 72 'peruellem adessent ii, qui affuerant antea causamque cognorant', et de orat. II, 7, 20 'praecisa, inquit, mihi dubitatio est, quoniam neque domi imperaram, et hic, apud quem eram futurus, tam facile promisit' plusquamperfectum posuit, pro quo accurata oratio perfectum requirebat. Sed uulgari sermone hoc genus frequentatum esse Vitruuius ostendit, qui plusquamperfectum et pro imperfecto et pro perfecto et in omni genere sententiarum posuit (II, praef. 1. IV, 1, 2. VII, praef. 5. c. 5, 5. 7, 1. VIII, 3, 25. IX, 9, 2. X, 2, 11. 15. 13, 2. 6. 15, 2. 3. 4. 5. 6. 7. 16, 3. 4. 9. 10. 11). Item ex uulgari sermone ascitum arbitror coniunctiuum in enuntiato relatiuo sine causa positum h. l. 35 in. 'Scipio quique cum eo essent' et 77, 1 'Thebanenses interim, qui sub dicione et potestate Iubae esse consuessent, legatos ad Caesarem mittunt'. Praeterea a peculiari Hirtii consuetudine haec discedunt. Constanter in hoc libro dicitur 'conuallis' (7, 6. 50, 1 bis. 2. 66, 2): Hirtius semper 'uallem', Caesar illud bis posuit (b. Gall. III, 20, 4 et V, 32, 2). Hirtium uidimus semper 'priusquam' ponere, numquam 'antequam': illud hic legitur 4, 3. 40, 2, hoc 50, 1. 74, 2. 92, 1. Ex concessiuis particulis unam in hoc libro inuenimus 'quamquam' (6, 2. 31, 3 et 7. 88, 5). 'Postquam', quod in libro octauo de b. Gall. nusquam, in b. Alex. quater legi notaui, hic uel maxime frequentatur (3 in. 5, 1. 6, 4. 37, 1. 38, 1 et 4. 39, 4. 40, 5. 44, 3. 48, 2 et 4. 49, 1. 50, 4. 57, 1. 68, 2 et 3. 73, 5. 75, 2. 76, 1. 78, 3 et 7. 79, 1. 80, 4. 81, 1. 83, 1. 84, 1. 85, 3 et 4 et 5. 86, 3. 87, 4. 91, 4 et 5. 93, 3): 'ubi' legitur 29, 4. 39, 5. 40, 4. 41, 3. 75, 4. 78, 4 et 5. 87, 1. 91, 4: parti-

cula 'ut' plane abstinuit scriptor. Satis frequenter posuit 'cum iam' uel 'iam cum' (12, 1 et 3. 18, 5. 25, 4. 42, 1. 52, 1. 69, 1 et 4. 70, 1. 94, 1). Apud Hirtium constanter 'repente' legi obseruauimus, numquam 'subito': eadem constantia in hoc libro illud exclusum, hoc usurpatum deprehendimus (6, 1 et 2. 7, 5 et 6. 11, 1. 14, 1 et 2. 18, 5. 23, 2. 35, 1. 40, 2. 47, 1 et 6. 61, 2 et 3. 66, 1 et 2. 80, 6. 82, 2 et 3. 89, 3. 90, 4: 'subitus' legitur 43, 1. 52, 2. 65, 1). Iam in scribendi genere eum, qui hunc librum composuit, facile apparet grandem quendam atque elatum uideri uoluisse, sed impar negotio effusus et redundans et tumidus euasit neque facere potuit, quin tota compositio impolita atque aspera existeret. Grande genus eum affectauisse cum tota narrandi ratio, qua omnia magno hiatu proferantur, tum creberrimus infinitiui historici usus indicio est. Hic a Caesare raro interponitur, ab Hirtio omnino numquam, in hoc libro legitur 1, 3 et 5. 6, 6. 7, 4. 8, 4. 12, 2. 15, 2. 16, 1 et 3. 20, 1. 21, 1. 24, 2. 25, 5. 26, 8. 30, 1. 32, 3. 35, 1. 39, 1. 52, 5. 61, 8. 70, 2. 71. 78, 6. 85, 3. Tumorem haec ostendent: 31, 1 'minutatim modesteque sine tumultu aut terrore', 36, 4 'ui expugnando est potitus', 49, 1 'capiendo loca excelsa occupare contendit', 55, 1 'a rege Iuba desciscunt celeriterque cuncti arma capiunt contraque regem facere non dubitant', et totus locus c. 10, 3 'Omnibus in exercitu insciis et requirentibus imperatoris consilium magno metu ac tristimonia sollicitabantur. Parua enim cum copia et ea tironum neque omni exposita in Africa contra magnas copias et insidiosae nationis equitatumque innumerabilem se expositos uidebant, neque quicquam solatii in praesentia neque auxilium in suorum consilio animaduertebant, nisi in ipsius imperatoris uultu, uigore mirabilique hilaritate: animum enim altum et erectum prae se gerebat. Huic acquiescebant homines et in eius scientia et consilio omnia sibi procliuia omnes fore sperabant'. Atque hic quidem tumore etiam sententiam peruerti apparet, quod milites parua cum copia neque ea omni exposita expositi dicuntur, id quod similiter factum est c. 27, 3. Nam uerbis: 'rudes enim elephanti multorum annorum doctrina usuque uetusto uix edocti tamen communi periculo in aciem producuntur' scriptor bestias bene domitas significare uoluit: non debebant igitur iidem rudes dici. C. 35, 6 scripsit: 'quorum orationem celeriter ueritas comprobauit', cum

orationem ueram fuisse euentu comprobatum ostendere uellet. Diffusam et dissolutam compositionem maxime animaduertere licet c. 5. 19. 20. 51, 3—6. Saepe oratio compluribus uerbis per parenthesin interiectis interrupta est, ut 8, 4. 15, 1. 20, 2. 48, 3. Anacolutha non solum in longa oratione inueniuntur, ut c. 19 plura, de quo loco dicam, sed etiam in breuissimo spatio 25 in.: 'Cum haec fierent, rex Iuba cognitis Caesaris difficultatibus copiarumque paucitate non est uisum dari spatium conualescendi'. Eodem pertinent, quae supra p. 17 dixi de particulis 'ubi' et 'postquam', cui 'cum' superadditum est, et quod c. 40, 5 pronomen demonstratiuum positum est Labieni commemoratione, ad quem referendum est, longe reiecta et aliis hominibus interim nominatis. Item c. 25, 2 statim post anacoluthon, quod supra commemoraui, recte in codd. ita scriptum est: 'P. Sittius interim et rex Bocchus coniunctis suis copiis cognito regis Iubae egressu propius eius regnum copias suas admouere: Cirtamque, oppidum eius regni opulentissimum, adortus paucis diebus pugnando capit' et ad eandem formam reliqua. Solum enim Sittium se commemorasse scriptor putabat, qui et princeps totius expeditionis erat et postea semper solus ponitur. Quod autem in octauo libro de b. Gall. uarietatem desiderauimus, hic ex similitudine fastidium quisque sentiet. Nam praeter ea, de quibus supra diximus, identidem haec repetuntur, quorum apud Hirtium nihil frequentatur: 'aduersarii' (1, 4. 3, 1. 8, 3. 11, 4. 14, 1. 18, 5. 19, 1 et 2. 20, 4 et 5. 21, 3. 24, 2. 26, 2 et 3. 27, 2. 31, 8. 32, 4. 38, 2. 39, 1. 41, 3. 52, 3. 57, 2. 58, 2. 59, 5. 61, 7. 76, 1. 78, 8. 79, 1); 'contendit ire' (6, 4. 25, 1. 33, 3. 39, 4. 41, 2. 75, 3. 83, 1. 87, 5. 89, 3. 92, 2) 'iter facere' (86, 5) 'fugere' (40, 2. 63, 3. 75, 6. 85, 4. 93, 1) 'ruere' (83, 3) 'petere' (50, 6) 'occupare' (49, 1) 'mittere' (16, 2); 'non desistere' (22, 1. 25, 3. 28, 2. 75, 7. 84, 2) et 'non intermittere' (26, 8. 29, 1 et 4. 32, 2 et 3. 36, 1. 52, 2. 61, 7) adiuncto infinitiuo; 'commorari' (2, 2. 3, 2. 5. 18, 5. 24, 1. 32, 1. 38, 2. 48, 6. 53. 63, 4 et 6 bis. 78, 3 et 8 et 9 et 10. 79, 2), 'egredi' (3 extr. 6, 2. 10, 2. 11, 2. 25, 1. 34, 5. 38, 3. 48, 1. 62, 5. 68, 2. 73, 4. 79, 2. 85, 1. 88, 7. 89, 3. 92, 2. 97, 1), 'progredi' (12, 1. 17, 2. 24, 2. 25, 3. 30. 38, 4. 42, 1. 48, 6. 49, 1 et 2. 61, 3. 62, 1. 65, 1 et 3. 75, 1. 78, 2. 79, 2. 89, 1) et maxime participia perfecti horum trium uerbo-

rum. Naues Caesaris dicuntur 'incertae locorum' 7, 3, 'incertae locorum atque castrorum suorum' 21, 3 et 28, 1: uerba 'natura loci perspecta' leguntur 3, 4. 38, 2. 76, 3; 'Caesarem non fefellerat' 3, 4. 56, 4. 75, 5. 80, 1; 'omnibus insciis' 10, 3 et 37, 2; 'luminibus accensis' 56 extr. 89 extr.; 'non arbitror esse praetermittendum' 59, 1 et 84, 1. Sed qua neglegentia in hoc genere uersatus sit scriptor, inde optime perspicietur, quod noua res raro aliter quam aduerbio 'interim' adiungitur, quod sexagies et sexies, si recte numeraui, in hoc libro scriptum est, bis 'interea' (8, 4. 44, 1).

Commentarius de bello Hispaniensi quamquam et corruptissimus est et multis partibus truncatus, non sunt tamen hae res impedimento, quo minus, quantum ad hanc quaestionem satis est, certo de eo iudicare possimus. Quod igitur in libro de bello Africano res gestas plenius quam in superioribus commentariis relatas diximus, hic liber in ea parte etiam Africanum bellum superat, ita ut ne minimae quidem res praetermissae uideantur, cum uel singulorum hominum transfugia neque solum militum, sed etiam mulierum atque seruorum, speculatores deprehensi aliaque huiuscemodi accuratissime perscripta sint. Item hic quoque liber res gestas secundum temporis ordinem habet dispositas, sed adeo fastidiose, ut in longe maxima parte, inde ab obsessione Vliae usque ad pugnam Mundensem, non tantum, quid unoquoque die gestum sit, separatim referatur, sed etiam dies et noctes atque partes earum diiungantur. Etsi scriptor apertissime fauet Caesarianis, quorum in exercitu se fuisse saepe significat, Pompeianosque despicit et contemnit, tamen haec magis narratione rerum gestarum pro consilio instituta quam ratiocinationibus et iudiciis interponendis, ut in libro de bello Africano factum uidimus, declarauit. In oratione pauca inueniuntur belli Africani similia. Aeque frequenter atque illic leguntur 'aduersarii' (2, 2. 3, 8. 5, 6. 6, 1. 10, 4. 11, 3. 13, 8. 15, 4. 18, 5. 20, 2. 21, 1. 23, 1 et 6 bis. 24, 6. 25, 3 et 8. 29, 3 et 6 et 8. 31, 1 et 3 et 4 et 7 et 10. 32, 2. 38, 5 et 6). Item constanter dicitur 'conuallis' (7, 1. 25, 2. 28, 2): et 'potiri' hic quoque coniunctum est cum genitiuo 1, 1. 2, 2 et accusatiuo 16, 4, sed saepius cum ablatiuo (13, 4. 19, 6. 34, 5. 40, 8). In enuntiatis relatiuis plusquamperfectum positum est pro imperfecto 13, 8. 14, 2. 16, 2. 40, 6; uerum longe frequentissime coniunctiuus

pro indicatiuo (2, 1. 13, 7. 22, 6. 27, 6. 32, 6. 33, 5. 35, 2 et 3. 37, 1. 38, 1) et in hoc quoque genere plusquamperfectum pro imperfecto 2, 3. 3, 8. 11, 2. 13, 2. 19, 7. 22, 2 bis et 3. 37, 2. Atque is coniunctiuus etiam pronomen traxit, ut reflexiuum pro demonstratiuo poneretur, c. 22, 6 'principibusque, qui sibi contrarii fuissent, interfectis', similiterque c. 28, 2 corrigendum fuit: 'Vrsaonensium ciuitati, qui sui fuissent fautores, antea litteras miserat'. Quamobrem dubito, utrum c. 37, 3 uerba 'quod imparati a Carteia profecti sine aqua fuissent' ipse scriptor ita posuerit, an librariorum errore 'quod' et 'quom' particulae permutatae sint. Apud Caesarem quidem b. Gall. IV, 1, 9 et b. ciu. III, 26 extr. ne hanc pro illa ponerem, titulus Anconae in arcu Traiani scriptus, quem ad priorem locum Schneiderus commemorauit, me non deterruit. Nam b. Afr. 87, 1 in his uerbis: 'cum ab incolis non reciperentur ideo, quod fama de uictoria Caesaris praecucurrisset', recte ponitur coniunctiuus, ut incolas hanc causam equitibus edidisse demonstretur. Sed ut ad bellum Hispaniense reuertamur, longe plurima in oratione hic liber habet peculiaria, ualde quidem illa memorabilia. 'Clanculum' legimus c. 32, 7, ut apud Plautum et Terentium, 'pelagus' 40, 8, quo uocabulo praeter Vitruu. II, 8, 14 poëtae et scriptores inferioris aetatis usi sunt: non magis 'excellentia loca', ut hic 8, 4 et 6. 24, 4. 28, 4, qui Ciceronis aetate dixerit, scio. Neque apud alios scriptores 'loricatos' ita legere memini, ut hic 4, 2 et 3 'loricatos, uiros fortes, cum equitatu ante praemisit'; 13, 5 'missos facere loricatos, qui praesidii causa praepositi oppido a Pompeio essent, orabant'; 20, 2 'loricatus unus ex legione uernacula ad nos transfugit' et §. 4 'centuriones loricati octo ad Caesarem transfugerunt ex legione uernacula'. Verbum 'depostulare', quod c. 1 extr. scriptum est, non uidetur alibi reperiri. 'Grumum' ex Attio notauit Nonius, hac aetate hic 8, 6. 24, 3 et apud Vitruuium II, 1, 5 legitur. 'Quis' pro 'quibus' forma ab antiquioribus Cicerone usurpata et ab antiquariis et recentioribus relata semel positum est c. 23 extr. Vulgi sermonem redolet creber usus uerbi paulo pinguioris, quod est 'iugulare' (15, 6. 18, 4 et 5. 19, 3. 20, 3. 22, 1 et 3 et 4. 27, 6. 33, 5. 35, 4: 'iugulationem facere' 16, 5 et 6. 22, 6): item haec uulgaria esse arbitror: 'ut sileat uerbum facere' 3, 7; 'signum fugae ostendere' 18, 5; 'ex auersione legatos iugularunt' hoc est

'auersos' 22, 3; 'administrare caedem' 36, 4. 39, 2; 'Lusitani ad Didium se reportant' 40, 2; 'Caesar Gadibus rursus ad Hispalim recurrit' 40 extr. Eodem pertinent haec parum proprie et accurate dicta: 'ut magno tamen periculo accessus eorum haberetur' 30, 5; 'balista missa a nostris turrem deiecit' 13 extr.; 'ut prope uideretur finem bellandi duorum dirimere pugna' 25, 6; 'cum certum comperissent legatorum responsa ita esse gesta, quemadmodum illi retulissent' 22, 4. Hic id uituperandum est, quod responsa ita gesta dicuntur, quemadmodum legati responsa retulissent: illud uerum non est, quod Schneiderus (in specim. nouae edit. Caes. comm. Vrat. 1829) ad c. 1, 7 annotauit, respondere scriptorem posuisse pro dicendo uel eloquendo. Nam 'responsa legatorum' ea intellexit, quae percontantibus ciuibus legati exposuissent, et 18, 5 recte scripsit cohortanti Pompeio, ut Ategua clam ab obsessis desereretur, 'unum respondisse, ut potius ad dimicandum descenderent, quam signum fugae ostenderent', siquidem non interroganti solum, sed quidlibet dicenti respondemus: c. 1, 7 autem 'mediisque eorum praesidiis cum essent, unus ex nostris respondit' post uerbum 'essent', ut multis aliis huius libri locis quaedam exciderunt. Ablatiuus solus positus est, ubi praepositio erat adicienda, ut 'in' 9, 4 'cum ex castello repugnare coepissent, maioribusque castris Caesari nuntius esset allatus' et 18, 3 'neque licere castris Cn. Pompeii nuntiare', 'ex' 15, 2 'pedites leui armatura lecti ad pugnam' et 20, 4 'saucii aliquot occiderunt leui armatura'. 'Clam' adiuncto accusatiuo scriptum est 3, 2. 35, 3 et ex necessaria emendatione 16, 1, cuius compositionis ibi ex Plauto et Terentio exempla ascripsit Dauisius. C. 40, 1 legitur: 'Didius proximo se recepit castello', cum castello recipi, se recipere in castellum dici consuerit. C. 24 extr. auctor scripsit: 'ita pridie duorum centurionum interitio hac aduersariorum poena est litata', cum interitioni litatum esse dicere deberet. C. 13, 5 uerbum 'orare' infinitiuum subiectum habet: 'missos facere loricatos, qui praesidii causa praepositi oppido a Pompeio essent, orabant', ut Vergilius dixit Ecl. 2, 43; c. 36, 2 'animaduertere' pro accusatiuo cum infinitiuo particulam 'ut': 'Quod Caesar cum animaduerteret, si oppidum capere contenderet, ut homines perditi incenderent et moenia delerent'; c. 33, 4 'imperare' et accusatiuum cum infinitiuo et gerundium: 'coenam afferri quam optimam im-

perauit, item optimis insternendum uestimentis'. Particula 'quod' subiecto coniunctiuo pro accusatiuo cum infinitiuo posita est 36, 1 'legati Carteienses renuntiarunt, quod Pompeium in potestate haberent', itemque 10, 2 recte restituit Dauisius 'suo loco praeteritum est, quod equites ex Italia cum Asprenate uenissent'. Hoc genus cum Maduigius opusc. alt. p. 232 ab emendatis scriptoribus alienum esse neque ante Hadriani tempora increbruisse demonstraret, tamen duo certe antiquorum scriptorum exempla relinquere est coactus Catonis ap. Plin. hist. nat. XXIX, 1, 14 'dicam de istis Graecis suo loco, Marce fili, quid Athenis exquisitum habeam, et, quod bonum sit illorum litteras inspicere non perdiscere, uincam', et Plauti Asinar. I, 1, 37 'equidem scio iam, filius quod amet meus istanc meretricem e proximo Philenium'. C. 22, 7 in oratione obliqua etiam in causali enuntiato perperam accusatiuus cum infinitiuo positus est: 'serui transfugae nuntiauerunt oppidanorum bona uenire neque extra uallum licere exire nisi discinctum, idcirco quod, ex quo die oppidum Ategua esset captum, metu conterritos complures profugere in Baeturiam': nam quod Robertus Stephanus 'idcircoque' correxit, id sententiae est contrarium. Praeterea hunc librum cum bello Africano et duobus Hirtianis commentariis comparanti haec memorabilia uidebuntur. In bello Africano constanter dicitur 'neque opinans' (7, 3. 66, 2), itemque in Alexandrino (63, 5. 73, 2. 75, 1): nam in octauo libro de b. Gall. neque hoc uocabulum legitur neque 'inopinans', quo Caesar solo usus est. 'Neque opinans' praeter illos locos legere non memini nisi in Bruti epist. ad Cic. I, 4, 4, de quibus epistolis cum maxime disceptatur. Belli Hispaniensis scriptor semper posuit usitatum 'necopinans' (2, 2. 15, 2. 16, 4). In Hirtianis commentariis 'repente', in b. Africano 'subito' excluso altero poni animaduertimus: in bello Hispaniensi neque 'repente' neque 'subito' neque 'subitus' legitur, sed 'repentinus' 9, 3. Item scriptor belli Hispaniensis constanter posuit 'uulneribus afficere' (9, 3. 12, 4. 15, 4. 16, 4. 23, 2 et 8), numquam 'uulnerare' aut 'conuulnerare', quod in b. Afr. frequentari animaduerti. Proprius belli Hispaniensis est creber usus uerborum 'bene magnus' (1, 2. 4, 3. 12, 4. 13, 4. 15, 6. 16, 2. 22, 6. 35, 2 et 3. 40, 1. 41, 1): 'bene multi' 34, 5. 36, 4. 37, 4, 'bene longe' 25, 2 leguntur. Ex particulis temporalibus numquam ponuntur 'postquam', 'ut', 'ubi', neque 'antequam',

sed 'priusquam' 4, 4. 27, 4: ex concessiuis particula 'quamquam', qua auctor belli Africani sola usus est, plane abstinuit scriptor belli Hispaniensis, plerumque posuit 'etsi', semel 'quamuis' 40, 1, itemque semel 'licet' 16, 4, quamquam ille locus truncatus est, hoc in optimis codd. 'et' legitur. Denique, ut de summa orationis forma dicamus, infinitiuum historicum, quem Hirtius omnino non admisit, belli Africani scriptor toties, ut modum excederet, in bello Hispaniensi duobus locis inuenimus 1, 2 et 29, 5: totum autem scribendi genus humile et sordidum, hiulcum, durum atque difficile deprehenditur. Res gestae enim abiecta plerumque et breuibus enuntiatis concisa oratione narratae aut plane nullo uinculo inter se coniunguntur aut certis quibusdam et identidem repetitis temporum significationibus separantur, quae huiuscemodi sunt: 'postero die' (11, 1. 12, 1. 13, 1 et 4. 17, 1. 21, 1. 24, 1), 'sequenti' (28, 1) et 'insequenti die' (14, 2. 21, 3. 25, 1) et 'insequenti luce' (10, 1. 19, 3 et 5); 'eodem die' (11, 2), 'hoc' (11, 2) et 'eo die' (13, 2. 27, 3); 'insequenti' (7, 1), 'ea' (10, 3. 20, 5), 'eadem nocte' (18, 8), 'noctis uigilia secunda' (12, 4. 19, 1) et 'tertia' (11, 2); 'insequenti tempore' (18, 5. 23, 1. 27, 1 et 5), 'eius diei insequenti tempore' (15, 5), 'huius diei extremo tempore' (16, 1), 'idem temporis' (3, 1 et 4. 12, 3. 13, 3. 20, 4) et 'eodem tempore' (16, 5. 18, 3 et 6. 19, 1 et 5. 20, 2), 'hoc praeterito tempore' (11, 3. 20, 3. 22, 1 et 7), 'praeterito noctis tempore' (12, 5). C. 14, 1 cum in codd. legatur 'eius praeteriti temporis', nescio an 'eius diei praeterito tempore' scribendum sit. Cum autem ab humilitate discedit oratio et assurgere temptat, pingue quiddam et crassum exit, ut in oratione Caesaris extremo libro: 'An me deleto non animaduertebatis habere legiones populum Romanum, quae non solum uobis obsistere, sed etiam caelum diruere possent?' Sed maxime hoc factum est in proeliorum descriptionibus: 5, 6 'hic alternis non solum morti mortem exaggerabant, sed etiam tumulos tumulis exaequabant'; 25, 6 'nam inter bellatores principes dubia erat posita uictoria, ut prope uideretur finem bellandi duorum dirimere pugna'; 31, 2 'itaque ex utroque genere pugnae cum parem uirtutem ad bellandum contulissent, pilorum missu fixa cumulatur et concidit aduersariorum multitudo'. Sunt tamen alia meliora, ut 25, 7 'scutorum laudis insignia praefulgens opus caelatum'; 29, 5 'nostri laetari, nonnulli etiam timere, quod in eum locum res fortu-

naeque omnium deducerentur, ut, quidquid post horam casus tribuisset, in dubio poneretur'; 31, 6 'ita cum clamor esset intermixtus gemitu gladiorumque crepitus auribus oblatus, imperitorum mentes timor praepediebat'. Huiusmodi locis etiam Ennius ad partes uocatur: 23, 2 'hic tum, ut ait Ennius, nostri cessere parumper'; 31, 7 'hic, ut ait Ennius, pes pede premitur, armis teruntur arma'; et fabulae commemorantur: 25, 4 'hic, ut fertur Achillis Memnonisque congressus, Q. Pompeius Niger, eques Romanus, Italicensis, ex acie nostra ad congrediendum progressus est'. Oscitantiam scriptoris arguit, quod c. 28 extr. et 29 in. bis eadem ponuntur, et c. 29 identidem inculcatur Caesarianos processisse, Pompeianos in aequum descendere noluisse. C. 12, 6, si recte de eo loco disputabimus, ipse scriptor emendandae orationis causa, quae modo retulerat, aliter conformata uidetur repetisse. C. 10, 1 praetermissum aliquid reprehenditur: 'suo loco praeteritum est, quod equites ex Italia cum Asprenate uenissent'. Difficilem et hiantem compositionem his locis perspicere possumus: 7, 2 'haec loca sunt montuosa et natura edita ad rem militarem, quae planitie diuiduntur, Salso flumine, proxime tamen Ateguam ut flumen sit, circiter passuum duo milia'; 8, 5 'ita ab oppugnationibus natura loci distinentur, ut ciuitates Hispaniae non facile ab hoste capiantur'; 15, 4 'nostri ceciderunt III: saucii XII pedites et equites V'; extremo eodem cap.: 'hospites, qui in oppido erant, iugulare et de muro praecipites mittere coeperunt, sicuti apud barbaros: quod post hominum memoriam numquam est factum'; 23 extr. 'ex utroque genere pugnae complures sunt uulneribus affecti, in quis etiam Clodius Arquitius: inter quos ita comminus est pugnatum, ut ex nostris praeter duos centuriones sit nemo desideratus gloria se efferentes'; 27, 4 'ita castris motis Vcubim Pompeius praesidium, quod reliquit, iussit ut incenderent' hoc est 'Vcubim a praesidio iussit incendi'; 39, 3 'Pompeius se occultare coepit, ut a nostris non facile inueniretur, nisi captiuorum indicio. Ita ibi interficitur'. C. 35, 2 in his uerbis: 'clam quendam Philonem, illum, qui Pompeianarum partium fuisset defensor acerrimus (is tota Lusitania notissimus erat) — hic clam praesidia in Lusitaniam proficiscitur' oratio initio ita instituta est, quasi deinceps 'mittunt' uel simile uerbum sequeretur, sed interiectis quibusdam rebus ea forma deserta est. C. 6, 1 et 25, 1 'eius praesidium' ponitur Pompeio, qui pronomine significatur,

non commemorato. C. 27 inde a §. 3 et c. 28 in. subiectum saepe mutatur nulla alterius personae significatione posita. C. 8, 6 et 17 in. durissime a superioribus ad inferiora transitur.

His rebus commentarios de bello Africano et Hispaniensi non solum non ab Hirtio, sed ne ipsos quidem ab eodem homine scriptos esse iudicare cogimur. Cum Hirtianis enim libris plane nulla his similitudo intercedit, nisi forte octauum librum de bello Gallico ea ex parte comparari posse existimaueris, quod ipse quoque uarietate careat. Quae res omnium mediocrium scriptorum communis (in eodem enim uitio, ut unum ponam, Cornelius Nepos reprehendendus est) ita tantum momentum in hac quaestione faceret, si uerba aut orationis forma in omnibus libris eadem frequentaretur: id quod maxime contrarium esse uidimus. Contra discrimina maxima sunt. Primum dispositio materiae, quae in Hirtianis libris apta est, in his rudis atque omni arte destituta; deinde scribendi genus in illis rectum et simplex, in horum altero granditatem tumore captans, in altero abiectum, in utroque crassum longeque elegantia inferius; denique sermo in illis optimus et purissimus, in his antiquarius et uulgaris. Atque harum rerum duo extrema certe non ita comparata sunt, ut in eundem hominem etiam neglegenter scribentem et, quae postea emendaturus est, cadant. Nam in libro de bello Africano iudicium de compositione ab Hirtiano plane diuersum deprehendimus, neque pingue ingenium, quale is liber demonstrat, ad similitudinem superiorum librorum limare se et circumcidere potuit: nam is, qui librum de bello Hispaniensi scripsit, uel modica componendi facultate destituebatur, adeo, id quod de se Vitruuius fatetur, nisus est scribere. Neque uero, qui polite et urbane loqui didicit idque genus probauit, umquam plane in antiquarium et uulgare incidet: contra detergere sordes longe difficillimum est. Quibus autem causis, ne duos extremos libros Hirtio tribueremus, moti sumus, eaedem hos ipsos a diuersis auctoribus scriptos euincunt. Nam dispositio materiae genere tantum similis est, sermo nisi in perpaucis rebus plane diuersus. Quamquam autem uterque liber pinguis est et impolitus, tamen multo haec sunt in bello Africano minora. Denique alterius scriptoris compositio copia uerborum redundat et effunditur, alter non astrictus est et circumcisus, sed infans; ille genus tamen quoddam scribendi et artem licet rudem sequitur, hic ne aspirare quidem ad hanc curam potuit inscitus totus et rigidus.

Quae cum ita sint, prima occurrit quaestio, quid faciendum sit illis uerbis in epistola ad Balbum positis, quibus se Hirtius commentarios Caesaris usque ad uitae eius finem suppleuisse affirmat. An duos Hirtii commentarios de bello Africano et Hispaniensi perisse et eos, quos habemus, in eorum locum suffectos esse existimabimus? Hoc uero plane reiciendum est. Nam cum Hirtii commentarii cum Caesarianis uno corpore essent comprehensi, quod et codices nostri docent et Suetonius ostendit et ipse Hirtius confirmat, qui ep. ad Balb. §. 3 arrogantiae crimen deprecatur, quod mediis se interposuisset Caesaris scriptis, ex hoc corpore duo extremi libri ita perire, ut plane ex hominum manibus excuterentur, tum demum potuerunt, cum et iniuria temporum et inscitia atque socordia hominum ueterum librorum exemplaria facta essent rarissima. Atqui id non facile ante quintum saeculum acciderit. At eo quidem tempore hos libros scribi potuisse nemo erit tam peruersus, cui in mentem modo uenire possit. Ita enim comparatos quisque, qui leuiter attigerit, agnoscet, tanta rerum etiam minimarum scientia compositos (atque id quidem ita, ut omnis fraudis suspicio excludatur), ut aut ab eo, qui ipse rebus interfuisset, aut, qui ab iis, quibus hoc contigerat, accepisset, scriptos esse certum sit. Quamquam in hac parte quaedam reprehendit Dodwellus, sed ea leuitate usus, ut refutatione supersedere liceat. Cur enim ei respondendum putemus, cui id, quod ab auctore belli Africani refertur c. 89, 2, Q. Ligario uitam a Caesare concessam esse, ex Ciceronis oratione pro eodem Ligario habita falsum esse constabat? Nam quod eundem c. 24, 3 falso negasse credidit paulo post Non. Ian. a. u. 708 per anni tempus classes in mari sine periculo uagari potuisse, accuratior ratio postea instituta recte haec relata esse docuit (cf. Ideler. chronol. II, 116). Vnam rem paulo maiore specie uituperauit, quod b. Afr. 89, 3 L. Caesari iuueni facile a Caesare uitam concessam esse traderetur, quem in Africa interfectum esse Ciceronis et aliorum testimonio constat. Neque ego hoc dicam nihil obstare, quo minus scriptor eiusdem aetatis partium studio hanc rem mentitus esse uideatur. Nam mendacio eum non teneri, et L. Caesarem concessa uita postea demum interfectum esse, idque unum partibus dedisse scriptorem, quod mortem L. Caesaris tacuit, Cassius Dio XLIII, 12 demonstrat: et Suetonius Caes. 75 neminem a Caesare interfectum esse scribit nisi in proelio exceptis duntaxat Afranio et Fausto et L.

Caesare, ac ne hos quidem uoluntate ipsius interemptos putari. In sermone uero quod uitia quaedam idem Dodwellus in his commentariis deprehendisse sibi uisus est, fere omnia eiusmodi protulit, ut plane facultatem de his rebus iudicandi ei defuisse appareat: si qua recte notauit, a nobis supra religiose sunt relata. Verum quae in his libris obseruauimus ab usu reliquorum optimae aetatis scriptorum discrepantia, eo minus inferiore tempore hos commentarios compositos esse euincunt, cum uulgaris sermo, quo hos libros scriptos esse uidimus, neque satis nobis notus sit et permulta peculiaria et a recta dicendi ratione abhorrentia habuerit necesse sit. Quod si cui hi libri Hirtii aetate scripti et deperditis eius commentariis inferiore tempore ab alio homine, qui eos casu nactus esset, ad truncatum corpus supplendum adiecti esse uidebuntur, is uideat, ne rem aeque incredibilem comminiscatur, duos libros, quorum forma deterrebat potius a legendo quam alliciebat, aetatem laturos fuisse, nisi claro Caesaris nomine ab interitu essent uindicati. Itaque nullos alios libros de bello Africano et Hispaniensi cum Caesaris Hirtiique commentariis primum editos esse quam hos ipsos statuendum est. Hirtii autem uerba illa in epistola ad Balbum posita nihil huic rei obstabunt, modo eum praefationem prius quam ipsos libros scripsisse existimemus. Cum enim certo speraret se commentarios Caesaris usque ad mortem eius confecturum esse, de iis libris, quos scribere uolebat, tamquam de perfectis dixit; idque quo minus faceret, nihil impediebat, siquidem nisi una cum iis ne praefationem quidem editurus erat. Quod si causam quaerimus, cur inceptum non executus sit, subitam mortem prohibuisse apertum est. Nam Hirtium uix ante annum 43, quo consul cum Pansa fuit, hos libros scribere aggressum esse indicio est, quod ep. ad Balb. §. 2 se Caesaris commentarios perduxisse ait 'usque ad exitum non quidem ciuilis dissensionis, cuius finem nullum uidemus, sed uitae Caesaris'. Nam de ciuili dissensione hoc modo dici tum demum poterat, postquam Octauianus ueteranos contra Antonium concitauerat, isque ad obsidendum Brutum in Galliam discesserat, quae facta sunt Octobri mense anni 44 (Cic. Phil. III, 8, 20). Hirtius autem, cum ex aduersa ualetudine, qua extremo anno 44 fuerat correptus, nondum plane conualuisset, initio anni 43 paludatus ad Mutinam profectus est (Cic. Phil. VII, 4, 12) ibique mense Aprili cum Antonio congressus uictor in acie periit (Cic.

Fam. XI, 9 et 13). Itaque cum hoc spatio tantum temporis commentariis impendere posset, quantum ab occupationibus consulatus et belli liberum relinquebatur, non est mirum, quod duos tantum commentarios conficere potuit.

Sed ut hos libros Hirtii non esse demonstrauimus, ita nomen eorum, a quibus scripti sint, cum nihil de ea re traditum sit, inueniri non posse apparet. Poterit Suetonii testimonio, de quo supra diximus, id tribuendum uideri, ut libri de bello Africano Oppius auctor existimetur. Nam extremum commentarium neque eundem scripsisse uidimus, neque Oppius hoc bello in Hispania fuit: ne Balbus quidem (Cic. ad Att. XII, 19, 2. 29, 2. 44, 4. 47, 1 al.), cui Cellarius loco quodam Apollinaris Sidonii motus, de quo infra dicam, hunc librum tribuebat, nisi minorem Balbum intellexit, quem in Hispania hoc tempore fuisse Cic. ep. ad Att. XII, 38, 2 ostendit. At Suetonius atque ii, quorum iudicium refert, hos commentarios aut omnino non legerunt aut certe non examinauerunt: aliter enim neque alteri belli Alexandrini, Africani, Hispaniensis eundem auctorem existimauissent, neque alteri omnium librorum Hirtium. Sed cum dubitatio inde esset orta, quod uni tantum commentario octauo de bello Gallico nomen auctoris praepositum erat (id quod ita factum esse codices nostri satis aperte demonstrant), illi famam aliquam uidentur accepisse, non esse omnes libros ab Hirtio scriptos, eaque moti proximum quemque amicorum Caesaris arripuisse, hi nihil praeter Hirtii uerba in ep. ad Balbum posita secuti esse, quibus se usque ad mortem Caesaris perduxisse commentarios affirmabat. Eodem igitur iure quemcumque Caesaris familiarem hos libros composuisse affirmare licebit. Mihi uero horum quidem nemo uidetur. Nam eorum hominum, qui inter nobilitatem horum temporum uersabantur, haud facile quemquam tam male scripturum fuisse credo, multo quidem minus familiarem Caesaris, elegantissimi hominis. Huius rei indicio sunt satis multae cum aliorum hominum tum familiarium Caesaris epistolae, quae una cum Ciceronianis ad nos peruenerunt: quod genus scriptionis cum omnium minima cura confici soleat, tamen ne unam quidem inuenies epistolam his commentariis similem. Quod si quis Varronem nobis opponet, is et antiquitatis admiratione et uitae rusticae quodam amore ductus (de re rust. I, 2 in. II in.) iudicio et uoluntate antiquarium et uulgare dicendi genus amplexus esse existimandus est et, ne elegantia atque

urbanitas desideraretur, doctrinae copia efficiebat. Et tamen Hispaniense certe bellum non Varronis scriptis, sed Vitruuio potius comparandum est. Itaque mihi quidem uerisimillimum uidetur hos libros ab inferioris condicionis hominibus scriptos esse. Atque tali homini et immodica atque inscita Pompeianorum reprehensio, uehementer illa ab Hirtio aliena, postquam una cum reliquiis uictarum partium rempublicam administrabat, et curiosa honorum notatio conuenit, quae in altero meliore commentario deprehendimus. Quae autem peculiaris horum hominum condicio fuerit, nihil temere affirmauerim, neque, quod inferiore condicione fuisse dixi, quam qui in familiaritatem atque consuetudinem summorum in republica uirorum peruenire potuerint, gregarios milites fuisse iudico. Nam militares quidem homines fuisse et ipsi commentarii docent, et de belli Hispaniensis scriptore ea res ipsius testimonio constat (26, 6). At quomodo factum est, ut eiusmodi hominum sordes cum Caesaris Hirtiique scriptis coniungerentur? Vidimus Hirtium commentarios occupatissimo tempore scribere aggressum esse. Num igitur improbabile uidebitur, si eum ad minuendum laborem, praesertim cum Africano bello non interfuisset, sibi commentarios ab aliis faciendos curasse dicemus, unde ipse res gestas in suis commentariis componendis peteret? At eiusmodi consilio tota horum librorum forma optime respondet. Summa diligentia in referendis rebus gestis, temporis ordo accurate seruatus huic rei aptissima fuerunt. Neque elegantibus hominibus ad eam rem opus erat (nam artem ipse Hirtius erat allaturus), sed qui aut ipsi rebus gerendis interfuissent aut in percontando a peritis euoluendisque litteris, si quae de his rebus extabant, industriam atque diligentiam adhiberent. Alii autem homini bellum Africanum, alii Hispaniense perscribendum mandabatur siue ad conficiendi celeritatem siue quia eiusmodi homines quaerebantur, qui res geri uidissent. Nam etsi scriptor prioris libri nihil eiusmodi de se prodidit, tamen adeo accurate uel spatia temporis atque interualla locorum nouit, ut eum in exercitu fuisse maxime uerisimile uideatur. Itaque cum Hirtius duobus commentariis confectis morte occupatus esset, hos duos de bello Africano et Hispaniensi inter libros eius inuentos reliquis adiectos esse atque ita totum corpus commentariorum editum existimo.

Commentarios autem hos libros a Caesare itemque ab Hirtio esse inscriptos testimonio constat Ciceronis Brut. 75, 262, Hirtii

b. Gall. VIII, praef. §. 2 et 4 c. 4, 3. 30, 1. 38, 3. 48, 10 et 11, Suetonii Caes. 56. Similiter Strabo IV p. 267 Alm. ὑπομνήματα appellat. Verum Plutarchus Caes. 22 ἐφημερίδας et Appianus (I, p. 90 Schweigh.) parum apte hoc nomen distrahens ἰδίας ἀναγραφὰς τῶν ἐφημέρων ἔργων dixerunt. Id Latini extremae antiquitatis imitati sunt. Nam Symmachus ep. IV, 18 ad Protadium sic scribit: 'Priscas Gallorum memorias deferri in manus tuas postulas. Reuolue Patauini scriptoris extrema, quibus res Gaii Caesaris explicantur, aut, si impar est desiderio tuo Liuius, sume ephemeridem C. Caesaris decerptam bibliotheculae meae, ut tibi muneri mitteretur. Haec te origines, situs, pugnas et quidquid fuit in moribus aut legibus Galliarum docebit'. Idem nomen optimi et antiquissimi codices Caesaris, quibus soli octo libri de bello Gallico continentur, in calce subscriptum habent hoc modo: 'C. Caesaris, pont. max., ephemeris rerum gestarum belli Gallici liber VIII explicit'. Haec enim leguntur in Parisino primo, quem eundem esse atque Floriacensem a P. Daniele uisum demonstrabo, Vossiano primo, Egmondano, Vratislauiensi primo: nam in Bongarsiano primo extrema pars octaui libri periit. Initio autem totius corporis et in iis codicibus, quos nominaui, praeter Vossianum primum, cuius primum folium periit, et in Parisino secundo, Scaligerano, Leidensi primo, in quibus omnes commentarii leguntur, libri Gaii Caesaris belli Gallici de narratione temporum appellantur. Commentariorum nomen ex bonis codicibus in uno Parisino primo, quod sciam, seruatum est extremo libro VII de bello Gallico, cui haec subscripta leguntur: 'commentarius Caesaris liber septimus explicit'; deinde in deterioribus quibusdam postliminio restitutum est. Ephemeridem autem antiquiores scriptores appellauerunt libellum, in quem apposita die rationem rei familiaris et, si quid aliud notandum breuiter uidebatur, referebant; item calendarium, quo ex genere uidetur fuisse ephemeris a Terentio Varrone Cn. Pompeio scripta, in qua inclinatio Oceani et motus aërii erant annotati. Vid. Forcell. lex. et Schneid. ad Varr. p. 226. In his igitur propria uocabuli uis retenta est. Historiarum uero libros ita praeter Symmachum et Apollinarem Sidonium, qui ep. IX, 14 Balbi ephemeridem commemorat, Septimius ille dixit, homo incertae aetatis, sed certe Symmacho non multum antiquior, qui ephemeridem belli Troiani ex Graeco retenta Graeca appellatione uertit. Atque ut commentariorum nomen iam Symmachi

tempore sublatum fuit, ita Orosium uel Caesaris esse hos libros ignorasse inuenimus. Nam is, cum historiarum libro sexto inde a c. 7 usque ad 12 Caesaris septem commentariis de bello Gallico et octauo A. Hirtii ita usus sit, ut nonnulla ad uerbum transferret, initio c. 7 haec scribit: 'Hanc historiam Suetonius Tranquillus plenissime explicuit, cuius nos competentes portiunculas decerpsimus'. Item in optimo et antiquissimo codice Bongarsiano primo post uerba initio posita: 'incipit liber Gaii Caesaris belli Gallici Iuliani de narratione temporum' rubro ascripta sunt haec: 'incipit liber Suetonii'. Et in eodem errore fuisse Appollinarem Sidonium iam Sauaro animaduertit. Is enim ep. IX, 14 ad Burgundionem ita scribit: 'Eminet tibi thematis celeberrimi uotiua redhibitio, laus uidelicet peroranda, quam edideras, Caesaris Iulii. Quae materia tam grandis est, ut studentum, si quis fuerit ille, copiosissimus nihil amplius in ipsa debeat cauere, quam ne quid minus dicat. Nam si omittantur, quae de titulis dictatoris inuicti scripta Patauinis sunt uoluminibus, quis opera Suetonii, quis Iuuenci Martialis historiam quisue ad extremum Balbi ephemeridem fando adaequauerit?' Recte hic Sauaro opera Suetonii uel solos Caesaris commentarios uel certe et hos et Suetonii Iulium dici obseruauit: nam unum Suetonii librum non poterat opera appellare Apollinaris. Balbi autem ephemeridem, quam superstitem commentarium de bello Hispaniensi dici Cellarius sine ulla causa opinabatur, non equidem existimauerim deperditum librum fuisse Balbi Cornelii, Caesaris familiarissimi, quem Suetonius Caes. 81 quaedam de Caesare memoriae prodidisse refert, sed octauum librum Hirtii de bello Gallico, cum ei epistola ad Balbum praemissa esset, errore a Sidonio Balbo esse tributum. Sed illa opinio, ut Caesaris commentarii Suetonio tribuerentur, inde uidetur orta esse, quod libros C. Caesaris belli Gallici interpretabantur non a Caesare, sed de bello Gallico Caesaris scriptos; deinde, quia Suetonius uitam Caesaris scripserat, hos quoque libros ad eum referebant. Denique medio aeuo, cum saeculo decimo Flodoardus et undecimo Aimoinus, ille in historia ecclesiae Remensis, hic in praefatione gestis Francorum praemissa, quaedam ex libris de bello Gallico posuissent eamque Iulii Caesaris historiam belli Gallici appellauissent, postea nouus error ortus est, ut hi commentarii a Iulio Celso scripti uiderentur. Sub eius enim nomine et alii medii aeui scriptores, quos Io. Alb. Fabricius com-

memorat, Caesaris uerba afferunt, et Vincentius Bellouacensis spec. hist. VI, 2 p. 173 ed. Duac. ex omnibus commentariis et alia et sententias quasdam posuit. Haec ille ut aliorum auctorum non ex ipsorum scriptis petiuit, sed ex excerptis quibusdam in libros a scriptorum distributione diuersos dispertitis. Excerptorum Caesarianorum quinque libri commemorantur, quorum primus commentarios de b. Gall., secundus duo priores de b. ciu., tertius tertium de b. ciu., quartus bellum Alexandrinum, quintus reliqua uidetur comprehendisse. In eodem errore Petrarcham fuisse Schneiderus et, cum historiam Caesaris ei uindicaret, et in libello de indagando belli Hispaniensis scriptore p. 6 demonstrauit. Haec opinio unde originem ducat, codices nostri docent.

Nam corpus commentariorum de rebus gestis C. Iulii Caesaris ad nos propagatum est duobus codicum generibus, quorum alterum idemque praestantius octo tantum commentarios de bello Gallico, alterum omnes seruauit. Illos integros uel optimos, hos interpolatos appellabimus. Ex priore genere collati sunt Bongarsianus primus, Parisinus primus, Vossianus primus, Egmondanus, Vratislauiensis primus, ex altero Parisinus secundus, Scaligeranus, Cuiacianus, Leidensis primus, Hauniensis primus, Vindobonensis primus. Nam reliqui omnes magno numero cur testimonii fidem non afferant, postea dicam. In omnibus uero codicibus extrema pars libri VIII de bello Gallico periit, in integris plura, in interpolatis ex libris de bello Gallico nihil praeterea, in libris de bello ciuili haud pauca. Integrae autem familiae codices duorum hominum nomina nobis prodiderunt, a quibus hi commentarii sunt recensiti. Nam ad calcem libri secundi in iis codicibus haec leguntur: 'Iulius Celsus Constantinus V. C. legi. Flauius Licerius Firminus Lupicinus legi'. Eadem ibi in Scaligerano inuenta dicuntur et in Andino atque Oxoniensi, de quibus infra dicam: ex reliquis interpolatis in nullo reperta sunt. Quare dubito, an in hos codices non ex exemplari, unde descripti sunt, sed ex integro aliquo translata sint, id quod de deterioribus quibusdam codicibus, quos ex utroque genere mixtos docebo, certum est, qui ea nomina etiam libris de bello ciuili et qui eos sequuntur ascripta habent. Et Flauii Licerii Firmini Lupicini nomen in optimis codicibus illo uno loco legitur, Iulii Celsi Constantini in Parisino primo omnibus libris subscriptum est, item puto in reliquis eius familiae codicibus, quamquam de ea re accurate non est relatum.

Ad octaui autem libri calcem in eodem Parisino et Vratislauiensi primo (et sine dubio in Vossiano primo et Egmondano, nam in Bongarsiano primo extrema, ut supra dixi, perierunt) haec leguntur: 'Iulius Celsus Constantinus V. C. legi tantùm'. Hoc extremo uocabulo nihil potest aliud indicari nisi non plures commentarios a Celso esse lectos quam octo de bello Gallico, ita ut is prouinciam cum alio homine uideatur partitus esse, cuius nomen, cum interpolati codices nihil in fine commentariorum subscriptum habeant, ad nos non peruenit. In Vratislauiensi primo Celsi nomen etiam initio totius operis positum est in hunc modum: 'Incipiunt libri Gaii Caesaris belli Gallici Iulii Celsi de narratione temporum', cum in Bongarsiano primo et Parisino primo scriptum sit 'belli Gallici Iuliani'. Atque eiusmodi inscriptionem ei errori ansam dedisse apparet, quem apud Vincentium et Petrarcham uidimus. Sed hic Iulius Celsus neque quis fuerit neque quando uixerit, quicquam compertum est: de Flauio Licerio Firmino Lupicino probabilis est Iacobi Sirmondi coniectura (is enim ea, quae supra posuimus, in Vaticano codice inuenerat numero, ni fallor, ter millesimo octingentesimo sexagesimo quarto), fuisse eum filium Euprepiae, sororis Ennodii, episcopi Ticinensis, Arelate oriundum, atque adeo sub initium sexti saeculi uixisse. Vid. Sirmondi notae ad Ennod. p. 78 ed. Par. 1611. Etsi enim huic Lupicino praenomen Flauio fuisse non constat, tamen Ennodius in dictione scholastica altera, qua eum in auditorio tradidit Deuterio (p. 488 ed. Sirm.), auos eius appellat Firminum et Licerium, unde eum haec nomina asciuisse scita est Sirmondi suspicio. Nam Flauium Lupicinum, qui anno 367 cum Iouino consul fuit, recte uidetur Oudendorpius reicere, quia Lupicino in Caesaris codd. uiri clarissimi dignitas non tribuitur.

Iam etsi in interpolatis codicibus praeter Scaligeranum et Andinum atque Oxoniensem, de quibus quae dubitatio esset monui, nomina Iulii Celsi Flauiique Lupicini non leguntur, tamen recte Whittio omnes codices Caesaris, qui supersunt, ex uno eodemque exemplari extremo libro VIII de bello Gallico truncato et omnino satis mendoso originem ducere uisi sunt. Id constat ex copia non exigua additamentorum et aliorum mendorum, quae in omnibus reperiuntur. Hic codex, quem archetypum dicamus licet, si uera est Sirmondi de Lupicino sententia, neque sexto saeculo antiquior fuit neque octauo inferior: noni enim saeculi codex

Bongarsianus primus superest et eiusdem familiae alter in Vaticana bibliotheca numero ter millesimus octingentesimus sexagesimus quartus, qui octauo uel nono saeculo scriptus dicitur. Codex autem, quo Orosius usus est, certe numeros quosdam rectius scriptos habebat, quam ille, unde nostri propagati sunt. Ita de b. Gall. I, 53, 1, ubi in nostris codd. est 'ad flumen Rhenum milia passuum ex eo loco circiter quinque peruenerunt', Orosius (VI, 7) inuenit 'quinquaginta' et ap. Hirt. VIII, 41, 5 'extruitur agger in altitudinem pedum sexaginta, collocatur in ea turris decem tabulatorum', non 'pedum sex', ut in Caesaris codd. scriptum est, etsi perperam haec ita contraxit (c. 11): 'extruitur agger et turris pedum sexaginta'. Iam ex codice archetypo unus originem duxit, qui octo tantum commentarios de bello Gallico continebat, alter, qui omnes. Ex illius generis exemplari descendunt integri, ex huius uno interpolati. Sed integri non sunt omnes ex eodem exemplari descripti. Proximus illi codici integrae familiae principi est Bongarsianus primus, qui Oudendorpio anno 1737 nongentorum annorum uidebatur. Antequam Amstelodamum perueniret, ubi nunc seruatur, Petri Danielis, Iacobi Bongarsii, Sixtini, Sixii fuit. A Bongarsio acceptum primus cum editione Gryphiana a. 1538 contulit Ianus Gruterus, sed non totum: quae collatio una cum aliorum codicum excerptis nescio a quo priori editioni Dauisianae ascripta est, quam Io. Alb. Fabricius possedit. Eo exemplari Fabriciano (ita enim uocant) usus est Oudendorpius et, cum Hauniam in bibliothecam uniuersitatis uenisset, Schneiderus atque Whittius. Oudendorpius praeterea ipsius Gruteri notas manu scriptas, quas Amstelodamensis bibliotheca possidet, adhibuit. Denuo Bongarsianum primum contulit ipse Oudendorpius, tertium Schneidero Plueschkius, professor Amstelodamensis. Hic codex omnium est praestantissimus. Nam et solus complura recte scripta seruauit et saepe cum codicibus interpolatae familiae in iis scripturis consentit, quae necessario sunt sequendae. A recentiore manu haud pauca suprascripta sunt, et ex pessimo codice duo folia ad calcem suppleta. Eas quattuor paginas (inde a 94 usque ad 97 secundum Vffenb. itin. III, 573) Schneiderus ab VIII, 39, 2 incipere refert, ut Oudendorpium errasse statuendum sit, qui c. 39, 2 uetustam manum desinere, sed inde a c. 43, 4 usque ad 52, 1 rursus apparere tradit. Ex alio codice ducti sunt Parisinus primus et Vossianus primus et is codex, ex quo Egmondanus at-

que Vratislauiensis primus descripti sunt. In his quattuor enim (nisi quod de Vrat. pr. certa coniectura iudicamus) VII, 22, 5 uerba 'et apertos cuniculos' et cetera usque ad finem capitis desiderantur, cum in Bong. pr. extent. Horum Parisinus primus, qui est in regia bibliotheca numero quinquies millesimus septingentesimus sexagesimus tertius, in membranis maximis partim nono partim duodecimo saeculo scriptus, inspectus erat neglegentissime ab Achaintrio, mihi satis, ut arbitror, accurate collatus est a Beyerlio. Codex est pluribus partibus truncatus. Nam praeter ea, quae in hac parte integrorum desiderari dixi et in omnibus integris deesse postea dicam, libro primo quattuor folia perierunt a uerbis c. 7, 3 'locum obtinebant' usque ad finem orationis Diuitiaci (c. 20) pertinentia; deinde V, 44, 10 inde a uerbis 'multitudo conuertit', quae sunt extrema ab antiquiore manu scripta, omnia desunt usque ad uocem 'periculum' c. 48, 7; denique libro VI omnia inter uerba 'antiquitus' c. 11, 4 et 'parent' c. 13, 10 interiecta. Antiquior manus a c. 41 libri VII rursus reliqua perscripsit. Libri V, 24, 4 scribi desitum est in syllaba prima uocis 'cohortes', deinde subscripta sunt uerba: 'Hic est liber Sancti Benedicti Floriacensis', pagina uersa pura est relicta et tum demum duabus reliquis syllabis 'hortes' scriptoris uerba continuata sunt. Itaque hic est codex, quem Petrus Daniel, coenobii S. Benedicti Floriacensis ad Ligerim (S. Benoît sur Loire) prope Aureliam siti aduocatus, se uidisse ad calcem Bongarsiani primi scripsit (Vffenbach. itin. III p. 574). Atque subscriptionem de Iulio Celso, quam se in hoc codice legisse Daniel retulit, supra eandem ex Par. pr. posuimus. Item quod I, 47, 4 in 'mss. Bened. Flor.' scriptum esse 'M. Mettium' refertur, est id quoque in Par. pr., sed in margine ab alia manu. Nam multa duobus primis commentariis et nonnulla tertio ab alia manu uel in margine uel supra uerba scripta sunt ex codice interpolatae familiae petita. Ceterum coenobium Floriacense anno 1562 a Caluinistis direptum esse accepimus, idemque in ea calamitate huic codici accidisse ipse testatur. Partem, quae duodecimo saeculo scripta est, altera deteriorem non deprehendi. Vossianus primus seruatur Lugduni Batauorum in bibliotheca academiae, in cuius catalogo numero est quinquagesimus tertius. Primum collatus est a Gudio, cuius collatio legitur in exemplari Fabriciano, deinde ab Oudendorpio, a neutro satis diligenter. Vterque enim multas inde scripturas protulit inter-

polatae familiae proprias, quas in hoc codice a prima manu scriptas esse incredibile est. Inueni autem in libro quodam manu scripto Santeniano, qui in regia Berolinensi bibliotheca numero est centesimus septuagesimus primus, praeter alia discrepantias codicum Caesaris ad l. V de b. Gall. inde a c. 35 usque ad c. 39 pertinentes eorumque codicum descriptiones, quae quin ex exemplari Fabriciano petita sint, dubitari non potest. Ibi de Vossiano primo haec leguntur Gudii, ut arbitror, uerba: 'Vossianus, qui, ut in ipso libro manu uetustissima est annotatum, fuit olim S. Petri Bellouacensis, in membrana forma quarta, annorum prope DC. Multa hic correcta a prima manu, quorum uestigia in erasis litteris uix apparent. In principio libri primi folium erat excisum'. Videmus igitur multa ita correcta esse, ut antiqua scriptura dinosci nequiret. Iam in parte earum scripturarum cum interpolatis codicibus consentientium Gudius et Oudendorpius ipsi testati sunt ita a secunda manu esse scriptum. Itaque neque ullas correctiones a prima manu factas credo et, quidquid ex hoc codice prolatum est cum interpolatis consentiens et ab reliquis huius generis discrepans, non dubito, quin ex interpolato codice illatum sit, ut in Parisino primo factum retuli. Quam rem non leuiter confirmat, quod ut in Parisino primo, ita in hoc codice interpolatorum codicum scripturae tribus tantum primis libris continentur. Has igitur scripturas et, si qua alia mihi non satis recte relata uidebantur, apposito interrogationis signo notaui. Ex uno codice ex eodem fonte atque duo superiores ducto descripti sunt Egmondanus et Vratislauiensis primus, qui in minimis quibusque rebus consentiunt, adeo ut pro uno codice aestimandi sint. Illius collatio a Gudio instituta extat in exempl. Fabr., ipse codex quo peruenerit, incertum est: hunc, qui in bibliotheca Rhedigerana numero est septuagesimus nonus, contulit Schneiderus. Sunt hi codices recentes (nam Egmondanum anno 1345, Vratislauiensem anno 1475 scriptum esse ipsi librarii professi sunt) et habent non pauca aperte pro scribentis arbitrio mutata, ut ne eum quidem codicem, unde transscripti sunt, uetustum fuisse appareat. Nihilominus inter optimos codices ponendi sunt et quibusdam locis cum Bong. pr. consentiunt, quibus in Voss. pr. et Par. pr. leuiter deflexum est, aliis necessariam scripturam deteriorum codd., de quibus infra dicam, confirmant. Velut, ut insigni exemplo utar, I, 39, 2 et hi codd. et fere omnes deteriores haec habent: 'a tribunis militum prae-

fectis reliquisque, qui ex urbe amicitiae causa Caesarem secuti non magnum in re militari usum habebant'. Demonstrant igitur uerba 'non magnum' aut 'magnum periculum miserabantur quod', quae in reliquis integris et in interpolatis post 'secuti' adiecta sunt, in codice archetypo in margine fuisse scripta. Nam haec eicienda esse recte Schneiderus demonstrauit.

Hos codices longe optimos esse etsi Apitzius demum (schedd. critt. in comm. de b. Gall. Lips. 1835) et Schneiderus intellexerunt (quamquam neuter satis accurate hos, quos commemorauimus, ab aliis dignitate longe inferioribus secreuit), tamen ita manifestum est, ut neminem posthac de ea re dubitaturum esse sperare liceat. Rarissime autem in his libris a scriptura codicis archetypi discessum esse uel paucitas atque ratio eorum additamentorum probat, quae in hac familia reperiuntur, cum in interpolata non sint. Nam I, 13, 3 ex margine illata sunt haec: 'legati ab Heluetiis missi pacem petunt cum denuntiatione terroris', II, 8, 3 uerbo 'castigatus', quod errore in codice archetypo pro 'fastigatus' scriptum erat, additum est 'castratus', IV, 22, 3 octogenario numero ascriptus octingenarius, VI, 7, 7 in uerbis 'nonnullos Gallicis rebus fauere' post primam uocem 'Gallos' adiectum, VII, 23, 3 uerbo 'coagmentatis' praepositum 'coagminatis' VII, 78, 2 in his 'illo tamen potius utendum consilio' post 'tamen' additum 'tempore', VIII, 24, 3 'incolae', 27, 3 'non'. In hac horum codd. praestantia uehementer dolendum est in iis neque quicquam praeter octo commentarios de b. Gall. seruatum esse et ne hos quidem aeque plenos atque in interpolatis. Nam et pluribus locis uerba quaedam exciderunt, et in libro VIII quae leguntur inde a uerbis 'nisi maiore' c. 11, 1 usque ad c. 12, 3. Item capita 51, 52, 53 usque ad uerba 'quo maiores' desunt in Par. pr. Voss. pr. Egm., sed in his duobus usque ad uerba c. 52, 4 'cum Caesaris causa', ita ut extrema sit syllaba 'Caes', ad calcem suppleta sunt. Nam de Bongarsiano primo ob ea, quae supra dixi, de posteriore lacuna incertum est.

Interpolatae familiae antiquissimus codex, qui quidem collatus sit, Parisinus secundus est, in regia bibliotheca numero quinquies millesimus septingentesimus sexagesimus quartus, saeculo undecimo in membranis maximis scriptus. Eodem modo atque primo Parisino usus est Achaintrius, mihi libri de bello ciuili, Alexandrino, Africano, Hispaniensi et in libris de bello Gallico

ea, quae in Parisino primo deerant, collata sunt a Beyerlio. Praeter hunc duo tantum codices interpolatae familiae in ea parte, quam soli seruarunt, paulo accuratius collati sunt, Leidensis primus et Scaligeranus. Leidensis primus, qui est Lugduni Batauorum in bibliotheca academiae, numero in catalogo nongentesimus septimus decimus, ab Oudendorpio, qui contulit, Bongarsiano primo et Vossiano primo aliquanto recentior dicitur. Hic bonitate reliquis huius generis inferior est. Nam et permulta habet plane temerarie et sine ulla causa a librario mutata et uestigia quaedam contagionis deteriorum codicum, de quibus codicibus infra dicam. Itaque cauimus, ne solum sequeremur, nisi ubi ratio id faciendum esse euincebat. Scaligeranus, qui Iosephi Scaligeri fuit, quo peruenerit, incertum est. Contulit eum cum editione Plantiniana anni 1574 Dionysius Vossius, cuius excerptis in Leidensi bibliotheca seruatis, minus plenis illis, quam quae ipse ex Leidensi primo fecerat, usus est Oudendorpius. Pauciora etiam ex Cuiaciano codice notata sunt, quae in exemplari Fabriciano ascripta leguntur una cum reliquis Gruteri collationibus. Is ita de eo retulit: 'Praeterea enotaui e Cuiacii codice uarias lectiones, quas e ms. ad oram sui notarat, item emendationes aliquas ipsius nec non expositiones', et alibi: 'Comparet saepe Cuiacii codex, sed ea descripsi ex editione huic simili' [Gryphianam anni 1538 dicit], 'qua usus fuerat Cuiacius manuque sua annotarat'. De aetate codicis inde iudicare licet, quod in eo bellum Hispaniense ex Petrarchae historia Caesaris desumptum legebatur. Hauniensis primus, qui in regia bibliotheca seruatur (in catalogo bibliothecae Thottianae VII, 319 numero est quingentesimus quadragesimus tertius), in membranis maximis saeculo quarto decimo uel sequentis initio scriptus, Elberlingio omnium optimus uisus est, sed uni Leidensi primo praestat. Contulit Elberlingius libros de bello Gallico, et posteriores quidem accuratius; ex libris de bello ciuili pauca retulit in obseruationibus criticis in comm. de b. ciu. a. 1828 editis una cum scripturis quibusdam Cuiaciani codicis depromptis ex exemplari Fabriciano, quo, cum libros de bello Gallico ederet, usus non est. Vindobonensis primus, palatinae bibliothecae numero quingentesimus nonagesimus quartus, Endlichero sexagesimus quintus, in membranis maximis saeculo tertio decimo scriptus, collatus est a Schneidero, qui praeter discrepantias ad quattuor priores libros de bello Gallico pertinentes pauca

ex bello Hispaniensi publicauit. Adiungam statim duos codices singularis rationis, Andinum et Oxoniensem, qui, cum sint eiusdem generis cum superioribus, solos tamen commentarios de b. Gall. habent. Hos (siue unus est idemque codex, mire enim consentiunt) non solum superiores critici, sed etiam Schneiderus omnium huius familiae longe optimos iudicauerunt, et tamen hic certe raro, ubi a reliquis codicibus discedebant, sequi sustinuit. Nimirum hi codices non solum omnes interpolatae familiae correctiones atque interpolationes habent, sed nouas praeterea prope alterum tantum. Quae cuiusmodi sint, ex uno loco perspicere licet. Nam VII, 64, 1, cum reliqui codices haec exhibeant de Vercingetorige: 'ille imperat reliquis ciuitatibus obsides. Denique ei rei constituit diem: huc omnes equites XV milia numero celeriter conuenire iubet', quae corrupta esse uidebimus, hi egregii testes haec Caesaris uerba proferunt: 'diemque bello constituit, equites ex sua pecunia ut singulos denarios accipiant, constituit: hos omnes celeriter iubet conuenire'. Itaque hos codices ut testes nequaquam audiendos putaui. Coniectura quaedam eos recte emendata habere non nego. Nonnulla autem ex huiusmodi codice ascripta sunt margini Haun. pr., habetque Cuiacianus quoque quibusdam locis eadem, et consimili codice Aldus usus est.

Hos codices alia stirpe atque integros ex ipso codice archetypo esse deductos uel hoc ostendit, quod et soli Caesaris libros de bello ciuili eorumque supplementa seruarunt et in libris de bello Gallico defectus integrorum explent. Sed longe pluribus locis additamenta habent, quorum pars non est necessaria, pars certissimae fraudis conuincitur, item inde a c. 40 libri primi de b. Gall. (nam initio modestius actum est) nullum caput praetermissum est, quin ea scriptura, quam integri codd. seruauerunt, immutaretur, quia aut mendosa uidebatur aut minus elegans aut minus usitata, denique nulla perspicua de causa. Non pauca ex eo quoque genere sunt, ut explicandi causa ascripta esse appareat. Audacia quidem tanta conspicitur, ut uel numeri legionum spatiorumque rerum atque locorum adiecti sint. Harum rerum exempla ascribere superuacaneum est, cum adeo sint frequentia, ut ratio horum codd. in quacumque parte librorum de b. Gall. collatis huius et alterius generis scripturis facillime cognosci queat. Partim quidem huius discrepantiae iam in codice archetypo fuisse ascriptam et a scriptore codicis integrorum principis, cum ea tantum excri-

beret, quae in ipsa oratione legebantur, praetermissam esse satis certum est. Ita quod b. Gall. V, 15, 5 pro Q. Laberio Duro in his interpolatis codd. legitur nomen Caesaris certe lectoribus notius Labieni, id iam apud Orosium VI, 11 reperimus: VI, 5, 3 in interpolatis codd. scriptum est 'proelio non esse contenturum' pro 'concertaturum', in altera integrorum parte, Par. pr. Voss. pr. Egm., 'concertaturum tenturum' (in Egm. 'temptaturum'): VIII, 30, 1 in reliquis codd. legitur 'non amplius hominum milibus ex fuga quinque collectis', in interpolatis 'hominum duobus milibus ex fuga collectis', in Bong. pr. 'hominum duobus milibus ex fuga quinque collectis'. Eodem modo VII, 61, 5 Metiosedum pro Meloduno positum ostendam. Verum huius generis perpauca sunt. Nam Schneideri opinionem, qui plurima et uel ineptissima quaeque, in quibus hi codd. ab integris discrepant, ex ephemeridibus Caesaris petita putat, tantum absum, ut probem, ut, etiamsi ephemerides fuissent, quas non fuisse demonstrauimus, tamen hanc rem incredibilem existimarem. Vt enim omittam nulli in mentem uenire potuisse, ut haec ex ephemeridibus annotaret, cum plerumque in his codd. integrorum scripturae uerba similis significationis substituantur, primum necesse esset ephemerides iisdem paene uerbis scriptas fuisse atque commentarios, deinde multa in his codd. leguntur, quae Caesari, si semel scripsisset, mutandi plane nulla causa fuisset. Sed qua pertinacia haec sententia a Schneidero retenta sit, inde perspicere licet, quod multa, quae in commentariis ferri non posse intellexit, ita tuetur, ut in ephemeridibus apte poni potuisse miris plerumque argumentis defendat. Et tamen non desunt, quae ipse Schneiderus confiteri cogatur non ex ephemeridibus petita, sed ab interpolatore illata esse. Quae igitur ratio est fraude comperta decipi malle, quam incorrupto integrorum codicum testimonio confidere? Mihi, cum longe plurima, in quibus hi codices ab reliquis discedunt, ita comparata sint, ut eo modo, quo supra dixi, pro genuinis uerbis alia in eandem fere sententiam ponantur, quaedam explicentur, partim latius diffundantur, partim breuius contrahantur, plane dubium non est, quin haec exemplari illi, unde interpolata familia originem ducit, a grammatico sint ascripta, qui commentarios non enarrabat solum discipulis, sed etiam Caesaris uerbis in aliam formam conuertendis alere copiam atque elegantiam discentium cupiebat. Ceterum hic homo neque facultate scribendi fuit destitutus neque


plane indoctus. Nam de b. Gall. III, 20, 2 Narboni et Tolosae tertium oppidum adiecit Carcasonem, de quo loco dicam, neque Heracleam quandam Sinticam fuisse ignorauit, etsi eam falso b. ciu. III, 79, 3 commemorari putauit: et quod eorund. comm. I, 16, 1 in omnibus codicibus legitur 'recepto Firmo expulsoque Lentulo', cum Caesarem scripsisse appareat, ut editur, 'recepto Asculo', potest sane illud petitum esse ex epistola Pompeii ap. Cic. ad Att. VIII, 12 B, 1, qui Caesarem Firmo progressum scribit. Satis autem antiquo tempore commentarios Caesaris interpolatos esse inde constat, quod Flodoardus, scriptor decimi saeculi, nonnulla ex eiusmodi Caesaris codice in historiam suam ecclesiae Remensis transtulit: et Parisinum secundum undecimo saeculo scriptum esse supra retulimus, eiusdemque aetatis codex huius familiae seruatur in Vaticana bibliotheca, ubi est numero ter millesimus trecentesimus uicesimus quartus.

Praeter haec duo codicum genera nullus est, qui per se ipse testimonii fidem afferat. Maxima pars reliquorum codicum, quos uno nomine deteriores appellabimus, omnes commentarios continet, sex octo libros de bello Gallico, duo septem. Ex iis, qui octo commentarios de bello Gallico complectuntur, optimus est Bongarsianus secundus, sed quia nequaquam constanter cum integris consentit neque satis accurate a Grutero collatus est, ut certo de eo iudicare liceat, cum illis coniungere nolui; uehementer corrupti sunt hi quinque ex uno codice descripti: Gottorpianus siue Hauniensis alter, Leidensis tertius, Vossianus tertius, Vratislauiensis secundus, Bonnensis. Atque hi quidem ex integro codice Parisini primi et affinium simili (nam ne in his quidem extrema uerba c. 22 libri VII leguntur), sed librarii libidine deprauato originem ducunt: eorum codicum huius generis, quibus omnes commentarii continentur, haec est singularis condicio, ut in libris de bello Gallico ducti sint ipsi quoque ex integro codice, in reliquis uero ex interpolato. Id inde certissimum est, quod longe plurimis locis librorum de bello Gallico omnes reliqui codices a solis interpolatis discedunt, in commentariis autem de bello ciuili quique eos sequuntur deteriores in omnibus interpolationibus cum interpolatis consentiunt et raro ita ab iis discrepant, ut non librariorum iudicium uel errorem agnoscas. Haec res ideo uidetur accidisse, quod, cum hi codices scriberentur (neque enim ullus, de quo constet, saeculum quartum decimum excedit), omni-

um commentariorum soli interpolati supererant; casu autem factum est, ut is, qui codicem deteriorum principem scripsit, exemplar octo librorum de bello Gallico nancisceretur et postea demum, quam eos descripserat, alterum omnium commentariorum indeque suum apographum suppleret. Non sunt autem hi codices omnes eiusdem generis, sed hactenus differunt, quod alii aliis a librariis magis sunt deprauati et pro iudicio uniuscuiusque in libris de bello Gallico, cum interpolatum codicem nactus esset, correcti atque suppleti, ita ut nonnulli, uelut Dresdensis primus et Vindobonensis secundus, qui sunt ex eodem codice descripti, raro ab integris discedant, alii, ut Gothanus primus, fere omni ex parte interpolatorum similes sint. Admodum in hac re memorabilis est Petauianus codex, qui in libris de b. Gall., cum ex deteriore codice satis integro descriptus sit, a secunda manu omnes fere discrepantias interpolatorum codicum ascriptos habet. Duo codices, qui septem commentarios de b. Gall. continent, Dukerianus et Vindobonensis nonus, deprauatissimis huius partis adnumerandi sunt: neque certe meliorem habuit, qui eosdem libros Graece uertit, quem Schneiderus nescio quo iure impresso exemplari usum affirmat. Item Petrarcha in historia Caesaris admodum malum codicem omnium commentariorum expressit. Hi igitur codices, cum et librariorum iudicio et mixtis utriusque familiae scripturis adulteratum testimonium afferant, tum demum audiendi sunt, cum consensu omnium aut fere omnium, quid in codice eorum principe scriptum fuerit, ostenditur. Nam cum neque integer codex, unde libros de bello Gallico descriptos habent, neque interpolatus, ex quo in reliquis commentariis ducti sunt, supersit, uera quaedam seruauerunt, quae in integris et in interpolatis aut omnibus aut plerisque, quos habemus, oblitterata sunt. Ita de b. Gall. I, 39, 2, quem locum supra iam p. 41 commemoraui, cum Egm. et Vrat. pr. recte haec habent 'qui ex urbe amicitiae causa Caesarem secuti non magnum in re militari usum habebant' omissis iis, quae in reliquis integris et interpolatis adiciuntur, item II, 17, 4 'ut instar muri hae sepes munimenta praeberent', cum in integris 'munimentis' scriptum sit, in interpolatis 'munimentum', quod non recte a Schneidero praelatum est. Nam sepes, quae tota Neruiorum terra erant, necessario plura munimenta praebere dicenda erant, haec autem res non impediebat, quo minus singula muro compararentur. Memorabilius in libris de

bello ciuili et reliquis commentariis uera scriptura in deterioribus codd. seruata est, uelut b. ciu. II, 32, 9 'relinquitur noua religio', cum extremum uocabulum in interpolatis exciderit: et b. Afr. 60, 1, ubi auctor scripserat: 'ut ab sinistro eius cornu ordiar et ad dextrum perueniam. Habuit legionem' cett., altera pars horum uerborum in interpolatis legitur, altera in deterioribus. Verum huiusmodi perpauca sunt, neque ob ea maius pretium his codicibus constituere licet, quam a nobis constitutum est.

Subieci formam cognationis codicum secundum ea, quae disputauimus delineatam, ita ut eos codices, qui perierunt, Graecis litteris significarem.



Secundum haec non difficile est intellectu, quae ratio in recensendis Caesaris commentariis sequenda sit. Nam prima omnium cura conferenda erit ad scripturam codicis archetypi inueniendam. Ea in libris de bello Gallico efficietur aut ex omnium codicum consensu aut in dissensu utriusque familiae ex integris aut denique ex consensu alterius integrorum partis et interpolatorum. Apparet autem Bongarsianum primum eandem auctoritatem habere atque reliquos integros et deteriores ex eodem fonte ductos inter se consentientes, et propter ipsius codicis praestantiam paulo etiam maiorem. Reperta uero codicis archetypi scriptura aut ipsa uera erit, aut, si ita non potuisse a Caesare scribi demonstratum fuerit, coniectura illi fundamento innixa uerum eruendum erit. Etiamsi autem mendosa erit integrorum codicum scriptura et interpolatorum aut deteriorum per se recta, tamen tum demum hos sequi licebit, cum ab eorum scriptura ita, ut in integris factum erit, aberrari potuisse apparebit. Menda enim integrorum codicum tamen ueritatem seruant licet obscuratam et inuolucris tectam, quae caute detrahenda sunt: reliquorum codicum omnia fraudis suspicio premit. Itaque cum quaeramus, quid

Caesar scripserit, non quid per se rectum sit, quae multa esse possunt, coniectura ex optimorum codicum uestigiis ducta sine ulla dubitatione blanditiis membranarum ea uestigia deserentibus praeferenda est. Atque praestantia optimorum codicum factum est, ut commentarii de bello Gallico, maxime quidem priores, ea integritate nobis seruati sint, qua paucis ueterum libris ut nobis traderentur contigit. Eo miserior atque adeo desperata est condicio reliquorum commentariorum. Nam, cum hi solis interpolatis codicibus seruati sint, non solum uehementer genuinam formam adulteratam esse certum est, uerum etiam non pauca ita adulterata, ut fraudem ne agnoscere quidem liceat. Quot enim locos in libris de bello Gallico necessario ita a Caesare scriptos existimaremus, ut in interpolatis codicibus leguntur, nisi integri non Caesarem, sed magistrum ita scripsisse euincerent! Sed hanc partem deplorare licet: sicubi fraus se ipsa prodidit, acie mentis intenta certe coarguere eam possumus. Nam saepe hoc erit facilius quam demonstratis fallaciis inuestigare uerum. Saepe enim ne uestigia quidem antiquae scripturae seruata sunt, saepe interpolator, cum iam corruptam scripturam inuenisset, sua temeritate omne nobis emendandi fundamentum eripuit. Haec qui considerauerit, non mirabitur et interpolationes et uulnera grauissima nos in his libris detexisse. In qua re ita uersari studuimus, ut neue sine causa dubitaremus, neue, cum iustas causas uidissemus, dubitationem nostram premeremus. Superstitionem enim cum ubique tum maxime in hac parte scriptori exitio futuram, temeritate facile ipsum Caesarem pro magistro afflictum iri putabamus.

Hanc rationem atque uiam secutus uerba scriptoris recensui. Quo magis autem codicem archetypum exprimerem omnes interpolationes paulo maiores, quas in illo iam fuisse codices demonstrabant, uncis circumscribere quam eicere malui; quae exciderant et recte suppleri posse uidebantur, proclinatis litteris scripta addidi; neque codicum scripturam mutaui, nisi ubi certam emendationem tenebam, corruptelas, quibus neque ego neque superiores mederi potuerant, cruce notatas reliqui. Orthographiam quoque antiquiorem reducere conatus sum, quantum per antiquos codices et diligentiam eorum, a quibus collati sunt, licebat; constantiae quidem laudem in hac re nequaquam quaesiui, a qua ueteres scriptores longissime afuisse antiquissima litterarum monumenta euincunt. Verbis scriptoris subieci omnes discrepantias integrorum

et interpolatorum codicum. Eas praeter collationes Parisinorum codicum a Beyerlio institutas suppeditauerunt editio Oudendorpii, editiones octo commentariorum de bello Gallico Elberlingii et Whittii, quattuor priorum de bello Gallico Schneideri, Elberlingii obseruationes criticae ad commentarios de bello ciuili, Schneideri apparatus critici ad Caesaris commentarios pertinentis specimen, specimen nouae editionis commentariorum Caesaris, noua belli Hispaniensis recensio, qui tres libelli academici Vratislauiae annis 1839, 1827, 1837 editi sunt. Achaintrii editionem non habui neque, cum mihi Parisini codices collati essent, desideraui. Cum autem ex iis, quae Daehnius, Kreyssigius, Schneiderus inde protulerunt, intellegerem non solum multa falso ab Achaintrio relata esse, sed etiam utrumque codicem permutatum et primi Parisini scripturas iis locis commemoratas, qui in eo ne leguntur quidem, referendis omnibus his sordibus librum meum inquinare nolui, sed Parisini secundi scripturas ab eo enotatas ibi tantum posui, ubi is codex mihi collatus non erat. Ceterum et in Beyerlii et in aliorum collationibus hoc tenui, ut, ubi quid in codice scriptum esse silentio conferentis significabatur, codicis notam uncis includerem, si quid minus recte relatum uidebatur, interrogationis signum ascriberem: collationes Bongarsiani primi et Vossiani primi ab Oudendorpio, Grutero, Gudio, Plueschkio institutas, ubicumque discrepabant, diligenter secreui. Deteriores codices, ut meum de iis iudicium ferebat, generatim et ibi tantum commemoraui, ubi uel soli necessario sequendi erant uel testimonium unius et alterius reliquorum codicum confirmabant. Coniecturas recentiorum grammaticorum praeter eas, quas recepi, paucas commemoraui, quae, etsi non certae, satis tamen probabiles uiderentur. Atque quorum locorum scriptura aut ab superioribus idoneis argumentis constituta erat, aut ubi ea, quam nos primi posuissemus, ipsa se satis tueri uidebatur, de iis cur uerba faceremus, causam non esse putauimus, de reliquis locis iam his, quae excipiunt, disputabimus.

De b. Gall. igitur I, 2, 4 et in integris et in interpolatis codd. et longe plurimis deteriorum ita scriptum est: 'His rebus fiebat, ut et minus late uagarentur, et minus facile finitimis bellum inferre possent: qua ex parte homines bellandi cupidi magno dolore afficiebantur'. Quod cum dictum uideretur insolentius, aliqua ex parte homines dolore affici, positum est 'qua de causa'. Sed

Latinorum uocabulum, quod est 'pars', multo latiorem habet usum quam uernaculum, quod ei respondet: qui usus ortus est diuersa diuidendi ratione, cum Latini res non solum secundum quantitatem, sed etiam secundum qualitatem partiantur et ea quoque, quae nobis rerum status atque condiciones aut ad eas aliquatenus pertinentia uidentur, ipsarum rerum partes existiment. Velut Cicero de inuent. I, 47, 88 his uerbis 'ambiguum si concesseris ex ea parte, quam ipse intellexeris, eam partem si aduersarius ad aliam partem per complexionem uelit accommodare, demonstrare oportebit non ex eo, quod concesseris, sed ex eo, quod ille sumpserit, confici complexionem', hic igitur uarias ambigui significationes partes eius dixit, non magis ex nostra consuetudine, quam 'partes eloquentiae' Brut. 93, 320 'longius autem procedens et cum in ceteris eloquentiae partibus, tum maxime in celeritate et continuatione uerborum adhaerescens'. Itaque saepe fit, ut, cum Latini aliqua ex parte aliquid accidisse dixerunt, nobis id factum esse dicendum sit insofern, in einer beziehung, in einer hinsicht. Atque eadem ratione uerba 'aliqua ex parte' posita sunt a Caesare et eo loco, quem supra posui, et b. ciu. III, 57, 3 'Scipionem ea esse auctoritate, ut non solum libere, quae probasset, exponere, sed etiam ex magna parte compellere atque errantem regere posset': a Cicerone ad Att. XV, 1 in. 'O factum male de Alexione! Incredibile est, quanta me molestia affecerit nec mehercule ex ea parte maxime, quod plerique mecum: ad quem igitur te medicum conferes?', Verr. I, 31, 99 'Video enim et ex iis, quae legi et audiui, intellego, in qua ciuitate non modo legatus populi Romani circumsessus, non modo igni, ferro, manu, copiis oppugnatus, sed aliqua ex parte uiolatus sit, ei ciuitati bellum indici solere' et 15, 41 'Cn. Dolabella cum proditione istius nefaria, tum improbo et falso eiusdem testimonio, tum multo ex maxima parte' (hauptsächlich nos diceremus) 'istius furtorum ac flagitiorum inuidia conflagrauit', pro Cael. 24, 59 'quo quidem tempore ille moriens, cum iam ceteris ex partibus oppressa mens esset, extremum sensum ad memoriam reipublicae reseruabat'; a Varrone de ling. Lat. IX, 29 p. 484 Sp. 'quod rogant, ex qua parte oporteat simile esse uerbum, ab uoce an a significatione, respondeamus a uoce'. Sic 'ab aliqua parte' dixit Liuius I, 32 'proximum regnum cetera egregium ab una parte haud satis prosperum fuerat, aut neglectis religionibus aut praue cultis' et XXVI, 16 'ita ad Ca-

quam res compositae consilio ab omni parte laudabili'; et 'in aliqua parte' uel 'in aliquam partem' Cicero pro Font. 14, 31 'postremo ipse cum in omnibus uitae partibus integer, tum in re militari exercitatus', ad Att. XI, 6, 2 'Brundisii iacere in omnes partes est molestum'; Caelius ad Cic. Fam. VIII, 11, 4 'denique malo in hanc partem errare, ut, quae non desideras, audias'; Quintil. X, 1, 26 'si necesse est in alteram errare partem' et §. 64 'praecipua tamen eius in commouenda miseratione uirtus, ut quidam in hac eum parte omnibus eius operis auctoribus praeferant'.

Initio c. 8 haec leguntur: 'Interea ea legione, quam secum habebat, militibusque, qui ex prouincia conuenerant, a lacu Lemanno, qui in flumen Rhodanum influit, ad montem Iuram, qui fines Sequanorum ab Heluetiis diuidit, milia passuum decem nouem murum in altitudinem pedum sedecim fossamque perducit'. Sed cum constaret lacum Lemannum non influere in Rhodanum, sed Rhodanum per lacum perfluere, incisum illud 'qui in flumen Rhodanum influit' ab omnibus praeter Schneiderum pro corrupto habitum est. Is ita defendit. 'Rhodanum', inquit, 'non misceri lacu Lemanno geographi testantur. Itaque exiens aquas eius secum trahere et lacus in ipsum influere uidetur'. Ita puto: Caesari nimirum, cum locorum habitum describeret, quid ludibrio oculorum uideretur fieri, non, quid fieret, dicendum erat. Et tamen quid ea res ad munitionem Caesaris pertinebat? Corrupta esse haec uerba recte superiores iudicauerunt, sed emendationem neque illi inuenerunt neque mihi reperire contigit. Nam Glareani et Rhenani coniecturam 'quem flumen Rhodanum influit' pluribus nominibus uitiosam esse Schneiderus demonstrauit. Id certum est, his uerbis situm munitionis accuratius fuisse definitum. Itaque aut, qua flumen Rhodanus flueret, aut, qua idem ex lacu proflueret, murum perductum esse Caesar demonstrasse uidetur.

C. 17, 2 Schneiderus ita edidit: 'Hos seditiosa atque improba oratione multitudinem deterrere, ne frumentum conferant: quod praestare debeat, si iam principatum Galliae obtinere non possint, Gallorum quam Romanorum imperia perferre; neque dubitare debeant, quin, si Heluetios superauerint Romani, una cum reliqua Gallia Haeduis libertatem sint erepturi'. In his 'praestare debeat' de Herzogii coniectura positum est: in codicibus legitur

'praestare debeant'. Verum uerbis 'praestare debeat' non significatur, ut Schneidero uisum est, 'es müsse den uorzug haben', sed 'es müsse besser sein': sententia autem requirit, ut dicatur 'quod iis uideri debeat praestare' uel 'quod praeferre debeant'. Faërno scribendum uidebatur 'quod praestare dicant', Whittius Lippertum et Maduigium secutus 'quod' post 'conferant' et utrumque 'debeant' deleuit, quae omnia longius a codicum scriptura discedunt. Nam Oudendorpium quis audiat, qui in editione minore retenta codicum scriptura 'ne frumentum conferant, quod praestare debeant' post 'perferre' ex duobus pessimis codd., Carrariensi et Dukeriano, adiecit 'satius esse'? Veram rationem iniit Daehnius, qui haec ita scribenda esse monuit: 'hos seditiosa atque improba oratione multitudinem deterrere, ne frumentum conferant, quod praestare debeant: si iam principatum Galliae obtinere non possint, Gallorum quam Romanorum imperia praeferre, neque dubitare, quin' cett. 'Debeant', quod in codd. post 'dubitare' legitur, quam facili errore repeti potuerit, apparet: 'praeferre' autem et nulla fere mutatione efficitur et legitur in interpolatis codd. Se uero praeferre neque dubitare dicebant illi, qui Haeduos a conferendo frumento deterrebant, cum suam sententiam tamquam omnibus sequendam ponerent, plane ut Vercingetorix VII, 14 extr. 'haec si grauia aut acerba uideantur, multa illa grauius aestimare, liberos, coniuges in seruitutem abstrahi, ipsos interfici, quae sit necesse accidere uictis'. Ita enim ea uerba in integris codd. leguntur. Quod autem Whittio uerba 'quod praestare debeant' abundare uisa sunt, non est ea res a Caesare aliena.

C. 24, 2 in integris codd., quibuscum Whittius Hauniensem pr. consentire refert, ita scriptum est: 'Ipse interim in colle medio triplicem aciem instruxit legionum quattuor ueteranorum, ita, uti supra; sed in summo iugo duas legiones, quas in Gallia citeriore proxime conscripserat, collocari ac totum montem hominibus compleri et eum ab iis, qui in superiore acie constiterant, muniri iussit'. Haec seruauit Schneiderus atque ita tuetur, ut uerbis 'ita, uti supra' respici dicat ad ea, quae leguntur c. 22, 2 'Caesar suas copias in proximum collem subducit, aciem instruit': 'supra' autem factum recte dici, quod 'antea' accidisset, eodem modo, atque cum supra aliquid demonstratum esse dicatur. Sed cum supra aliquid demonstratum dicitur, perspicuum est id non tempore superiore, sed loco demonstratum dici, qui in libro supe-

rior est, ita ut ‘ supra’ propriam et perpetuam significationem retineat. Similiter igitur hoc a Schneidero disputatum est, atque quod de b. Gall. II, 30, 4 uitiosam codicum scripturam ‘nam plerumque omnibus Gallis prae magnitudine corporum suorum breuitas nostra contemptui est’, ubi recte edebatur ‘hominibus’, ita defendit, ut ‘plerumque omnes’ intellegi iuberet, qui ‘ paene omnes’ dici consuessent, et haec ascriberet V, 57, 3 ‘ equites plerumque omnes tela intra uallum coniciebant’ et VII, 84, 5 ‘omnia enim plerumque, quae absunt, uehementius hominum mentes perturbant’: quibus locis quid impediret, quo minus ‘ plerumque’ peruagata significatione uerbis coniungeretur, uellem exposuisset. Atque haec una res, quod necessario ‘ita, uti antea’ ponendum erat, illam optimorum codicum scripturam falsam esse comprobat. Itaque, ne longus sim, id omittam, quam recte Caesar ea, quae hic facta narrantur, cum iis, quae c. 22, 2 se fecisse demonstrauerat, comparaturus fuisse uideatur. In reliquis codicibus praeter perpaucos scriptum est ‘ita uti supra se in summo iugo’ cett. Inde in uno Leidensi codice, secundo, ut arbitror, effectum est, quod Oudendorpius edidit: ‘ ita uti supra se in summo iugo duas legiones — et omnia auxilia collocaret’ cett. Verum tum extrema ‘ ac totum montem hominibus compleri et interea sarcinas in unum locum conferri et eum ab iis, qui in superiore acie constiterant, muniri iussit’ forma orationis coniunguntur cum primis, cum res pertineat ad ea, quae proxima superiora sunt. Itaque recte Oudendorpius suspicatus est retento illo ‘sed’ optimorum codicum uerba ‘ita uti supra’ ascripta existimanda esse ab eo, qui hic locum illum capitis 22, quem supra posui, conferendum indicaret. Quod autem Schneiderus praeterea ex omnibus codicibus restituit ‘ legionum quattuor ueteranorum’, mihi non persuadetur Caesarem ita scripsisse: constanter enim dicuntur ‘ueteranae legiones’. Quod si quis alterum recte dici probare uolet, ei id ipsum exemplis erit confirmandum atque eiusmodi, de quibus dubitare non liceat. Nam quod tironum legiones dicuntur, alia eius uocabuli forma est.

C. 28, 3 recte Oudendorpius ediderat ‘ quod omnibus fructibus amissis domi nihil erat, quo famem tolerarent, Allobrogibus imperauit, ut iis frumenti copiam facerent’. Nam cum ‘fructibus’ scriptum sit in codice omnium optimo, Bong. pr., et ex altera integrorum parte in Egm. et Vrat. pr., horum auctoritas non cedit consensui Par. pr. et Voss. pr. cum interpolatis et plerisque de-

terioribus, in quibus 'frugibus' legitur. Neque cuiquam persuaserit Schneiderus, quo minus peruagatius uocabulum 'fruges' alteri a librario substitutum esse uideatur. Sed Latini non raro fructus in toto agrorum prouentu significando posuerunt. Cuius rei quoniam Oudendorpius unum Liuii exemplum protulit, reliqua poëtarum et scriptorum aetate inferiorum, plura atque antiquiora ascripsi. Praeter Varronem enim in libris de re rustica, apud quem frequentissimum est, dixerunt ita Cic. de imp. Cn. Pomp. 6, 14 'Asia uero tam opima est et fertilis, ut et ubertate agrorum et uarietate fructuum et magnitudine pastionis et multitudine earum rerum, quae exportantur, facile omnibus terris antecellat', pro Font. 4, 10 'uectigal esse impositum fructibus nostris dicitur', de leg. agr. II, 32, 88 'ut esset locus comportandis condendisque fructibus', Cat. mai. 7, 24 'non serendis, non percipiendis, non condendis fructibus' et 19, 70 'uer enim tamquam adolescentia significat ostenditque fructus futuros, reliqua tempora demetendis fructibus et percipiendis accomodata sunt', ad Fam. XIII, 56, 2 'Heracleotae et Bargyletae, qui item debent, aut pecuniam soluant aut fructibus suis satisfaciant'; Sallustius in ep. Pomp. ad sen. p. 231 Gerl. 'Gallia superiore anno Metelli exercitum stipendio frumentoque aluit et nunc malis fructibus ipsa uix agitat'; Liuius II, 5 'forte ibi tum seges farris dicitur fuisse matura messi: quem campi fructum' cett., XXI, 63 'ad fructus ex agris uectandos', XXII, 15 'arbusta uineaeque et consita omnia magis amoenis quam necessariis fructibus', XLV, 13 'ea ex fructibus agri ab se dati, quae ibi proueniant'. Sed apud Caes. b. ciu. III, 58, 5 ferri nequit, quod in codicibus legitur: 'postquam non modo hordeum pabulumque omnibus locis herbaeque desectae, sed etiam fructus ex arboribus deficiebat'. Nam fructus ex arboribus necessario poma sunt intellegenda: at hic folia ex arboribus stricta (§. 3) significanda erant. Recte ibi Cellarius 'frons deficiebat' posuit.

C. 34, 1 perperam adhuc praelata est scriptura codd. Andini et Oxoniensis 'quamobrem placuit ei, ut ad Ariouistum legatos mitteret, qui ab eo postularent, uti aliquem locum medium utriusque colloquio diceret', cum in reliquis omnibus legatur 'deligeret'. Schneiderus uero causam etiam excogitauit, cur 'deligeret' falsum uideretur. 'Nam postulatio', inquit, 'Caesaris non ad delectum loci faciendum pertinebat, quasi multum retulisset, hic an ille de-

ligeretur, sed id postulabat, ut in colloquium ueniret, quod quo facilius impetraret, locum ipsi deligendum quidem relinquebat, sed non postulabat, ut deligeret, uerum ut constitueret locum, quem delegisset'. Enimuero nihil sane referebat, qui locus deligeretur: at num ideo nullus erat deligendus? Deligendum fuisse ipse Schneiderus concedit; et, antequam id factum esset, ne in colloquium quidem ueniri potuisse apparet. Cum autem deligere aliquis locum iubetur, profecto ea ipsa re postulatur, ut, quem delegerit, alteri significet. Nisi forte, ut hoc utar, b. ciu. I, 84, 2 uerbis 'uenitur in eum locum, quem Caesar delegit' declarari putamus in eum locum uentum esse, quem Caesar delegisset quidem, sed nulli significasset.

Sequuntur iam loci aliquot, ubi optimorum codicum scriptura ideo reiecta est, quia afferre aliquid uidebatur, quod alibi apud Caesarem non inueniretur. Quae causa nequaquam idonea uideri debet. Nam si id, quod optimi codices praebent, apud alios eiusdem siue adeo proximae aetatis scriptores inuenitur, quidni Caesarem quoque semel ita scripsisse eorum codicum auctoritati credamus? Itaque 40, 5 cum in Bong. pr. Par. pr. Egm. Vrat. pr. et melioribus deteriorum codicum scriptum sit 'quos tamen aliquid usus ac disciplina, quae a nobis accepissent, subleuarent', illud 'quae' reliquorum scripturae 'quam' praeferendum est. Sane de b. ciu. II, 2, 5 'eruptiones fiebant ex oppido, ignesque aggeri et turribus inferebantur: quae facile nostri milites repellebant' neutrum pronominis, ut Schneiderus monuit, non ad uocabula superiora, sed ad enuntiata refertur. Sed eo loco, quem initio posui, Caesarem usum ac disciplinam non ad unam rem significandam coniunxisse, sed unumquodque uocabulum separatim posuisse numerus uerbi 'subleuarent' indicio est, et semel eum neutrum pronominis ad duo uocabula alius generis retulisse eo minus mirari debemus, cum ea ratio a nullo scriptore pro occasionis copia frequentata esse uideatur. Sed dixit ita Cic. de nat. deor. III, 24, 61 'quam' (fortunam dicit) 'nemo ab inconstantia et temeritate seiunget, quae digna certe non sunt deo', Sall. Cat. 5 'inopia rei familiaris et conscientia scelerum, quae utraque his artibus auxerat'. Quod autem c. 44, 19 in Bong. pr. Egm. Vrat. pr. et longe plurimis deteriorum codicum legitur 'qui nisi decedat atque exercitum deducat ex his regionibus, sese illum non pro amico, sed hoste habiturum', cum in reliquis codd. sit 'sed pro hoste', id

similiter ipse Caesar dixit hor. comm. VI, 11, 2, ubi in omnibus codd. praeter interpolatos scriptum est ‘non solum in omnibus ciuitatibus —, sed paene etiam singulis domibus’. Aliorum scriptorum exempla haec sunt: Cic. pro Flacco 7, 17 ‘non solum in Graecia, sed prope cunctis gentibus’, pro Sulla 20, 56 ‘non modo ob causam, sed etiam necessariam causam’; Corn. Nep. Alc. 4, 6 ‘non aduersus patriam, sed inimicos suos bellum gessit’, Con. 5, 2 ‘non solum inter barbaros, sed etiam omnes Graeciae ciuitates’; Liu. XXXVII, 7 ‘non per Macedoniam modo, sed etiam Thraciam’; Tac. hist. I, 4 ‘non modo in urbe apud patres aut populum aut urbanum militem, sed omnes legiones ducesque’. Omissa in altero membro praepositione, cum uocabula, quae componuntur, artius coniungantur, fit, ut ipsa magis emineant. (Eiusd. cap. §. 22 apud Caesarem, ut hoc obiter moneam, inde, quod §. 19 scriptum est ‘qui nisi decedat’, effici non potest, quo minus in optimis et plurimis codd. recte legatur ‘quod nisi discessisset et liberam possessionem Galliae sibi tradidisset’. Hic enim Ariouistus id tantum postulat, ut abeat Caesar, ea postulatio, ut de possessione Galliae decedat, iis, quae adiuncta sunt, continetur.) Non rectius quam duobus superioribus locis Schneiderus egisse mihi uidetur c. 53, 4. Ibi enim cum duae essent scripturae, altera optimorum plurimorumque codd. ‘duae fuerunt Ariouisti uxores — utraeque in ea fuga perierunt’, altera interpolatorum (nam Achaintrius errore Parisinum primum pro secundo nominauit) ‘utraque — periit’, Schneiderus, quia alibi duos singulares homines uel res Caesar non plurali numero utrosque uel utrasque diceret (b. ciu. enim II, 6 in optimis codd. legi monuit ‘utraque ex concursu laborarent’), hac igitur de causa ex tribus nullius auctoritatis codd. asciuit ‘utraque — perierunt’. Nos optimorum codd. auctoritatem exemplis Ciceronis, licet de eo dubitauerit Zumptius ad Verr. III, 60, 140, Sallustii, Cornelii Nepotis, Liuii facile tuebimur.

C. 45, 1 in integris codd. legitur ‘Multa a Caesare in eam sententiam dicta sunt, quare negotio desistere non posset, et neque suam neque populi Romani consuetudinem pati, uti optime merentes socios desereret’: in interpolatis est ‘meritos’. Participium praesentis temporis ideo improbauit Schneiderus, quod Haedui in colloquio cum Ariouisto de pace habito non propterea laudari debuissent, quod eum impugnando bene de Caesare mereren-

tur. Sane id ita ab hac re alienum est, ut mirer Schneidero in mentem uenisse. Simplicius dixisset bello contra Ariouistum gerendo Haeduos non mereri de Romanis, sed Romanos de Haeduis, qui auxilium ab illis implorauerant, ut Ariouisti iniuriis liberarentur. Nihilo minus recte Haedui optime merentes dicuntur. Neque enim facto solum bene mereri licet, sed etiam, ubi eius copia deficit, animo et uoluntate. Cf. Cic. pro Planc. 33, 80 'qui sunt boni ciues, qui belli, qui domi de patria bene merentes, nisi qui patriae beneficia meminerunt?' In inscriptionibus autem etiam mortuos bene merentes dici notum est.

C. 51, 1 in his uerbis: 'Postridie eius diei Caesar praesidium utrisque castris, quod satis esse uisum est, reliquit, omnes alarios in conspectu hostium pro castris minoribus constituit, quo minus multitudine militum legionariorum pro hostium numero ualebat, ut ad speciem alariis uteretur', frequens codd. mendum, quod recte iam sustulerat Manutius, ita ut 'quod minus' scriberet, reduxit Schneiderus. Nimirum iam Oudendorpius eo artificio usus erat, ut uerba 'quo minus' referenda diceret ad altera 'eo magis' superioribus cogitatione adicienda. Sed eo magis aliquam rem fieri, quo minus altera fiat, tum demum recte dici apparet, cum uerbum gradationem recipit. Constitui autem neque magis neque minus quicquam potest. Itaque dicendum fuisset 'eo plures alarios constituit, quo minus', quod tamen hic plane alienum est: omnes enim alarios Caesar constituerat. Et ne quis melius se rem habere existimet, cum sententia ita conformetur: 'ut eo magis ad speciem alariis uteretur, quo minus', non pro portione alterius rei augebatur species, sed constitutis demum alariis accedebat, cum antea non fuisset. Recte igitur Manutius causam a Caesare significatam esse iudicauit. Idem mendum est b. ciu. III, 58, 4 'cogebantur Corcyra atque Acarnania pabulum supportare, quoque erat eius rei minor copia, hordeo adaugere', ubi item gradatio non adaugendi uerbo, sed hordei numero conuenit. Sed hoc iam in Leid. sec. emendatum erat: eorund. comm. I, 52, 4 nos correximus 'ciuitatibus —, quod minor erat frumenti copia, pecus imperabat'. Apud Hirt. b. Gall. VIII, 9, 4 recte editur 'alter' (ordo), 'qui propior hostem in ipso uallo collocatus esset': in codd. ibi quoque scriptum est 'quo propior'.

C. 53, 2 ex Heinsii coniectura posui: 'Ibi perpauci aut uiribus confisi tranare contenderunt aut lintribus inuentis sibi salutem

pepererunt', cum in codd. esset 'repererunt'. Nam et in coniunctione uerborum similia significantium 'inuentis repererunt' lusus quidam inest a Caesaris simplicitate alienus, et ipsa res artificiose declarata est. Neque enim re uera inuentis lintribus Germani salutem consequebantur, sed tum demum, cum ipsi flumen traiecissent.

Extremo huius commentarii capite cum in codd. haec legerentur: 'Hoc proelio trans Rhenum nuntiato Sueui, qui ad ripas Rheni uenerant, domum reuerti coeperunt: quos ubi, qui proximi Rhenum incolunt, perterritos senserunt, insecuti magnum ex iis numerum occiderunt', Beatus Rhenanus et ex particula 'ubi' recte effecit 'Vbios' (inepte enim omnes, qui Rhenum accolebant, Sueuos adorti esse dicerentur, ut monuit Schneiderus), neque minus recte 'senserunt' propter illam particulam a uetere grammatico adiectum esse iudicauit. Id alio loco comprobatur. Nam hor. comm. VI, 9, 8 cum Caesar scripsisset 'cognita Caesar causa reperit ab Sueuis auxilia missa esse: Vbiorum satisfactionem accipit, aditus uiasque in Sueuos perquirit', in codice archetypo positum est 'ubi horum satisfactionem accepit' tempore uerbi ad particulam 'ubi' accommodato: neque enim in duobus extremis enuntiatis, quorum plane eadem condicio est, tempora uariari posse Clarkius intellexit. Schneiderus miratur, si uerbum 'senserunt' interpolatum sit, quid ita eodem loco in omnibus codd. legatur. Putes eum, ut omnes codices ex uno originem ducere ignorauerit, ne mendum quidem ullum omnibus codd. commune in his libris inuenisse. Deinde, si 'senserunt' omittatur, Sueuos praeter expectationem perterritos dici queritur. Ipse igitur scripsit 'quos Vbii — ut perterritos senserunt' atque ita id, quod questus erat, remotum esse contendit. Haec quod non refello, ueniam me ab ipso impetraturum spero.

Initio secundi commentarii 'Cum esset Caesar in citeriore Gallia in hibernis, ita uti supra demonstrauimus, crebri ad eum rumores afferebantur, litterisque item Labieni certior fiebat omnes Belgas, quam tertiam esse Galliae partem dixeramus, contra populum Romanum coniurare', recte Goerlitzius (in emendatt. Iulian. Viteb. 1837 editis) uerba 'in hibernis' spuria esse docuit. In fine enim superioris libri, quo hic respicitur, Caesar retulerat hiberna exercitus se in Sequanis collocasse, ipsum ad conuentus agendos

in citeriorem Galliam profectum esse. Neque hibernis, si quidem multitudinis numero una res notatur, alia nisi castra hominum multitudini ad hiemandum constituta significantur. Schneiderus uero etiam in citeriore Gallia hiberna commentus est. Videri enim ibi quoque Caesarem copias habuisse atque in earum hibernis conuentibus peractis commoratum esse. Habuit sine dubio copias, uerum non hiemandi causa eo deductas, sed quae praesidia in oppidis obtinerent. Deinde hiberna hoc loco, cum nulla re adiecta commemorarentur, non poterant alia intellegi quam ulterioris Galliae, quae sola legentes ex superiore commentario cognouerant.

C. 8, 3 restituenda erat haec scriptura: 'Vbi nostros non esse inferiores intellexit, loco pro castris ad aciem instruendam natura opportuno atque idoneo, quod is collis, ubi castra posita erant, paululum ex planitie editus tantum aduersus in latitudinem patebat, quantum loci acies instructa occupare poterat, atque ex utraque parte lateris deiectus habebat et in frontem leniter fastigatus paulatim ad planitiem redibat, ab utroque latere eius collis transuersam fossam obduxit' cett. Nam 'in frontem' est in integris codd. et longe plurimis deteriorum; 'frontem' omissa praepositione in interpolatis. Posterius Oudendorpius posuit, Schneiderus ex duobus nullius pretii codd. reduxit 'in fronte', quod antea edebatur, quia 'in frontem' ab librariis positum uideretur, qui fronte cacumen collis significari putassent. Quod nequaquam uerum est. Collis enim in frontem fastigatus est is, qui a tergo in frontem assurgit, ut uernacule dicam, nach uorne ansteigend. Itaque ad sententiam plane idem est, utrum in fronte, an in frontem fastigatus collis dicatur: nam hic a tergo assurgens in frontem a fronte rursus ad planitiem redit, ille fastigatus in fronte tergum habet ad planitiem descendens.

C. 12, 1 haec leguntur: 'Postridie eius diei Caesar, priusquam se hostes ex terrore ac fuga reciperent, in fines Suessionum, qui proximi Remis erant, exercitum duxit et magno itinere confecto ad oppidum Nouiodunum contendit'. Magno itinere confecto Nouiodunum contendisse Caesar ita demum dici poterat, ut duo itinera tamquam inter se separata intellegerentur, prius magnum, posterius, quo illo confecto Nouiodunum contendebatur. Sed iter ad oppidum Nouiodunum, quod re uera unum erat, ita diducere ineptum erat, nisi finis aliquis significaretur, ubi magnum iter confectum fuisset, ut inde quasi alterum nasceretur. Eiusmodi cum

nihil in his uerbis declaratum esset, Schneidero ex superioribus intellegendum uisum est magno itinere confecto in fines Suessionum Caesarem peruenisse. At supra c. 5, 4 Caesar scripserat se in extremis Remorum finibus fuisse, hic Suessiones Remis proximos dixit, ut eum a loco, unde proficiscebatur, usque ad fines Suessionum ne potuisse quidem magnum iter conficere appareret. Quid igitur Schneiderus? Magnam partem diei Caesarem per fines Remorum, qua Suessiones tangerent, isse et ita confecto magno itinere introduxisse in hostium fines exercitum narrat. Scilicet animi causa ambulauisse Caesarem putabimus et de industria tempus triuisse in summa rerum gerendarum inopia. Adeo mira haec res erat, ut causa, cur accidisset, nullo modo posset a Caesare taceri. Itaque cum dubitari non posset, quin haec uerba corrupta essent, participium 'confecto' spurium iudicaui.

C. 15, 4 duplex additamentum tollendum existimaui, alterum interpolatorum codicum, alterum omnium. Ibi haec edebantur: 'Eorum fines Neruii attingebant, quorum de natura moribusque Caesar cum quaereret, sic reperiebat: Nullum aditum esse ad eos mercatoribus, nihil pati uini reliquarumque rerum ad luxuriam pertinentium inferri, quod iis rebus relanguescere animos eorum et remitti uirtutem existimarent'. Verba autem 'ad luxuriam pertinentium' non leguntur in integris codd. et melioribus deteriorum, extant in interpolata familia. Nam quod in Parisinis codd. scripta esse Achaintrius retulit, id de Par. pr. diserto meae collationis testimonio redarguitur. Integris autem codd. Orosius, si non accedit (omittere enim ipse ea uerba potuit), certe non refragatur, apud quem VI, 7 haec leguntur: 'Neruii, quorum adeo indomita feritas praedicabatur, ut numquam in id temporis mercatores ad se admiserint uina ceteraque uenalia deferre, quibus inducta iucunditas torporem uirtutis afferret, habuerunt similiter L milia'. Atque ea uerba non solum necessaria non sunt, quae res sufficeret, ut delenda uiderentur, sed etiam incommoda. Cum enim negatum esset ullum aditum mercatoribus ad Neruios fuisse, necessario inde consequebatur nihil eos omnino importari passos esse: cui rei contrarium est, quod deinde uinum tantum reliquaeque res ad luxuriam pertinentes illatae negantur. Nam quod Schneiderus ait publice ex ciuitate missos emere quaelibet et inferre potuisse, neque de barbaris certe credibile est, neque a Caesare poterat praetermitti. Neque uero Caesari omnis uini usus ad luxuriam

pertinere uideri poterat. Sed adicienda haec uerba magistro uidebantur, qui non magis quam Schneiderus intellegeret, quemadmodum omnibus rebus, quae inferri possent, Neruii relanguescere animos existimare potuissent. Hoc autem nequaquam improbabile est. Nam eas res, quae ad necessarium usum pertinebant, ipsi habebant Neruii. Itaque homines duri omnia, quae importarentur, ut superuacanea dissoluere uitae frugalitatem et duritiem mollire arbitrabantur. Et re uera quae a mercatoribus Italicis et Massiliensibus, quos praecipue merces in has partes tulisse probabile est, inferrentur, ita comparata fuisse consentaneum est, ut ab ferorum hominum consuetudine ad maiorem cultum uoluptatemque differrent. Ceterum quam recte Neruii in ea opinione fuerint, nihil ad nos: id dico, quo minus fuerint, nihil obstare. Itaque uerba 'ad luxuriam pertinentium' eicienda sunt. Idem faciendum pronomine 'eorum', quod in omnibus codd. legitur. Nam primum in hac orationis forma: 'quod iis rebus relanguescere animos eorum et remitti uirtutem existimarent' necessario scribendum erat 'animos suos'. Recte enim Maduigius opusc. prior. p. 420 monuit pronomen demonstratiuum pro reflexiuo nisi in enuntiatione secundaria et tali quidem, cuius aliud esset subiectum quam primariae, substitui non posse. Atque ita a Caesare positum est hor. comm. I, 5, 4 'persuadent Rauracis et Tulingis et Latobrigis finitimis, uti eodem usi consilio oppidis suis uicisque exustis una cum iis proficiscantur', c. 6, 3 'Allobrogibus sese uel persuasuros existimabant uel ui coacturos, ut per suos fines eos ire paterentur', c. 11, 3 'ita se omni tempore de populo Romano meritos esse, ut agri uastari, liberi eorum in seruitutem abduci, oppida expugnari non debuerint'. Accusatiuus autem cum infinitiuo non enuntiationem efficit, sed pars est enuntiationis. Itaque formam pronominis, quod ad accusatiuum pertinet, ad subiectum enuntiationis referre licet, ut factum est b. Afr. 79, 1 'aduersarios non uirtute eorum confidere, sed aquarum inopia fretos despicere se intellexit', contrarium numquam fieri potest. Vnus Caesaris locus VII, 21, 2 praeter hunc, de quo agimus, et ipse pronomen demonstratiuum uitiosum habet, qui quomodo corrigendus sit, infra dicetur. Eo autem loco, de quo dicere ingressi sumus, etiamsi pronomen reflexiuum positum esset, tamen sententiam ineptam esse iam alii monuerunt. Ridicule enim Neruii suam uirtutem suosque animos remitti existimasse dicerentur, quasi ex omnibus ipsi luxuriae

maxime opportuni essent. Quam rem quod Schneiderus ita se remouisse putauit, ut infinitiuos 'relanguescere' et 'remitti' futurorum uim obtinere diceret, fit id non raro neglegentia quadam, ut infinitiuus praesentis temporis de futuro ponatur, sed numquam tum, cum sententia non constaret nisi futuro posito.

C. 19, 5 haec in codd. scripta sunt: 'Cum se illi identidem in siluas ad suos reciperent ac rursus ex silua in nostros impetum facerent, neque nostri longius, quam quem ad finem porrecta ac loca aperta pertinebant, cedentes insequi auderent, interim legiones sex, quae primae uenerant, opere dimenso castra munire coeperunt'. In collocatione uerborum 'porrecta ac loca aperta' cum haesisset Dauisius et parum attendens ad formam particulae copulatiuae 'porrecta ac aperta loca' scribendum putasset, Clarkius eam rationem monstrauit, qua una collocatio uerborum defendi potest, ut 'porrecta' per se posita et 'loca' ad 'aperta' tantum pertinere diceret. Neque ego id quaeram, cur Caesar ita perplexe dicere maluerit quam simpliciter 'loca porrecta atque aperta', etsi huius rei satis infeliciter Schneiderus reddidisse rationem uidetur: id scire uelim, quid ita haec loca porrecta dici potuerint. Ita enim supra c. 18 descripta sunt: 'Loci natura haec erat, quem locum nostri castris delegerant. Collis ab summo aequaliter decliuis ad flumen Sabim uergebat. Ab eo flumine pari accliuitate collis nascebatur aduersus huic et contrarius, passus circiter ducentos infimus apertus, ab superiore parte siluestris, ut non facile introrsus perspici posset'. Ad rem, quam agimus, nihil pertinet, utrum uerbis 'passus circiter ducentos' spatium, quod inter collem et flumen intercedebat, designetur, an id spatium ipsius collis, quod silua uacabat, quamquam mihi, cum statim Neruii dicantur equitum stationes habuisse in aperto loco secundum flumen, qui alius esse quam infima pars collis, quam apertam paulo ante dixerat Caesar, non potest, hac re demonstrari uidetur, collis radices ad flumen usque pertinuisse. Sed, utut haec res se habet, 'porrecta' illa 'ac loca aperta' ea intellegenda esse apparet, quae inter flumen et siluas intercedebant. Quae quid erat, cur porrecta dicerentur? In hoc enim uocabulo si qua inest peculiaris habitus loci significatio, sola spatii longitudo declarari potest, quam ab his locis alienam esse apertum est. Nam Neruii c. 19, 7, cum ex siluis erumperent, ad flumen decurrerent, flumen transirent, haec omnia paene uno tempore fecisse dicuntur. Itaque quin haec corrupta

sint, dubium non est; sanauit autem dudum Morus ita scribendum esse iudicans: 'neque nostri longius, quam quem ad finem porrecta loca aperta pertinebant, cedentes insequi auderent'. Nullum enim uitium peruagatius est quam particulae copulatiuae peruerse a librariis adiectae. Sic hor. comm. V, 18, 3 in Bong. pr. Leid. pr. Scal. Haun. pr. legitur 'ripa autem erat acutis sudibus praefixisque munita', et in codice archetypo fuit VII, 62, 8 'nostrorum militum uictorumque', VIII, 27, 2 'et Romanum et externum sustinere hostem', similiterque eiusd. lib. 10, 2 'aut nostra auxilia aut Gallorum Germanorumque'. Verba autem 'quem ad finem porrecta' coniungenda sunt cum uerbo 'pertinebant', et loca aperta ad aliquem finem porrecta pertinere eodem modo dicuntur atque paulo post (§. 7) 'hostes in siluis abditi latere'. Cf. b. Gall. VII, 59, 5 'legiones a praesidio atque impedimentis interclusas maximum flumen distinebat', b. ciu. I, 65, 1 'quos ubi Afranius procul uisos cum Petreio conspexit', 82, 4 'hinc duas partes acies occupabant duae, tertia uacabat ad incursum atque impetum relicta'; Cic. pro Rab. perd. reo 7, 21 'utrum inclusum atque abditum latere in occulto', de prou. cons. 4, 6 'cum Mithridaticos impetus totumque Pontum armatum ceruicibus interclusum suis sustinerent'.

C. 24, 4 ante Aldum sic edebatur: 'Quibus omnibus rebus permoti equites Treueri, quorum inter Gallos uirtutis opinio est singularis, qui auxilii causa ab ciuitate ad Caesarem missi uenerant, cum multitudine hostium castra nostra compleri, nostras legiones premi ac paene circumuentas teneri, calones, equites, funditores, Numidas diuersos dissipatosque in omnes partes fugere uidissent, desperatis nostris rebus domum contenderunt' cett. Aldus 'nostras', quod ante 'legiones' legitur, omisit secutus sine dubio codicem interpolatae familiae, cum neque in Haun. pr. et Vind. pr. ea uox extet, neque ex reliquis eiusdem familiae annotetur. Secuti sunt reliqui. Videbant enim non Romanas legiones discerni ab aliis legionibus, de quibus ne cogitari quidem poterat, sed legiones a calonibus, equitibus reliquisque copiis. Schneiderus uero 'nostras legiones' restituit atque ita aptissime significari putauit Treueros Romanorum potissimum res, qui longe alia fortuna uti consuessent, adeo afflictas miratos esse. Sed ea sententia ab hoc loco maxime aliena est. Neque enim ideo fugiebant Treueri, quod ii, qui affligebantur, Romani erant, quasi remansuri fuissent,

si aliis auxilio uenissent iique uicti essent, sed quia uictos arbitrabantur, quibuscum steterant. Atque omnino illa scriptura, quae ante Aldum ferebatur, auctoritate ualde infirma nititur. Est sine dubio in quibusdam deterioribus codd., ex integris Schneiderus in Bong. pr. Voss. pr. Egm. inueniri ait. At in Par. pr. Vrat. pr. optimisque deteriorum (Dresd. pr. Vrat. sec. Bonn. Gottorp. secundum certum Whittii testimonium) scriptum est 'castra compleri nostras legiones' altero 'nostra', quod 'castra' sequitur, omisso: idemque de Egm. et Voss. pr. ex cognatione eorum cum Par. pr. et Vrat. pr. eo magis statuendum est, quod ex Egm. et Gottorp. in exempl. Fabriciano annotatum erat 'castra compleri nostra, nostras legiones', falso de Gottorp., ut Whittius indicauit. Itaque ex bonis codd. unus Bong. pr. relinquitur, in quo uereor ne idem factum sit, quod mihi de Par. pr. notatur, ut 'nostra' secunda demum manu adiectum sit. Secundum hanc autem integrorum codd. scripturam ita haec constituenda esse apparet: 'cum multitudine castra compleri, legiones premi et paene circumuentas teneri, calones, equites, funditores, Numidas diuersos dissipatosque in omnes partes fugere uidissent'. Nam quod Whittius edidit 'castra compleri nostra, legiones' cett., eadem ex parte uitiosum est, qua 'nostras legiones'.

C. 27 initium in integris plurimisque codd. ita scriptum est: 'Horum aduentu tanta rerum commutatio est facta, ut nostri etiam qui uulneribus confecti procubuissent, scutis innixi proelium redintegrarent, tum calones perterritos hostes conspicati etiam inermes armatis occurrerunt, equites uero, ut turpitudinem fugae uirtute delerent, omnibus in locis pugnant, quo se legionariis militibus praeferrent'. Hic pro perfecto 'occurrerunt' necessario ex interpolatis codd. editum est 'occurrerent': recte enim monuit Schneiderus uerba 'tanta rerum commutatio est facta' nimia esse, si una illa res, ut uulnerati proelium redintegrarent, consecuta esset. Sed quod pro illis 'pugnant quo' item ex interpolatis editur 'pugnae', recte fieri non arbitror. Verba quidem 'pugnant quo' aperte uitiosa sunt non solum ob uerbi tempus (quamobrem in deterioribus quibusdam codd. 'pugnabant' positum est) sed etiam ob sententiam. Neque enim eo, quod omnibus locis pugnabant, ignominiam delere aut se legionibus praeferre equites poterant, sed quod, ubicumque erant, insigni uirtute proeliabantur. Igitur ne 'pugnarent' quidem, 'quo' cett. probari posset. Sed si 'pugnae'

scriptum fuisset, inde in integris codd. 'pugnant quo' effectum esse incredibile est. Itaque uerba 'pugnant quo' in codice archetypo ascripta esse arbitror ad proxima superiora 'omnibus in locis' explicanda, barbara oratione pro his: 'ubi pugnant'; inde a magistro, elegantiore homine, 'omnibus locis pugnae' effectum esse. Idem accidisse VII, 38 Whittius intellexit. Ibi §. 1 relatum erat Litauicum Haeduis affirmasse omnem eorum equitatum a Caesare trucidatum esse atque hoc eos ab iis, qui ex caede fugissent, cognoscere iussisse. Deinde §. 4 in integris codd. haec leguntur: 'producuntur ii, quos ille edocuerat, quae dici uellet, atque eadem, quae Litauicus pronuntiauerat, multitudini exponunt: multos equites Haeduorum interfectos' cett., in interpolatis scriptum est 'omnes equites'. Sed hoc magistro deberi, qui repugnantiam animaduerterat, inde certum est, quod in uno interpolatorum, Scaligerano, 'multos' seruatum est eique 'omnes' ascriptum. Quare et ibi recte Whittius 'equites Haeduorum' scribendum esse significauit, et eo loco, a quo digressi sumus, legendum est 'omnibus in locis se legionariis militibus praeferrent'.

Lib. III, 9, 3 interpolationem dudum explosam reduxit Schneiderus. Ibi ita in codd. scriptum est: 'Veneti reliquaeque item ciuitates cognito Caesaris aduentu certiores facti, simul quod, quantum in se facinus admisissent, intellegebant (legatos, quod nomen ad omnes nationes sanctum inuiolatumque semper fuisset, retentos a se et in uincula coniectos), pro magnitudine periculi bellum parare instituunt'. Verba autem illa 'certiores facti' in ed. Florent. a. 1508 pro spuriis notata inde ab Aldo eiecta sunt. Schneiderus longa oratione defendit: sed summa totius disputationis haec est, ut certiores factos Venetos ita dici putet, quemadmodum uernacule dicatur 'sie erfuhren, woran sie waren'. En, quicum mices in tenebris! 'Sie erfuhren' uideo, at ubi, o bone, est illud 'woran sie waren'? Grammatica horum uerborum ratio defendi potest, si priora 'cognito Caesaris aduentu' non ad Venetos referimus, sed per se dicta statuimus (ut hor. comm. II, 4, 2 uerba 'omni Gallia uexata' et b. ciu. III, 38, 4 'cognitis insidiis' non ad subiecta enuntiati relata sunt), intellecto autem pronomine demonstratiuo certiores factos Venetos de ipso illo Caesaris aduentu existimamus, hoc modo, ut uernacule dicam, 'nachdem Caesars ankunft bekannt geworden war, dauon benachrichtigt'.

Sed, ut omittam perplexam atque duram hanc esse orationis formam, cum res gererentur in ipsorum Venetorum reliquarumque ciuitatium finibus, ineptum erat Caesaris aduentum prius cognitum dici, quam ab illis cognosceretur. Neque uero excidisse quaedam probabile est. Nam quod unum comperire poterant, fore, ut bellum sibi inferretur, ipso Caesaris aduentu intellegebant: et conscientia peccati, hoc est, quia suspicarentur a Caesare bellum sibi illatum iri defensionem parasse deinceps dicuntur. Itaque uerba 'certiores facti' ab eo adiecta sunt, qui aut 'simul' ad ablatiuos absolutos non recte referri arbitraretur, aut uerbis 'legatos retentos a se et in uincula coniectos' uerbo aliquo, unde apta essent, subueniendum putaret. Posterius si accidisse uidebitur, uerba illa ex margine alieno loco illata esse iudicanda sunt.

Initio c. 12 haec leguntur: 'Erant eiusmodi fere situs oppidorum, ut posita in extremis lingulis promontoriisque neque pedibus aditum haberent, cum ex alto se aestus incitauisset, quod bis accidit semper horarum XII spatio, neque nauibus, quod rursus minuente aestu naues in uadis afflictarentur'. Hic, cum aestum duodecim horarum spatio semel se ex alto incitare constaret, neque Caesarem in hac re errasse credibile esset, Bertius 'horarum XXIV spatio' scribendum coniecit. Schneiderus, cum in Haun. pr. et Vind. nono non 'bis', sed 'his' inuentum esset, id recepit et breuiter quasi de re aperta monens 'his', inquit, 'ad Gallos spectat, qui Oceanum accolunt'. At demonstrandum erat, ni fallor, ubi in superioribus uerbis hi Galli commemorarentur. Quanto rectius in margine Gothani primi et editionis Elzeuirianae a. 1670 annotatum erat 'hic' legendum esse. Sed uerum ne hoc quidem est. Nam quamquam Schneiderus monuit maris mediterranei littora non tantam aestus commutationem pati, quantam Oceani, tamen illa scriptura Gothani primi apud Caesarem tum demum probari posset, si in mediterraneo mari aut nulla aestus commutatio aut non eodem temporis spatio atque in Oceano accideret. Mihi omnium maxime uerisimile uidetur 'bis' adiectum esse ab eo, qui hoc inciso non de accedente tantum aestu, sed etiam de minuente, qui statim commemoratur, dici existimaret.

C. 20, 2 ita a plerisque editur: 'Itaque re frumentaria prouisa, auxiliis equitatuque comparato, multis praeterea uiris fortibus Tolosa, Carcasone et Narbone, quae sunt ciuitates Galliae prouinciae finitimae, ex his regionibus nominatim euocatis in Son-

tiatum fines exercitum introduxit'. Hic primum 'Carcasone', quod in interpolatis tantum codd. legitur, tollendum erat. Neque mirum potest uideri oppidum, quod medio aeuo constabat, magistro notum fuisse. Etenim certum interpolationis indicium est particula 'et' tertio loco posita, quam particulam non magis quam 'atque' uel 'ac' (nam encliticae 'que' alia causa est) tribus uel pluribus orationis membris aequaliter compositis neque Caesar neque Hirtius aeque atque reliqui huius aetatis scriptores extremis membris interponunt, sed aut omnibus locis aut nullo. Accurate de hac re exposuit Maduigius opusc. prior. p. 333 sqq. Eadem re hor. comm. VII, 24, 1 in uerbis 'luto, frigore et assiduis imbribus' cognoscitur 'lutum', quod in integris codd. scriptum non est, in interpolatis male adiectum esse. De b. ciu. II, 4, 4 in optimis codd., qui tamen sunt ipsi interpolati, legitur 'inuisis, latitatis atque incognitis rebus', editur 'latitantibus'. Sed siue 'latitatis' corruptum est ex 'latitantibus', siue ipsum male ab eo, qui adiecit, scriptum, recte Oudendorpius monuit id ad superius uocabulum explicandum interpolatum uideri, ut inuisa ea dici, quae non uiderentur, legentes admonerentur. Nam duo uocabula idem significantia nullo modo hic ferri possunt. Reliqui autem loci, quibus illae particulae secus poni uidentur, aut in codicibus recte scripti sunt, aut aliam rationem habent. Sic de b. Gall. VIII, 8, 2 Oudendorpius in codd. tantum non omnibus legi refert 'legiones VII, VIII, VIIII', estque ita in Par. pr., et b. ciu. I, 15 extr. in Par. sec. scriptum est 'Alba, ex Marsis et Pelignis, finitimis ab regionibus'. De b. Gall. autem I, 23, 1 'rei frumentariae prospiciendum existimauit: iter ab Heluetiis auertit ac Bibracte ire contendit', et VII, 40, 7 'Haedui manus tendere, deditionem significare et proiectis armis mortem deprecari incipiunt' atque 63, 8 'magno dolore Haedui ferunt se deiectos principatu, queruntur fortunae commutationem et Caesaris in se indulgentiam requirunt, neque tamen suscepto bello suum consilium ab reliquis separare audent' bipertita est oratio: primo loco alterum membrum sine copula adiungitur, quia euentus ab iudicio Caesaris magis separandus uidebatur, duobus libri VII locis idem in duobus prioris membri partibus factum est ob concitationem orationis. Sed tamen I, 23, 1 Beyerlius in Par. pr. 'ac' secunda demum manu adiectum refert, et VII, 40, 7 'et deditionem' legitur in interpolatis codd. Item VII, 76, 1 'quibus ille pro meritis ciuitatem

eius immunem esse iusserat, iura legesque reddiderat atque ipsi Morinos attribuerat' discernuntur, quae ciuitati acciderunt, et quae ipsi Commio; neque duo priora membra, quae pro uno sunt, ob ascensum ad maiorem rem copula coniunguntur. Neque minus bipertita sunt haec: b. ciu. I, 4, 3 'iudiciorum metus, adulatio atque ostentatio sui et potentium' (nam extremi genitiui ad utrumque nomen per 'atque' particulam coniunctum pertinent) et b. Gall. V, 39, 3 'Eburones, Neruii, Aduatuci atque horum omnium socii et clientes', ubi prius membrum est tripertitum. Haec igitur non magis offendent, quam quae leguntur b. Gall. I, 46 in. 'equites Ariouisti propius tumulum accedere et ad nostros adequitare, lapides telaque in nostros conicere' et 50 in. 'Caesar e castris utrisque copias suas eduxit paulumque a maioribus castris progressus aciem instruxit, hostibus pugnandi potestatem fecit', ubi plura ex eodem genere ascripsit Schneiderus. Potest autem particula 'et' uel 'ac' siue 'atque' uno loco interponi, cum aequalitas membrorum aliqua ex parte tollitur: quod fit uni potissimum membro aliqua re adiecta aut pluribus eo, quam superioribus, rebus comprehensis. Ita b. Gall. VI, 2, 3 in Par. pr. et plurimis codd. Oud. recte scriptum est 'Neruios, Aduatucos ac Menapios adiunctis cisrhenanis Germanis', siquidem Germani cum Menapiis potissimum coniuncti fuisse dicuntur: et eandem rationem haec habent: b. ciu. III, 4, 6 'Macedones, Thessalos ac reliquarum gentium et ciuitatium', eiusd. lib. 12, 4 'Bullidenses, Amantini et reliquae finitimae ciuitates', b. Afr. 20, 2 'sagittariis Ityraeis, Syris et cuiusque generis', 70, 5 'circiter CCC amissis, multis uulneratis ac defessis instando omnibus'. Atque ut similem rem statim adiungam, eadem usus Caesariani ignorantia de b. Gall. VII, 54, 1 in interpolatis codd. scriptum est: 'ibi a Viridomaro atque Eporedorige Haeduis appellatus discit cum omni equitatu Litauicum ad sollicitandos Haeduos profectum esse opus esse et ipsos antecedere ad confirmandam ciuitatem', cum in reliquis codd. recte legatur 'opus esse ipsos', hac sententia, ut, cum Litauicus ad sollicitandam ciuitatem profectus sit, sese ad confirmandam proficisci debere Viridomarus et Eporedorix dicant. Etenim 'et' particulam (de qua re apud Ciceronem nondum constare scio) neque Caesar neque Hirtius in intentendo pro 'etiam' posuerunt. Nam b. Gall. I, 15, 3 'quo proelio sublati Heluetii audacius subsistere nonnumquam et nouissimo agmine proelio nostros lacessere coeperunt' et

b. ciu. I, 14, 2 'Caesar enim aduentare iamiamque et adesse eius equites falso nuntiabantur' mira pertinacia grammatici sibi ipsi illuserunt. Altero enim loco quis non uidet rectissime ipsum Caesarem (hoc est cum legionibus) statim aduenturum dici, equitatum autem, qui praecedere agmen solet, adesse? et priore apertum est 'nonnumquam' utrique membro commune esse. Quod fieri non posse Schneiderum locis quibusdam collectis, quibus idem uocabulum ad prius tantum membrum pertinet, se probasse putare non arbitror: si putauit, non sum equidem adeo ineptus, ut in re notissima exempla colligam. Qui idem, cum gradationem impedimento esse ait, quo minus uerba 'subsistere' et 'lacessere' copula coniungantur, quid faciet extremis uerbis c. 23 'nostros a nouissimo agmine insequi ac lacessere coeperunt'? Quae autem de b. Gall. VII, 65, 5 leguntur, etiam aliis de causis corrupta existimanda sunt, de quibus suo loco dicetur. Sed ut ad locum de b. Gall. III, 20, 2, quem paene dimisimus, reuertar, Ciacconius uidit corrupta esse haec uerba: 'uiris fortibus Tolosa et Narbone, quae sunt ciuitates Galliae prouinciae finitimae, ex his regionibus nominatim euocatis'. Itaque deleta praepositione 'ex' ita haec constituenda dixit: 'uiris fortibus Tolosa et Narbone, quae sunt ciuitates Galliae prouinciae finitimae his regionibus, nominatim euocatis'. Qua emendatione nihil cogitari uerius potest. Schneiderus codicum scripturae patrocinio suscepto ablatiuos 'Tolosa et Narbone' non cum participio 'euocatis' coniungendos esse, sed 'uiros fortes Tolosa et Narbone' dici contendit ut Tolosates et Narbonenses, ciuitates autem illas Aquitaniae finitimas dici per se intellegi putat. Sed neque hoc uerum est, et homines Tolosates et Narbonenses euocatos dici ex Aquitania (aliae enim 'hae regiones' hoc est, in quibus Crassus erat, intellegi non possunt) plane ineptum est. Nam quis homo satis quidem sanus eos ex Aquitania potius conuocasset, ubi tot fuisse, ut Crassus eorum auxilio iuuari posset, ne credibile quidem est, quam ex ipsis ciuitatibus, quae et propinquae erant et omnem copiam praebebant? Aliam rationem a I. Fr. Gronouio ad Liu. XXV, 27 propositam, qui orationem enuntiato relatiuo interruptam uerbis 'ex his regionibus' redintegrari existimabat, ob breuitatem enuntiati interiecti recte Schneiderus improbauit. Sed quod putat, si ipsius sententia, quam modo refutaui, non probaretur, ablatiuis 'Tolosa et Narbone' locum designari posse, unde litterae a Crasso missae essent, aut 'Tolosae'

scribi, quod est in Bong. pr., ne haec quidem fieri possunt. Crassus enim non Tolosae et Narbone erat, sed in Aquitania, ut initio c. 20 relatum est. Itaque Ciacconii emendatio probanda est.

C. 23, 2 ex Bong. pr. Par. pr. Egm. Vrat. pr. edidi 'legatos quoque uersum dimittere', quamuis 'quoquo uersus' Latinos eadem sententia dixisse atque 'in omnes partes' ita certum omnibus uideatur, ut, num 'quoquo' in codicibus legatur, raro, num recte dicatur, omnino non quaerendum putent, id definire studeant, 'uersus' an 'uersum' scribendum sit. Atque hoc quidem totum in codicibus positum esse apparet, illud ante omnia, ni fallor, ad rationem exquirendum est. Atqui si rationem sequimur, 'quoquo uersus' tum demum recte dici statuendum est, cum relatiua sententia est; in definita sententia, ut 'quisque' non 'quisquis' dicitur, ita ne 'quoquo' quidem 'uersus', sed 'quoque uersus' ponendum uideri debet. Quod si praeterea monumenta litterarum audienda sunt (sunt autem profecto, cum usus a ratione discedere potuerit), non ea audiemus, quae et tempore inferiore scripta sunt et deprauationi uel maxime obnoxia fuerunt, sed quae ipsius antiquitatis testimonium, quantum fieri in hoc genere potest, incorruptum praebent. In inscriptionibus autem 'quoque uersus' legi iam Furlanettus in Forcell. lex. monuit itaque scriptum esse annotauit in cenotaph. Pisan. 642 u. 10 ab ima pag. apud Orell., ter in inscr. Neapol. ap. Grut. 207, u. 19. 21. 26, item in Patauina ap. Grut. 801, 12, in qua, cum Gruterus 'quoquo uersus' edidisset, se ipsum 'quoque uersus' scriptum uidisse Furlanettus testificatur. Neque ego plures inscriptiones reperi (omnes autem mihi notas esse non affirmo), in quibus haec uocabula omnibus litteris perscripta legerentur: 'quoq uersu' est ap. Orell. 4503, 'qqu' ap. Grut. 924, 20. 21. 22 et Orell. 4501 et 4502. Si autem in aliqua inscriptione 'quoquo uersus' editum inuenietur, uidendum est, ne id eadem neglegentia atque in Patauina illa factum sit. Itaque cum ratio cum ueteribus monumentis consentiat, ubicumque definita sententia est, 'quoque uersus' scribendum existimo. Neque apud Caesarem in hac re ne codicum quidem testimoniis destituimur. Nam ex reliquis locis, in quibus eae uoces leguntur, de b. Gall. VII, 4, 5 'dimittit quoque uersus legationes' est in Par. pr. Voss. pr. Egm., eiusd. lib. 14, 5 'quoque uersus' Oudendorpius in 'mss. multis' legi ait, et est ita in Par. pr. In commentariis de bello ciuili et insequentibus supplementis, quorum

antiquos et integros codd. non habemus, haec auctoritas desideratur: uno tamen loco, b. ciu. I, 36, 1 'classem quoque uersus dimittunt' scriptum est in Leid. pr; I, 25, 6. II, 8, 3. b. Afr. 24, 3 nihil ex bonis codd. notatur, nisi quod secundo loco in Par. sec. et Leid. pr. uox 'quoquo' omittitur. Ex aliis scriptoribus apud Vitruu. VIII, 1, 4 'quoque uersus' annotatur ex codice Cottoniano, ap. Colum. de arb. 4, 3 ex collatione Politiani, ap. Apul. Metam. II, 2, p. 88 Oud. ex Fuxensi et omisso 'uersum' ex Lipsiano, utroque deteriore. Reliquis locis, qui mihi noti sunt, Cat. de re rust. 15, Varr. de re rust. I, 10, 2, Cic. Phil. IX extr., Vitruu. II, 3, 3. III, 5, 3. IV, 1, 11. V, 1, 9. X, 14, 1 et 2, Colum. V, 1, 5. VIII, 3, 2. XI, 2, 28, de arb. 27, 2, Apul. Metam. VIII, 27, p. 580 Oud., Symmach. ep. I, 4 sine ulla discrepantia 'quoquo' editur. Quod in tanta criticorum securitate mirum uideri non debet.

C. 24 Caesar refert Aquitanos, quamuis sine periculo se dimicaturos cum Crasso existimassent, tamen intercluso commeatu Romanos ad inopiam redigere eaque re recipere sese coactos in itinere impeditos adoriri maluisse. Deinde haec in codd. scripta sunt: 'Hoc consilio probato ab ducibus productis Romanorum copiis sese castris tenebant. Hac re perspecta Crassus, cum sua cunctatione atque opinione timidiores hostes nostros milites alacriores ad pugnandum effecissent, atque omnium uoces audirentur, expectari diutius non oportere, quin ad castra iretur, cohortatus suos omnibus cupientibus ad hostium castra contendit'. Hic uerba 'cum cunctatione sua atque opinione timidiores hostes' cett. inexplicabilem habent difficultatem. Hostium enim aliqua opinio, qua timidiores facti essent, intellegi non potest, quippe quos nulla ex parte timidos fuisse c. 25, 1 luculenter declaretur: 'cum item ab hostibus constanter ac non timide pugnaretur'. Potius his ipsis uerbis capitis 25 demonstratur Caesarem hoc loco, de quo agimus, Aquitanos timidos uisos esse Romanis militibus significasse. Itaque Schneiderus ita illa uerba conuertit: 'die ihrer zögerung und der meinung zufolge furchtsamer gewordenen feinde'. Sed cunctatione sua timidior non dicitur, quem timidiorem tu eius cunctatione commotus credas, sed qui re uera ipse cunctatione timidior factus est. Deinde cum haec uerba: 'cunctatione sua atque opinione timidiores' coniuncta existimantur, opinio necessario eorundem intellegenda est, quorum cunctatio erat, hoc est hostium.

Itaque nonnulli haec uerba separauerunt et 'cunctatione' ad uerbum 'effecissent' relata 'opinione timidiores hostes' dici arbitrati sunt, qui in maiore, quam quis opinatus erat, timore fuissent. Verum hac ratione et particula copulatiua 'atque' omittenda erat, et tamen re uera timidi hostes dicerentur. Comparatiuus autem 'timidiores', quocumque modo reliqua uerba dicta accipies, incommodus est: qui enim timidi omnino non erant, ne uideri quidem timidiores poterant, sed timidi tantum. Nam quod Baumstarkius timidiores, quam fieri soleat, dici putauit, recte Schneiderus monuit eadem sententia timidiores et alacriores interpretandos esse, cum alterorum timiditas cum alacritate alterorum comparetur, et haec illa aucta dicatur. Itaque cum in hoc comparatiuo uitii sedem esse certum sit, melius inueniri nihil potest, quam quod a Stephano editum alii iam probauerunt: 'cum sua cunctatione atque opinione timoris hostes nostros alacriores ad pugnandum effecissent', hoc est opinione timoris, quam hostes praebebant, ut 17, 6. 25, 1 dicitur. Quae emendatio cum ab omni parte satisfaciat, litterarum discrimen non adeo anxie exquirendum est. Et 'opinio timoris' apud Caesarem saepius legitur, uelut hui. lib. 17, 6. 18, 1. V, 57, 4.

Lib. IV, 1, 10 haec in codd. leguntur: 'Atque in eam se consuetudinem adduxerunt, ut locis frigidissimis neque uestitus praeter pelles haberent quicquam, quorum propter exiguitatem magna est corporis pars aperta, et lauantur in fluminibus'. Quae cum ferri non possent, ab omnibus 'habeant' scriptum est, et deinde partim 'lauentur' posuerunt, partim 'lauantur' retinuerunt eumque coniunctiuum a 'lauendo' declinatum esse contenderunt. Verum 'lauere' poëtae dixerunt, scriptores ii tantum, qui Caesare sunt antiquiores, ut Cato. Vid. Ramshorn. gramm. p. 207. Varro, ut antiquarius, antiquos in hac quoque re secutus est. Sed recentiorum antiquariorum princeps atque signifer Fronto, cum ad M. Caes. IV, 3 (p. 97 ed. Rom.) haec scribit: 'lacrimis uero genas lauere dicam, uestimenta autem lauare, non lauere', hoc uerbum certe altioris spiritus esse agnoscit. Itaque hoc a Caesare alienum est. Multo autem facilius, quam 'habeant' et 'lauentur', retento 'haberent' ex 'lauantur' efficitur 'lauãtur', hoc est 'lauarentur', quod et Weissenbornius in Bergkii et Caesaris ephem. a. 1845 p. 54 commendauit, et Schneidero iam in mentem uene-

rat. Qui tamen quod existimare uidetur, imperfecta ita tantum probari posse, si finis declararetur, eodem modo atque hic id tempus positum est a Cicerone ad Fam. 1, 8, 10 'qui plus opibus, armis, potentia ualent, profecisse tantum mihi uidentur stultitia et inconstantia aduersariorum, ut etiam auctoritate iam plus ualerent'. Ipsum dicendi genus notissimum est.

C. 3, 3 haec est codd. scriptura: 'Ad alteram partem succedunt Vbii, quorum fuit ciuitas ampla atque florens, ut est captus Germanorum, et paulo quam sunt eiusdem generis et ceteris humaniores, propterea quod Rhenum attingunt, multumque ad eos mercatores uentitant, et ipsi propter propinquitatem quod Gallicis sunt moribus adsuefacti'. Hic uerba 'et paulo' cett. Oudendorpius ita enarrauit: 'et paulo humaniores, quam sunt homines eiusdem generis, et humaniores ceteris'. Quam sententiam ineptam esse Schneiderus uidit, cum et eiusdem generis homines et ceteri necessario utrique Germani intellegendi essent. Ipse Schneiderus unum codicem secutus, Leid. pr., ita edidit: 'et paulo, quam sunt eiusdem generis, sunt ceteris humaniores'; superius autem 'sunt' significare ait 'esse solent'. Id uero fieri nullo modo potest: neque singulari illius codicis scripturae maiorem auctoritatem quam coniecturae tribuendam esse apparet. Non probabiliora ab aliis proposita sunt. Vnus Th. Bentleius, et post eum Elberlingius, rectam orationis formam effecit, ut deleto utroque 'et' ita scriberetur: 'Vbii succedunt — paulo, quam sunt eiusdem generis ceteri, humaniores'. Mihi tamen potius in hunc modum haec constituenda uisa sunt: 'et paulo sunt eiusdem generis ceteris humaniores'. Nam haec forma orationis et ob superiora uerba 'ut est captus Germanorum' aptissima est (conceditur enim Germanorum iudicium aliqua ex parte etiam Romano homini probari posse) et, cum plura interiecta sint, melius haec plena oratione adiunguntur quam per appositionem. Denique origo interpolationis hac ratione facilius apparet. Nam particula 'quam' propter comparatiuum 'humaniores' adiecta est, ut III, 9, 6 eadem post 'plurimum'; deinde cum oratio hac re turbata esset, 'ceteris' interposito 'et' a superioribus uerbis separatum est. Neque enim antiqui librarii in forma orationis resarcienda sententiam curabant, ne formam quidem ultra proxima uerba. Et librariorum siue fraudem siue errorem hic uersatum esse sequentia probant, in quibus alterum 'quod', quod 'propinquitatem' sequitur, interpolatum esse omnes uiderunt.

C. 10 ex optimorum plurimorumque codd. consensu haec efficitur codicis archetypi scriptura: 'Mosa profluit ex monte Vosego, qui est in finibus Lingonum, et parte quadam ex Rheno recepta, quae appellatur Vacalus insulamque efficit Batauorum, in Oceanum influit neque longius ab Oceano milibus passuum LXXX in Rhenum influit'. Nam 'insulamquae' Bong. pr. et Voss. pr., 'insulaquae' Par. pr., 'insulaque' Par. sec. idem significare, quod in reliquis codd. legitur, 'insulamque', apertum est. Ea autem scriptura, quam supra posui, cur ferri non posset, satis est a Schneidero expositum. Nam neque idem flumen in Oceanum et aliquanto spatio antea in Rhenum influere potest, neque solus Vacalus, sed Vacalus Mosae coniunctus insulam Batauorum efficit. Itaque neque uerba 'in Oceanum influit' illo loco a Caesare poni potuisse et, cum illata essent, 'insulamque' adiecta particula copulatiua ad explendam orationem scriptum esse certum est. Igitur Schneiderus codicum quorundam deteriorum correctionem secutus extrema ita edidit: 'et parte quadam ex Rheno recepta, quae appellatur Vacalus, insulam efficit Batauorum neque longius ab Oceano milibus passuum LXXX in Rhenum influit': uerba autem 'in Oceanum influit' ascripta ab aliquo putat, qui Mosam non in Rhenum, sed in Oceanum influere sciret. Equidem Caesarem in hac re potuisse errare non negauerim, uerba autem eius redigi in eam formam, ut error ei affingatur, tum demum probari potest, cum correctio est certissima. Id uero nequaquam de ea scriptura credi potest, quam Schneiderus intulit. Etenim si Caesarem ita scripsisse statuimus: 'Mosa profluit ex monte Vosego, qui est in finibus Lingonum, et parte quadam ex Rheno recepta, quae apellatur Vacalus, insulam efficit Batauorum neque longius ab Rheno milibus passuum LXXX in Oceanum influit', neque Caesar errauit et, unde orta sit codicum scriptura, optime explicari potest. In extremis enim uerbis a librario, qui codicem archetypum scripsit, 'Rhenus' cum 'Oceano' permutatus est, ut, cum eo modo scribere deberet, quemadmodum posui, in hanc scripturam aberraret 'neque longius ab Oceano milibus passuum LXXX in Rhenum influit'. Deinde animaduerso errore in margine uerum posuit, 'in Oceanum influit', alteram erroris partem, quod antea 'ab Oceano' scripserat, aut ipse non notauit aut, cum item in margine ascripsisset 'ab Rheno', hoc ab insequente librario neglectum est, illa uerba 'in Oceanum influit' alieno loco posita sunt. Atque 'ab

Rheno' et 'in Oceanum' iam correxit, qui codicem Vindobonensem quartum scripsit, sed retentis superioribus uerbis 'in Oceanum influit': Aldus omnia ita, ut supra posui, edidit, nisi quod minus probabiliter non 'ab Rheno', sed 'ab eo' scripsit. Mihi uero ita, ut dixi, Caesarem re uera scripsisse persuasum est. Quod enim Schneiderus non intellegi putat, cur Mosa non longius milibus passuum LXXX ab Rheno in Oceanum influere dicatur, quod genus loquendi ibi locum habeat, ubi longius spatium expectasses, hic quoque ea expectatio erat. Nam ut duo magna flumina tam propinquo spatio in mare exirent, sane praeter expectationem accidebat.

Satis difficilia sunt, quae c. 22, 3 leguntur: 'Nauibus circiter LXXX onerariis coactis contractisque, quot satis esse ad duas transportandas legiones existimabat, quod praeterea nauium longarum habebat, quaestori, legatis praefectisque attribuit'. Codicum discrepantia hoc loco leuis est. Nam pro 'LXXX', qui numerus in codd. interpolatae familiae et quibusdam deterioribus legitur confirmaturque ab Orosio VI, 9, in reliquis scriptum est 'octingentis octoginta'. Deinde non 'quot satis' cett., sed ratione in inscriptionibus quoque peruagata 'quod' in optimis codd. scriptum est: numerale relatiuum necessario requiri postea uidebimus. Sed primum perperam octoginta naues onerariae coactae contractaeque dicuntur, duobus uerbis idem significantibus de una re positis. Neque id incommodum ita remouere licet, quemadmodum Schneidero uisum est, ut coactae naues intellegantur undique accitae et conuenire iussae, contractae, quae iam conuenerant. Hoc enim discrimen in illis uerbis non inest. Accedit altera difficultas eaque maior. C. enim 29, 2 haec leguntur: 'Ita uno tempore et longas naues, quibus Caesar exercitum transportandum curauerat quasque in aridum subduxerat, aestus compleuerat, et onerarias, quae ad ancoras erant deligatae, tempestas afflictabat'. Haec aperte iis, quae superiore loco leguntur, contraria sunt: solis enim onerariis ibi legiones transportatae esse dicuntur. Schneiderus autem miram quandam Caesaris consuetudinem excogitauit, qua eum, quod altero loco omiserat, altero supplesse existimat: de qua re disputare nihil attinet. Ex illa duplici difficultate euadendi unam rationem reperio, ut contractas naues non easdem dici statuamus, quae coactae erant, LXXX onerarias, sed naues generaliter, uerba autem 'quot satis esse ad duas transportandas legiones

existimabat' ad alterum tantum participium 'contractisque' referamus atque sic haec uerba enarremus: 'nauibus circiter LXXX onerariis coactis et tot nauibus contractis, quot satis esse ad duas transportandas legiones existimabat'. Hoc modo et onerariis et longis nauibus exercitus traductus dicitur, ut recte c. 29, 2 longae naues commemorari potuerint, quibus id factum esset. Deinde iam recte duo uerba similis significationis ponuntur, utpote de duabus rebus, quemadmodum hor. comm. II, 25, 1 scriptum est 'centurionibus occisis signiferoque interfecto'. 'Quot' autem in hac ratione necessarium esse apparet. Orosium et eadem hic atque nos legisse neque aliter haec, quam uulgo fit, intellexisse uerba eius (VI, 9) ostendunt: 'nauibus circiter onerariis atque actuariis octoginta praeparatis in Britanniam transuehitur', nisi quod actuarias, ut alia aliis locis, ipse adiecit.

C. 38, 2 ex codicibus interpolatae familiae adhuc ita editum est: 'Qui cum propter siccitates paludum, quo se reciperent, non haberent, quo perfugio superiore anno erant usi, omnes fere in potestatem Labieni peruenerunt'. Sed in tribus optimis codd. legitur 'quo superiore anno perfuerant usi', cuius scripturae in reliquis correctio temptata est, uelut in Egm. et Vrat. pr. omisso 'per', in aliis 'semper' inde effecto. Verum uidit Weissenbornius, qui in Bergkii et Caesaris ephem. a. 1845 p. 53 scribendum dixit 'quo superiore anno perfugio fuerant usi'. Apertum est enim in optimis codd. ab eadem syllaba ad alteram aberratum, in interpolatis autem et uerborum collocationem et formam plusquamperfecti ad peruagatiorem rationem mutata esse. Nam quod Schneiderus scriptum fuisse putat 'quo superiore anno perfugio erant usi', ita causa aberrandi non erat. Plusquamperfecta autem eius formae, cuius est 'fueram usus', non solum ad alterum plusquamperfectum, sed aeque recte ad imperfectum, perfectum, praesens historicum referuntur: id enim Schneiderum negare, ex iis exemplis, quae ascripsit, colligo; nam ipsius uerba me parum intellegere fateor. Cf. igitur Cic. pro Sulla 22, 63 'poenam ambitus auferebat, quae fuerat nuper superioribus legibus constituta', ad Att. II, 24, 3 'addidit ad extremum, cum iam dimissa contione reuocatus a Vatinio fuisset', ad Q. frat. II, 8, 2 'quod Idibus et postridie fuerat dictum de agro Campano actum iri, non est actum'; Sall. Iug. 52 'aduerso colle, sicuti praeceptum fuerat, euadunt', 59 'qui in proximo locati fuerant, paulisper territi perturbantur', 93 in.

'Marius anxius trahere cum animo suo, omitteretne inceptum, an fortunam opperiretur, qua saepe prospere usus fuerat', 109 'tum rex, uti praeceptum fuerat, post diem decimum redire iubet'. Item in absoluta sententia ponitur apud Cic. in Pison. 7, 15 'huic populo ita fuerat ante uos consules libertas insita' cett. Itaque recte dudum praecipitur hanc plusquamperfecti formam usu eandem uim atque alteram accepisse.

Lib. V, 9 haec in codd. leguntur: 'Caesar exposito exercitu et loco castris idoneo capto, ubi ex captiuis cognouit, quo in loco hostium copiae consedissent, cohortibus decem ad mare relictis et equitibus CCC, qui praesidio nauibus essent, de tertia uigilia ad hostes contendit, eo minus ueritus nauibus, quod in littore molli atque aperto deligatos ad ancoram relinquebat, et praesidio nauibus Quintum Atrium praefecit'. Verum extrema uerba non uno nomine mendosa sunt. Primum enim inepte Atrius praesidio nauibus praefectus esse dicitur, cum in uno homine nullum possit esse praesidium. Recte singularis homo praesidio, ut hoc utar, relictus esse uel restitisse dicitur, omnino, cum uerbum ita comparatum est, ut de militibus quoque poni possit. Tum enim duce commemorato copias cum eo fuisse sponte intellegimus. Praeficiendi autem uerbo milites excluduntur. Accedit alia res. Nam cum iam supra cohortes decem et equites trecentos ad mare relictos esse declaratum sit, ridicule deinde Atrius nauibus praesidio praefectus dicitur, quasi haec duo essent diuersa praesidiorum genera. Leue hic mendum est. Scribendum est enim: 'et praesidio nauibusque Quintum Atrium praefecit'. Praesidium est illud ipsum decem cohortium et equitum trecentorum. Eodem modo hor. comm. VI, 29, 4 scriptum est: 'ei loco praesidioque C. Volcatium Tullum adolescentem praefecit'.

C. 12 initium secundum codd. ita scribendum est: 'Britanniae pars interior ab iis incolitur, quos natos in insula ipsi memoria proditum dicunt, maritima pars ab iis, qui praedae ac belli inferendi causa ex Belgio transierunt (qui omnes fere iis nominibus ciuitatum appellantur, quibus orti ex ciuitatibus eo peruenerunt) et bello illato ibi permanserunt atque agros colere coeperunt'. Nam 'ipsi' non solum in integris et deterioribus codd. legitur, sed etiam in Haun. pr., in reliquis interpolatis est 'ipsa', ut editur. Ipsi Britanni hanc originem memoria proditam dicebant, quemad-

modum VI, 18, 1 Gallos se omnes a Dite patre prognatos praedicasse refertur. Deinde 'transierunt', quod Oudendorpius legi ait in 'mss. et edd. quibusdam', necessarium est ob inferius 'permanserunt'. Sed haec leuiora sunt. Quod autem pro 'Belgio' inde a Clarkio ex paucis deterioribus codd. editum est 'ex Belgis', is error paulo latius manauit. Cum enim hui. comm. c. 24, 2 haec legerentur: 'unam' [legionem] 'in Morinos ducendam C. Fabio legato dedit, alteram in Neruios Q. Ciceroni, tertiam in Esuuios L. Roscio, quartam in Remis cum T. Labieno in confinio Treuerorum hiemare iussit, tres in Belgis collocauit', mirum uisum est nominatis compluribus Belgarum populis Belgas ita commemorari, tamquam nihil illi populi ad eos pertinuissent. Itaque cum in edd. quibusdam et ex codicibus in Haun. pr. And. Ox. scriptum esset 'tres in Belgio collocauit', id probatum est atque ea opinio orta, ut Belgium certa aliqua pars eius terrae, quam Belgae incolerent, a Caesare dicta existimaretur. Neque occurebat, quanto esset mirabilius terrae nomine partem populi, qui eam terram habitaret, significari. Atque huic opinioni codicum auctoritas plane refragatur. Nam V, 12, quem locum initio posui, ubi Belgae uidebantur requiri, in codd. inuenimus Belgium, eiusd. lib. 24, 2, quem locum modo commemoraui, ubi Belgium ponendum arbitrabantur, in omnibus codd. praeter paucos interpolatos Belgas: VIII autem, 46, 3 et 49, 1 Belgium nullam habet certae partis significationem. Collatis uero iis, quae V, 24, 2 in codd. leguntur: 'tres in Belgis collocauit: his M. Crassum quaestorem et L. Munatium Plancum et C. Trebonium legatos praefecit' et eiusd. lib. 25, 4 'L. Plancum cum legione ex Belgio celeriter in Carnutes proficisci iubet' apparet Belgium, ut debet, plane eodem modo atque Belgas positum esse. Idem efficitur ex iis, quae VIII, 54, 4 scripta sunt: 'C. Trebonium cum legionibus IV in Belgio collocat, C. Fabium cum totidem in Haeduos deducit. Sic enim existimabat tutissimam fore Galliam, si Belgae, quorum maxima uirtus, et Haedui, quorum auctoritas summa esset, exercitibus continerentur'. Itaque cum Belgium totam Belgarum terram dici certum sit, V, 24, 2, ubi post certos Belgarum populos tamen Belgas commemorari uidimus, statuendum est Caesarem illos quoque populos in Belgarum numero esse significare aut superuacaneum duxisse aut neglexisse. Ceterum eo loco, unde disputatio orta est, dubito an scribendum sit: 'qui praedae ac belli inferendi causa ex Belgio trans-

ierunt — et bello sedato ibi permanserunt atque agros colere coeperunt'. Firmas enim sedes ponere Belgae et agros colere non illato, sed finito demum bello poterant. Ita II, 29, 4 de Aduatucis haec referuntur: Hi multos annos a finitimis exagitati, cum alias bellum inferrent alias illatum defenderent, consensu eorum omnium pace facta hunc sibi domicilio locum delegerunt'.

C. 15, 3 haec leguntur: 'At illi intermisso spatio imprudentibus nostris atque occupatis in munitione castrorum, subito se ex siluis eiecerunt impetuque in eos facto, qui erant in statione pro castris collocati, acriter pugnauerunt duabusque missis subsidio cohortibus a Caesare atque iis primis legionum duarum, cum hae perexiguo intermisso loci spatio inter se constitissent, nouo genere pugnae perterritis nostris per medios audacissime perruperunt seque inde incolumes receperunt'. Sed eius uocabuli, quod est spatium, propria uis est, ut de loco intellegatur. Itaque 'temporis spatium' et recte dici potest et saepe dicitur: potest enim id, quod in ipso spatii uocabulo, cum accurate dicitur, non inest, altero adiecto declarari; atque similiter Hirtius VIII, 31, 2 coniuncto utroque uerbo 'spatium ac tempus' posuit. 'Loci' autem 'spatium' tum demum recte dicitur, cum aut loci spatium discernitur a temporis spatio, aut, si solum spatium poneretur, obscura oratio esset, ut apud Lucret. II, 162 'multiplexque loci spatium transcurrere eodem tempore' et Caes. de b. ciu. III, 71, 3 'temporibus rerum et spatiis locorum'. Itaque dubitari non potest, quin eo loco, quem supra posui, genitiuus 'loci' explicandi causa ascriptus sit, nimirum ab eo, qui paulo ante uerba eadem 'intermisso spatio' de tempore posita uideret. Nam ipsi Caesari in re apertissima satisque multis uerbis interiectis id faciendum uideri non poterat.

C. 25, 3 Caesar Tasgetium, quem regem apud Carnutes constituerat, interfectum narrat. Ea uerba in integris codd. et deterioribus, ut uidetur, plerisque ita leguntur: 'Tertium iam hunc annum regnantem inimicis iam multis palam ex ciuitate et iis auctoribus eum interfecerunt'. Quorum uerborum haec est aperta sententia, Carnutes Tasgetium, qui tertium iam hunc, qui agebatur, annum regnabat, cum ei multi ex ciuitate palam inimici iique caedis auctores essent, interfecisse; neque in ea codicum scriptura quicquam praeter alterum 'iam' reprehendi potest. Id igitur delendum est, utpote errore a librario repetitum. Sed haec orationis forma magistro non satis elegans uisa est. Itaque in Haun. pr. et

Oxon. scriptum est: 'Tertium iam hunc annum regnantem inimici palam multis ex ciuitate auctoribus interfecerunt', idemque in Leid. pr., nisi quod alterum 'iam' seruatum uidetur; uerba 'et iis' et 'eum' etiam in Scal. omissa sunt. Quod autem Achaintrius primum Parisinum pronomine 'eum' carere ait, ex mea collatione eum secundum appellare debuisse certum est.

Paulo post, §. 5, in omnibus codd. scriptum est 'Interim ab omnibus legatis quaestoribusque, quibus legiones tradiderat, certior factus est in hiberna peruentum locumque hibernis esse munitum'. Hic cum id quaeritur, pluresne Caesar quaestores uno tempore habuerit, fieri potest, ut, cum tres prouincias obtineret, item tres quaestores ei fuerint attributi, quemadmodum in Sicilia, cum in duas prouincias diuisa esset, quamuis ab uno praetore obtineretur, duos quaestores fuisse ex Cic. in Verr. II, 4, 11 et 12 uidemus. Sed si singulae prouinciae suum quaeque quaestorem habuerunt, in Gallia ulteriore ad exercitum unus quaestor, reliqui in suis prouinciis fuisse uideri debent. Itaque apud Caesarem nusquam nisi hoc loco et huius libri c. 53, 6 plures quaestores commemorantur. Atque hic id facere Caesar uel ideo non poterat, quod capite superiore, ubi, quibus legiones in hiberna ducendas dedisset, exposuit, unum tantum quaestorem, M. Crassum, nominauerat. Nam quod ibi §. 3 in codd. scriptum est 'his M. Crassum Quintum et L. Munatium Plancum et C. Trebonium legatos praefecit', certum est 'Quintum' ex compendio, quo 'quaestor' notabatur, ortum esse. Recte igitur Ciacconius pro 'quaestoribus' ponendum dixit 'quaestore', quod se in duobus codd. nescio quibus inuenisse ait. Pluralis numerus hic in omnibus codd. eodem errore ortus est, quo IV, 22, 3 in interpolatis scriptum est 'quaestoribus, legatis praefectisque', cum adiunctorum uerborum numerus compendii male explicandi causam praeberet. Quamobrem ne altero quidem loco, hui. lib. 53, 6, dubitabimus, quin codd. scriptura 'ab L. Roscio quaestore, quem legioni tertiae decimae praefecerat, certior factus est' cett. ex compendio relatiui per errorem repetito nata sit, recteque Oudendorpius uocem 'quaestore' delendam iudicauerit. M. Crassus enim, ut modo monui, hoc anno quaestor Caesaris erat, qui etiam c. 46, 1 et VI, 6, 1 commemoratur.

C. 43 acerrima oppugnatio hibernorum Q. Ciceronis narratur, cum Galli ignibus coniectis casas Romanorum stramenticias

incendissent. Ibi §. 6 haec in codd. leguntur: 'Paulum quidem intermissa flamma et quodam loco turri adacta et contingente uallum tertiae cohortis centuriones ex eo, quo stabant, loco recesserunt suosque omnes remouerunt, nutu uocibusque hostes, si introire uellent, uocare coeperunt. Quorum progredi ausus est nemo. Tum ex omni parte lapidibus coniectis deturbati turrisque succensa est'. Sed Romanos succendisse turrim hostium nequaquam credi potest. Nam cum uenti maximi opportunitate usi Galli tota hiberna incendissent, turri, quae uallum contingebat, incensa apertum est ipsos Romanos incendium paulum intermissum redintegraturos atque aucturos fuisse, cum flammam ex turri et propinquitate loci et uenti magnitudine in castra perferri necesse esset. Scripsi igitur 'turrisque succisa est'. Etenim lapidibus coniectis et homines deturbabantur, et ipsa turris succidebatur. Idem mendum recte iam sublatum est IV, 19, 1, ubi in optimis plurimisque codd. legitur 'omnibus uicis aedificiisque incensis frumentisque succensis'.

C. 49, 1 edebatur 'Galli re cognita per exploratores obsidionem relinquunt, ad Caesarem omnibus copiis contendunt. Eae erant armatorum circiter milia sexaginta'. Verum in optimis utriusque familiae codd., item deterioribus quibusdam legitur 'armatae'. Atque id quidem ipsum ferri non potest (significaret enim milia LX copiarum Gallos habuisse, quod ineptum est), sed scribendum erat 'hae erant armata circiter milia sexaginta', quemadmodum Caesar dixit hor. comm. II, 4, 5 'hos posse conficere armata milia centum' et ibid. §. 8 'polliceri milia armata quinquaginta', ne plura ascribam. 'Hae' autem et 'haec' Oudendorpius legi ait in codd. quibusdam: illud, quod posui, est in Par. pr. Voss. pr. Egm. Haun. pr., 'haec' in Bong. pr. Sed ad 'milia' pronominis forma accommodari non potest, cum non indefinite ponatur (quod cum fit, nos neutrum ponimus, Latini attractionis figura utuntur), sed ad certum uocabulum in superioribus uerbis positum pertineat. Haec enim sententia requiritur: hae copiae constabant armatis milibus LX. Hic etiam illud accedit, quod, si 'haec' scriptum fuisset, unde 'armatae' ortum esset, non intellegeretur.

C. 58, 4 secundum codd. ita scribendum est: 'Subito Labienus duabus portis omnem equitatum emittit, praecipit atque interdicit, proterritis hostibus atque in fugam coniectis (quod fore, sic-

ut accidit, uidebat) unum omnes peterent Induciomarum, neu quis quem prius uulneret, quam illum interfectum uiderit'. Nam 'petant' in interpolatis tantum inuentum est: in reliquis legitur 'peterent'. Contra 'uulneret' annotatur ex Bong. pr. Voss. pr. Egm. Leid. pr. Scal. Haun. pr. Oxon. plerisque deteriorum, et secundum Beverlii silentium etiam in Par. pr. legitur. 'Viderit' autem auctoritate Bong. pr. et Par. pr. (hic quoque de eo meae collationis silentio confido) coniuncta cum Scal. Oxon. compluribusque deteriorum tutum uidetur: in reliquis et Haun. pr. est 'uideret'. Tempora in aptis enuntiationibus, cum per se plura recte poni possunt, a scriptoribus uariata esse complura exempla sunt. Ita Caesar de b. Gall. VII, 17, 3 scripsit 'summa difficultate rei frumentariae affecto exercitu usque eo, ut complures dies milites frumento caruerint et pecore extremam famem sustentarent', et secundum primam manum codicis Vaticani Cicero Phil. I, 15, 36 'qui ludis suis ita caruit, ut in illo apparatissimo spectaculo studium populus Romanus tribuerit absenti, desiderium liberatoris sui perpetuo plausu leniret'. Sed his duobus locis ipsi scriptores uideri possunt aliquod discrimen significare uoluisse, ut altera res in uniuersum facta indicaretur, altera ad certum tempus astringeretur. Alii loci hanc excusationem habent, quod diuersa tempora alia ad aliud uerbum referuntur aut in aliis enuntiatis ponuntur, ut haec apud Caes. b. Gall. I, 7, 3 'legatos ad eum mittunt, qui dicerent sibi esse in animo sine ullo maleficio iter per prouinciam facere, propterea quod aliud iter haberent nullum: rogare, ut eius uoluntate id sibi facere liceat', VI, 9, 4 'legatos mittunt, qui doceant neque auxilia ex sua ciuitate in Treueros missa neque ab se fidem laesam: petunt atque orant, ut sibi parcat, ne communi odio Germanorum innocentes pro nocentibus poenas pendant: si amplius obsidum uellet, dare pollicentur': nam 'uelit' in interpolatis tantum codd. legitur; VII, 20, 7 'imperium se ab Caesare per proditionem nullum desiderare, quod habere uictoria posset, quae iam esset sibi atque omnibus Gallis explorata: quin etiam ipsis remittere, si sibi magis honorem tribuere, quam ab se salutem accipere uideantur'; b. ciu. I, 26, 3 'mandat, ut Libonem de concilianda pace hortetur, inprimis, ut ipse cum Pompeio colloqueretur, postulat'; Liu. XXII, 18 'prope precibus agens cum magistro equitum, ut plus consilio quam fortunae confidat et se potius ducem quam Sempronium Flaminiumque imitetur:

ne nihil actum censeret' cett. At ea, quae initio huius disputationis ex codd. posui, soli neglegentiae scriptoris tribui possunt, similique in causa haec sunt: Caes. b. Gall. VII, 86, 2 'imperat, si sustinere non possit, deductis cohortibus eruptione pugnaret: id nisi necessario ne faciat', VIII, 34, 4 'quam ob causam C. Caninius toto oppido munitiones circumdare moratur, ne aut opus effectum tueri non posset aut pluribus in locis infirma disponat praesidia' (nam Caesaris loco 'pugnet' et Hirtii 'possit' in interpolatis tantum codd. leguntur); Cic. pro Mur. 41, 89 'quanta autem perturbatio fortunae atque sermonis, quod, quibus in locis paucis ante diebus factum esse consulem Murenam nuntii litteraeque celebrassent et unde hospites atque amici gratulatum Romam concurrerint, eo accedat ipse nuntius suae calamitatis'; Liu. XXI, 30 extr. 'proinde aut cederent animo atque uirtute genti per eos dies totiens ab se uictae, aut itineris finem sperent campum interiacentem Tiberi ac moenibus Romanis' et XXXIII, 6 'eos frumenti sibi centum milia imperasse: quod, quamquam sterilem terram arent ipsosque etiam agrestes peregrino frumento alerent, tamen, ne dessent officio, confecisse'; Vitruu. II, 1, 6 'cum ergo haec ita fuerint primo constituta, et natura non solum sensibus ornauisset gentes, sed etiam cogitationibus et consiliis armauisset mentes et subiecisset cetera animalia sub potestate, tum uero e fabricationibus aedificiorum gradatim progressi ad ceteras artes et disciplinas e fera agrestique uita ad mansuetam perduxerunt humanitatem' et c. 2, 2 'ex his ergo congruentibus cum res omnes coire nascique uideantur et eae in infinitis generibus rerum natura essent disparatae, putaui oportere de uarietatibus et discriminibus usus earum exponere'. Haec non omnia librariorum ludibria existimanda esse demonstrant uersus Vergilii Aen. I, 297 'haec ait et Maiae genitum demittit ab alto, ut terrae utque nouae pateant Carthaginis arces hospitio Teucris: ne fati nescia Dido finibus arceret'. Verumtamen quae ex Hirt. VIII, 34, 4 posui, tam incerta sunt, ut ibi 'possit' ponere equidem non dubitarim: 'possit' enim et 'posset' adeo fere semper in optimis codd. permutantur, ut eorum nulla in hac re auctoritas sit; item apud Liu. XXXIII, 6 'ararent' et apud Ciceronem pro Mur. 41, 89 'concurrerent' propter erroris facilitatem praeferenda arbitror. Reliqua mouenda non sunt. Sed apud Caes. b. Gall. VII, 86, 2 ponendum est 'si sustinere non posset'. Omnibus enim locis, quibus

secundum codd. forma aptae aut interpositae enuntiationis primariae non respondet, res in permutatione illa peruagata coniunctiuorum ‘possit’ et ‘posset’ uertitur. Vid. b. Gall. I, 8, 2. V, 11, 4. 46, 4. VII, 2, 2. 71, 3. Nam quae b. Gall. VII, 15, 4 leguntur ‘procumbunt omnibus Gallis ad pedes Bituriges, ne pulcherrimam prope totius Galliae urbem, quae et praesidio et ornamento sit ciuitati, suis manibus succendere cogerentur: facile se loci natura defensuros dicunt, quod prope ex omnibus partibus flumine et palude circumdata, unum habeat et perangustum aditum’, item quae ex optimis codd. restitui VII, 61 extr. ‘parua manu missa, quae tantum progrediatur, quantum naues processissent’, et c. 66 extr. ‘sanctissimo iureiurando confirmari oportere, ne tecto recipiatur, ne ad liberos, ne ad parentes, ad uxorem aditum habeat, qui non bis per agmen hostium perequitasset’, et 66, 4 ‘proinde agmine impeditos adorirentur. Si pedites suis auxilium ferant atque in eo morentur, iter facere non posse’ cett., haec igitur rectissime dicuntur. Nam coniunctiuus et futurum exactum et imperatiuus directae orationis in obliqua oratione, cum accurate dicitur, in coniunctiuum imperfecti et plusquamperfecti transeunt. VII tamen, 19, 5 retinui scripturam interpolatorum codd. ‘quos cum sic animo paratos uideat, ut nullum pro sua laude periculum recusent, summae se iniquitatis condemnari debere, nisi eorum uitam sua salute habeat cariorem’. Nam si ‘uideret’ probamus, quod in reliquis codd. legitur, etiam ‘recusarent’ scribendum est, quam correctionem unus Bong. pr. adiuuat, in quo est ‘recusasent’.

Lib. VI, 11, 2 in his uerbis: ‘In Gallia non solum in omnibus ciuitatibus atque in omnibus pagis partibusque, sed paene etiam singulis domibus factiones sunt’ Dauisio ‘partibusque’ tollendum uisum est, quod partes ciuitatium Caesari pagi dicerentur. Quae sane ratio nulla est, cum ciuitates non solum in pagos, sed etiam in alias partes diuisae esse potuerint. Sed quod Clarkius ‘pagos partesque’ eadem sententia dici existimabat atque ‘pagos partesque pagorum’, forma orationis nullas alias nisi Galliae partes intellegi patitur. Atqui ciuitates, pagi, domus species sunt partium Galliae. Itaque uitium in eo positum est, quod partes cum his orationis forma exaequantur, atque ita genus tamquam species generis ponitur. Atque hac de causa Dauisio assentiendum est. Quod hic in codice archetypo factum est, idem I, 12, 4 in inter-

polatis accidit. Ibi enim in his uerbis: 'nam omnis ciuitas Heluetia in quattuor pagos diuisa est' in Par. sec. et Leid. pr. est 'partes uel pagos', in Voss. pr., sed sine dubio a secunda manu, 'partes' pro 'pagis' positae sunt.

C. 13, 9 restitui integrorum codd. scripturam 'His autem omnibus druidibus praeest unus, qui summam inter eos habet auctoritatem. Hoc mortuo aut, si qui ex reliquis excellit dignitate, succedit, aut, si sunt plures pares, suffragio druidum, nonnumquam etiam armis de principatu contendunt'. Quae uerba a nullo intellecta esse miror. Nam qui declarare uoluerunt, ad uerba 'suffragio druidum' suppleri iubent 'succedunt' neque animaduertunt, quam inepte plures succedere dicerentur, cum unum praeesse relatum esset. Ex ipsa orationis conformatione apparet 'contendunt' intellegendum esse. Suffragio enim druidum eodem modo atque armis contendebant, ut is, qui suffragiorum numero superasset, praeficeretur. Qui codicem interpolatorum principem recensuit, non magis haec perspexerat. Itaque et reliqua paulum immutauit et post uerba 'suffragio druidum' adiecit 'adlegitur'. Debebat certe 'deligitur', ut et Oudendorpius monuit, et is intellexit, qui id uerbum in Bong. pr. suprascripsit.

C. 26, 1 sic edebatur: 'Est bos cerui figura, cuius a media fronte inter aures unum cornu existit excelsius magisque directum iis, quae nobis nota sunt, cornibus. Ab eius summo sicut palmae rami quam late diffunduntur'. Et 'rami quam late' ex interpolatis codd. Oudendorpio scribendum uisum est. Secuti sunt reliqui, quamuis nemo, quae diceretur palma, intellexisse uideatur. De arbore enim, quae illo nomine appellatur, cogitasse arbitror. Quam si Caesar significasset, cornu illud, a quo rami diffunderentur, non palmae, sed stipiti palmae assimulauisset. Palmae dicuntur in arboribus nodi, unde rami prodeunt, quod cum prima ramorum parte, quasi digitis, dilatatae manus speciem praebent. Exempla huius uocabuli usus notauit Forcellinius ex Varrone, Columella, Plinio, quibus hoc Liuii addi potest XXXIII, 5 'quae cuiusque stipitis palma sit'. Iam si ita scribitur, ut supra posui, Caesar a summo cornus sicut a summo palmae ramos diffundi dicet. Quod non recte fit: non enim summum cornu summae palmae, sed toti palmae comparandum erat, cum inferior pars cornus stipiti similis esset. Sed, ut dixi, interpolatorum codd. ea scriptura est. In reliquis omnibus recte scriptum est 'Ab eius summo

sicut palmae ramique late diffunduntur'. Notum est dicendi genus, quo proprio uocabulo omisso figuratum, cui illud comparatur, substituitur: in qua re etsi particulae 'tamquam' et 'quasi' saepius ponuntur, tamen 'sicut' legitur etiam apud Cic. de inuent. II, 3, 8 'ex his duabus diuersis sicuti familiis'. Ab summo igitur cornu, quod stipitis locum obtinet, quasi palmae ramique diffundi dicuntur. Nam et plures palmae sunt, cum ii rami, qui a stipite nascuntur, rursus alios ramos emittant, et palmae non quidem ipsae per se, sed cum ramis coniunctae late diffunduntur.

C. 43, 4 in codd. haec scripta sunt: 'Ac saepe in eum locum uentum est tanto in omnes partes diuiso equitatu, ut non modo uisum ab se Ambiorigem in fuga circumspicerent captiui nec plane etiam abisse ex conspectu contenderent', cett. Hic 'non modo' ab eo positum esse apparet, qui responsurum his aliquid in sequentibus uerbis existimaret neque, quomodo solum 'modo' diceretur, intellegeret. Itaque 'non' recte in And. et Oxon. sublatum est. Sed cur omnes Vascosanum secuti 'circumspicerent' deleuerint, idoneam causam non reperio. Captiui enim Ambiorigem, quem modo uidissent, subito e conspectu ablatum toto circuitu circumlatis oculis quaerebant mirabundi, quo peruenisset, neque abire potuisse sibi ipsi credentes: et hercule etiamnum se eum uidere longinquo aliquo loco contendebant. Atque eodem modo circumspicere aliquid, ut circumspiciendo quaeri aliquid significaret, quod nos dicimus 'sich nach etwas umsehn', Caesar dixit hor. comm. VI, 5, 3 'reliqua eius consilia animo circumspiciebat': neque enim Caesar Ambiorigis consilia tenebat et perpendebat, sed, quae esse possent, anquirebat. Quae uerba ut alia aliorum scriptorum alieno loco a Forcellinio collocata sunt. Eadem significatione, atque apud Caesarem ostendi, uerbum illud positum est a Cic. pro Quint. 31, 96. de leg. agr. I, 8, 23; Sall. in orat. Philippi p. 220 et Cottae p. 246 ed. Gerl.; Verg. Aen. XII, 896; Ouid. Metam. V, 71; Sen. epist. III, 1 (22), 2; Tac. ann. XIV, 35; Iustin. II, 12, 26. XXXI, 1, 8.

Lib. VII, 3 haec leguntur: 'Vbi ea dies uenit, Carnutes Cotuato et Conetodunno ducibus, desperatis hominibus, Genabum signo dato concurrunt'. Hirtius VIII, 38, 3 ita, ut ad hunc Caesaris locum respiciat (sic enim scribit: 'Cum in Carnutes uenisset, quorum in ciuitate superiore commentario Caesar exposuit

initium belli esse ortum'), 'principem sceleris illius et concitatorem belli Gutruatum' ad supplicium Caesarem depoposcisse refert: idemque nomen iterum paulo post scriptum est. Non poterat autem fieri, ut aut Hirtius in nomine hominis erraret, aut Caesar eum, qui concitator belli et auctor fuisset, taceret. Et etiamsi hoc concederemus et sic statuere uellemus, Gutruatum quidem auctorem rebellionis fuisse, Cotuatum autem et Conetodunnum primos arma cepisse, ne hoc quidem Hirtii uerba patiuntur, qui Gutruatum principem sceleris illius appellat. Itaque recte Ciacconius et Vossius uidentur statuisse Cotuatum et Gutruatum eundem hominem esse nomenque altero utro loco a librariis esse corruptum. Atque mihi et plenior nominis forma et, quod apud Hirtium bis legitur, persuadet nomen ei homini fuisse Gutruato. Quod autem Conetodunnus ab Hirtio non commemoratur, facilem habet explicationem, ut eum aut in bello occidisse aut fuga elapsum esse statuamus.

C. 4, 2 restitui codicum scripturam 'Cognito eius consilio ad arma concurritur. Prohibetur ab Gobannitione, patruo suo, reliquisque principibus, qui hanc temptandam fortunam non existimabant, expellitur ex oppido Gergouia'. Verbum 'prohibetur' Aldus eiecit codicem secutus Andini et Oxoniensis similem, in quibus non legitur. Recte Dauisius reduxerat. Nam quod Oudendorpio ideo delendum uisum est, quod prohiberi aliquis a Caesare non diceretur nisi adiecta re, a qua prohibitus esset, his locis redarguitur: b. Gall. I, 6, 1. III, 6, 3. V, 9, 3. b. ciu. I, 66 extr. III, 23 extr. 25, 2.

C. 12 in. in integris codd. haec leguntur: 'Vercingetorix, ubi de Caesaris aduentu cognouit, oppugnatione destitit atque obuiam Caesari proficiscitur. Ille oppidum oppugnare instituerat'. Sed haec manca esse ex iis apparet, quae initio c. 14 scripta sunt: 'Vercingetorix tot continuis incommodis Vellaunoduni, Genabi, Nouioduni acceptis'. Nam Nouiodunum et secundum haec necesse erat antea commemorari neque poterat alio loco nisi eo, quem supra posui. Atque ibi lacuna integrorum codd. ex interpolatis sic expletur: 'Ille oppidum Biturigum positum in uia Nouiodunum oppugnare instituerat', quae si a Caesare scripta credimus, causa, cur in integris codd. aberratum sit, apparet. Verum Oudendorpius, cum c. 55 hui. libri haec legerentur: 'Nouiodunum erat oppidum Haeduorum ad ripas Ligeris opportuno loco posi-

tum', neque, quin c. 12 idem oppidum significaretur, dubitare sinerent extrema uerba superioris capitis 'exercitum Ligerem traducit atque in Biturigum fines peruenit', eo descendit, ut reliqua, quae in integris codd. non leguntur, omitteret, ex editione incerta et uno deteriore codice, quem errore Louaniensem tertium pro Leidensi tertio appellat, 'Nouiodunum' post 'oppidum' adiceret idque oppidum Haeduorum fuisse in finibus Biturigum positum arbitraretur. Sed qui fiebat, ut Caesar Haeduorum oppidum oppugnaret, qui, cum haec gererentur, in amicitia Romanorum perseuerabant? Recte Nouiodunum et c. 12 oppidum Biturigum et c. 55 Haeduorum dicitur. Bituriges enim in fide Haeduorum fuerant et ab iis desciuerant seque cum Vercingetorige coniunxerant (c. 5). Sed expugnatis eorum oppidis Nouioduno, id quod hoc ipso c. 12 et 13 narratur, et Auarico (c. 28) eos sub potestatem Haeduorum redisse apertum est. Itaque hoc loco de ueritate eorum, quae in interpolatis codd. scripta sunt, dubitandum non erat.

C. 14, 5 in oratione Vercingetorigis haec scripta sunt: 'Praeterea salutis causa rei familiaris commoda neglegenda: uicos atque aedificia incendi oportere hoc spatio a Boia quoque uersus, quo pabulandi causa adire posse uideantur'. Disputant interpretes, utrum Boia recte dicatur, an 'a Boiis' dicendum fuerit, neque uident Boios omnino hic commemorari non potuisse. Vercingetorix enim, cum oppidum Boiorum oppugnaret, cognito Caesaris aduentu relicta oppugnatione obuiam ei profectus ad Nouiodunum, Biturigum oppidum, Caesarem consecutus erat. Ibi fuso equitatu Vercingetorigis et recepto Nouioduno Caesar Auaricum, quod ipsum quoque Biturigum oppidum erat, castra mouerat. Haec narrantur c. 12 et 13. Deinde habita illa oratione a Vercingetorige, ex qua supra quaedam posui, Biturigum oppida a Gallis incensa esse et, cum Auaricum conseruari placuisset, eo Vercingetorigem Romanos secutum esse c. 15 et 16 refertur. Ex his rebus apparet, cum illa oratio haberetur, et Romanos et Gallos in Biturigum finibus fuisse, neque Vercingetorigem suadere potuisse, ut a Boia quoque uersus uici aedificiaque incenderentur. Neque omnino certa aliqua regio nominari potuit. Nam ea est illius consilii ratio, ut, ubicumque Romani essent, omnia in circuitu incenderentur, ne pabulari Caesar posset. Itaque generalis sententia requiritur. Id ii assecuti sunt, qui pro illis 'a Boia' scribendum putauerunt 'ab hoste', ut Ciacconius et Vrsinus, aut 'ab Romanis', quod

Vkerto Gall. p. 323 faciendum uisum est. Sed neutra coniectura ullam habet probabilitatem. Sequendus est igitur Scaliger, qui uerba 'a Boia' spuria esse iudicauit. Ascripta sunt ab eo, qui certi alicuius loci significationem requiri et, cum supra c. 9, 6 Boiorum oppidum a Vercingetorige oppugnatum esse legisset, etiam hoc tempore Gallos ibi commoratos esse arbitraretur.

C. 18 Caesar, cum Vercingetorigem, ut pabulatoribus insidiaretur, a castris discessisse comperisset, ad opprimendos Gallos in castris relictos sese profectum esse refert. 'Illi', inquit, 'celeriter per exploratores aduentu Caesaris cognito carros impedimentaque sua in artiores siluas abdiderunt, copias omnes in loco edito atque aperto instruxerunt'. Deinde c. 19, 1 ille locus accuratius sic describitur: 'Collis erat leniter ab infimo accliuis. Hunc ex omnibus fere partibus palus difficilis atque impedita cingebat, non latior pedibus quinquaginta. Hoc se colle interruptis pontibus Galli fiducia loci continebant generatimque distributi in ciuitates omnia uada ac saltus eius paludis obtinebant, sic animo parati, ut, si eam paludem Romani perrumpere conarentur, haesitantes premerent ex loco superiore'. In qua palude quemadmodum saltus commemorari potuerint, nulla ratione neque intellegi neque explicari potest. Nam et paludem planam atque demissam fuisse necesse est, et qui fieri potuit, ut in tam exiguo spatio, cum palus non esset latior pedibus quinquaginta, non unus, sed plures saltus essent? Nam is quidem, qui hic 'waldige engpässe dieses sumpfes' interpretatur et saltus Thermopylarum ex Liu. XXXVI, 15 comparat, ueritus uidetur, ne ridendi materia hominibus deesset. Ego, quod Caesar scribere potuerit, unum inuenio: 'omnia uada ac transitus eius paludis', ut Hirtius VIII, 13, 1 dixit 'uada transitusque paludis', quamquam a litterarum similitudine nullam eius coniecturae commendationem esse uideo. Sed ne 'uada' quidem 'atque aditus', quod paulo propius accedere uideri potest, recte dicerentur, cum non aditus paludis a Gallis obtinerentur, sed potius, ut ita dicam, exitus: in altera enim parte in colle collocati haesitantes in palude Romanos premere uolebant.

C. 20, 2 oratio, qua Vercingetorix proditionis a suis insimulatus se defendit, his uerbis incipit: 'Quod castra mouisset, factum inopia pabuli etiam ipsis hortantibus, quod propius Romanos accessisset, persuasum loci opportunitate, qui se ipsum munitione defenderet'. Hic unum uitium aperuit Apitzius, quod ante

cum uiderat Th. Bentleius, necessario dicendum fuisse 'qui se ipse defenderet'. Sed ne 'munitione' quidem ille locus se defendere poterat. Nam neque supra ulla munitio commemorata est (est autem idem locus, cuius descriptionem paulo ante posui), neque Galli eo tempore omnino castra muniebant. Postea enim demum, Auarico a Caesare capto, suasu Vercingetorigis id facere instituerunt, quae res c. 29 extr. et 30, 4 ut ualde memorabilis refertur. Si quis autem locum non manu, sed palude munitum significari existimabit, id dicendum erat 'naturali munitione' uel similiter aliqua re adiecta. Bentleius coniecit 'qui se ipse sine munitione defenderet'. Atque eiusmodi plura excogitari possunt, quae tamen, cum non magis quam Bentleii coniectura placeant, tacere melius existimo. Certam emendationem non reperio.

C. 21, 2 haec in integris codd. leguntur: 'Statuunt, ut decem milia hominum delecta ex omnibus copiis in oppidum mittantur, nec solis Biturigibus communem salutem committendam censent, quod penes eos, si id oppidum retinuissent, summam uictoriae constare intellegebant', nisi quod pro illis 'ex omnibus copiis', ut est in interpolatis, errore scriptum habent 'ex omnibus locis'. Sed uerba 'penes eos', si de Biturigibus intelleguntur, peruersam sententiam nasci apertum est, quasi ideo subsidium Galli in oppidum misissent, ne laus uictoriae ad solos Bituriges perueniret, quod eos communis salutis causa fecisse paulo ante declaratur. Et ne id quidem recte fit, ut summa uictoriae constare dicatur penes aliquem, quae aut stare penes Gallos hoc est in eorum potestate esse aut constare Gallis, qua re certa iis esse significaretur, dicenda erat. Nihil igitur lucramur eorum sententia, qui uerbis 'penes eos' omnes Gallos designari existimauerunt, etiamsi ita dici potuisse concederemus, quod fieri non posse supra p. 62 monui. Itaque cum corrupta esse illa uerba confitendum sit, recte Clarkio recipienda uisa sunt, quae in And. et Oxon. leguntur: 'quod paene in eo, si id oppidum retinuissent, summam uictoriae constare intellegebant'. Qua emendatione neque facilior neque aptior inueniri potest.

C. 28, 4 in omnibus codd. praeter interpolatos ita scriptum est: 'Sic et Genabi caede et labore operis incitati non aetate confectis, non mulieribus, non infantibus pepercerunt'; in interpolatis 'Genabensi caede' legitur, quod ab omnibus seruatum est. Et profecto, si genitiuus esset is, quo locus significatur, dure ponere-

tur, participiumque aliquod, uelut 'caede Genabi facta', desideraretur. Sed genitiuus 'Genabi' non alia ratione aptus est a 'caede', quam 'operis' a 'labore', et 'caedes Genabi' ea sententia ponitur, qua nos dicimus 'das blutbad uon Genabum', ita ut genitiui eadem uis sit atque adiectiui 'Genabensis'. Eandem rationem haec habent: Caes. b. Gall. V, 54, 4 'Gallici belli officia', b. ciu. I, 4, 5 'iter Asiae Syriaeque', II, 32, 13 'Corfiniensis ignominia, Italiae fuga, Hispaniarum deditio, Africi belli praeiudicia', Hirt. VIII praef. §. 2 'commentarii rerum gestarum Galliae', c. 48, 10 'quod insequens annus nullas habet magnopere Galliae res gestas', b. Alex. 42, 4 'fuga Pharsalici proelii', Cic. Verr. V, 6, 14 'bellum Italiae fugitiuorum', quod c. 15, 39 dicitur 'Italicum fugitiuorum bellum', pro Sext. 50, 106 'ludorum gladiatorumque consessus', quos 54, 115 'gladiatorios consessus' appellat, pro Flacco p. 81 Orell. 'Hispaniae, Galliae, Ciliciae, Cretae uitia et flagitia', pro Plancio 9, 24 'officia quaesturae tribunatusque', Phil. I, 15, 26 'Apollinarium ludorum plausus', VII, 5, 15 'scelera urbani consulatus', epist. ad Q. fratr. I, 1, 25 'Mysiae latrocinia', orat. 31, 111 'oratio falsae legationis', Sall. Iug. 33 'Romae Numidiaeque facinora', Tac. ann. XIV, 9 'uia Miseni'.

C. 30, 4 haec in codd. leguntur: 'Simul in spem ueniebant eius affirmatione de reliquis adiungendis ciuitatibus, primumque eo tempore Galli castra munire instituerunt et sic sunt animo consternati, homines insueti laboris, ut omnia, quae imperarentur, sibi patienda existimarent'. Non negauerim equidem consternatione quadam animi fieri posse, ut aliquis omnes labores ab altero iniunctos patienter perferat; uerum oratio Vercingetorigis, qua haec, quae supra excripsi, effecta sunt, non solum nihil, quo consternarentur Galli, afferebat, sed ita comparata erat, ut animos eorum expugnatione Auarici perterritos erigeret atque excitaret. Itaque posui 'et sic sunt animo confirmati'.

C. 34, 1 edidi 'Hoc decreto interposito cohortatus Haeduos, ut controuersiarum ac dissensionis obliuiscerentur atque omnibus omissis rebus huic bello seruirent' cett. Oudendorpius ex codd. 'omnibus omissis his rebus' restituerat has res controuersias et dissensionem dici monens. Id ne Beroaldum quidem, cum primus pronomen deleret, fugisse arbitror, sed uidebat, ni fallor, ea ratione eandem rem sine causā bis inculcari. Contra 'omnibus omissis rebus' ad summum studium significandum aptissimum est.

Compositis Haeduorum controuersiis Caesar partitis cum T. Labieno copiis ipse cum VI legionibus ad oppidum Gergouiam secundum flumen Elauer profectus est. 'Qua re cognita', inquit c. 34 extr., 'Vercingetorix omnibus interruptis eius fluminis pontibus ab altera fluminis parte iter facere coepit'. Ita enim in integris codd. haec leguntur: in interpolatis pro altero 'fluminis' positum est 'Elaueris', cum repetitio eiusdem uocabuli displiceret. Deinde initium c. 35 item ex integris codd. ita constitui: 'Cum uterque utrimque exisset exercitus, in conspectu fereque e regione castris castra ponebant. Dispositis exploratoribus, necubi effecto ponte Romani copias traducerent, erat in magnis Caesaris difficultatibus res, ne maiorem aestatis partem flumine impediretur, quod non fere ante autumnum Elauer uado transiri solet'. Ita oratione distincta omnia optime habent. Cum enim Caesar in altera Elaueris parte esset, in altera Vercingetorix, eodem tempore uterque utrimque exibat itemque cotidie castra in conspectu fereque e regione ponebant. Nam Vercingetorix, ne Caesarem transire flumen pateretur, ex conspectu eum non dimittebat. In interpolatis codd. uerba 'in conspectu' superioribus coniuncta sunt et haec ita conformata: 'cum uterque utrique esset exercitui in conspectu', quemadmodum legitur in Par. sec. et Haun. pr. (idemque significat corruptela Leid. pr. 'exercitum conspectus'), uel, ut editur: 'cum uterque utrique esset exercitus in conspectu', quae in Scal. Cui. And. Oxon. scripta esse dicuntur. Tum necessario 'ponebant' mutatum est in 'ponerent' uel 'poneret'. Verba autem 'dispositis exploratoribus — traducerent' sequentibus coniunxi, quia hoc modo exploratores a Vercingetorige dispositos esse per se intellegitur; si superioribus adicerentur, et Caesarem et Vercingetorigem id fecisse intellegendum esset, quod propter uerba 'necubi effecto ponte Romani copias traducerent' ineptum est.

Excipiunt haec: 'Itaque, ne id accideret, siluestri loco castris positis e regione unius eorum pontium, quos Vercingetorix rescindendos curauerat, postero die cum duabus legionibus in occulto restitit, reliquas copias cum omnibus impedimentis, ut consuerat, misit captis quibusdam cohortibus, uti numerus legionum constare uideretur'. Verba 'captis quibusdam cohortibus' corrupta esse omnes consentiunt. Quid Caesar significare uoluerit, apertum est. Nam cum ex sex legionibus, quas habebat (34, 2), duas retinuisset, quattuor reliquae ita ordinari debebant, ut sex legio-

num speciem praeberent. Iam cum in unaquaque legione essent manipuli triginta, in cohorte tres, ex quattuor legionibus siue centum et uiginti manipulis uno modo sex legiones effici poterant, ut singulis legionibus pro tricenis manipulis uiceni tribuerentur. Hoc autem ita fiebat aptissime, ut singulis cohortibus singuli manipuli detraherentur: ita enim cohortium quoque numerus constabat. Itaque Caesarem ita scripsisse arbitror: 'cum duabus legionibus in occulto restitit, reliquas copias cum omnibus impedimentis, ut consuerat, misit ma*ni*plis *sin*gulis dem*ptis* cohortibus, uti numerus legionum constare uideretur': ea autem, quae in codicibus leguntur, 'captis quibusdam cohortibus' ita ex illis 'ma*ni*plis *sin*gulis dem*ptis* cohortibus' orta existimo, ut extritis syllabis, quas diuerso litterarum genere expressi, reliquae in formam quandam orationis corrumperentur. 'Captis' autem 'quibusdam cohortibus' in omnibus codicibus scriptum est praeter Leid. tert. Doru. Duk., in quibus est 'demptis quibusdam cohortibus', et And. et Oxon., in quibus 'captis quartis quibusque' (in Oxon. 'quidem') 'cohortibus' legitur: 'quartis' etiam in Leid. sec. scriptum est. Hos pessimos et nullius auctoritatis codices secuti plerique 'demptis' aut 'captis quartis quibusque cohortibus' ediderunt: quibus enarrandis Feldbauschius (in ephem. scholast. a. 1830 II, 13) operam perdidit.

C. 46, 1 haec eduntur: 'Oppidi murus ab planitie atque initio ascensus recta regione, si nullus amfractus intercederet, MCC passus aberat. Quidquid huic circuitus ad molliendum cliuum accesserat, id spatium itineris augebat'. In his uerbis nullum est uocabulum, quo pronomen 'huic' referri possit. Sententia enim haec est. Si recta regione aduerso colle ad oppidum proficisci licuisset, spatium itineris MCC passus fuisset. Sed collis nimis erat arduus, quo minus id fieri posset. Itaque ut molliore accliuitate iretur, primum obliquo colle sinistrorsum proficiscendum erat (nam a dextra parte Haedui mittebantur, c. 45 extr.) et deinde flexo in alteram partem itinere ad oppidum perueniendum. Igitur quod Morus 'huic' ad ascensum referri ait, collis (is autem hic dicitur ascensus) neque breuiore itinere minuebatur neque longiore augebatur, sed idem, atque erat, manebat. Atque ut omnino circuitus colli accedere dici possit, hic certe id fieri non poterat, cum proficiscentes circuitum in ipso colle facerent. Sed ne rectae quidem regioni aliquid circuitus accedere potest, cum regio, quae est linea mente inter duas res ducta, nulla possit circuitu ducta intel-

legi. Apertum est scribendum esse 'huc' idque ad passuum numerum referri.

C. 47, 1 sic edebatur: 'Consecutus id, quod animo proposuerat, Caesar receptui cani iussit legionisque decimae, quacum erat contionatus, signa constitere', quemadmodum est in interpolatis codd., nisi quod in iis, de quibus constat, 'constiterunt' legitur. Atque illa uerba 'quacum erat contionatus' acriter interpretes uexauerunt, ita ut alii monstra inde efficerent, uelut 'qua tum erat comitatus', 'quacum erat commoratus', 'qua cum maxime erat concomitatus', alii desperatione emendandi, etiamsi contionari aliquis cum multitudine a nullo scriptore Latino diceretur, tamen id ferendum existimarent. Melius sane erat uerbum 'contionatus' delere, id quod Maduigii suasu Whittius fecit, quamquam ne eius quidem rei ulla est probabilitas. In integris codd. scriptum est 'legionique decimae' et 'constituit'. Inde haec efficitur orationis forma: 'Consecutus id, quod animo proposuerat, Caesar receptui cani iussit legionique decimae, quacum erat, contionatus signa constituit': quae omni ex parte recta sunt. Datiuus enim 'legioni decimae' ad 'constituit' pertinet: contionandi autem uerbum, ut saepissime, absolute ponitur. Nam apud decimam legionem Caesarem contionatum esse ipsa res docebat: neque, quid contionatus esset, obscurum erat, scilicet, cum id, quod proposuisset, consecutus esset, recipiendum esse. Deinde ex integris codd. edidi 'Ac reliquarum legionum milites non exaudito sono tubae, quod satis magna ualles intercedebat, tamen ab tribunis militum legatisque, ut erat a Caesare praeceptum, retinebantur'. Rectius enim copulatiua quam aduersatiua particula haec superioribus adiunguntur, cum idem tribuni legatique atque Caesar facerent.

C. 50, 2 in omnibus codd., de quibus constat, ita scriptum est: 'tametsi dextris humeris exsertis animaduertebantur, quod insigne pacatum esse consuerat'. 'Pacatis', quod editur, Oudendorpius in Scal. Cuiac. Vrsin. And. Oxon. legi conicit, quia ex iis nihil annotatum sit, nullo argumento: nam in Haun. pr. quoque 'pacatum' legitur. Atque 'pacatum' Oudendorpius ita probabat, ut alteram genitiui formam esse existimaret: quae a Caesaris usu plane aliena est. 'Pacatum insigne' etiam remoto illo artificio recte dici demonstrant, quae Cicero scripsit pro Sext. 43, 93 'haurire cotidie ex pacatissimis atque opulentissimis Syriae gazis innumerabile pondus auri'.

C. 55, 9 sic edebatur: 'si ab re frumentaria Romanos excludere aut adductos inopia ex prouincia excludere possent': atque ita scriptum est in interpolatis codd., nisi quod in iis praepositio 'ex' omittitur. Hanc scripturam ferri non posse omnes intellexerunt. Nam prouinciam necessario eam intellegendam esse, quae postea Narbonensis appellata est, apertum est. Ab ea autem Romanos intercludere neque uolebant Galli neque poterant, omniaque, quae antea relata sunt, de incenso Nouioduno, frumento reliquoque commeatu asportato aut corrupto, de praesidiis ad Ligerim dispositis eam rationem habebant, ut Romani et progredi prohiberentur et commeatus inopia coacti se reciperent in prouinciam. Itaque Galli Labieno, qui in aliam partem missus erat, in colloquiis confirmabant interclusum itinere et Ligeri Caesarem inopia frumenti coactum in prouinciam contendisse, ut refertur c. 59, 1. Iam omnes codd. praeter interpolatos non 'ex prouincia excludere', sed 'ex prouincia expellere' exhibent. Itaque recte Nicasius Hellebodius, Hotomanus, Lipsius scribendum dixerunt 'aut adductos inopia in prouinciam expellere possent'. Mendum inde ortum est, quod expelli in aliquem locum minus recte dici uidebatur; deinde in interpolatis codd. 'excludere' aut errore repetitum est aut ideo positum, quod Romanos ex prouincia, in qua non essent, ne expelli quidem potuisse intellegebatur. Mire Whittius haec uerba, ut scribenda dixi, constare negat cum sequentibus: 'quam ad spem multum eos adiuuabat, quod Liger ex niuibus creuerat, ut omnino uado non posse transiri uideretur', nimirum quia magnitudo fluminis frumentationem impedire potuisset, non efficere, quo facilius Romani expellerentur. At apertum est ipsam frumenti in altera ripa inopiam coacturam fuisse Romanos, ut, nisi Ligerim transire possent, se in prouinciam reciperent. Ille tamen omnia illa 'aut adductos inopia ex prouincia expellere' deleuit.

C. 56, 1 ante Oudendorpium ita fere edebatur: 'Quibus rebus cognitis Caesar maturandum sibi censuit, si esset in perficiendis pontibus periclitandum, ut prius, quam essent maiores eo coactae copiae, dimicaret. Nam ut commutato consilio iter in prouinciam conuerteret, id ne tum quidem necessario faciendum existimabat, cum quod infamia atque indignitas rei et oppositus mons Ceuenna uiarumque difficultas impediebat, tum maxime quod abiuncto Labieno atque iis legionibus, quas una miserat, uehementer timebat'. In his prius 'quod' a Stephano adiectum est: in

codd. omnibus abest. Sed ne illa quidem uerba 'id ne tum quidem' ita in codd. scripta sunt. In deterioribus enim est 'id ne metu quidem', in integris 'ut ne metu quidem', in Haun. pr. Oxon. Vrsin. 'ut nemo tunc quidem', idemque in reliquis eius familiae legi probabile est. Ex his codd. uestigiis recte Ciacconius effecit 'Nam ut commutato consilio iter in prouinciam conuerteret (ut nemo non tum quidem necessario faciendum existimabat), cum infamia — impediebat, tum maxime, quod — timebat'. Vnum in his praetermissum est, quod Elberlingius recte animaduertit, ob uerbum 'impediebat' scribendum fuisse 'nam ne commutato consilio' cett., idque, cum hae duae particulae saepe a librariis permutentur, corrigere non dubitaui. Tota quidem Ciacconii ratio ea de causa reici non debebat, multo minus Dauisiana praeferri, qui retenta particula 'quod' uerbis 'cum infamia' a Stephano interposita, eadem orationis forma atque Stephanus scripsit 'id minime tum quidem necessario faciendum existimabat'. Quae quod Whittius detracto 'id' pronomine proxime ad optimos codd. accedere gloriatur, neminem crediturum arbitror: sed, quantumuis accedat, sententia ineptissima est. Qui enim conuenit eum, qui aliquid minime necessario faciendum existimat, eius sententiae hanc causam ponere, quod, quo minus id faciat, quibusdam rebus impediatur? Nam ut aliquis in illa sententia esse possit, liberam eum potestatem habere oportet, utrum facere uelit, an nolit. Illa uero causa ita recte adiceretur, si Caesar eam rem, de qua agebatur, necessario non faciendam existimasset. Eodem nomine ea reprehendenda esse apparet, quae ante Oudendorpium uulgata esse dixi.

Oppidum, quod c. 58, 2 et 6 et c. 60, 1 commemoratur, in editionibus Scaligerana antiquioribus et in recentioribus inde a Dauisio Melodunum appellatur. Primo loco Oudendorpius in Oxon. legi ait 'Metiosedum' (idemque est in Par. sec.), in Leid. pr. 'Meodunum sedum', in reliquis suis codd. 'Mellodunum, Meledunum, Miladunum cett.', quorum primum scriptum est in Par. pr. Voss. pr. a m. sec. Haun. pr., 'Melledunum' in Voss. pr. a m. pr., 'Mellidunum' in Egm. Altero et tertio loco 'Metiosedo' est in omnibus interpolatis et tertio etiam in Bong. pr.: in Par. pr. his locis scriptum est 'Medodone', Oudendorpius aliquot suos habere refert 'Melodone' et 'Medodone'. Iam cum his tribus locis unum idemque oppidum commemorari appareat, c. 58, 2 autem cum integris codd. Haun. pr. et, ut uidetur, Scal. et Cuiac., de

quibus tacetur, consentiant, Leid. uero pr. demonstret in eo codice, unde descriptus est, integrorum scripturam a prima manu positam fuisse, non potest dubium uideri, quin omnibus tribus locis integri codices sequendi sint, licet c. 60, 1 optimus Bong. pr. ab iis discedat. Retinui autem Melodunum, quod c. 58, 6 codicum testimoniis satis firmatum uidetur, etsi apud medii aeui scriptores, quorum loci collecti sunt a Bouqueto in indicibus uol. II et III scriptorum rerum Gallicarum et Francicarum, huius oppidi nomen iisdem fere discrepantiis atque apud Caesarem obnoxium fuit. In itiner. Ant. p. 383 'Mecletum' appellatur, in tabula Peuting. 'Meteglo'. Haec praemittenda erant, quo rectius de extremis uerbis c. 61 iudicaremus, ubi in Bong. pr. et interpolatis omnibus commemoratur 'Metiosedum', in 'aliis' Oudendorpius legi ait 'Etlosedum, Eliosedum, Glosedum, Iosedum': in Par. pr. scriptum est 'Metlosedum'. Quid de hoc nomine statuendum uideatur, intellegetur, cum, quae superioribus cc. narrantur, considerauerimus. Labienus Agedico Lutetiam, quod erat oppidum Senonum positum in insula Sequanae, secundo flumine contendit, ut e regione eius oppidi flumen traiceret et ad hostes, qui ibi considerant, perueniret. Postquam id ob paludem, quae ripas Sequanae impediebat, efficere non poterat, eodem, quo uenerat, itinere Melodunum peruenit, quod oppidum ipsum quoque in insula Sequanae positum erat, ibique deprehensis nauibus flumen transiit et Lutetiam contendit. Hostes eo oppido incenso se in alteram ripam contulerunt (c. 57 et 58). Sed interim Labienus ad Lutetiam de defectione Haeduorum Caesarisque difficultatibus certior factus Agedicum, ubi impedimenta exercitus reliquerat, reuerti constituit. Itaque cum ei rursus Sequana transeunda esset, ut hoc tutus ab hostium impetu efficeret, hanc rationem iniit, quae c. 60 refertur. 'Sub uesperum consilio conuocato cohortatus, ut ea, quae imperasset, diligenter industrieque administrarent, naues, quas Meloduno deduxerat, singulas equitibus Romanis attribuit et prima confecta uigilia IV milia passuum secundo flumine progredi ibique se expectari iubet. Quinque cohortes, quas minime firmas ad dimicandum esse existimabat, castris praesidio relinquit: quinque eiusdem legionis reliquas de media nocte cum omnibus impedimentis aduerso flumine magno tumultu proficisci imperat. Conquirit etiam lintres: has magno sonitu remorum incitatas in eandem partem mittit. Ipse post paulo silentio egressus cum tribus legionibus eum

locum petit, quo naues appelli iusserat'. Eo cum uenisset, oppressis hostium exploratoribus celeriter copiae tramittuntur. Pergit Caesar (c. 61, 3): 'Vno fere tempore sub lucem hostibus nuntiatur in castris Romanorum praeter consuetudinem tumultuari, et magnum ire agmen aduerso flumine sonitumque remorum in eadem parte exaudiri, et paulo infra milites transportari'. Itaque hostes, cum tribus locis Romanos transire existimarent, suas quoque copias in tres partes distribuerunt, quae res eo loco, de quo agimus, c. 61, 5, declaratur: 'Nam praesidio e regione castrorum relicto et parua manu Metiosedum uersus missa, quae tantum progrediatur, quantum naues processissent, reliquas copias contra Labienum duxerunt'. Hic Vkertus recte eos reprehendit, qui Metiosedum infra Lutetiam propius mare positum fuisse existimauerunt. Nam si ea pars hostium, quae Metiosedum uersus mittebatur, secundo flumine profecta esset, in eandem partem isset cum reliquis copiis, quae contra Labienum ducebantur. Itaque hanc paruam hostium manum aduerso flumine profectam esse apparet ad quinque cohortes, quae eo itinere a Labieno cum impedimentis missae erant, persequendas; et naues, quae hic commemorantur, eae intellegendae sunt, quas Caesar 60, 4 lintres appellauerat. Verum cum Caesar, quam in partem haec Gallorum manus profecta esset, significare uellet, incredibile est eum hoc eiusmodi oppido posito significasse, quod legentibus plane esset ignotum, praesertim cum c. 58, 2 et 6 et 60, 1 aliud oppidum in eadem regione positum commemorasset eiusque situm accurate declarasset. Itaque recte Scaliger et Vkertus idem hic oppidum positum fuisse statuerunt, quod illis locis erat nominatum, sed Scaliger interpolatos codices secutus est, nos cum Vkerto secundum ea, quae supra demonstrauimus, Melodunum restituemus. Neque id temere facimus. Nam cum c. 60, 1 Bong. pr. cum interpolatis 'Metiosedo' scriptum habeat, certo ea res indicio est iam in codice archetypo ei oppidi nomini, quod Caesar posuerat, aliud fuisse ascriptum. Id igitur ut reliquis locis ueram scripturam in parte codicum expulit, quid mirum est, quod c. 61, 5 idem in omnibus codd. factum est? Sed quae causa fuerit, ut pro Meloduno Metiosedum poneretur, aut quid hoc nomen significet, nescio. Melodunum autem praeter ea, quae de codicum auctoritate supra ostendi, ipso situ commendatur. Est enim id oppidum, quod hodie uocatur Melun: et in itiner. Ant. iter Lutetia Agedicum, quo Labienus profectus est, sic notatur:

'Lutetiam, Meclctum, Condate, Agedincum'. Ascripsi locum ex uita S. Barboleni ap. Bouq. III p. 568, ubi quae narrantur, ex Caesare originem ducere apertum est: 'Cum Iulius Caesar totum orbem Romano subiugasset imperio et nauali itinere ab urbe Senonum usque Meledunum castrum indeque Parisius cum sibi familiaribus Romanis ut ad Meldorum ciuitatem siue ad reliquas urbes adueniret, quae aquarum fluminibus muniebantur, contigit eum transitum hunc habere, sicut in gestis Romanorum legitur'.

C. 58, 6 non recte sic editur: 'Hostes re cognita ab iis, qui Meloduno fugerant, Lutetiam incendi pontesque eius oppidi rescindi iubent: ipsi profecti a palude in ripis Sequanae e regione Lutetiae contra Labieni castra considunt'. Nam ex iis, quae c. 57 et paulo ante narrantur, apparet paludem, quae hic commemoratur, aut in utraque ripa Sequanae fuisse aut in ea tantum, quae Lutetiae erat contraria. Vtrum igitur uerum est, id constat, hostes, cum a Lutetia in aduersam ripam transirent, a palude non esse profectos. Siue enim palus in aduersa ripa erat, ad paludem potius proficiscebantur, siue in utraque, a palude non discedebant. Sed 'profecti a palude' in interpolatis tantum codd. legitur, in reliquis codd. Oudendorpii scriptum est 'prospecta palude' (atque ita est in Par. pr.), in duobus 'perspecta'. Item in Bong. pr. Par. pr. Voss. pr. plurimisque Oudendorpii legitur 'ad ripas', in Haun. pr. 'in ripas'. Itaque sic scripsi: 'ipsi proiecta palude ad ripas Sequanae e regione Lutetiae contra Labieni castra considunt'. Considebant enim post paludem, ut et Sequana et palude defenderentur. Quid requireretur, Ciacconius et Th. Bentleius uiderunt, quorum ille 'protecti palude', hic 'obiecta palude' scriptum fuisse coniecit.

Quae leguntur c. 64, 1: 'Ipse imperat reliquis ciuitatibus obsides, denique ei rei constituit diem: huc omnes equites XV milia numero celeriter conuenire iubet, peditatu, quem antea habuerat, se fore contentum dicit', haec igitur quin corrupta sint, dubitari non potest. Nam neque uox 'denique', in qua iam Hotomanus haeserat, ferri potest, cum una res antea posita sit et eiusmodi, quacum id, quod ea uoce adiungitur, coniunctum sit; neque 'huc' habet, quo referatur. Bibracte enim, quo c. 63, 5 concilium Gallorum, in quo haec gesta sunt, conuenisse relatum est, et longius ab his uerbis remotum est, neque tota forma orationis eo aduerbium referri patitur. Mihi illa scriptura, quam supra posui, ex

diem huic

hac orta uidetur: 'Ipse imperat reliquis ciuitatibus obsides denique ei rei constituit: omnes equites' cett., ita ut, cum errore scriptum esset 'denique' et 'ei rei', uel supra eas uoces uel in margine ascriptum existimem 'diem huic', quo 'diemque huic rei' corrigendum esse significaretur. Eae uoces deinde, ut saepe factum est, alieno loco illatae sunt, et pro 'huic' peruagato errore 'huc' scriptum.

C. 65, 5 in his uerbis: 'Eorum aduentu, quod minus idoneis equis utebantur, a tribunis militum reliquisque, sed et equitibus Romanis atque euocatis equos sumit Germanisque distribuit' recte illa 'sed et' ante Scaligerum omittebantur. Nam ut 'et' particulam toleraremus, quam Caesarem numquam in intendendo posuisse p. 69 monui, quid ita mirabilius erat ab equitibus Romanis equos sumptos esse quam a tribunis, qua una ratione aduersatiua particula poni poterat? Idem autem uitium remanet, etiamsi alterum, quod 'reliquisque' nihil habet, quo referatur, ita remoueamus, ut excidisse uocabulum aliquod statuamus. Verba 'sed et' ab eo ascripta sunt, qui tribunos militum in equitum Romanorum numerum referri non posse existimaret et hos ab illis separare uellet. Sed tribunos militum iam temporibus liberae reipublicae equites Romanos fuisse (de inferioribus enim id satis notum est) dudum Lipsius de mil. Rom. II, 9 demonstrauit. Nam Appianus Pun. c. 104 anulos aureos eos gestasse refert: *ὁ Σκιπίων τινὰ λύσας τῶν αἰχμαλώτων ἔπεμψε πρὸς Ἀσδρούβαν καὶ παρῄνει θάψαι τοὺς χιλιάρχους. Ὁ δ' ἐρευνησάμενος τὰ νεκρὰ καὶ ἀπὸ τῆς σφραγῖδος εὑρὼν (χρυσοφοροῦσι γὰρ τῶν στρατευομένων οἱ χιλίαρχοι τῶν ἐλαττόνων σιδηροφορούντων) ἔταψεν αὐτούς.* Et apud ipsum Caesarem hor. comm. III, 7, 3 cum narratum esset praefectos tribunosque militum complures a Venetis reliquisque maritimis ciuitatibus retentos esse, Caesar paulo post c. 10, 2 eas iniurias retentorum equitum Romanorum appellat, qui alii esse non possunt quam tribuni militum praefectique, quos antea retentos dixerat. Deinde b. ciu. I, 67, 2 de centurionibus et tribunis militum Afranii, qui apud Caesarem remanserant, haec leguntur: 'centuriones in priores ordines, equites Romanos in tribunicium restituit honorem', ubi equites Romanos dici uides, qui tribuni fuerant in exercitu Afranii. Nam 'in priores ordines' recte eo loco Ciacconius coniecit, cum in codd. legatur 'ampliores ordines' omissa praepositione: ampliores autem ordines non di-

cuntur, sed superiores. Praeter illa 'sed et' Whittius etiam inferiora 'atque euocatis' uncis inclusit interpretem Graecum, ni fallor, secutus. Euocatos in acie certe equis uti non potuisse et res ipsa docet, et, si exemplis opus est, Caes. de b. ciu. III, 91. Qui igitur uerba illa defendere uolet, ei eo est confugiendum, ut honoris causa illis hominibus concessum fuisse statuat, ut in itineribus equo ueherentur, eosdemque ad reliquum priuatum usum equos habuisse. Tamen nihil usquam de hac re significari adeo mirum est, ut fere a Caesare 'atque legatis' scriptum esse credam. Nam quemadmodum interpolari haec uerba potuerint, non perspicio.

C. 66, 4 Vercingetorix praefectos equitum edocet, quemadmodum Romanos iter facientes premant, quae uerba in optimis codd. ita scripta sunt: 'Proinde agmine impeditos adorirentur. Si pedites suis auxilium ferant, iter facere non posse, si, id quod magis futurum confidat, relictis impedimentis suae saluti consulant, et usu rerum necessariarum et dignitate spoliatum iri'. Hic ob illa: 'si relictis impedimentis suae saluti consulant' dubitatum est, num recte haberent superiora uerba 'si pedites suis auxilium ferant'. Ex illis enim apparere uisum est Vercingetorigem non hominibus, sed impedimentis auxilium laturos esse Romanos iudicauisse. Itaque iam in Leid. pr. scriptum est 'si impedimentis suis auxilium ferant', in edd. quibusdam uett., ut Vascosani, 'rebus' post 'pedites' adiectum. Neque haec refutauit Clarkius. qui pronomine 'suis' et homines et res includi existimauit: eo enim praeter homines nihil hic significari potest. Recte hominibus auxilium laturos dici Romanos inde comprobatur, quod 'agmine impeditos', non impedimenta Vercingetorix equites adoriri iusserat. Itaque 'pedites' paulo aliter in prima enuntiati parte dici, aliter in altera intellegi statuendum est. Nam illic ea pars peditum significatur, quae ab incursu hostium libera erit, hic omnes. Iam quae sequuntur, ex interpolatis codd. ita edita sunt: 'Nam de equitibus hostium, quin nemo eorum progredi modo extra agmen audeat, ne ipsos quidem debere dubitare. Id quo maiore faciant animo, copias se omnes pro castris habiturum et terrori hostibus futurum'. In hac orationis forma uerba 'ne ipsos quidem debere dubitare' nulla possunt alia sententia intellegi, quam Romanorum equites tam nullius momenti esse, ut ne cum Gallorum quidem equitatu congredi auderent. Itaque suos ipse equites Vercingetorix non

magni faceret. Sed id plane contrarium est, cum equitibus tantum tribuat, ut eis uel legiones Caesaris se fugaturum confidat. In reliquis codd. legitur ‘et ipsos quidem non debere dubitare’. Itaque haec ita scribenda censui: ‘Nam de equitibus hostium, quin nemo eorum progredi modo extra agmen audeat, et ipsos quidem non debere dubitare, et, quo maiore faciant animo, copias se omnes pro castris habiturum et terrori hostibus futurum’. Ita his uerbis cum sequentibus coniunctis haec efficitur apta sententia: ‘quin equites Romanorum progredi non auderent, ipsos quidem, etiamsi soli essent, dubitare non debere, sed quo maiore animo omnem dubitationem abiciant, se terrorem reliqui exercitus additurum’. Whittius optimorum codd. scripturam ita restituit, ut ‘et’ particulam, quae ‘ipsos’ praecedit, deleret et deinceps ‘id’ retineret: quo facto, quemadmodum uerba ‘ipsos quidem’ recte dicantur, non uideo.

C. 67, 3 Caesar scribere non potuit, quemadmodum editur: ‘Impedimenta inter legiones recipiuntur’. Nam inter legiones impedimenta in agmine semper collocata erant, et inter singulas quidem legiones, cum nullus ab hoste timor erat: cum ad hostem appropinquabatur, maior pars legionum antecedebat, deinde impedimenta totius exercitus, his autem subsidio reliquae legiones sequebantur. Ita haec a Caesare referuntur hor. comm. II, 17, 2 et 19, 3. Hic autem cum equites Vercingetorigis a tribus partibus immissi essent, a primo agmine et duobus lateribus, ut supra narratum est, impedimenta undique legionibus circumdanda fuisse apparet. Itaque ‘intra’ posui.

C. 70, 3 sic edidi: ‘Hostes in fugam coniecti se ipsi multitudine impediunt atque angustioribus portis relictis coaceruantur. Germani acrius usque ad munitiones sequuntur’. Nam in integris codd. (de Par. pr. falso, ut solet, Achaintrius retulit) scriptum est ‘coaceruati tum Germani’: inde in deterioribus quibusdam effectum est ‘coaceruantur. Tum Germani’. In interpolatis legitur ‘coartantur. Germani’. Illud, quod posui integrorum scriptura satis aperte significatur: neque ‘tum’ particula hic ferri potest. Nequaquam enim Germani, ut Gallos sequerentur, coaceruationem eorum expectabant: et omnino mora, quae illa particula infertur, ab hac concitata narratione aliena est. ‘Coartantur’ autem magister posuit, cui item ut recentioribus quibusdam magistris, Caesaris interpretibus, uiui homines non recte coaceruari dici uide-

bantur. Sed et de uiuis et de cadaueribus id uerbum posuit Liuius XXIV, 39 'caeduntur Hennenses cauea inclusi coaceruanturque non caede solum, sed etiam fuga, cum alii super aliorum capita ruerent atque integri sauciis, uiui mortuis incidentes cumularentur'.

Non constant sibi, quae c. 73, 2 in codd. leguntur: 'Truncis arborum aut admodum firmis ramis abscisis atque horum delibratis ac praeacutis cacuminibus perpetuae fossae quinos pedes altae ducebantur. Huc illi stipites demissi et ab infimo reuincti, ne reuelli possent, ab ramis eminebant'. Nam truncos arborum ramos habuisse itemque in firmis ramis alios ramos fuisse supra non commemoratum est: itaque, quemadmodum illi stipites eminere ab ramis potuerint, non intellegitur. Id uero commemorandum erat necessario, cum in iis ramis, qui eminebant, tota rei ratio uerteretur: reliqua enim stipitis pars terra obruebatur. Est hic idem mendum, quod hor. comm. II, 19, 5 (p. 64) reprehendimus. Scripsit enim Caesar 'Truncis arborum admodum firmis ramis abscisis'. Truncos firmis ramis dici, qui firmos ramos habebant, apertum est. Id cum non intellegeretur, 'aut' interpositum est. Atque ita demum recte habent uerba 'atque horum delibratis ac praeacutis cacuminibus'. Neque enim truncorum cacumina delibrabantur aut ramorum uicem eorum obtinentium, sed ramorum truncis adhaerentium, qui soli eminebant.

C. 74 haec in codd. leguntur: 'His rebus perfectis regiones secutus quam potuit aequissimas pro loci natura XIV milia passuum complexus pares eiusdem generis munitiones, diuersas ab his, contra exteriorem hostem perfecit, ut ne magna quidem multitudine, si ita accidat, eius discessu munitionum praesidia circumfundi possent; aut cum periculo ex castris egredi cogatur, dierum XXX pabulum frumentumque habere omnes conuectum iubet'. Hic uerba 'eius discessu' recte non habere sensit Elberlingius. Qui enim discedere potuerit, nemo praeter Caesarem cogitari potest. Sed is neque discedere uolebat et, ne cogeretur, omnes frumentum paratum habere iubebat. Neque enim ex eo, quod in codd. scriptum est 'aut cum periculo' cett., contrarium effici potest. Nam frumenti conuectio alio spectare non poterat, quam ne Caesar discederet. Atque 'aut' ideo in codd. positum esse, quia haec uerba cum superioribus coniungenda uidebantur, omnes intellexerunt. Id dubitari potest, utrum 'neu', quod editur, Caesar

scripserit, an 'ac ne' uel 'et ne': id quod diiudicari nequit, cum, qui 'aut' posuit, non uideatur antiquae scripturae uestigia pressisse. Itaque cum uerba 'eius discessu' corrupta esse certum sit, scriptum fuisse existimo 'eius accessu', ita ut accessus exterioris hostis intellegatur, contra quem hae munitiones institutae dicuntur. Discessus autem ex accessu non difficilius corrumpebatur, quam apud Sall. Cat. 55 ascendere ex descendendo et plura similia.

C. 75 initium secundum integros codd. ita edidi: 'Dum haec apud Alesiam geruntur, Galli concilio principum indicto non omnes eos, qui arma ferre possent, ut censuit Vercingetorix, conuocandos statuunt, sed certum numerum cuique ex ciuitate imperandum' cett. Vnum mutaui, quod necessario 'eos' posui, cum in illis codd. 'hos' legatur. Sed mirum uideri potest illud 'cuique ex ciuitate': ac sane longe apertius in interpolatis codd. scriptum est 'cuique ciuitati'. Illud uero recte dicitur. Nam 'cuique' ex superiore Gallorum commemoratione accipiendum est, quasi 'cuique populo' positum esset. Plane eandem rationem habent haec: hor. comm. II, 4, 4 'de numero eorum' [Belgas dicit] 'omnia se habere explorata Remi dicebant, propterea quod propinquitatibus affinitatibusque coniuncti, quantam quisque multitudinem in communi concilio Belgarum ad id bellum pollicitus sit, cognouerint' et eiusd. lib. 10, 4 'hostes constituerunt optimum esse domum suam quemque reuerti, et, quorum in fines primum Romani exercitum introduxissent, ad eos defendendos undique conuenirent'. Singulis igitur populis cuique ex sua ciuitate certum numerum conficiendum principes imperasse dicuntur.

Sequitur enumeratio copiarum singulis ciuitatibus imperatarum. Qui locus ita fere editur: 'Imperant Haeduis atque eorum clientibus, Segusianis, Ambiuaretis, Aulercis Brannouicibus, Brannouiis, milia XXXV; parem numerum Aruernis adiunctis Eleutheris Cadurcis, Gabalis, Velaunis, qui sub imperio Aruernorum esse consuerunt; Senonibus, Sequanis, Biturigibus, Santonis, Rutenis, Carnutibus duodena milia; Bellouacis X; totidem Lemouicibus; octona Pictonibus et Turonis et Parisiis et Heluiis; Suessionibus, Ambianis, Mediomatricis, Petrocoriis, Neruiis, Morinis, Nitiobrigibus quina milia; Aulercis Cenomanis totidem; Atrebatibus IV; Bellocassis, Lexouiis, Aulercis Eburonibus terna; Rauracis et Boiis XXX; uniuersis ciuitatibus, quae Oceanum attingunt quaeque eorum consuetudine Armoricae appellan-

tur, quo sunt in numero Curiosolites, Rhedones, Ambibari, Caletes, Osismii, Lemouices, Veneti, Vnelli, VI'. Ex his, cum Bellouaci suum numerum non complessent, sed, ut postea ostendam, duo tantum milia misissent, c. 76, 2 secundum integros codd. equitum VIII, peditum circiter CCXL milia, secundum interpolatos equitum idem numerus, sed peditum circiter CCL milia coacta dicuntur. Atque integros codd. sine ulla dubitatione sequeremur, nisi cum interpolatis consentiret Orosius VI, 11. Quem cum in numeris quibusdam emendatiore codice usum esse uiderimus (p. 39), interpolatos hic codicis archetypi scripturam seruasse statuendum uidetur. Eorum autem numerorum, qui supra scripti sunt, si pro decem Bellouacorum milibus duo ponimus, summa est milia CCLXXV: qua etsi codd. VI milibus minorem habent, tamen ea quoque iusto maior est; et complura hic turbata esse ipsi codices indicant. Ii primum pro Ambiuaretis habent Ambluaretos. Lib. VII, 90, 6, ubi item Ambiuareti eduntur, in codd. Ambilareti leguntur. Ambiuariti, quos IV, 9 extr. Caesar trans Mosam positos fuisse scribit, cum his Haeduorum clientibus, quos iis propinquos fuisse statuendum est, coniungi nequeunt. Eadem de causa ne Ambiliatos quidem, qui III, 9, 10 se sum Venetis aliisque maritimis coniunxisse dicuntur, qui in interpolatis codd. Ambiani notiore nomine, ab Orosio VI, 8 Ambiuariti appellantur, Haeduorum clientes fuisse existimabimus. Non sine specie Glareanus Ambibarios, qui infra inter ciuitates Armoricas leguntur (nam 'Ambibarii', non 'Ambibari' sunt in 'plurimis codd.' Oud. et Par. pr.), eosdem existimauit atque Ambiliatos. Ambluaretos autem, qui hic Haeduorum clientes dicuntur, sane uerisimile est eosdem esse atque Ambilaretos, quos c. 90, 6 huius libri commemorari dixi. Ibi enim C. Antistius Reginus in Ambilaretos, T. Sextius in Bituriges missus dicitur: Bituriges autem ab Haeduis Ligeri diuisos fuisse ex c. 5, 4 huius libri scimus. Et quemadmodum Ambiliatos et Ambibarios eosdem fuisse recte forsitan Glareanus coniecerit, ita fieri potest, quod Vrsino uisum est, ut Ambluareti siue Ambilareti iidem sint cum Haeduis Ambarris, qui I, 11, 4 necessarii et consanguinei Haeduorum appellantur. Sed cum haec omnia ob nimiam nominum discrepantiam incerta sint, ubique codices sequendos duxi. Deinde Brannouios sine idonea causa Ciacconius et Scaliger eiciendos putauerunt, utpote discrepanti scriptura Aulercorum Brannouicum ortos. Quidni enim et Branno-

uii fuerint, et pars Aulercorum, quod illis erat propinqua, Brannouicum cognomen asciuerit? Paulo post pro 'Velaunis' in Haun. pr. scriptum est 'Vellaunis', 'Vellauniis' in Scal. et Cuiac., in ceteris Oudendorpii 'Vellauis' uel 'Vellauiis': posterius legitur in Par. pr. Hoc reposui. Nam Straboni IV p. 290 Alm. appellantur *Οὐελλάϊοι*, ibique Kramerus monuit singularem 'Vellauium' legi in inscriptionibus. Apud Ptolem. II, 7, 20 dicuntur *Οὐέλαυνοι*, ut in interpolatis codd. Caesaris. Statim in 'plerisque codd.' Oudendorpii, Par. pr. Haun. pr. inuerso ordine 'Sequanis, Senonibus' legitur. Et deinceps, ubi editur, 'Suessionibus, Ambianis, Mediomatricis' cett., pro 'Suessionibus', quos Vascosanus posuit, rursus in omnibus codd. scriptum est 'Senonibus'. Suessiones Hirtius VIII, 6, 2 Remis attributos fuisse refert, quod factum esse existimandum est secundo anno, quo Caesar in Gallia fuit, confecto bello Belgico, quo se ab Remis, quibuscum iam antea ciuitatem coniunxerant, separauerant (Caes. b. Gall. II, 3 extr.). Remi autem hoc totius Galliae bello constantissime in amicitia Caesaris permanserunt (hui. comm. 63, 7), neque Suessiones ab iis ad reliquos Gallos defecisse inde comprobatur, quod Hirtius illo loco, quem paulo ante commemoraui, Bellouacos impressionem in fines eorum facere uoluisse narrat. Itaque Suessiones hic nominari non potuerunt: estque per se ipsum longe probabilius altero utro loco Senonum nomen delendum esse. Ex mea autem ratione, quam in reliquis numeris ineundam docebo, posteriore delendum est, et ibi in margine Parisiorum nomini ascriptum puto ab eo, qui utrumque populum in insula Sequanae habitare aut ipse sciret aut ex h. l. 58, 3 cognosset. In eadem causa atque Senones sunt Lemouices, qui et post Bellouacos et iterum infra inter ciuitates Armoricas nominantur. Inter Armoricos autem (id est inter eos, qui mare accolebant: hoc enim illud nomen significat) plane incredibile est Lemouices a Caesare esse relatos, quos Aruernis propinquos fuisse ex Hirt. VIII, 46, 4 uideamus, quosque Ptolemaeus II, 7, 10 *ἐν τῇ μεσογείᾳ* habitasse referat. At deletis ibi Lemouicibus et priore loco post Bellouacos relictis ratio exitum non inuenit. Itaque mihi de hac re sic uidetur statuendum esse. Paulo inferius, ubi editur 'Atrebatibus IV; Bellocassis, Lexouiis, Aulercis Eburonibus terna', Oudendorpius annotat in 'mss. plerisque' legi 'et Aulercis', et eam particulam in optimis codd. ab eo esse inuentam indicio est, quod eadem mihi

ex Par. pr. annotatur. Quam particulam cum p. 68 docuerim ita a Caesare non poni, statuere cogimur duos tantum populos (Aulercos autem Eburouices dicendos esse recte monuit Valesius) a Caesare coniunctos fuisse, Bellocasses uero, qui in cdd. appellantur, alium numerum dedisse. Atqui cum populi hic secundum multitudinem hominum enumerentur, et Atrebates IV milia dederint, Aulerci Eburouices et populus proximus superior terna, apparet Bellocasses totidem dedisse, quot Atrebates. Itaque illud 'totidem', quod supra 'Lemouicibus' ascriptum legitur, hic collocari apte potest. Iam Lexouios ex Strab. IV p. 297 Alm. et Ptolem. II, 8, 5 maritimos fuisse scimus, iidemque a Caesare III, 9, 10 adiunguntur Osismis, qui infra in enumeratione ciuitatium Armoricarum Lemouices praecedunt. Haec cum considero, uel maxime mihi uidetur probabile non solum 'totidem', sed totum illud 'totidem Lemouicibus' huc esse transferendum et, cum errore scriptum esset 'Belliocassis' (ita enim est in 'mss. multis' Oud. et Par. pr.) 'Lexouiis et Aulercis Eburouicibus terna', ea uerba in margine ascripta esse, ut corrigeretur 'Belliocassis totidem, Lemouicibus et Aulercis Eburouicibus terna'. Superiore autem loco post Bellouacos haec illata sunt ob similitudinem huius nominis cum Belliocassis. Lexouios uero ut hic errore pro Lemouicibus scriptos, ita contrario errore inter ciuitates Armoricas Lemouices pro Lexouiis positos existimo. 'Belliocassis' autem scriptum est, ut dixi, in Par. pr. et 'mss. multis' Oud.; 'Velliocassiis' in Haun. pr. Non est dubium, quin iidem sint, qui apud Caes. b. Gall. II, 4, 9 'Velocasses' appellantur in omnibus codd. Eosdem apud Hirt. VIII, 7, 4 'Velliocasses' Oudendorpius in codd. dici refert (atque ita est in Par. pr., 'Veliocasses' in Haun. pr.), 'in aliis', addit, 'bene Velocasses'. Apud Orosium VI, 7 et 11, qui loci his duobus respondent, 'Velocasses' leguntur. Caesaris codices VII, 75, de quo loco agimus, et VIII, 7, 4 'Velliocasses' tenendos demonstrant: neque enim nomina populorum summa constantia a Caesare scripta esse credo. Sed in superioribus uerbis superest, ut de Heluiis dicamus. Eos enim pro Heluetiis, qui in codd. leguntur, Vossius posuit neque ulla de causa et magno errore, cum Heluios in prouincia fuisse constet, et Caesar h. l. 64, 4 et 65, 2 eos cum Aruernis ad defendendam prouinciam proelio congressos et in oppida compulsos esse narret. Heluetii autem, etsi bello, quod primo anno, quo Caesar in Galliam uenit,

gestum est, uehementer debilitati erant, tamen sex annorum spatio paulum conualescere potuerunt: et infra Rauraci commemorantur, qui finitimi iis erant et una tum ex finibus exierant. At his Rauracis et Boiis inepte triginta milia tribui neminem fugit; neque dubium est, cum sex milia, quae in fine totius enumerationis posita sunt, in nullo codice praeter quattuor pessimos scripta sint, quin triginta illa milia ad ciuitates Armoricas pertineant, Rauracorum uero et Boiorum numerus exciderit. Cum autem illi Heluetiis finitimi, hi in Haeduis positi essent (b. Gall. I, 28, 5. VII, 9, 6), non poterat unus numerus utrisque coniunctim, sed idem tantum utrique populo separatim imperari. Iam supra monui ordinatos esse populos secundum numeri, quem contulerint, magnitudinem. Rauraci igitur et Boii aut mille aut, id quod Stephanus et alii statuerunt, bina milia dederunt. Atque hunc numerum ratio uerum esse euincit. Ita enim, si pro X Bellouacorum milibus duo ponimus, ex iis numeris, quos effecimus, summa conficitur milium CCLIX, de qua recte c. 76, 2 dici poterat fuisse eam equitum VIII milium et peditum circiter CCL. Ad nomina autem ciuitatium Armoricarum quod attinet, Redones Schneiderus ad II, 34, 1 docuit sine aspiratione scribendos esse, idem ad eundem locum Osismos, non Osismios Caesarem nominasse. Veneti uero eiciendi sunt, quos Scaliger ex suo codice posuit, in quo ita erant collocati: 'Veneti, Lemouices, Vnelli'; in reliquis codd. non leguntur. Et poterant eo magis omitti, quod Caesar quattuor annis antea omni senatu eorum necato reliquos sub corona uendiderat, ut ipse retulit III, 16 extr. Edidi autem totum locum ita, ut codices exprimerem neque uitia, nisi ubi certissima erat correctio, tollerem, hic ita posui, ut a Caesare scriptum existimo: 'Imperant Haeduis atque eorum clientibus, Segusianis, Ambluaretis, Aulercis Brannouicibus, Brannouiis, milia XXXV; parem numerum Aruernis adiunctis Eleutheris Cadurcis, Gabalis, Velauiis, qui sub imperio Aruernorum esse consuerunt; Sequanis, Senonibus, Biturigibus, Santonis, Rutenis, Carnutibus duodena milia; Bellouacis X; octona Pictonibus et Turonis et Parisiis et Heluetiis; Ambianis, Mediomatricis, Petrocoriis, Neruiis, Morinis, Nitiobrigibus quina milia; Aulercis Cenomanis totidem; Atrebatibus IV; Velliocassis totidem; Lemouicibus et Aulercis Eburouicibus terna; Rauracis et Boiis bina; XXX uniuersis ciuitatibus, quae Oceanum attingunt quaeque eorum consuetudine Armoricae appellantur, quo

sunt in numero Curiosolites, Redones, Ambibarii, Caletes, Osismi, Lexouii, Vnelli'.

Quae excipiunt, ab Oudendorpio ita sunt edita: 'Ex his Bellouaci suum numerum non contulerunt, quod se suo nomine atque arbitrio cum Romanis bellum gesturos dicerent neque cuiusquam imperio obtemperaturos, rogati tamen ab Commio pro eius hospitio bina milia miserunt'. 'Bina' haec 'milia' posita sunt de Hotomani coniectura plane inepta, cum numeri distributiui hic nulla neque ratio neque explicatio excogitari possit. Recte antea edebatur 'duo milia miserunt', quod in interpolatis codd. legi Haun. pr. demonstrat. Oudendorpius autem haec annotat: 'ita bene', inquit, 'Hotom. e ms. 'una'; uti et in Bong. pr. Petau. in mss. decem 'XXI' uel 'XXuna'. Quid in optimis codd. scriptum sit, Par. pr. demonstrat, in quo haec legi Beyerlius notauit: 'pro eius hospitio XX una miserunt'. Haec scriptura nihil aliud significat quam hoc: '∞ ∞ una', id est 'pro eius hospitio duo milia una miserunt'. In interpolatis codd. 'una' omissum est, quia numerus uidebatur. Sed id aduerbium eodem modo positum est hor. comm. II, 29, 3 'impedimentis citra Rhenum dispositis custodiam ex suis ac praesidium sex milia hominum una reliquerunt', hoc est 'una cum impedimentis'. Cf. VI, 19 extr. VII, 50, 3. 56, 2. VIII, 14, 1. Item VII, 77, 5 restitui 'coactis una XL cohortibus' ex Par. pr. et plurimis codd. Oud.: in Bong. pr. scriptum est 'una de quadraginta', in Haun. pr. 'coactis de quadraginta', in Scal. Leid. pr. Oxon. hic quoque 'una' omissum est. Illa non est quod minus recte dicta uideantur quam haec Taciti ann. I, 18: 'una tres aquilas et signa cohortium locant'.

Initium c. 88 in codd. ita scriptum est: 'Eius aduentu ex colore uestitus cognito, quo insigni in proeliis uti consuerat, turmisque equitum uisis, quas se sequi iusserat, ut de locis superioribus haec decliuia et deuexa cernebantur, hostes proelium committunt'. Sed primum incredibile est aduentum Caesaris et auxilium Romanis additum hostibus causam committendi proelii fuisse. Deinde hostes nequaquam tum demum proelium commiserunt, sed id longe antea fecerant, cum munitiones Romanorum oppugnare incipiebant, neque ex eo tempore impetum remiserant. Verum igitur uidit Iurinius, qui ita scribendum esse monuit: 'nostri proelium committunt'. Nam cum haec pars munitionum uehementissime oppugnaretur a Vercassiuellauno, Caesar Labieno, qui ibi

praeerat, VI cohortes subsidio miserat eique imperauerat, ut, si sustinere non posset, deductis cohortibus eruptione pugnaret (86, 1). Iam certior factus Caesar a Labieno extremum illud auxilium experiendum uideri, ipse eo contendit. Itaque Romani Caesaris aduentu animaduerso eruptionem faciunt. Ii autem recte dicuntur proelium committere, quia adhuc se ab hostium impetu defenderant, iam ipsi impetum ultro faciunt. Atque ideo Caesar in fine sup. cap. scribit 'accelerat Caesar, ut proelio intersit'. Ceterum, ut hoc obiter moneam, ducem illum Aruernum, qui in editionibus appellatur Vergassillaunus, non solum auctoritate integrorum codicum, sed etiam certa ratione Vercassiuellaunum dictum esse euincitur. Hoc enim nomen coniunctum est ex Cassiuellauno, cuius nominis rex Britannorum commemoratur hor. comm. VI, 11, 9, et Celtico uocabulo 'fear', quod uirum significat, quemadmodum 'fear go breith' (uirum ad iudicium) a Caesare I, 16, 5 uergobretum dictum esse ex Obrinio monuit Oberlinus. Eodem modo ex Cingetorige (Treuerum eius nominis Caesar commemorat V, 3 sqq. et Britannum eiusd. lib. 22, 1) ortum est nomen Vercingetorigis.

C. 90, 4 ex interpolatis codd. editur 'T. Labienum duabus cum legionibus et equitatu in Sequanos proficisci iubet: huic M. Sempronium Rutilum attribuit. C. Fabium et L. Minucium Basilum cum duabus legionibus in Remis collocat'. In reliquis codd. scriptum est 'C. Fabium legatum': 'inepte', inquit Oudendorpius, 'quasi alii non legati fuissent'. Hic quoque perspicitur, quid inter integros et interpolatos codd. intersit. Minucium enim Basilum non legatum, sed praefectum equitum fuisse ex VI, 29, 4 colligitur, ubi cum omni equitatu ad Ambiorigem praemissus dicitur. Et Hirtius VIII, 6, 3 Fabium duabus legionibus praefuisse scribit, ut Basilum ei eodem modo atque Sempronium Rutilum Labieno attributum fuisse appareat.

Finis praefationis libri octaui A. Hirtii omnium consensu ita editur: 'Sed ego nimirum, dum omnes excusationis causas colligo, ne cum Caesare conferar, hoc ipso crimen arrogantiae subeo, quod me iudicio cuiusquam existimem posse cum Caesare comparari': et ita scriptum est in Par. sec. a m. pr. Haun. pr. Oxon.; in reliquis legitur 'ipsum', quod non minus rectum est. Hoc enim dicit Hirtius: ego dum omnes causas colligo, ne cum Caesare con-

ferar, hac re ipsum, quod uitare uolo, arrogantiae crimen subeo: uideor enim existimare me iudicio cuiusquam posse cum Caesare comparari.

Lib. VIII, c. 4 haec in codd. scripta sunt: 'Caesar militibus pro tanto labore ac patientia, qui brumalibus diebus, itineribus difficillimis, frigoribus intolerandis studiosissime permanserant in labore, ducenos sestertios, centurionibus tot milia numum praedae nomine condonanda pollicetur'; nisi quod in iis 'condonata' peruagato errore positum est. Sed singulis centurionibus ducena milia data esse incredibile est: neque statuere licet omnibus centurionibus duarum legionum (tot enim cum Caesare fuisse c. 2, 1 dictum est) ducenta milia tributa esse. Nam ea summa neque inter CXX centuriones aequaliter distribui potest, neque inter XCVI, ut binis cohortibus utriusque legionis, quae c. 2, 2 ad impedimenta relictae dicuntur, nihil condonatum existimaremus. Et, etiamsi id fieri posset, tamen centurionibus nimia summa data esset; qua ex parte item laborat, quod ab Oudendorpio ex uno deterrimo codice, Bong. tert., positum est, 'II milia' hoc est 'bina'. Notum est enim antiquitus institutum fuisse, ut centurionibus duplex eius summae acciperent, quae militibus tribuebatur: eamque rationem Caesaris tempore seruatam esse Appiani uerba demonstrant, qui b. ciu. II, 102 ex pecunia a Caesare in triumpho traducta distributas refert *στρατιώτῃ μὲν ἀνὰ πεντακισχιλίας δραχμὰς Ἀττικάς, λοχαγῷ δ' αὐτοῦ τὸ διπλάσιον καὶ χιλιάρχῃ καὶ ἱππάρχῃ τὸ ἔτι διπλάσιον*. Itaque, quin ea, quae supra posuimus, corrupta sint, dubitare non licet; emendationem uero inuenire non potui.

C. 5, 2 codices ita exhibent: 'Caesar erumpentes eo maxime tempore acerrimas tempestates cum subire milites nollet, in oppido Carnutum Genabo castra ponit atque in tecta partim Gallorum partim, quae coniectis celeriter stramentis tentoriorum integendorum gratia erant inaedificata, milites contegit'. Verum in tecta contegi milites Latine dici recte iam Vossius negauit. Neque enim hoc eo defendi potest, ut quibusdam uisum est, quod abdi aliquid in aliquem locum dicitur: quae enim abduntur, ea mouentur, id quod contrarium est in contegendo. Itaque Hirtio dicendum fuisset, ut Tacitus dixit Germ. 46 'nec aliud infantibus ferarum imbriumque suffugium, quam ut in aliquo ramorum nexu contegantur'. Ne id quidem credi potest ab instituta orationis forma deflexisse scriptorem, cum in satis breui enuntiato reliqua omnia

ordine procedant, neque quicquam interiectum sit, quod turbare posset. Quod autem Vossius pro contegendo ponendum putabat 'collegit', probari nequit, cum milites non dispersi essent, sed coniuncti. 'Coniecit' scribendum esse Morus uidit: sed reliqua temptare non debebat. Tecta enim coniectis celeriter stramentis tentoriorum integendorum gratia inaedificata recte dicuntur, quamquam paulo neglegentius. Accurate ita dicendum erat, tecta inaedificata esse tentoriis positis eoque stramentis coniectis. Sed Hirtius, cum stramenta coniecta esse dixisset, ut tentoria tegerentur, tentoria antea posita esse et in ea stramenta coniecta, quod per se intellegebatur, planius declarare supersedit.

Verba c. 9, 3 in Par. pr., de quo errauit Achaintrius, et reliquis integris codd., ut a minoribus quibusdam discrepantiis discedamus, ita scripta sunt: 'Haec' (castra dicit Hirtius) 'imperat uallo pedum duodecim muniri, loriculam pro hac ratione eius altitudinis inaedificari, fossam duplicem pedum denum quinum lateribus deprimi directis, turres excitari crebras in altitudinem trium tabulatorum, pontibus traiectis constratisque coniungi, quorum frontes uiminea loricula munirentur: ut ab hostibus duplici fossa, duplici propugnatorum ordine defenderentur, quorum alter ex pontibus, quo tutior altitudine esset, hoc audacius longiusque permitteret tela, alter, qui propior hostem in ipso uallo collocatus esset, ponte ab incidentibus telis tegeretur'. Pro uerbis illis 'loriculam pro hac ratione eius altitudinis inaedificari' in interpolatis codd. haec tantum leguntur: 'coronis inaedificari'. Haec inde orta sunt, quod magister in margine ad illa uerba annotauerat 'coronis', quo significaret loriculam summae ualli praecincturae inaedificatam esse. Quamquam neque multitudinis numero uti debebat neque in terreno uallo de corona cogitare: muri lapidei corona commemoratur apud Curt. IX, 4, 30, parietum coronae saepe apud Vitruuium. Sed librarius hanc unam uocem pro omnibus illis 'loriculam pro hac ratione eius altitudinis' ponendam existimauit. Verum haec uerba, quemadmodum in optimis codd. leguntur, recte habere non possunt. Neque enim lorica ullam poterat rationem habere ad altitudinem ualli, ut, quo hoc esset altius, eo ipsa quoque altior inaedificaretur. Nam cum ad eos defendendos institueretur, qui in uallo stabant, militis altitudini accommodari debebat, ut et ipse tegeretur et tela desuper iacere et pugnare commode posset. Multo minus Hirtius pro hac ratione altitudinis ualli loricam inae-

dificatam dicere potuit, cum nulla ratio superioribus uerbis declarata esset. Mihi scribendum uidetur 'loriculam per aggerationem eius altitudini inaedificari'. Per aggerationem hanc loricam inaedificatam esse notatur, quia infra in pontibus uiminea loricula commemoratur. VI, 40, 6 ex cratibus pinnae loricaeque uallo attextae dicuntur. Aggeratio, quo uocabulo usus est Vitruuius X, 16, 9 'naues supra aggerationem, quae fuerat sub aqua, sederunt', apud Hirtium eo minus offendere debet, cum non agger, sed ipsum aggerare significetur. Quod quorundam uerborum ordinem secundum optimos codd. mutaui, de reliquis nihil monendum uidetur: id contra uulgarem regulam fit, quod 'fossam pedum denum quinum' posui. Verum eodem modo Caes. b. Gall. I, 8, 1 'milia passuum decem nouem' scripsit, et Priscian. p. 1170 Putsch. Liuium frequenter 'decem septem' dixisse tradit, apud quem XXXVIII, 38 uerba 'ne minores octonum denum annorum neu maiores quinum quadragenum' ipsa quoque illi regulae repugnant. Verba 'ut ab hostibus duplici fossa, duplici propugnatorum ordine defenderentur' referuntur ad superiora 'haec imperat' cett., et castra defendi dicuntur. In interpolatis codd. pro his uerbis inepta quaedam posita sunt, ex quibus et optimorum codd. scriptura Dauisius ea conglutinauit, quae apud Oudendorpium leguntur, de quibus dicere nihil attinet.

C. 12, 1 Oudendorpius ex pessimis quibusdam codd. ita edidit: 'Quod cum cotidie fieret ac iam consuetudine diligentia minueretur, quod plerumque accidit diuturnitate, Bellouaci delecta manu peditum cognitis stationibus cotidianis equitum nostrorum siluestribus locis insidias disponunt eodemque equites postero die mittunt, qui primum elicerent nostros insidiis, deinde circumuentos aggrederentur'. 'Insidiis' Oudendorpius recte dici existimabat pro eo, quod antea edebatur, 'in insidias'. Debebat certe sequentibus uerbis coniungere. Cum in integris codd. omnia a §. 1 sup. cap. usque ad §. 3 huius cap. exciderint, interpolati hic primam auctoritatem obtinent. In omnibus autem eius generis praeter Scalig., in quo Oudend. 'insidiis' legi ait, scriptum est 'insidiae'. Itaque uidit Whittins id uocabulum tollendum esse: erat enim in margine ascriptum, ut, quid hoc loco contineretur, indicaret. Similiter uocabulum paulo inferius, c. 24, 3, in optimis codd. interpolatum est, ubi ex interpolatis editur 'ne quod simile incommodum accideret decursione barbarorum, ac superiore aestate Terge-

stinis acciderat, qui repentino latrocinio atque impetu eorum erant oppressi'. In reliquis scriptum est 'impetu incolae illorum' leniter in quibusdam medio uocabulo corrupto. Recte iam Vascosanus eiectis incolis edidit 'impetu illorum'.

C. 13 initium in codd. utriusque familiae sic scriptum est: 'Non intermittit interim cotidiana proelia in conspectu utrorumque castrorum, quae ad uada transitusque fiebant paludis'. Id ipsum probari nequit: nam quod Oudendorpius Caesarem proelia non intermisisse intellegi posse opinatur, neque adeo neglegenter scripsit Hirtius, et inferius 'fiebant' demonstrat certam personam ab eo non esse significatam. Ponendum erat, quod in Haun. pr. legitur, 'intermittunt'. Id eodem modo dixit Caesar b. Gall. I, 38, 5 'qua flumen intermittit' et Sen. epist. III, 8 (29), 7 'uitia eius, etiamsi non excidero, inhibebo, si non desinent, intermittent: fortasse autem et desinent, si intermittendi consuetudinem fecerint'. Ita enim uerba 'non desinent, si intermittent' corrigenda uidentur: ineptule enim Seneca id tamquam certum poneret, quod statim mutari posse subiungit.

C. 14, 4 falsum non erat, quod Oudendorpius in prima editione posuerat: 'Ita cum paludem impeditam a castris castra diuidere (quae transeundi difficultas celeritatem insequendi tardare posset) atque id iugum, quod trans paludem paene ad hostium castra pertineret, mediocri ualle a castris eorum intercisum animum aduerteret, pontibus palude constrata legiones traducit'. In omnibus tamen codd. scriptum est 'palude impedita', et 'diuideret' in Voss. pr. Egm. Leid. pr. Scal. Cuiac. multisque deterioribus. In Bong. pr. haec ita leguntur: 'ita palude impedita a castris castra dum uideret'; in Par. pr. 'ita cum palude impedita a castris castra dum diuideret'; in Haun. pr. 'ita palude impedita castra castrisque dimitterent dum diuideret; ex Par. sec. Achaintrius haec protulit: 'ita cum palude impedita castra castris dimitterent dum diuideretur', passiuum 'diuideretur' ex hoc aeque falso, ut arbitror, atque quod idem in Par. pr. legi dixit. His discrepantiis motus Oudendorpius in altera editione tres deteriores codd. secutus haec posuit: 'ita cum palude impedita a castris castra diuiderentur', eademque Whittius, nisi quod 'cum' particulam post 'castra' retraxit. Haec ad codd. non propius accedunt quam ea, quae initio posui, et hoc nomine uitiosa sunt, quod prima enuntiatio ex Hirtii sententia ponitur, cum coniunctiuus adiuncti enuntiati 'quae diffi-

cultas — tardare posset' haec ex Caesaris mente declarata esse demonstret. Secundum scripturas binorum utriusque familiae codd., Bong. pr. Par. pr. Par. sec. Haun. pr., ita haec constituenda erant: 'Ita cum palude impedita a castris castra diuidi uideret', quae reliquorum quoque codd. scripturae optime conueniunt, si tamen accurate relatum est de omnibus.

C. 15, 5 in integris codd. haec leguntur: 'Bellouaci, cum Romanos ad insequendum paratos uiderent neque pernoctare aut diutius permanere sine periculo eodem loco possent, tale consilium sui recipiendi ceperunt. Fasces, ut consueuerant (namque in acie sedere Gallos consuesse superioribus commentariis Caesaris declaratum est), per manus stramentorum ac uirgultorum, quorum summa erat in castris copia, inter se traditos ante aciem collocarunt extremoque tempore diei signo pronuntiato uno tempore incenderunt'. Hic uerba 'namque in acie sedere Gallos consuesse superioribus commentariis Caesaris declaratum est' inexplicabilem habent difficultatem. Neque enim tale quicquam a Caesare usquam relatum est. Nam quod quidam Hirtium respicere arbitrati sunt ad ea, quae leguntur b. Gall. III, 18 extr. 'laeti ut explorata uictoria sarmentis uirgultisque collectis, quibus fossas Romanorum compleant, ad castra pergunt', neque de sedendo, in quo summa rei uertitur, ibi relatum est, et usus sarmentorum et uirgultorum ad fossas complendas Gallis non magis quam Romanis atque adeo omnibus populis familiaris uideri potest. Neque huius rei mentionem apud Caesarem perisse credibile est: superiores enim commentarii omni ex parte integri sunt. Et tamen haec res adeo notabilis erat, ut Caesarem, cum tot proelia narraret, eius non meminisse neque ullum alium scriptorem de ea mentionem iniecisse mirabile uideri deberet. Nam quae ex aliis auctoribus prolata sunt, quamquam de aliis populis, tamen ne similia quidem sunt, uelut quod Strabo III p. 249 Alm. de Vettonibus scribit: *τοὺς Οὐέττωνας, ὅτε πρῶτον εἰς τὸ τῶν Ῥωμαίων παρῆλθον στρατόπεδον, ἰδόντας τῶν ταξιαρχῶν τινας ἀνακάμπτοντας ἐν ταῖς ὁδοῖς περιπάτου χάριν μανίαν ὑπολαβόντας ἡγεῖσθαι τὴν ὁδὸν αὐτοῖς ἐπὶ τὰς σκηνάς, ὡς δέον ἢ μένειν καθ' ἡσυχίαν ἱδρυθέντας ἢ μάχεσθαι.* Neque conferri possunt, quae apud Liu. XXXV, 11 de Gallis leguntur: 'qui primo intenti paratique, si lacesserentur, in stationibus fuerant, iam inermes sedentesque pars maxima spectabant': nam cum Galli exitum con-

uallis obsiderent, considendo nihil peculiare faciebant. Quamobrem non Hirtius neglegentiae accusandus est, quasi aliquam rem apud Caesarem declaratam dixisset, quae apud eum non legeretur, sed tota res commenticia existimanda. Corrigi autem haec uerba non possunt, cum Caesar ne de fascibus quidem ullam Gallorum consuetudinem retulerit. Recte Wassius, cui plures assensi sunt, haec spuria esse iudicauit. Atque in ea scriptura, quam supra posui, haec uerba inepte adici apparet: causa adiciendi erat, cum haec ita scribebantur, ut in interpolatis codd. factum est: 'fasces, ubi consederant (namque in acie sedere Gallos consuesse superioribus commentariis declaratum est)'. Itaque sic statuendum existimo, in codice archetypo uerbis 'ut consueuerant' ascriptam esse scripturae discrepantiam 'ubi consederant' eique reliqua uerba adiecta, quibus comprobaretur. Deinde in integris codd. seruata prima scriptura additamentum tantum ascitum esse, in interpolatis, cum librarius ea, quae suprascripta essent, sequi consuesset, 'ubi consederant' quoque pro illis 'ut consueuerant' receptum.

C. 16, 2 restitui hanc scripturam: 'Equites cum intrare summum iugum et flammam densissimam timerent' cett. Nam quod editur 'intrare fumum et flammam', in solis Haun. pr. And. Oxon. scriptum est, cum iugum intrari non posse uideretur. Sed Hirtius, cum intrandi uerbum poneret, de flamma potissimum cogitauit. Similia sunt haec Caes. b. Gall. III, 13 in. 'uada ac decessum aestus excipere', ubi mirabilia a Schneidero excogitata sunt de uadorum nescio quo hostili impetu; VI, 37, 7 'deleto exercitu atque imperatore'; b. ciu. III, 10, 9 'depositis armis auxiliisque'; Liu. XXXIV, 2 'foro et contionibus et comitiis immisceri', nisi quod haec maiorem excusationem habent, cum uerbum ei uocabulo, cui accommodatum est, adiciatur. Sed id item neglectum est a Cicerone in Verr. 17, 51 'cum populo Romano et in laude et in gratia esse', quae eadem leguntur I, 8, 21, et I, 1, 1 'iste certe statuerat et deliberauerat non adesse'; et a Tacito ann. II, 29 'manus ac supplices uoces ad Tiberium tendens', XIII, 25 'ludicram quoque licentiam et fautores histrionum uelut in proelia conuertit'.

C. 24, 3 in codd. ita scriptum est: 'Titum Labienum ad se euocat, legionem autem duodecimam, quae cum eo fuerat in hibernis, in togatam Galliam mittit ad colonias ciuium Romanorum

tuendas'. At c. 54, 3 haec legimus: 'Caesar tamen, cum de uoluntate minime dubium esset aduersariorum suorum, Pompeio legionem remisit et suo nomine quintam decimam, quam in Gallia citeriore habuerat, ex senatus consulto iubet tradi. In eius locum tertiam decimam legionem in Italiam mittit, quae praesidia tueretur, ex quibus praesidiis quinta decima deducebatur'. Hinc recte iam Ciacconius statuit utroque loco eandem legionem ponendam esse, sed falsis quibusdam rationibus inductus eam quartam appellatam fuisse credidit. Neque duodecimam et quintam decimam in Gallia citeriore fuisse, sed unam; et quintam decimam utroque loco ponendam esse apparebit, cum, quot legiones Caesar in Gallia habuerit, exposuerimus. Cum Caesar pro consule in Galliam ueniret, in ulteriore prouincia una erat legio (I, 7, 2), tres circum Aquileiam hiemabant, duas ipse Caesar in citeriore prouincia conscripsit et has quinque in ulteriorem Galliam adduxit (I, 10, 3). Itaque primo anno sex legiones in exercitu Caesaris fuerunt, qui numerus I, 24, 2 legitur. Secundo anno duas legiones nouas conscripsit (II, 2): et II, 8, 5 octo legiones commemorari uidemus. Harum sex ueteranae initio Neruici proelii aderant, duae, quae eo anno conscriptae fuerant, sub finem proelii superuenerunt (c. 19, 2 et 5). Illae sex c. 23 appellantur VII, VIII, IX, X, XI, XII. Itaque cum eae legiones, quae in citeriore Gallia erant, primae numeratae esse uideantur, tres illas, quae aduentu in Galliam Caesaris circum Aquileiam hiemabant, septimam, octauam, nonam; unam, quae in ulteriore prouincia erat, decimam; duas, quae primo anno conscriptae sunt, undecimam et duodecimam; duas denique, quae hoc secundo anno accesserunt, tertiam decimam et quartam decimam appellatas esse statuemus. Et undecimam primo anno constitutam esse Hirtius VIII, 8, 2 confirmat, ubi septimam, octauam, nonam ueterrimas dicit, undecimam, licet octo stipendia meruisset, nondum tamen eandem uetustatis ac uirtutis cepisse opinionem. Proximis tribus annis nouas legiones conscriptas non esse et quinto anno exercitum etiamtum octo legionibus constitisse ex V, 8 uidemus, nisi quod eo anno quinque cohortes supra numerum fuerunt. Nam V, 24 Caesar legionibus hiberna ita distributa esse refert: 'unam', inquit, 'in Morinos ducendam C. Fabio legato dedit, alteram in Neruios Q. Ciceroni, tertiam in Esuuios L. Roscio' (hanc fuisse tertiam decimam c. 53, 6 declaratur), 'quartam cum T. Labieno in confinio Treuerorum

hiemare iussit, tres in Belgio collocauit (his M. Crassum quaestorem et L. Munatium Plancum et C. Trebonium legatos praefecit), unam, quam proxime trans Padum conscripserat, et cohortes quinque in Eburones misit: his militibus Q. Titurium Sabinum et L. Aurunculeium Cottam legatos praeesse iussit'. Quae uerba 'quam proxime trans Padum conscripserat' non ita intellegenda sunt, quasi ea legio hoc anno conscripta esset (octo enim legiones Caesarem iam secundo anno habuisse uidimus), sed significatur ea legio, quae secundo anno ultima constituta erat, quarta decima. Quindecim autem cohortes Sabini et Cottae insigni clade ab Ambiorige, rege Eburonum, in hibernis deletae sunt, uix ut pauci effugerent, quae res narratur inde a c. 26 usque ad c. 38. Itaque initio sexti anni Caesar et ipse delectum habuit et a Cn. Pompeio impetrauit, ut, quos ille consul ex Gallia cisalpina sacramento rogauisset, ad signa conuenire et sibi tradi iuberet. Inde tres legiones effectas esse, ita ut amissarum cohortium numerus duplicaretur, VI, 1, 4 et 32, 5 declaratur. Ex his tribus legionibus cum una c. 32, 5 quarta decima appelletur, hanc in locum quartae decimae cum Cotta et Sabino amissae successisse, alteram autem, quam item ipse Caesar conscripserat, quintam decimam appellatam fuisse apparet. Tertiam uero, quam Cn. Pompeius dederat, retento eo nomine, quod is indiderat, primam dictam esse Hirt. VIII, 54, 2 demonstrat. Itaque sexto anno Caesar decem legiones in exercitu habuit, septem ueteranas, tres nouas. Atque is numerus et VI, 32 et 33 legitur et extremo sexto commentario in hiberna distributus dicitur. Septimi anni initio Caesar delectum quidem tota citeriore prouincia habuit (VII, 1, 1) supplementumque in Galliam ulteriorem adduxit (7, 5), quod postea Labieno, cum eum in aliam partem dimitteret, attribuit (57 in.), sed ante defectionem Haeduorum certe noua legio non accessit. Nam Caesar, cum hiberno etiam tum tempore anni ob rebellionem Galliarum ad exercitum uenisset et contra Vercingetorigem proficisceretur, duas legiones Agedici impedimentis praesidio reliquit (10, 4). Has initio ueris, cum Caesar quasi nouum belli initium caperet (32, 2), exercitui rursus adiunctas esse inde apparet, quod Labienus c. 57 Agedici supplementum illud, de quo modo dixi, reliquisse dicitur. Itaque initio ueris Caesar exercitum in duas partes diuisit: quattuor legiones Labieno in Senones Parisiosque ducendas dedit, sex ipse in Aruernos duxit (34, 2), ita ut totum exercitum etiam tum

decem legionum fuisse uideamus. Et numerus sex legionum Caesaris ponitur etiam c. 40, quattuor Labieni 57 in. et 60. Sed certe sub finem aestatis noua legio aderat, quae sexta appellabatur. Nam extremo libro septimo Caesar se legiones ita in hibernis collocasse scribit, ut T. Labienum cum II legionibus in Sequanis, C. Fabium item cum II in Remis, C. Antistium Reginum in Ambilaretis, T. Sextium in Biturigibus, C. Caninium Rebilum in Rutenis cum singulis legionibus, Q. Tullium Ciceronem et P. Sulpicium Cabilloni et Matiscone ad Ararem poneret, ipse Bibracte hiemaret. Atqui ad Ararim quartam decimam, cui Cicero praeesse solebat (VI, 32, 5), et sextam legionem collocatas fuisse Hirt. VIII, 4, 3 refert ad extremum librum septimum respiciens. Mirum est autem neque, quando haec sexta legio conscripta sit, usquam referri (id quod in superioribus legionibus accurate a Caesare factum esse uidimus), neque eam numero notatam esse reliquis inferiorem, sed tamquam antiquissimam sextam esse appellatam. Itaque non sine causa conicere mihi uideor hanc fuisse legionem Alaudam, quam Suet. Caes. 24 ex transalpinis conscriptam postea uniuersam a Caesare ciuitate donatam esse scribit. Ea, cum auxiliaris omnia belli Gallici stipendia meruisset, numero quoque ueterrimis legionibus uidebatur adiungenda. Neque ignoro in inscriptionibus ap. Grut. 403, 2. 544, 2. 559, 7. Reines. 410, 35. Orell. 773 quintae legioni cognomen Alaudae apponi. Verum hanc quintam legionem inferiore tempore constitutam esse necesse est. Caesariana enim quinta legio anno 48 a Q. Cassio Longino in ulteriore Hispania conscripta est (Hirt. b. Alex. 50 et 53 extr.). Octauo igitur anno Caesar undecim legiones habuit. Nam cum eo anno unam legionem in Italiam misisset (VIII, 24, 3), deinde hiberna ita distributa esse Hirtius refert (46, 3), ut quattuor legiones in Belgio, duae in Haeduis, duae in Turonis, duae in Lemouicibus collocarentur. Nono autem anno Cicero ad Att. VII, 7, 6 Caesarem item undecim legiones tenere scribit. Sed hoc nono anno senatus consultum factum est, ut ad bellum Parthicum una legio a Cn. Pompeio, altera a C. Caesare traderetur. Itaque cum Pompeius eam legionem, quam Caesari sexto anno commodauerat, repeteret, Caesar et hanc tradidit et suo nomine eam, quam in citeriore Gallia habebat, dedit: in huius autem locum tertiam decimam in Italiam misit (VIII, 54). His igitur tribus detractis Caesar in ulteriore Gallia octo legiones retinebat: et nono anno

Hirtius (c. 54) quattuor legiones in Belgio, totidem in Haeduis ad hiemandum collocatas scribit. Itaque, ut ad eum locum, a quo digressi sumus, reuertamur, ut c. 24 duodecima legio in Italiam missa esse et c. 54 quinta decima ibi fuisse recte diceretur, statuendum esset medio tempore hanc in illius locum missam esse, quod, cum nulla eius rei causa esset, incredibile est. Neque utraque legio in citeriore Gallia esse potuit: nam si id factum esset, exitu noni anni septem tantum legiones in ulteriore prouincia relictae essent. Duodecimam autem legionem Pompeio non esse traditam inde certum est, quod haec b. ciu. I, 15, 3 cum Caesare fuisse dicitur. Itaque c. 24, 3 pro duodecima legione quinta decima ponenda est. Quod autem supra dixi Ciacconium utroque Hirtii loco quartam legionem poni uoluisse, idem apud Caes. b. ciu. III, 88, 1, ubi de acie a Pompeio ad Pharsalum instituta haec leguntur: 'erant in sinistro cornu legiones duae traditae a Caesare initio dissensionis ex senatus consulto, quarum una prima, altera tertia appellabatur', pro tertia item quartam a Caesare positam esse existimabat. Causa, cur ita statueret, haec erat, quod Lucanus VII, 219 in sinistro Pompeii cornu primam et quartam legionem fuisse scriberet. Quod ad Hirtium attinet, non uidit Ciacconius legioni quintae decimae aliud nomen a Pompeio inditum esse, ne suarum legionum seriem turbaret: neque tantum Lucano tribuendum est, ut apud Caes. b. ciu. III, 88, 1 codicum scripturam deseramus. Non numeraui autem in recensu legionum Caesaris cohortes duas et uiginti, quas a L. Caesare legato, cum Aruerni prouinciam irrumperent, ex ipsa prouincia ad omnes partes oppositas esse VII, 65 refertur. Nam cum Caesaris aduentu unam legionem decimam in ulteriore Gallia fuisse constet, neque plures conscriptas esse relatum sit, quam enumerauimus, nostra autem ratio a Cicerone confirmetur, illas cohortes non legionarias, sed auxiliares fuisse statuendum est.

C. 27, 4 sic correxi: 'equitatuque tantum procedere ante agmen imperat legionum' cett., cum ederetur 'equitatumque'. Vnum enim hunc locum noui, qui Maduigio refragetur obseru. ad gramm. Lat. p. 78 imperandi uerbo apud antiquiores scriptores accusatiuum et infinitiuum nisi passiuum subici neganti. Monuit idem Caesari b. Gall. VII, 60, 3 scribere licuisse 'quinque' [cohortes] 'eiusdem legionis reliquas proficisci imperat', quod forma infinitiui esset passiua. Eandem rationem haec habent b. Afr.

66, 1 'imperat porta decumana legiones se ueteranas sequi'. Quibus autem locis accusatiuus cum actiuo infinitiuo ponitur, apud Caes. b. ciu. III, 42, 2 'eo partem nauium longarum conuenire, frumentum commeatumque comportari imperat' et b. Afr. 11, 2 'de nauibus imperat omnes egredi atque armatos in littore reliquos aduenientes milites expectare', eos ita comparatos esse uidemus, ut alter infinitiuus, qui passiuam formam habet, proximum imperandi uerbo locum teneat, actiuus neglegentia quadam scriptoris ponatur aut illo uerbo se usurum non praeuidentis aut usum esse non attendentis. Ceterum quod apud Hirtium 'equitatuque' posui, datiuum me intellegi uelle uix est, quod moneam.

C. 28, 2 haec edebantur: 'Cuius praeceptis ut res gereretur, Q. Atius Varus praefectus equitum, singularis et animi et prudentiae uir, suos hortatur agmenque hostium consecutus turmas partim idoneis locis disponit, partim equitum proelium committit'. Hic extrema eam tantum sententiam admittunt, ut Varus equestre proelium commisisse dicatur. Id autem et putide admodum declaratur, cum nullas copias nisi equestres secum haberet, neque ita haec priori membro respondent. Edidi igitur 'turmas partim idoneis locis disponit, parte equitum proelium committit'.

C. 42, 4 in 'multis codd.' Oud. ita scriptum est: 'Res enim gerebatur et excelso loco et in conspectu exercitus nostri. Ita ut quisque poterat maxime insignis, quo notior testatiorque uirtus esset eius, telis hostium flammaeque se offerebat'; in Par. pr. et 'sex' codd. Oudendorpii 'ut' ante 'quisque', in Egm. 'poterat' omissum est. Interpolati hactenus discrepant, quod in iis legitur 'ita quam quisque'. 'Offerebant' ex paucis deterioribus editur. Sed codicum scriptura aperte falsa est. Aut enim dicendum erat 'ut quisque poterat maxime insigniter, telis se offerebat', aut 'ut quisque poterat, maxime insignem telis se offerebat'. Secundum 'sex' codd. Oud., inter quos optimos esse consensus Par. pr. docet, haec ita emendaui: 'Ita quisque, ut erat maxime insignis, quo notior testatiorque uirtus esset eius, telis hostium flammaeque se offerebat'.

Verba c. 48, 3 ita constituenda existimaui: 'Nouissime cum uehementius contenderetur, ac Volusenus ipsius intercipiendi Commii cupiditate pertinacius eum cum paucis insecutus esset, ille autem fuga uehementi Volusenum produxisset longius, inimicus homini suorum inuocat fidem atque auxilium, ne sua uulnera per fidem imposita paterentur impunita, conuersoque equo se a ceteris

incautius permittit in praefectum'. Hic uerba 'inimicus homini', quae in omnibus codd. leguntur, a criticis eiecta sunt; credo, quod inepte Commius, cum proelio cum Voluseno contenderet, huic inimicus dici uidebatur. Sed id hic rectissime fit. Commius enim cum Voluseno priuatas habebat inimicitias, quod per eum specie colloquii insidiis circumuentus grauiter erat uulneratus, quae res c. 23 narrata est. Itaque his uerbis declaratur, quid Commium permouerit, ut praefectum subito aggrederetur. Ante proxima uerba 'suorum inuocat fidem' uulgo haec inseruntur: 'repente omnium'. Verum ea in solis Haun. pr. Scal. Cuiac. leguntur. In Par. sec. et Leid. pr. 'repente', in Par. pr. Voss. pr. Egm. quibusdam deterioribus utrumque uocabulum omissum est. Itaque integros codices secutus sum. Deinde 'uulnera per fidem imposita' posui coniecturam Gruteri secutus. In interpolatis codd. scriptum est 'perfidia interposita'. In Par. pr. Voss. pr. et quibusdam deterioribus 'per fidem interpositam' legitur. De Egm. non constat per Oudendorpii oscitantiam, qui haec scribit: 'perfidia inposita' Egm. et Voss. sec. sed 'perfidia inposita' est in Andin. et Petauiano'. Neque 'per fidem interpositam' neque 'perfidia interposita' ferri possunt: illis enim participium aliquod ad 'uulnera' pertinens adiciendum erat, perfidia interposita dici nequit. Par. pr. et Voss. pr. scriptura recte Gruterum emendasse demonstrat 'per fidem imposita'. Vulnera enim imposita dicuntur per fidem datam nec seruatam, ut his locis: Caes. b. Gall. I, 46, 3 'committendum non putabat, ut pulsis hostibus dici posset eos ab se per fidem in colloquio circumuentos'; Cic. de inuent. I, 39, 71 'qui saepenumero nos per fidem fefellerunt, eorum orationi fidem habere non debemus', pro Rosc. Am. 40, 116 'ad cuius igitur fidem confugiet, cum per eius fidem laeditur, cui se commiserit?'; Liu. I, 9 'per fas ac fidem decepti', XXXVIII, 25 'maior multo pars per fidem uiolati colloquii poenas morte luerunt'; Sen. de prouid. 3, 7 'multa milia ciuium Romanorum uno loco post fidem, immo per ipsam fidem trucidata'. Quae exempla alia aliis locis a grammaticis posita coniunxi.

C. 51 sic scripsi: 'Cum liberis omnis multitudo obuiam procedebat, hostiae immolabantur, tricliniis stratis fora templaque occupabantur, ut uel spectatissimi triumphi laetitia praecipi posset. Tanta erat magnificentia apud opulentiores, cupiditas apud humiliores'. Nam cum Caesaris aduentus 'expectatissimi triumphi', id

quod edebatur, speciem praebuisse dicitur, eo epitheto nihil earum rerum continetur, quae antea commemoratae sunt, ne laetitia quidem. Spectatissimus autem triumphus solemni uocabulo is ipse appellatur, cuius hic similitudo declaratur, qui et magnificentia et studio atque frequentia hominum celebratur.

C. 52, 4 haec in codd. leguntur: 'Nam C. Curio, tribunus plebis, cum Caesaris causam dignitatemque defendendam suscepisset, saepe erat senatui pollicitus, si quem timor armorum Caesaris laederet, et quoniam Pompeii dominatio atque arma non minimum terrorem foro inferrent, discederet uterque ab armis exercitusque dimitteret: fore eo facto liberam et sui iuris ciuitatem'. Hic quaerenti Th. Bentleio, quid tandem pollicitus esset Curio, Oberlinus respondit fore eo facto liberam ciuitatem. Id uero inepte Curio pollicitus diceretur, quod aut re ipsa euenturum quisque uidebat, aut, si etiam dimissis a Caesare et Pompeio exercitibus dubium esse posset, non polliceri, sed affirmare aut spondere poterat. Quid Curio pollicitus sit, sequentia docent: 'neque hoc tantum pollicitus est, sed etiam per se discessionem facere coepit'; discessionem enim de ea tantum re facere poterat, ut et Caesar et Pompeius ab armis discederent. Itaque ea uerba, quae initio posui, accurate ita erant enuntianda: 'C. Curio saepe erat senatui pollicitus, si Pompeius exercitus dimitteret, idem Caesarem esse facturum'. Sed interiectis quibusdam uerbis oratio ad iussiuam formam deflexa est 'discederet uterque ab armis', tamquam supra non pollicendi uerbum, sed postulandi uel simile positum esset. At uerba 'quoniam Pompeii dominatio atque arma non minimum terrorem foro inferrent', quibus causa declaratur, cur non solum a Caesare, sed etiam a Pompeio exercitus dimittendi uideantur, nullo modo cum protasi illa 'si quem timor armorum Caesaris laederet' coniungi possunt. Itaque particula 'et', quae 'laederet' sequitur, delenda est. Hoc uidit Whittius; sed 'si' particula ante 'discederet' adiecta dum formam orationis corrigit, sententia eandem peruersitatem nacta est, quam supra reprehendi. Ceterum sequentia quoque minus accurate conformata sunt: 'Neque hoc tantum pollicitus est, sed etiam per se discessionem facere coepit: quod ne fieret, consules amicique Pompeii iusserunt atque ita rem moderando discusserunt'. Extremum enim uerbum recte Iurinius ponendum dixit pro inepto 'discesserunt'. Sed idem 'moderando' insuper mutans, pro quo 'morando' poni uolebat, suam ipse emen-

dationem corrupit. Haec igitur uerba ita scripta sunt, quasi superioribus accurate declaratum esset, quid Curio esset pollicitus. Deinde sequentis capitis initium 'Magnum hoc testimonium senatus erat uniuersi conueniensque superiori facto' cett. nihil habet in superioribus, quo referatur, cum senatum Curionis sententiam sequi uoluisse non declaratum sit. Id autem ita fuisse inde intellegendum est, quod consules rem artificio tantum moderandoque discussisse dicuntur.

Cum finis octaui libri de bello Gallico perierit, dubitatum est, utrum Hirtius narrationem usque ad ea, quae hodie initio commentariorum de bello ciuili leguntur, perduxisset, an etiam horum initio quaedam perissent. Atque hoc Vossio et Glandorpio uisum est, quia non credebant Caesarem ab his uerbis: 'Litteris Caesaris consulibus redditis aegre ab iis impetratum est summa tribunorum plebis contentione, ut in senatu recitarentur', ab his igitur Caesarem initium facturum fuisse, ita ut neque, quamobrem misisset litteras, neque, quas condiciones iis senatui tulisset, declararet. At Caesarem non totam causam ciuilis dissensionis exposuisse octauus Hirtii commentarius de bello Gallico docet, qui acta in hac re Seruio Sulpicio, M. Marcello consulibus et omnia fere sequentis anni persecutus est. Iam extrema res apud Hirtium c. 55 haec narratur, duas legiones a Caesare remissas per C. Marcellum Cn. Pompeio traditas atque in Italia retentas esse. Hoc autem exitu anni, quo L. Paullus, C. Marcellus consules fuerunt, gestum est paulo ante Idus Decembres (nam Curio, quem tum affuisse scimus, post paulo peracto tribunatu profectus est ad Caesarem): neque quicquam amplius ab illis consulibus actum est. Vid. Cass. Dion. XL, 64 — 66. Itaque inter ea, quae apud Hirtium supersunt, et initium librorum de bello ciuili nihil deest, quam ipsas illas litteras, quae hic commemorantur, a Caesare missas esse. Quam rem si a Caesare expositam esse statuimus, nihil relinquetur, quod apud Hirtium perire potuerit. Litterae autem Caesaris in senatu traditae sunt ipsis Calendis Ianuariis, ut Cassius Dio refert XLI in. Id uero plane conuenit Caesaris consuetudini, qui singulorum annorum singulos commentarios componere solebat, id quod Hirtius commemorat VIII, 48, 10: a qua consuetudine semel ita recessit, ut res primo anno belli ciuilis gestas ob copiam in duos libros distribueret, quorum tamen alter pleraque ab aliis gesta com-

plectitur. Abruptum autem exordium librorum de bello ciuili eum non offendet, qui Caesarem res duorum superiorum annorum non praetermisisse, sed distulisse reputauerit, eoque minus, siquidem, ut nobis uisum est, Caesar hos de bello ciuili commentarios ipse non edidit. Itaque recte Morus iudicauit eorum initio nihil deesse uideri.

Lib. I de b. ciu. c. 2, 3, ubi ita editur: 'timere Caesarem abreptis ab eo duabus legionibus, ne ad eius periculum reseruare et retinere eas ad urbem Pompeius uideretur', illud 'abreptis' in solo Leid. sec. legitur. In reliquis codd. scriptum est 'correptis' peruagato errore pro 'ereptis', cum praepositio, quae est 'con', littera c superducta lineola notaretur. Eripi aliquid ab aliquo dixit Cic. Verr. I, 41, 106. IV, 7, 14; in Vat. 12, 29.

C. 3, 2 in optimis codd. haec scripta sunt: 'Multi undique ex ueteribus Pompeii exercitibus spe praemiorum atque ordinum euocantur, multi ex duabus legionibus, quae sunt traditae a Caesare, arcessuntur. Completur urbs et ius comitium tr. pl. centurio euocat'. Hic tria extrema uerba non potest dubium esse quin Oudendorpius recte ita emendauerit: 'tribunis, centurionibus, euocatis'. Nam uox 'plebis' adiecta potius a librario, quam 'militum' pro ea ponendum uideri debet. Sed quod idem pro illis 'et ius comitium' editionem Ven. a. 1494 secutus 'et eius comitium' scribendum existimauit, probari non potest. Nam aut comitium in urbe fuisse inepte demonstraretur, aut urbis comitium ab altero discerneretur, quod nullum erat. Neque omnino recte urbs euocatis et duarum legionum tribunis atque centurionibus compleri dicitur, quorum hominum non magnus numerus erat. Itaque illa 'et ius' reliquias esse credo uocabuli 'militibus', cuius priorem partem superior uox absorbuerit, et haec ita scribenda esse arbitror: 'completur urbs militibus, comitium tribunis, centurionibus, euocatis'. Tribuni enim, centuriones, euocati, ut honestiores, eam partem fori occupauerant, quae curiae proxima erat.

C. 5, 3 haec apud Oudendorpium leguntur: 'Decurritur ad illud extremum senatus consultum, quo nisi paene in ipso urbis incendio atque in desperatione omnium salutis latorum audacia numquam ante discessum est, dent operam consules, praetores, tribuni plebis quique consulares sunt ad urbem, ne quid respublica detrimenti capiat'. Hic duo uitia recte sublata sunt, alterum a Kohlio, qui 'descensum est' ponendum dixit, alterum a Pantaga-

tho, qui paulo inferius scribendum esse uidit 'quique procons. sunt ad urbem', siue 'proconsules' siue 'pro consulibus' interpretari malumus. Oudendorpius in suis codd. scribi ait 'consules' uel 'conš.': illud est in Haun. pr., hoc in Par. sec. In hoc autem et Leid. pr. atque Scal. 'sunt' non legitur, ut liberum fuerit coniunctiuum ponere: neque enim omitti uerbum in hac orationis forma poterat. Difficilius diiudicatur, quemadmodum uerba 'latorum audacia' corrigenda sint. Nam quod 'latores' Oudendorpius ita defendit, ut eos intellegi dicat, qui ad senatum tulissent, non ferebatur ad senatum, sed referebatur. Et tamen inepte audacia eorum, qui retulissent, ad illud senatus consultum descensum diceretur: neque enim referebatur, ut hoc uel illud decerneret senatus, sed de hac uel illa re quid uideretur, ut relatione quidem sententiae senatorum nulla ex parte impedirentur. Huc cum accederet, quod haec in generali sententia 'nisi paene in ipso urbis incendio numquam ante descensum esse' non recte poni uiderentur (nam quod I. Fr. Gronouius per exclamationem et admirationem adiecta putabat, a Caesaris genere alienum est), Dauisius uerba 'latorum audacia' delenda existimauit. Dubito tamen, an corrigendum sit 'paucorum audacia'. Pauci enim dicuntur Pompeiani propria factionis nobilium appellatione hui. lib. 22, 5. 85, 9 et ap. Hirt. b. Gall. VIII, 50, 2. 52, 3. Manutius latrones proposuit: sed ita paene ridicule summi in ciuitate uiri appellarentur. Dauisio autem ita occurremus, ut neglegentia quadam duas sententias in unam enuntiationem coniunctas dicamus, alteram hanc, numquam id senatus consultum nisi in summo discrimine factum esse, alteram, numquam paucorum audacia. Quod item factum est b. Gall. III, 17, 7 'id ea de causa faciebat, quod cum tanta multitudine hostium, praesertim eo absente, qui summam imperii teneret, nisi aequo loco aut opportunitate aliqua data legato dimicandum non existimabat', ubi Ciacconius uocem 'legato' deleri uolebat.

C. 6, 2 secundum codd. Pompeius affirmare dicitur 'legiones habere sese paratas decem': quem numerum corruptum esse certum est. In Italia enim Pompeius tum duas legiones habebat a Caesare ex senatus consulto traditas (c. 3, 3), in Hispaniis, quas per legatos obtinebat, cum Afranio tres, cum Petreio duas, cum Varrone item duas (hui. I. 38, 1. 39, 1. II, 18, 1). Quod si quis Plutarcho Caton. 43 et Pomp. 52 atque Appiano b. ciu. II, 18

credet Pompeium etiam Africam tenuisse, id uel inde refellitur, quod eam prouinciam superiore anno C. Considium obtinuisse ex Cic. pro Lig. 1, 2 et hoc anno Tuberoni decretam esse ex Caes. c. 30 h. l. et aliis constat. Delectus autem ut in Italia haberentur, hoc demum tempore, quo Pompeius haec affirmauit, decretum esse §. 3 hui. cap. refertur. Itaque posui 'legiones habere sese paratas nouem'.

Vehementer corrupta sunt uerba c. 6, 4, quae in omnibus codd. ita scripta leguntur: 'Prouinciae priuatis decernuntur, duae consulares, reliquae praetoriae. Scipioni obuenit Syria, L. Domitio Gallia. Philippus et Cotta priuato consilio praetereuntur, neque eorum sortes deiciuntur'. Nam 'Philippus et Cotta' mihi in Par. sec. legi notatur, idem de Haun. pr. affirmat Elberlingius, de Carrariensi Brutus, de suo codice Brantius, ut Oudendorpium errasse appareat, qui in Brantii codice, Carr. suisque Leid. pr. Scal. Cui. cett. 'Philippo et Cotta' scriptum esse refert. Marcellus, qui in editionibus pro Cotta legitur, a quo primum positus sit, nescio, nisi quod ab Aldo id factum esse suspicor. Disputant interpretes, qui Philippus et Cotta uel Marcellus dici uideatur, et, quamobrem in prouinciis decernendis ratio eorum fuerit habenda. Quae etsi pluribus argumentis conuinci possunt, tamen, ne longus sim, unum ponam, quo codicum scripturam falsam esse uanosque omnes explicandi conatus demonstratur. Caesar enim id notauit, quod prouinciae decretae essent priuatis, et quidem duae consulares Scipioni et L. Domitio Ahenobarbo. Itaque cum deinde duos homines nominaret, qui illas sortiri debuissent, apparet eos eum appellare oportuisse, qui tum non fuissent priuati. Ii uero nulli poterant alii esse, quam consules huius anni, C. Claudius Marcellus, L. Cornelius Lentulus Crus. Atque ex horum quidem nominibus ea, quae in codd. leguntur, oriri potuisse nemo sibi persuadebit. Mihi uero non dubium est, quin Philippus huc illatus sit ex superioribus uerbis 'de Fausto impedit Philippus, tribunus plebis'; Cotta autem ex nota, qua consules significantur, ortus, et deinde utrique nomini copula interiecta sit. Itaque haec sic scribenda arbitror: 'Scipioni obuenit Syria, L. Domitio Gallia: consules priuato consilio praetereuntur, neque eorum sortes deiciuntur'. At si Caesar sine cupiditate scripsisset, prouincias priuatis decretas esse reprehendere non poterat. Nam consules anni 53 Cn. Domitius Caluinus, M. Valerius Messalla senatus consultum

faciendum curauerant, ne praetores atque consules nisi post quinque annos prouinciam administrarent: idque senatus consultum sequenti anno per Cn. Pompeium tertium consulem lege confirmatum est. Referuntur haec a Cassio Dione XL, 46 *δόγμα τε ἐποιήσαντο* (Domitium dicit et Messallam) *μηδένα μήτε στρατηγήσαντα μήθ' ὑπατεύσαντα τὰς ἔξω ἡγεμονίας, πρὶν ἂν πέντε ἔτη διέλθῃ, λαμβάνειν*, et de Pompeio c. 56 *τό τε δόγμα τὸ μικρὸν ἔμπροσθεν γενόμενον, ὥστε τοὺς ἄρξαντας ἐν τῇ πόλει μὴ πρότερον ἐς τὰς ἔξω ἡγεμονίας, πρὶν πέντε ἔτη παρελθεῖν, κληροῦσθαι ἐπεκύρωσεν.* Non definiuit Dio, a quo initio quinque illi anni numerati sint, sed, cum antea consules et praetores prouincias iam superiore anno decretas statim inito magistratu sortirentur, non dubitandum uidetur, quin ab initio magistratus, non ab exitu quinquennium numeratum sit. Sed hac lege efficiebatur, ut certe non ante quinquennium, postquam lata erat, essent, qui ex ea in prouincias mitterentur. Itaque eo confugiendum erat, ut, qui superioribus annis consules praetoresue fuissent neque in prouincias profecti essent, eas, in quibus succedi placeret, sortirentur. Quae res quemadmodum instituta sit, ex senatus consulto perspici potest, quod anno 51 de praetoriis prouinciis factum est, quod senatus consultum a Caelio ad Ciceronem perscriptum legitur ep. ad Fam. VIII, 8, 8: 'Itemque senatui placere in Ciliciam prouinciam, in octo reliquas prouincias, quas praetorii pro praetore obtinerent, eos, qui praetores fuerunt neque in prouinciam cum imperio fuerunt, quos eorum ex senatus consulto cum imperio in prouincias pro praetore mitti oporteret, eos sortito in prouincias mitti placere: si ex eo numero, quos ex senatus consulto in prouincias ire oporteret, ad numerum non essent, qui in eas prouincias proficiscerentur, tum, uti quodque collegium primum praetorum fuisset neque in prouincias profecti essent, ita sorte in prouinciam proficiscerentur: si ii ad numerum non essent, tum deinceps proximi cuiusque collegii, qui praetores fuissent neque in prouincias profecti essent, in sortem conicerentur, quoad is numerus effectus esset, quem ad numerum in prouincias mitti oporteret'. Senatus consultum, ex quo praetorii pro praetore mittendi dicuntur, apertum est illud intellegi, quod Domitio Caluino, Valerio Messalla consulibus factum erat. Itaque anno 50 primum ii sortito in prouincias proficisci iubentur, qui anno 55 praetores fuissent neque in prouincias profecti essent, si ii ad numerum non

essent, similiter sequentis anni praetores et ita deinceps, donec nouem praetores inuenti essent, qui in prouincias profecti non essent. Idem hoc anno, de quo Caesar scribit, etiam in consularibus prouinciis factum est. Certe L. Domitio Ahenobarbo, cui ulterior Gallia euenit (cf. Cic. Fam. XVI, 12, 3), cum anno 54 consul fuisset, annus 49 legitimus erat prouinciae obtinendae. Eius collega Appius ex consulatu Ciliciam prouinciam habuerat, id quod ex Ciceronis epistolis notum est: is enim ei successit. Itaque ad sequentium annorum consules descendendum erat. Proximi anni consulum Messalla anno 51 lege Licinia ambitus condemnatus est (Cael. Fam. VIII, 2, 1. 4, 1). De Domitio Caluino, cur praeteritus sit, causam nescio; sed probabile est post consulatum idem ei, quod Messallae, accidisse: in eadem culpa fuisse certum est. Hoc si uerum est, anno 48 cum reliquis exulibus a Caesare restitutus uideri debet, cuius bello ciuili legatus fuit. Nam Cn. Domitius, praefectus equitum Curionis, qui b. ciu. II, 42 commemoratur, non fuit idem, ut Drumannus putauit. Praefecturae enim equitum non a consularibus, sed ab equitibus Romanis administrabantur. Sequebantur Cn. Pompeius tertium, Q. Caecilius Metellus Pius Scipio consules, quorum ille anno 49 etiam tum prouincias obtinebat, huic alteram consularem prouinciam decretam esse Caesar refert. Iam de eadem lege Pompeia siue senatus consulto Caesar etiam b. ciu. I, 85, 9 queritur, cum in oratione ad Afranium et Petreium haec commemorat: ‘in se iura magistratuum commutari, ne ex praetura et consulatu, ut semper, sed per paucos probati et electi in prouincias mittantur’. Neque post ciuilem dissensionem ea lex seruata est. Ita, ut nonnulla exempla ponam, M. Lepidus ex praetura obtinuit Hispaniam citeriorem anno 48 (Caes. b. ciu. II, 21, 5. Hirt. b. Alex. 49, 3), Trebonius item ex praetura ulteriorem sequenti anno (Caes. b. ciu. III, 20, 1. Hirt. b. Alex. 63, 2): et M. Antonium atque Dolabellam ex consulatu in prouincias profectos esse notum est, eoque anno etiam reliquos magistratus sortitos esse ex Cic. Phil. III, 10 apparet. Augustus demum legem Pompeiam retulit, de quo Sueton. Aug. 36 scribit ‘auctor fuit, ne magistratus deposito honore statim in prouincias mitterentur’ et Cass. Dio LIII, 14 *κοινῇ δὲ δὴ πᾶσιν αὐτοῖς ἀπηγόρευσε μηδένα πρὸ πέντε ἐτῶν μετὰ τὸ ἐν τῇ πόλει ἄρξαι κληροῦσθαι*, quod tamen de iis prouinciis constitutum esse, quae senatus populique fuerunt, et ipsa res et superiora Dionis uerba

demonstrant. Itaque Caesar eo loco, unde disputatio nostra nata est, cum prouincias priuatis decretas esse reprehendit, legem Pompeiam dissimulat. Cuius rei hanc causam fuisse arbitror. Videtur enim haec constitutio de tempore sortiendarum prouinciarum unum caput effecisse legis de iure magistratuum, quam Sueton. Caes. 28 Pompeium tulisse refert. De ea autem lege hoc acciderat, quod idem Suetonius ibidem narrat: 'M. Claudius Marcellus edicto praefatus de summa se republica acturum retulit ad senatum, ut ei' (Caesarem dicit) 'succederetur ante tempus, quoniam bello confecto pax esset ac dimitti deberet uictor exercitus, et ne absentis ratio comitiis haberetur, quando nec plebiscito Pompeius postea abrogasset. Acciderat autem, ut is legem de iure magistratuum ferens eo capite, quo a petitione honorum absentes summouebat, ne Caesarem quidem exciperet per obliuionem ac mox lege iam in aes incisa et in aerarium condita corrigeret errorem'. Quo loco recte Gronouio scribendum uisum est 'quando et plebiscito Pompeius postea obrogasset'. Plebiscitum autem illud, ut Caesaris absentis consularibus comitiis ratio haberetur, Pompeio tertium consule ante legem de iure magistratuum latum esse et Suetonius ostendit et Cicero ad Att. VIII, 3, 2. Hic Pompeium priuilegium Caesaris lege quadam sua ipsum sanxisse scribit: Marcellus Pompeium lege sua Caesare non excepto priuilegium Caesaris sustulisse, quodque is postea lege iam in aerarium condita id correxerat (cf. Lips. ad Tac. ann. III, 51), non recte factum interpretabatur. Eo autem tempore, quo Caesarem hos commentarios scripsisse statuimus, cum lex Pompeia non seruaretur, sperare poterat Caesar fore, ut haec dissimulatio legentes fugeret.

In iis uerbis, quae proxima sunt apud Caesarem: 'In reliquas prouincias praetores mittuntur', Pighio pro praetoribus 'praetorii' ponendi uisi sunt. Etsi autem illa sic interpretari licet, ut missi dicantur, qui pro praetoribus essent, tamen id male fit, quia Caesari, qui priuatis prouincias decretas esse demonstrat, omnis eiusmodi ambiguitas uitanda erat. Huc accedit, quod supra iam declaratum erat reliquas prouincias praeter duas consulares praetorias fuisse, et quod haec uerba incommode praeponuntur insequentibus: 'neque expectant, ut de eorum imperio ad populum feratur' cett., quae de omnibus, qui prouincias sortiti erant, intellegenda esse apparet. His de causis illa uerba spuria esse existimaui. Nam reliqua quoque pars sexti capitis et totum insequens caput uehe-

mentissime interpolata sunt. §. enim 6 haec eduntur: 'Neque expectant, quod superioribus annis acciderat, ut de eorum imperio ad populum feratur paludatique uotis nuncupatis exeant. Consules, quod ante id tempus acciderat numquam, ex urbe proficiscuntur, lictoresque habent in urbe et Capitolio priuati contra omnia uetustatis exempla'. Hic uerba 'quod ante id tempus acciderat numquam' ferri non posse Vossius intellexit. Nam etsi aliquantum ante hoc tempus consules per magistratum in urbe manere solebant, tamen nihil ne tum quidem impediebat, quo minus in ipso magistratu, quo usus esset, mitterentur. Itaque Cicero de hac ipsa consulum profectione ad Atticum VIII, 15, 3 scribit 'ipsi consules, quibus more maiorum concessum est uel omnes adire prouincias', et duobus annis ante Caelius ad Ciceronem Fam VIII, 10, 2 consules omnino senatum habere nolle, quia timore Parthici belli oblato uererentur, ne senatus consultum fieret, ut paludati exirent. Recte igitur Vossius haec uerba delenda esse iudicauit. Nam quam deinde excogitauit rationem, ut hoc incisum ad sequentia traheretur 'lictoresque habent in urbe et Capitolio priuati', neque fieri id potest, nisi eo transferatur (quamobrem Petauio post 'lictoresque' inserendum uidebatur), neque ullo modo iis, quae ibi leguntur, 'contra omnia uetustatis exempla' illa uerba superaddi possunt. Non melius Dauisius haec ad superiora transferebat in hunc modum: 'neque expectant, quod superioribus annis acciderat, ut de eorum imperio ad populum feratur, paludatique uotis nuncupatis exeant, quod ante id tempus acciderat numquam'. Nam in hac oratione Caesar 'numquam' omisisset: et ridicule singulis enuntiatis illa quasi cauda agglutinatur. In omnibus autem codd. legitur 'exeunt': 'exeant' coniectura est Glandorpii, quam Vrsinus in suo codice inuenisse uideri uult. 'Exeunt' uerissimum est. In eo enim uersatur reprehensio, quod, cum imperium eorum a populo confirmatum non esset, tamen et insignia imperii gerebant et eodem modo, atque qui cum imperio exibant, uota nuncupabant. Praeterea in Par. sec. Leid. pr. pluribus deterioribus scriptum est 'quod ante id tempus accidit numquam' tempore magistri obseruatiunculae, non Caesaris narrationi accomodato. Atque ab eodem magistro superiora quoque uerba 'quod superioribus annis acciderat' profecta sunt. Nam quod Caesar de imperio ad populum ferendum fuisse scribit, legem curiatam intellegi apertum est. Ea Liuius II, 52 rem militarem contineri dicit, Cicero de leg. agr. II, 12, 31 sine ea rem militarem

attingere non licere, idem de rep. II, 13, 25 eam iam Numam regem de imperio suo tulisse. Incredibile est igitur Caesari hanc rem, quae antiquissimis reipublicae institutis contineretur, superioribus annis accidisse uisam esse. Magister hic et ignorantiam et accidere illud suum retulit. Iam c. 7 plura eiusdem generis deprehendimus. Primum in uerbis §. 3 'Nouum in republica introductum exemplum queritur, ut tribunicia intercessio armis notaretur atque opprimeretur, quae superioribus annis armis esset restituta'. De tribunicia potestate a Sulla debilitata reliqui scriptores parum accurate tradiderunt, ut, quid tribunis ademptum, quid relictum esset, non definirent: in epitome Liuiani libri LXXXIX omne ius legum ferendarum ereptum esse refertur. Sed intercessionem quoque imminutam esse a Cicerone significari creditur, qui in Verr. I, 60, 155 ita scribit: 'petita multa est apud istum praetorem a Q. Opimio, qui adductus est in iudicium uerbo, quod, cum esset tribunus plebis, intercessisset contra legem Corneliam, re uera, quod in tribunatu dixisset contra alicuius hominis nobilis uoluntatem'. De quo loco, cum tota res obscura sit, nihil affirmare ausim. Nam, utut haec res se habuit, Caesar certe intercedendi potestatem a Sulla imminutam esse aperte negat, quippe qui iis, quae supra posui, haec adiungat: 'Sullam nudata omnibus rebus tribunicia potestate tamen intercessionem liberam reliquisse'. Itaque intercessionem ne restitutam quidem dicere poterat. Augetur peruersitas, quod id armis factum dicitur. Quod Oudendorpius ad inuidiam Pompeio faciendam Caesarem ementitum esse existimat. At non tam stolide mentiebatur Caesar, ut causam tribuniciam, quam se defendere simulat, ipse tamquam scelere contaminatam reprehenderet. Verba 'quae superioribus annis armis esset restituta' a magistro ad exornandam orationem ascripta sunt. Cum intercessio armis notata dicta esset, adiunxit armis restitutam, ut schema nasceretur, et illos suos superiores annos hic quoque infersit. Excipiunt haec: 'Sullam nudata omnibus rebus tribunicia potestate tamen intercessionem liberam reliquisse, Pompeium, qui amissa restituisse uideatur, dona etiam, quae ante habuerint, ademisse'. Hic, si id ageretur, ut tribunicia potestas ludibrio haberetur, nihil poterat aptius dici quam iura tribunicia dona esse. Sed quaenam sunt illa dona, quae tribuni antea, hoc est, antequam tribunicia potestas a Pompeio restitueretur, habuerunt? Vnam intercessionem Caesar paulo ante a Sulla relictam dixit. Igitur ne multitudinis

quidem numerus aptus est. Eiectis alienis commentis Caesarem ita scripsisse statuendum est: 'Sullam nudata omnibus rebus tribunicia potestate tamen intercessionem liberam reliquisse, Pompeium, qui amissa restituisse uideatur, ademisse'. Eodem modo sequentia interpolata sunt: 'Quotiescumque sit decretum, darent magistratus operam, ne quid respublica detrimenti caperet, qua uoce et quo senatus consulto populus Romanus ad arma sit uocatus, factum in perniciosis legibus, in ui tribunicia, in secessione populi, templis locisque editioribus occupatis (atque haec superioris aetatis exempla expiata Saturnini atque Gracchorum casibus docet): quarum rerum illo tempore nihil factum, ne cogitatum quidem: nulla lex promulgata, non cum populo agi coeptum, nulla secessio facta'. Animaduerti puto, quantopere post grauem illam clausulam 'ne cogitatum quidem' extremum tricolon langueat. Duo autem priora membra 'nulla lex promulgata, non cum populo agi coeptum' eam habent sententiam, ut ne ea quidem, quae ab omnibus tribunis agi solebant, acta, et tamen illud senatus consultum factum dicatur. Plane contrarium est tertium membrum: id enim factum negatur, quo facto more maiorum ad senatus consultum illud decursum esse Caesar modo dixerat. Sed operam perdo compositionis uitia colligens, cum grammatica forma aperte soloeca sit. Omnia enim et superiora et insequentia obliquam orationem habent, hoc tricolon de improuiso recta oratione ingruit. Itaque haec eicienda sunt.

C. 10 initium ita scribendum erat: 'Acceptis mandatis Roscius a Caesare Capuam peruenit ibique consules Pompeiumque inuenit: postulata Caesaris renuntiat. Illi deliberata re respondent scriptaque ad eum mandata remittunt' cett. Editur 'Roscius cum L. Caesare': ut posui, est in optimis codd. Deinde uulgatur 'mandata per eos remittunt', quod recepta illa optimorum codd. scriptura ferri non potest. Atque Oudendorpius in Leid. pr. et Scal. 'permittunt' legi dicit, ex mea collatione Par. sec. certum est 'mandata permittunt' in illis quoque scriptum esse. Itaque 'mandata remittunt' posui. Sane Caesar c. 8 narrauerat L. Caesarem adolescentem ad se Pompeii mandata detulisse eademque fere Roscium praetorem secum egisse: itaque se idoneos nactum homines ab iis petisse, ut sua quoque mandata ad Pompeium deferrent. Quamobrem hoc quidem dubium non est, quin utrique mandata perferenda data sint. Atque Cicero ad Att. VII, 13 B, 6. 14, 1 et saepius solum L. Caesarem mandata a Caesare attulisse ait: sed

idem VIII, 12, 1 'condiciones pacis per L. Caesarem et Fabatum allatas' commemorat: Fabatus autem est L. Roscius. Neque quicquam obstabat, quo minus, ut Cicero unum L. Caesarem, sic Caesar solum Roscium nominaret, praesertim cum hic praetor esset. L. Caesar, quem Cic. ad Att. VII, 13 B, 6 'non hominem, sed scopas solutas' appellat et de quo a Caes. b. ciu. II, 23, 3 non optima referuntur, homo satis leuis fuisse uideatur.

Seq. cap. §. 2 ita editur: 'polliceri se in prouinciam iturum neque, ante quem diem iturus sit, definire, ut si peracto Caesaris consulatu Pompeius profectus non esset, nulla tamen mendacii religione obstrictus uideretur'. Oudendorpius haec annotat: 'turbant hic', inquit, 'mss. In plerisque 'consulatu Caesaris'. 'Caesar' est in Voss. pro 'Pompeius' in Pet. Leid. pr. Cuiac. Voss. 'Cons'. deest in Louan. 'non' exulat quoque a Cui. Pet. Lou'. Haec quid sibi uelint, scriptura Par. sec. demonstrat, in quo mihi ita legi notatur: 'ut si peracto cons̃. Caesaris cons̃. praefectus esset nulla' cett. Scripsi igitur 'ut si peracto consulatu Caesaris non profectus esset'. Atque eo loco particula negatiua rectius ponitur, quia orationis uis in eam incumbit.

C. 14, 4 haec eduntur: 'gladiatoresque, quos ibi Caesar in ludo habebat, ad forum productos Lentulus libertati confirmat atque iis equos attribuit et se sequi iussit: quos postea monitus ab suis, quod ea res omnium iudicio reprehendebatur, circum familiares conuentus Campaniae custodiae causa distribuit'. Verum Latine gladiatores libertati non confirmantur, libertas confirmari gladiatoribus potest, cum promissa aut data stabilitur; hic autem promissa dicenda erat. In Par. sec. Scal. Cui. legitur 'libertatis confirmat', unde in Leid. pr. effectum est 'in libertatem confirmat'. Illa scriptura uocem aliquam excidisse demonstrat, a qua genitiuus aptus fuerit. Nam genitiuum confirmandi uerbo coniungi posse ludibrii causa, puto, a quibusdam defensum est. Scriptum fuit, ni fallor, '*spe* libertatis confirmat'. Infra pro familiaribus recte Dauisius coniecit 'familias'. Vrsinus, siue potius Ciacconius, quod Cicero ad Att. VII, 14, 2 binos gladiatores singulis patribus familiarum distributos scribit, hic 'circum familiae patres' ponere uolebat, quae collocatio uerborum uitiosa est.

C. 15, 5, ubi edebatur 'in iis Camerino fugientem Vlcillem Hirrum', recte Glandorpius poni iussit 'Lucilium Hirrum'. In codd. scriptum est 'ucillum Hirrum'. Idem homo in senatus con-

sulto quodam a Caelio ad Ciceronem misso, quod legitur Fam. VIII, 8, 5, nunc quidem dicitur 'C. Lucceius C. f. Pup. Hirrus', sed de coniectura P. Manutii: in ed. Victoriana a. 1536, quacum codex Mediceus a Furia collatus est, 'C. Lucius' scriptum est, neque a Furia ulla discrepantia notata. Hunc autem Hirrum ex Cic. ad Q. fratr. III, 8, 4. 9, 3 scimus tribunum plebis de dictatura Cn. Pompeio deferenda ad populum ferre uoluisse. De qua re Plutarchus Pomp. 54 ita scribit: *καὶ λόγος εὐθὺς ἐχώρει πολὺς ὑπὲρ δικτάτορος, ὃν πρῶτος εἰς μέσον ἐξενεγκεῖν ἐτόλμησε Λουκίλλιος ὁ δήμαρχος τῷ δήμῳ παραινῶν ἑλέσθαι δικτάτορα Πομπήϊον.* Itaque nomen huic homini fuit Gaio Lucilio Hirro. Neque apud Caes. b. ciu. III, 82, 5 dubium est, quin Lucius Hirrus item ut apud Caelium errore pro Lucilio Hirro positus sit: idemque nomen ap. Varr. de re rust. II, 1, 2 restituendum est, ubi 'C. Lucilii Hirpi' scriptum est.

C. 22, 2 haec in codd. leguntur: 'Facta potestate ex oppido mittitur, neque ab eo prius Domitiani milites discedunt, quam in conspectum Caesaris deducatur. Cum eo de salute sua orat atque obsecrat, ut sibi parcat, ueteremque amicitiam commemorat Caesarisque in se beneficia exponit' cett. Atque haec Dauisius defendit locis quibusdam Plauti Asin. III, 3, 71 'hanc iube petere atque orare mecum', Curcul. III, 62 'tecum oro et quaeso' (adde Cas. III, 4, 5 'quid tecum oraui?', Pers. I, 3, 37 'hoc enim iam here narraui tibi tecumque oraui') et Terentii Hec. IV, 4, 64 'egi atque oraui tecum'. Sed hoc sine dubio ex familiari uulgarique sermone petitum est, in quo, ut multa sunt liberiora, ita in hac quoque formula factum est, ut, quod in orando cum altero agebatur, ad hoc uerbum quasi orando inclusum orationis forma accommodaretur. Neque sine causa accidisse arbitror, ut Terentius, multo ille Plauto cautior et elegantior, ipsum agendi uerbum adiceret. Praeterea animaduertendum est ne comicos quidem aliter nisi in personali pronomine hac libertate usos esse. Apud alium autem scriptorem hoc dicendi genus inueniri non arbitror: a Caesare certe atque ab exculto et urbano sermone plane alienum est. Neque tamen, quod ante Dauisium fiebat, pro illo 'orat' ponendum erat 'agit', sed, ut Th. Bentleius uidit, hoc potius ante illud inserendum.

C. 35, 4 haec eduntur: 'principes uero esse earum partium Cn. Pompeium et C. Caesarem, patronos ciuitatis, quorum alter

agros Volcarum Arecomicorum et Heluiorum publice iis concesserit, alter bello uictas Gallias attribuerit uectigaliaque auxerit'. Sed ridicule Caesarem Massiliensibus Gallias attribuisse dici a Glandorpio animaduersum est, idemque haec ita emendauit: 'alter bello uictos Sallyas attribuerit', quae emendatio et Oudendorpio reliquisque probata est, neque ego aut meliorem aut certiorem inueniri posse credo. Verum in eo, quantum scio, omnes errauerunt, quod Caesarem hoc fecisse statuunt. Nam Sallyes Massiliensibus uicinos fuisse notum est: Caesar autem cum iis populis, qui in prouincia fuerunt, nullum bellum habuit. Itaque hic factum esse statuendum est, quod saepe usu uenit, ut enuntiata, quae habent pronomen 'alter', inuerso ordine ad superiora nomina referrentur. Nam Pompeius, etsi ne eum quidem Sallyes uicisse relatum est, tamen et in ulteriore prouincia bellum gessit et ciuitates quasdam agris multauit. Sertoriano enim bello cum Pompeius in Hispaniam mitteretur, quaestor Sertorii L. Hirtuleius L. Valerio Praeconino legato et L. Mallio proconsule Galliae ulterioris fusis omnem ulteriorem prouinciam occupauerat et transitus Alpium praesidiis tenebat. Idem Hirtuleius apud Cic. pro Font. 1, 2 partis a Niebuhrio repertae quaedam in Gallia instituisse dicitur. Itaque Pompeius apud Sallustium in historiis p. 230 Gerl. haec de se ad senatum scribit: 'quippe qui nomine modo imperii a uobis accepto diebus XL exercitum paraui hostesque in ceruicibus iam Italiae agentes ab Alpibus in Hispaniam summoui, per eas iter aliud atque Hannibal, nobis opportunius patefeci, recepi Galliam, Pyrenaeum' cett. Iam nonnulli Gallorum populi Hirtuleio se adiunxisse et aduenienti Pompeio restitisse uidentur. Nam Cic. de imp. Cn. Pomp. 11, 30 Pompeii legionibus iter in Hispaniam Gallorum internecione patefactum esse commemorat. Idem autem pro Font. 2, 4 ex decreto Pompeii Gallos ait ex agris decedere coactos esse. Bello igitur Sertoriano etiam Sallyes a Pompeio uictos et Massiliensibus attributos esse existimandum est.

C. 38 in. manca codd. scriptura nescio a quo ita suppleta est: 'Aduentu L. Vibullii Rufi, quem a Pompeio missum in Hispaniam demonstratum est, Afranius et Petreius et Varro, legati Pompeii, quorum unus III legionibus Hispaniam citeriorem, alter a saltu Castulonensi ad Anam duabus legionibus, tertius ab Ana Vettonum agrum Lusitaniamque pari numero legionum obtinebat, officia inter se partiuntur'. Nam uerba 'III legionibus' et 'alter'

desunt in Par. sec. et octo codd. Oudendorpii. Supplementum ad sententiam rectum est. Nam et tres exercitus significandi sunt, et Afranium tres legiones habuisse ex c. 39 certum est. Sed ad formam orationis perspiciendamque defectus causam rectius haec ita constituuntur: 'quorum unus Hispaniam citeriorem *tribus legionibus*, *alter ulteriorem* a saltu Castulonensi ad Anam duabus legionibus, tertius ab Ana Vettonum agrum Lusitaniamque pari numero legionum obtinebat'.

Quemadmodum de multis locis desperandum est in his libris, qui in solis interpolatis codd. seruati sunt, ita omnia, quae c. 39 leguntur, grauiter corrupta sunt. Atque initio quidem eius cap. haec scripta sunt: 'Erant, ut supra demonstratum est, legiones Afranii tres, Petreii duae, praeterea scutatae citerioris prouinciae et cetratae ulterioris Hispaniae cohortes circiter LXXX equitumque utriusque prouinciae circiter V milia'. Scutatarum cohortium alibi Caesar mentionem non facit: cetratae uero, cum hic unius ulterioris Hispaniae dicantur, tamen c. 48, 6 ex citeriore prouincia commemorantur atque ita, ut error subesse non possit. Haec enim ibi leguntur: 'hos leuis armaturae Lusitani peritique earum regionum' (nimirum circa Ilerdam) 'cetrati citerioris Hispaniae consectabantur'. Deinde omnino auxilia ex ulteriore Hispania non aderant, quam prouinciam M. Varro obtinebat, qui huius belli circa Ilerdam gesti particeps non fuit. Sed ut minus accurate a Caesare ulteriorem Hispaniam pro Lusitania nominatam concedamus, illud discrimen, quasi citerioris prouinciae auxilia alio armaturae genere usi essent atque Lusitani, inane est. Nam ut 48, 6 cetratos citerioris Hispaniae commemorari uidimus, ita 75, 2 praetoriam cohortem cetratorum Petreii legimus. Et Celtiberi, quibus c. 38, 3 ab Afranio auxilia imperata esse relatum est, apud Liu. XXVIII, 2 et grauis armaturae milites scutatos habuisse dicuntur et leuis armaturae, qui sine dubio cetrati fuerunt. Id enim uerum est utriusque armaturae discrimen. Itaque uerba 'citerioris prouinciae' et 'ulterioris Hispaniae' spuria iudicanda sunt. Haec uero etiam inferiora 'utriusque prouinciae' trahunt. Nam equites ex utraque prouincia uenisse tum demum recte declararetur, si pedestria auxilia ex altera utra fuissent.

Commemoratis aduersariorum copiis de suis Caesar exponit. In qua re §. 3 haec leguntur: 'Audierat Pompeium per Mauritaniam cum legionibus iter in Hispaniam facere confestimque esse

uenturum. Simul a tribunis militum centurionibusque mutuas pecunias sumpsit, has exercitui distribuit. Quo facto duas res consecutus est, quod pignore animos centurionum deuinxit et largitione militum uoluntates redemit'. Hic inepte Caesar, simulatque Pompeium per Mauritaniam aduenturum audierit, pecunias a tribunis centurionibusque mutuas sumpsisse dicitur, quasi fama illa huius rei causam attulisset. Nam si Pompeium aduentare credidisset, id ante omnia mouere debebat, ut plures legiones in Hispaniam adduceret, illa res, ut exercitus animos sibi conciliaret, ut ad totum bellum utilis, ita in aduentu Pompeii infirma erat. Atqui famae illi ne credidisse quidem Caesarem uerisimile est, qui cognita copiarum Pompeii infirmitate et longiore spatio ad instruendum bellum ei opus esse sciret et, si confestim per Mauritaniam Hispaniis subuenire uoluisset, non in Graeciam, sed in Africam traiecturum fuisse reputaret. Contra in Graecia eum mansurum Caesarem praeuidisse satis ex iis, quae cc. 25 et 29 scripsit, perspicitur. Quod si uerba de expectatione aduentus Pompeii hic tolluntur, optime reliquo Caesaris apparatui subiungitur, quemadmodum animos militum sibi conciliarit. Itaque 'audierant' scriptum atque hanc enuntiationem post primam h. c. §. positam fuisse existimo. Afranio enim atque Petreio haec fama animum addebat: iique, cum res atque condiciones Pompeii minus cognitas haberent atque etiam de suarum partium secundis rebus facilius crederent, fidem ei habere poterant. Ceterum haec uerba hac de causa huc peruenerunt. Nam cum post primam §. omissa et in margine essent suppleta, ascriptumque, ut post uerba 'V milia' insererentur, quia ad finem alterius §. item millenarius numerus legebatur, quem ibi excidisse uidebimus, errore ibi sunt collocata.

De Caesaris autem copiis §. 2 haec eduntur: 'Caesar legiones in Hispaniam praemiserat, ad VI milia auxilia peditum, equitum III milia, quae omnibus superioribus bellis habuerat, et parem ex Gallia numerum, quem ipse parauerat, nominatim ex omnibus ciuitatibus nobilissimo et fortissimo quoque euocato. Hinc optimi generis hominum ex Aquitanis montanisque, qui Galliam prouinciam attingunt'. Omnes hic copias enumerari, quas Caesar hoc bello in Hispania habuerit, uel ideo statuendum est, quod suas copias cum Afranii atque Petreii copiis comparat. Itaque numerus legionum non poterat omitti. Quot autem legiones Caesar in Hispania habuerit, ex duobus locis colligitur. C. enim 41, cum pro-

pius Ilerdam castra moueret, triplici acie instructa tertiam aciem castra a fronte fossa munisse refert. Postero autem die, cum tria latera munienda superessent, singula latera singulis attribuit legionibus, reliquas expeditas contra hostem constituit. Hae tres fuerunt (c. 42). Itaque omnino sex habuit. Idem numerus ex altero loco efficitur. Nam cum Afranium atque Petreium ab Ilerda discedentes persequeretur, unam legionem in castris reliquit (64, 5), in acie, quam postea contra Pompeianos instruxit, quinque legiones habuit (83, 2). Iam cum oppugnationem Massiliae appararet Caesar, c. 37 tres legiones cum C. Fabio legato in Hispaniam se praemisisse dixit, c. autem 40, 3 et 7 quattuor legiones Fabianae commemorantur, eoque biduo, quo ea, quae hoc c. 40 narrantur, gesta sunt, ipse Caesar cum equitibus nongentis, quos sibi praesidio reliquerat, aduenit et statim propius Ilerdam cum sex legionibus, ut modo uidimus, mouit (c. 41). Itaque cum reliquas tres legiones ad Fabium peruenisse nusquam relatum sit, etiam inde apparet, in hac, de qua agimus, copiarum enumeratione sex legiones sese praemisisse Caesarem retulisse. Atqui uerba 'ad sex milia auxilia peditum', etiamsi ita in codd. scripta essent, recta uideri non possent. Nam cum omnes copiae, quae deinceps enumerantur, auxilia sint, haec uox necessario initio erat ponenda. De codd. autem Oudendorpius haec scribit: 'nulla' uel addunt uel pro 'milia' habent mss. Ach. Stat. Brant. et mei septem'. Brantius autem in suo et Ciacconius in Statii libro ita legi referunt: 'ad VI milia auxilia peditum nulla, equitum' cett. Proxime ad uerum accedit Par. sec., in quo ita scriptum est: 'ad VI mil. auxilia peditum milla' hoc est 'milia'. Itaque cum relatiuum 'quae', quod uerba 'equitum III milia' sequitur, in nullo codice praeter Cuiac. legatur, haec ita scribenda esse apparet: 'Caesar legiones in Hispaniam praemiserat VI. Auxilia peditum .. milia, equitum III milia omnibus superioribus bellis habuerat'. Extremae litterae uerbi 'praemiserat' male repetitae praepositionem 'ad' genuerunt, 'milia' autem peruagato errore a librario adiectum est. Deinde manifestum est peditum auxiliarium numerum intercidisse. De auxiliis Caesaris Cicero ad Att. IX, 13, 4 sic scribit: 'nam ego hunc ita paratum uideo peditatu, equitatu, classibus, auxiliis Gallorum, quos Matius ἐλάπιζεν, ut puto, sed certe dicebat peditum decem milia, equitum sex polliceri sumptu suo annos decem'. Vbi cum de equitum numero recte referatur (nam auxilia, quae omnibus bellis ha-

buerat, Caesar a se duplicata esse statim demonstrat), non sine probabilitate coniciemus 'auxilia peditum V milia' apud Caesarem scriptum fuisse. Auxilia autem certe non omnia a Caesare in Hispaniam praemissa esse, id quod recte codd. scriptura significat, cc. 41 et 51 huius libri demonstrant. Priore loco ipse Caesar se cum nongentis equitibus in castra uenisse, altero aliquot diebus post aduentum suum sagittarios ex Rutenis, equites ex Gallia, praeterea cuiusque generis hominum milia VI aduenisse scribit. Quae excipiunt, optimos codd. secuti ita constituimus: 'et parem ex Gallia numerum, quam ipse pacauerat, nominatim ex omnibus ciuitatibus nobilissimo quoque euocato, hinc optimi generis hominum ex Aquitanis montanisque, qui Galliam prouinciam attingunt....' Apparet in fine et millenarium numerum et uerbum utrique enuntiato commune excidisse, neque, quod aut ipsum aptius sit aut ob sequens 'audierat' facilius omitti potuerit, inuenio quam 'addiderat' uel 'adiecerat', quod Iurinius addendd. p. 570 proposuit. Hoc si a Caesare positum est, supra non 'hinc', cui uocabulo nullum omnino accommodatum uerbum reperio, sed aut 'huc', ut in codice Achillis Statii legitur, aut, quod mihi quidem aptius uidetur, 'item' scripsit.

C. 40, 3 uulgo haec leguntur: 'Huc cum cotidiana consuetudine congressae pabulatoribus praesidio proprio legiones Fabianae duae flumen transissent, impedimentaque et omnis equitatus sequeretur, subito ui uentorum et aquae magnitudine pons est interruptus et reliqua multitudo equitum interclusa'. Hic primum 'congressae' ferri non potest. Nam quod aptum esset ad sententiam, ut congressae legiones dici existimarentur, quomodo Vossio uisum est, quae simul essent egressae siue ipsae siue cum pabulatoribus, id ab consuetudine omnium scriptorum abhorret. Quod autem Clarkius legiones in eum locum conuenisse dici putabat, non singulae ex castris missae, sed coniunctim uideri debent: neque tamen quisquam ita congredi legiones dixit. Recte Iurinius 'egressae' scribendum iudicauit, unde 'congressae' peruagato et facili errore nascebantur. Sed non magis sana sunt illa: 'praesidio proprio'. Proprium quidem praesidium per se recte dicitur, ut Dauisius interpretatus est, quod consuesset cum pabulatoribus mitti. Sed datiuo casu finis designatur, unde absurda nasceretur sententia, duas legiones ea de causa missas esse, ut praesidio essent consueto. Iam in Par. sec. legitur 'praesidio proprio relegiones'.

Inde, quamquam litterae 're' punctis notatae sunt, quibus eas delendas esse significatur, non dubito, quin suppleto uocabulo scribendum sit: 'cum cotidiana consuetudine egressae pabulatoribus praesidio propiore *ponte* legiones Fabianae duae flumen transissent'. Duos enim pontes Fabium in Sicore fecisse initio capitis declaratum est. Eum autem pontem, quo legiones traductae sunt, castris propiorem fuisse ex §. 7 apparet, ubi Fabius interclusis legionibus ulteriore ponte subsidium misisse dicitur. Similiter III, 94, 6 ex uerbis 'ad praetoriam portam' in Par. sec. Leid. pr. Scal. factum est 'ad praetorium'.

C. 48, 4 sic edunt: 'neque maximi comitatus, qui ex Italia Galliaque ueniebant, in castra peruenire poterant', item 51, 1 'nuntiatur Afranio magnos comitatus, qui iter habebant ad Caesarem, ad flumen constitisse' et 54, 5 'ita comitatus et, qui frumenti causa processerant, tuto ad se recipit'. Verum omnibus his locis aut errorem librariorum subesse aut a magistro de industria 'commeatus' in 'comitatus' mutatos esse mihi persuasum est. Nam apud Hirtium quoque de b. Gall. VIII, 30 in. in reliquis codd. recte scriptum est 'impedimenta et commeatus Romanorum interceperat', in Par. sec. Haun. pr. Cuiac. et inter uersus Leid. pr., hoc est, ut saepius admoneam, in iis codd., ad quos solos hi libri de bello ciuili exigi possunt, 'comitatus'. C. 54, 5 autem, quem locum supra tertium posui, praeter Scal. et duos deteriores codd. in reliquis recte 'commeatus' seruati sunt. Comitatus Latine dicuntur homines, qui aliquem aut superiorem aut, cui officium praestare cupiunt, sequuntur; turba hominum una iter facientium, quemadmodum apud Caesarem explicant, ab antiquo certe scriptore nullo unquam comitatus est appellatus.

C. 58 in. haec eduntur: 'Ipsi Massilienses et celeritate nauium et scientia gubernatorum confisi nostros eludebant impetusque eorum excipiebant et, quoad licebat latiore spatio, producta longius acie circumuenire nostros aut pluribus nauibus adoriri singulas aut remos transcurrentes detergere, si possent, contendebant: cum propius erat necessario uentum, ab scientia gubernatorum atque artificiis ad uirtutem montanorum confugiebant'. Hic primum, cum in codd. scriptum esset 'latiore ut spatio', recte Vossius effecit 'quoad licebat latiore uti spatio'. Deinde notum est excipere impetum dici eum, qui locum non dimittit, sed aduersarium impetum facientem expectat et cum eo congreditur. Id au-

tem hoc loco plane contrarium est, cum Massilienses Caesarianos celeritate nauium eludere, transcurrentes remos detergere, in summa artificiis et scientia gubernatorum pugnare dicantur; comminus congredi tum demum, cum spatii angustiis necessario id facere cogantur. Scribendum erat igitur 'impetusque eorum decipiebant'. Simulabant enim se impetum excepturos et, cum Romani nauim incitauissent, ut rostris concurrerent, declinantes et latus aduersariae nauis praeteruehentes remos detergebant.

C. 64 describitur, quemadmodum Afraniani a Caesaris equitatu in agmine carpti et male habiti sint. 'Prima luce', inquit Caesar, 'ex superioribus locis, quae Caesaris castris erant coniuncta, cernebatur equitatus nostri proelio nouissimos illorum premi uehementer, ac nonnumquam sustinere extremum agmen atque interrumpi, alias inferri signa et uniuersarum cohortium impetu nostros propelli'. Sustinuisse extremum agmen recte dicitur, cum subsisteret impetusque equitum exciperet atque perferret. Sed interruptum esse agmen credibile non est: quod cum accidisset, alteram partem ab altera excludi et circumueniri necesse erat, quae res minime iis euenire poterat, qui impetum equitum sustinebant. Itaque 'inrumpi' posui. Equestri enim procella ingruente alicubi primos proteri et deici necesse erat; sed tum Afraniani illatis signis equites rursus propellebant.

C. 65, 3 haec edebantur: 'Illi necessario maturius, quam constituerant, castra ponunt. Suberant enim montes atque a milibus passuum quinque itinera difficilia atque angusta excipiebant. Hos intra montes se recipiebant, ut equitatum effugerent Caesaris praesidiisque in angustiis collocatis exercitum itinere prohiberent, ipsi sine periculo ac timore Iberum copias traducerent. Quod fuit illis conandum atque omni ratione efficiendum, sed totius diei pugna atque itineris labore defessi rem in posterum diem distulerunt'. Verum quod Afraniani se intra montes recipere dicuntur, repugnat superioribus uerbis, quibus eos castra iam posuisse declaratum est, neque minus insequentibus, quibus reprehenduntur, quod iter ad montes in posterum diem distulissent. In omnibus autem codd. haec ita scripta sunt: 'hos montes intra se recipiebant'. Quae sic corrigere non dubitaui: 'hos montes intrare cupiebant'. In sequentibus autem uerbis genitiuum 'Caesaris' ante 'exercitum' collocandum puto propter oppositionem, quam proxima habent: 'praesidiisque in angustiis collocatis Cae-

saris exercitum itinere prohiberent, ipsi sine periculo ac timore Iberum copias traducerent'.

C. 79 in. ex Ciacconii coniectura editur: 'Expeditae cohortes nouissimum agmen claudebant pluriesque in locis campestribus subsistebant'; in codd. omnibus scriptum est 'pluresque'. At 'pluries' Latinum uocabulum esse recte Gerardus Ioannes Vossius de uitiis serm. I, c. 25 et eum secutus Elberlingius obseru. critt. p. 80 negauerunt, idemque recte statuit, si maxime id inde defendi posset, quod Gellius V, 21 et Nonius p. 87 Merc. ex Plauti Persa (IV, 3, 65) et Catone 'compluries', sed ut minus usitatum, annotant, tamen tam antiquorum scriptorum usum nihil ad Caesarem pertinere. Quod autem ipsum 'pluries' nonnulli loco Trebellii Pollionis in Gallienis c. 1 defendunt, ibi quin 'pluries' errore a Boxhornio editum sit, non dubito. In aliis exemplaribus, quae Elberlingius inspexit, et eo, quod Lugd. Bat. a. 1671 ad Salmasianum expressum est, haec leguntur: 'Gallieno igitur et Volusiano consulibus Macrianus et Ballista in unum coëunt, exercitus reliquias conuocant et, cum Romanum in oriente nutaret imperium, quem facerent imperatorem, requirunt Gallieno tam neglegenter se agente, ut eius ne mentio quidem apud exercitum fieret. Denique cum plureis eius rei causa conuenissent, placuit, ut Macrianum cum filiis suis imperatorem dicerent'. Accusatiuus ille 'plureis' tolerari potest: ob sequentia nominatiuus praeferendus uidetur. Sed apud Caesarem recte Iurinius in addend. p. 570 codicum scripturam defendit. Plures apertum est cohortes dici. In campestribus autem locis maior erat uis equitatus Caesariani, qui nouissimum agmen carpebat. Itaque huiusmodi locis plures cohortes, quam in nouissimo agmine esse consuerant, subsistebant, quo maiore praesidio equites ad reliquum exercitum interim progredientem peruenire eumque male habere prohiberent. Nihil erat igitur, quare Elberlingius 'equitesque' corrigere temptaret.

C. 80, 4 haec in codd. scripta sunt: 'Qua re animaduersa Caesar relictis legionibus subsequitur, praesidio impedimentis paucas cohortes relinquit'. Relictas legiones Oudendorpius dici existimabat, quod eae dimissis equitibus in castris remansissent. Sed in hac orationis forma uerba illa aliter intellegi non possunt, nisi ut Caesar legiones reliquisse, ipse subsecutus esse dicatur. Quod contra est: cum ipsis enim legionibus profectus est, quia equites pabulandi causa dimissi statim aduersarios sequi non poterant.

'Reliquis legionibus', quod primum cuique in mentem ueniet, Graece recte diceretur, non item, ut arbitror, Latinis reliquas legiones eam copiam dicere licet, quae detractis paucis cohortibus supererat. Faërnus coniecit 'eductis legionibus'; mihi propter sequentia a Caesare scriptum uidetur 'expeditis legionibus', quamuis id paulo longius a codicum scriptura discedat.

C. 85, 5 Caesar in oratione ad Afranium Petreiumque habita inter alia haec commemorat: 'Neque nunc se illorum humilitate neque aliqua temporis opportunitate postulare, quibus rebus opes augeantur suae, sed eos exercitus, quos contra se multos iam annos aluerint, uelle dimitti. Neque enim sex legiones alia de causa missas in Hispaniam septimamque ibi conscriptam, neque tot tantasque classis paratas, neque summissos duces rei militaris peritos'. Verum magnam classem, nedum plures magnas classes in Hispania paratas esse nusquam significatum est. Nam eae naues, quas M. Varro II, 18 faciendas curasse dicitur, non admodum multae fuerunt: X enim Gadibus, complures Hispali instituerat. Contra desideratur eius rei commemoratio, quae nullo modo omitti poterat, auxiliorum, quorum Afranium et Petreium h. l. c. 39 octoginta cohortes, V milia equitum, Varronem II, 18 triginta cohortes habuisse refertur. Itaque Caesarem scripsisse arbitror 'tot tantaque auxilia parata', classes autem, ut permulta in hoc codicum genere, a magistro mutandi libidine positas esse.

In iis, quae in eadem oratione §. 9 leguntur: 'in se etiam aetatis excusationem nihil ualere, quod superioribus bellis probati ad obtinendos exercitus euocentur', particula 'quod' sententiam peruertit. Neque enim inde, quod superioribus bellis probati ad obtinendos exercitus euocabantur, effici poterat aetatis excusationem nihil ualere, cum multi sine dubio essent superioribus bellis probati et tamen ea aetate, quae excusationem non admitteret. Scribendum erat 'quom'. Tum enim, cum eiusmodi homines euocentur, ne aetatis quidem excusationem admitti queritur Caesar. Ceterum quod ex optimis codd. edidi 'in se etiam aetatis excusationem nihil ualere', erunt, qui 'ne aetatis quidem excusationem ualere' requirent. Sed eadem neglegentia (ita enim appellanda uidetur) usus est Caesar b. Gall. V, 52, 1 'neque etiam paruulo detrimento illorum locum relinqui uidebat' et b. ciu. I, 5, 1 'nec tribunis plebis sui periculi deprecandi neque etiam extremi iuris intercessione retinendi — facultas tribuitur'; item Tac. ann. III, 54 'cre-

dite, patres conscripti, me quoque non esse offensionum auidum', quamquam hic non neglegentia, sed ad uim orationis augendam ita scripsit. Aliam rationem habent haec: Caes. b. Gall. VI, 43, 4 'nec plane etiam abisse ex conspectu contenderent' et Pomp. ap. Cic. ad Att. VIII, 12 D, 1 'neque etiam, qui ex delectibus conscripti sunt a consulibus, conuenerunt'. Nam in his 'neque etiam' est 'neque dum'.

Initium libri secundi in optimis codd. sic scriptum est: 'Dum haec in Hispania geruntur, C. Trebonius legatus, qui ad oppugnationem Massiliae relictus erat, duabus ex partibus aggerem, uineas turresque ad oppidum agere instituit. Vna erat proxima portui naualibusque, altera ad partem, qua est aditus ex Gallia atque Hispania, ad id mare, quod adigit ad ostium Rhodani'. Ita enim haec distinguenda sunt, ut uerbis 'ad partem, qua' cett., quo accuratius situs locorum declaretur, superaddantur altera 'ad id mare, quod' cett. Aditum ipsa res docet ad Massiliam dici. Inepte Oudendorpius aditum ad mare interpretatus est: eo enim ex Gallia atque Hispania longe a Massilia adiri poterat. Idem uerba 'ad partem' delenda existimabat, quod haec mente ita supplerentur: 'altera pars ad partem'. Atqui in eo, quod 'pars' non posita est, sed intellegitur, idonea excusatio est. Verum 'adigit' corruptum esse omnes consentiunt: eos enim, qui idem atque 'adigitur' significare interpretantur, omittere possumus. Hoc ipsum 'adigitur' pro Caesaris simplicitate elatius est. Quod autem Stephanus edidit 'attingit ad ostium Rhodani', id poëtis relinquendum est. Recte Heinsius apud Ouid. art. am. II, 701 ex 'melioribus codd.' posuit 'ad Venerem quicumque uoles attingere seram, si modo duraris, praemia digna feres' ('at' enim ibi alienum est, cum exemplis positis res concludatur), isque ibi contulit Plaut. Merc. I, 1, 32 'quae nihil attingunt ad rem'. Apud script. rhet. ad Herenn. IV, 43, 55 recte nunc ita oratio distinguitur: 'nunc breuiter, ad hanc rem quod satis est, attingemus'. Praeterea unus locus prolatus est Melae I, 4, 1 'qua ad fluuium attingit', ubi praepositionem in codice quodam a se uiso Oudendorpius omitti testatur. Apud Caesarem equidem scribere non dubitaui 'quod adiacet ad ostium Rhodani'. 'Adiacet' peruagato errore in 'adicit' et hoc in 'adigit' transiit.

Nihil peruersius est iis quae c. 5, 3 eduntur: 'Facile erat ex castris C. Trebonii atque omnibus superioribus locis prospicere in urbem, ut omnis iuuentus, quae in oppido remanserat, omnesque

superioris aetatis cum liberis atque uxoribus publicisque custodiis aut ex muro ad caelum manus tenderent, aut templa deorum immortalium adirent et ante simulacra proiecti uictoriam ab diis exposcerent'. Publicae enim custodiae ita demum senibus recte adiungerentur, si magistratus ueriti, ne effugerent, custodes iis apposuissent. Neque uero haec in codd. ita scripta sunt. In 'plerisque' enim suis Oudendorpius haec legi ait: 'ex publicis custodiis quae aut muro'; in Par. sec. Beyerlius ita scriptum esse refert: 'publicis custodiisque aut muro', deinde autem 'manus' in eo codice desiderari. Ex iis, quae Oudendorpius notauit, apparet uerba 'publicis custodiis' in margine ascripta fuisse iisque adiectum prius ad uerba 'ex muro', posterius ad illa 'quae in oppido remanserat' pertinere. Itaque haec sic constituenda arbitror: 'ut omnis iuuentus, quae custodiis in oppido remanserat, omnesque superioris aetatis cum liberis atque uxoribus aut supplicis ex muro ad caelum manus tenderent, aut templa deorum immortalium adirent et ante simulacra proiecti uictoriam ab diis exposcerent'. Peruagata sunt 'custodiae remanere', 'relinqui', alia, cum ad custodiam agendam id factum esse significatur: pluralis numeri exemplum non habeo. Nihil tamen obstat, quo minus recte ponatur. Ex 'publicis' effeci 'supplicis' retinuique accusatiuum, quia et supplex aliquis manus tendere et supplices manus tendere dicitur. Hoc modo dixit Cicero pro Font. 16, 38 'tendit ad uos uirgo Vestalis manus supplices easdem, quas pro uobis diis immortalibus tendere consueuit'. Ceterum ex enuntiatis 'aut' particula discretis prius ad iuuentutem pertinere, alterum ad senes cum liberis atque uxoribus apertum est.

C. 6, 2 haec edebantur: 'diductisque nostris paulatim nauibus et artificio gubernatorum mobilitati nauium locus dabatur, et, si quando nostri facultatem nacti ferreis manibus iniectis nauem religauerant, undique suis laborantibus succurrebant'. Verum mobilitati nauium non artificio gubernatorum locus dabatur, sed diductis nauibus Caesarianorum, qua re Massilienses spatium nanciscebantur. Quod si quis obiciet tamen artificio gubernatorum id effectum esse, quippe quo naues diductae sint, uerba 'artificio gubernatorum' ita a superioribus separata sunt, ut necessario artificium gubernatorum diductis demum nauibus consecutum esse intellegendum sit. Itaque Leid. pr. et duos deteriores codd. secutus prius 'et' deleui, quo facto naues Caesarianae artificio gubernatorum diductae dicuntur.

Quae c. 10, 2 de musculo a Caesarianis instituto referuntur,

ita eduntur: 'Duae primum trabes in solo aeque longae distantes inter se pedes IV collocantur, inque eis columellae pedum in altitudinem V defiguntur. Has inter se capreolis molli fastigio coniungunt, ubi tigna, quae musculi tegendi causa ponant, collocentur. Eo super tigna bipedalia iniciunt eaque laminis clauisque religant. Ad extremum musculi tectum trabesque extremas quadratas regulas IV patentes digitos defigunt, qui lateres, qui super musculo struantur, contineant. Ita fastigato atque ordinatim structo, ut trabes erant in capreolis collocatae, lateribus lutoque musculus, ut ab igni, qui ex muro iaceretur, tutus esset, contegitur' cett. Hic recte constituta arbitror uerba 'ad extremum musculi tectum trabesque extremas', quamuis in Par. sec. et Leid. pr. legatur 'tectique trabes', in Scal. 'tecti trabes'. Nam ad extremum musculi, cum id ab extremo tecto discernitur, non apparet, quemadmodum regulae sustinendorum laterum causa defigi potuerint. Item recte infra 'lateribus lutoque' musculus contectus dicitur, ut c. 9, 3 contabulationem summam lateribus lutoque constratam legimus: in Leid. pr. Scal. compluribus deterioribus codd. Oudendorpii 'in lateribus luto' scriptum est, in Par. sec., si Beyerlius recte de extremo uocabulo tacuit, 'in lateribus lutoque'. Verum uerba 'qui super musculo struantur' (in Par. sec. et 'plurimis' codd. Oud. est 'musculos') non habent rectam orationis formam. Nam praepositio 'super', cum locus significatur, in pedestri oratione semper accusatiuum adiunctum habet. Alterum Caesaris locum, hor. comm. III, 39, 2, ubi item uitiose edebatur 'faucibusque portus nauem onerariam submersam obiecit et huic alteram coniunxit, super qua turrim effectam ad ipsum introitum portus opposuit', ex Par. sec. et 'mss. et edd uett.' Oudendorpii correxi, in quibus 'super quas' legitur. Hic non dubito, quin deleto uocabulo scribendum sit 'qui superstruantur'. Non rectiora sunt uerba 'ita fastigato atque ordinatim structo', cum et Caesar hoc genere dicendi abstinuerit, et alterum certe participium 'fastigato' poni non potuerit nisi re, quae fastigata esset, significata. Itaque aut post 'structo' excidit 'tecto', quod Oudendorpio in mentem uenit, aut paulo post 'musculus' delendum est, et hic adiciendum 'musculo'. Cui rei id suffragari uidetur, quod et supra eandem uocem delendam docuimus, et infra in Par. sec. non 'musculus', sed 'musculis' suprascripta littera o legitur.

C. 11, 3 in his uerbis: 'Musculus ex turri latericia a nostris telis tormentisque defenditur, hostes ex muro ac turribus submo-

uentur: non datur libera muri defendendi facultas' recte Ciacconius uituperabat, quod muri defendendi facultas data negaretur. Quem cum Clarkius ineptire ait, se non uidere, quid ageretur, indicauit. Nam Caesariani musculo ad turrim hostium admoto eam subruebant: Massilienses musculum perfringere et incendere conabantur. Turrim igitur defendebant. Praeterea Caesariani ex sua turri Massilienses, qui ex muro turribusque musculum impugnabant, telis et tormentis depellebant: qua re iis turris defendendae facultatem eripiebant, non muri, quem nemo impugnabat. Id omittere possumus, quod Clarkius muri defendendi facultatem non datam esse ita dici existimabat, ut iis, qui in muro essent, se defendendi facultas erepta intellegeretur. Ciacconius uocem 'muri' tollendam iudicabat. Sed rectius Grutero omnia haec: 'non datur libera muri defendendi facultas' commenticia uidebantur. Nam cum hostes ex muro ac turribus summotos esse declaratum esset, haec, quae et illis positis sponte intellegebantur et multo languidiora sunt, nihil attinebat adicere. Enimuero inepte libera facultas data negatur, quasi eam hosti in defendendo concedere cuiquam in mentem uenire posset.

C. 15 haec in codd. leguntur: 'Aggerem noui generis atque inauditum ex latericiis duobus muris senum pedum crassitudine atque eorum murorum contignationem facere instituerunt aequa fere latitudine, atque ille congesticius ex materia fuerat agger'. Sed duo muri per se aggerem non efficiebant: postquam contignatione coniuncti erant, tum demum nascebatur id, quod eo nomine appellari poterat. Itaque 'contignatione' scribendum est. Recte autem deinde Stephanus posuit 'altitudine': nam et tota aggeris uis consistebat in altitudine, et in congesticio aggere, ad cuius modum hic nouus extructus dicitur, supra c. 1 extr. altitudo erat declarata.

C. 24 in. contra Romanam consuetudinem edunt 'Curio Marcum Vticam nauibus praemittit', homine solo praenomine appellato. Significatur autem quaestor Curionis, qui classi praeerat, qua eum L. Caesarem persecutum esse et inde ad Curionem redisse paulo ante relatum est. Ibi in omnibus codd. dici uidetur 'M. Rufus', nisi quod ex duobus deterioribus, Pet. et Voss., annotatur 'Rufius'. Hic in 'mss. plerisque' Oud. et Par. sec. legitur 'Marcium', et c. 43 in Par. sec. Leid. pr. Scal. quattuorque deterioribus 'Marcius Rufus'. Itaque huic homini Marcio Rufo nomen fuisse statuendum est: idque c. 23 reposui. Marcius Rufus legatus Crassi bello Spartaci commemoratur ap. Frontin. strateg. II, 4, 7.

C. 29 totum est perturbatissimum et foede laceratum. Quae ibi narrantur, referuntur ad res paulo ante gestas duobusque superioribus capitibus expositas. Earum rerum haec summa est. Castris a Curione prope Vticam positis proxima nocte centuriones Marsi duo cum manipularibus suis XXII ad Attium Varum perfugerant eique nuntiauerant militum animos a Curione alienos esse. Traduxerat autem Curio eas legiones, quae Corfinii in deditionem uenerant. Itaque Varus productis copiis, cum Curio quoque aciem instruxisset, misit Sextum Quintilium Varum quaestorem una cum Curionis militibus Corfinii captum et dimissum, qui exercitum Curionis circumire et oratione habita ad defectionem sollicitare coepit. 'Hac habita oratione', inquit Caesar c. 38 extr., 'nullam in partem ab exercitu Curionis fit significatio: atque ita suas uterque copias reducit'. Iam c. 39 haec excipiunt: 'Atque in castris Curionis magnus omnium incessit timor. Nam is uariis hominum sermonibus celeriter augetur. Vnusquisque enim opiniones fingebat et ad id, quod ab alio audierat, sui aliquid timoris addebat. Hoc ubi uno auctore ad plures permanauerat, atque alius alii tradiderat, plures auctores eius rei uidebantur'. Hic a plerisque intellectum est pro particula 'atque' ponendam esse aduersatiuam 'at'. Timor enim, qui in castris ortus est, praeter expectationem accidit, cum milites a Quintilio Varo fide non essent demoti. Neque deinde 'nam' particulam ferri posse Vossius uidit. Quod autem is coniecit 'magnus omnium incessit timor animis: is uariis' cett., et prauam habet uerborum collocationem, et 'animos' ponendum erat. Neque enim hor. comm. III, 74, 2 recte legitur 'exercitui quidem omni tantus incessit ex incommodo dolor': Caesar ablatiuum posuerat 'exercitu quidem omni', quem librarii datiuum interpretati sunt. Mihi 'nam' illud sequentibus uerbis uidetur suprascriptum fuisse, ut 'nam unusquisque opiniones' cett. legi posse significaretur, quemadmodum in hoc codd. genere saepe uariata oratio est. Elberlingius magnas hic sibi ipse difficultates excitauit: quae cum praeter ea, quae reprehendimus, nullae sint, de eius ratione dicere nihil attinet. Verba, quae supra excripsi, integra sunt; quae excipiunt, compluribus partibus truncata. Eduntur autem ita: 'Ciuile bellum, genus hominum, quod liceret libere facere et sequi, quod uellet, legiones eae, quae paulo ante apud aduersarios fuerant, nam etiam Caesaris beneficium mutauerat consuetudo, qua offerrentur municipia etiam diuersis partibus coniuncta: neque

enim ex Marsis Pelignisque ueniebant, ut qui superiore nocte'. Reliqua ad aliam sententiam pertinere apertum est. Hic facile intellegitur quattuor causas timoris in castris Curionis orti enumerari: 'Ciuile bellum; genus hominum; legiones eae, quae paulo ante apud aduersarios fuerant; municipia etiam diuersis partibus coniuncta'. Haec uerbum desiderant, quod cum aliis in fine excidit, uelut 'terrebant' aut 'satis magnae timoris causae uidebantur' uel similia, qualia multa in mentem uenient. Ex illis igitur quattuor causis primae nihil adiectum est; alteri quae subiuncta sunt, ita sunt refingenda: 'genus hominum, cui liceret libere facere et sequi, quod uellet'. Tertiae causae 'legiones eae, quae paulo ante apud aduersarios fuerant' proxima uerba per parenthesin adiungi apparet: 'nam etiam Caesaris beneficium mutauerat consuetudo, qua offerrentur'. Haec iis, quae sequuntur, coniungi non possunt. Itaque exitus sententiae periit. Videtur autem hoc Caesar dixisse, licet illae legiones a Caesare beneficium accepissent, quod eos conseruasset, tamen hoc consuetudine belli ciuilis mutatum esse, qua iis, qui ad alteram partem transirent, ultro praemia offerrentur. Sequuntur uerba, quibus quarta causa, ut dixi, declaratur, 'municipia etiam diuersis partibus coniuncta'. Hoc dicit Caesar, municipia, ex quibus milites Curioniani erant conscripti, Pompeio fauere. Hic recte Scaliger posuit 'aduersis partibus'. Caesaris enim aetate diuersa dicebantur in contrarias partes discedentia, opposita inter se aduersa. Atque ex illo genere omnia sunt, quae Kritz. ad Sall. Cat. p. 30 ex antiquioribus ascripsit. Nam apud Cic. pro Cael. 5, 12 'neque ego umquam fuisse tale monstrum in terris ullum puto, tam ex contrariis diuersisque inter se pugnantibus naturae studiis cupiditatibusque conflatum', nisi quis uerba 'inter se pugnantibus' delere malit, Lambino assentiendum est ante ea 'atque' inserenti. Tum studia primum dicuntur in diuersa tendentia, iisque grauius superadditur 'inter se pugnantia'. Sed apud Caesarem sequentia 'neque enim ex Marsis Pelignisque ueniebant, ut qui superiore nocte' per parenthesin adiecta fuerunt eodem modo, atque paulo ante factum docui. Neque dubitari potest, quin haec de duobus illis centurionibus dicta sint, quos superiore nocte cum manipularibus transfugisse c. 27 relatum est. 'Neque' autem ferri non posse uel inde apparet, quod Curionis legiones ex ipsis Marsis Pelignisque a L. Domitio conscriptae erant, id quod I, 15, 7 narratum est. Mihi certum uidetur 'aeque' scriptum fuisse et haec

uerba in hanc sententiam supplenda esse: ‘aeque enim ex Marsis Pelignisque ueniebant, ut qui superiore nocte ad Varum perfugerant’. Neque, quo minus ita statuam, id me deterret, quod secundum antiquiorum scriptorum consuetudinem pro ‘ut’ particula ‘atque’ ponenda est. Nam apud Cic. quoque de fin. I, 20, 67 is, qui deteriorum codd. principem scripsit, idem uitium intulit, de qua re ibi annotauit Maduigius. Reliqua repositis optimorum codd. scripturis ita separanda esse, ut a me factum est, facile intellectum iri spero.

C. 39, 5 recte Ciacconius et Hotomannus, cum ederetur, ut etiamnum fit, ‘capti homines equitesque producebantur’, scribendum contenderunt ‘equique’. Iis Oberlinus opposuit Liuii uerba IX, 19, ubi haec scripta sunt: ‘ipse traiecisset mare cum ueteranis Macedonibus, non plus triginta milibus hominum, et quattuor milibus equitum maxime Thessalorum’. Non discreuit igitur Liuius equites ab hominibus tamquam peditibus, id quod Caesarem quoque fecisse credebant, sed ueteranos Macedones ab equitibus Thessalis.

Extrema huius libri ita in omnibus fere optimis codd. scripta sunt: ‘Quarum cohortium milites postero die ante oppidum Iuba conspicatus suam esse praedicans praedam magnam partem eorum interfici iussit, paucos electos in regnum remisit, cum Varus suam fidem ab eo laedi quereretur neque resistere auderet. Ipse equo in oppidum uectus prosequentibus compluribus senatoribus, quo in numero erat Ser. Sulpicius et Licinius Damasippus, paucis diebus, quae fieri uellet, Vticae constituit atque imperauit, diebus aeque post paucis se in regnum cum omnibus copiis recepit’. Ita haec distinguenda esse, ut uerba ‘cum Varus — auderet’ superioribus, non sequentibus adiungerentur, monuit Maduigius opusc. alt. p. 8. Sed infra inepte paucis diebus Iuba quaedam constituisse, diebus aeque post paucis profectus esse dicitur, quasi Caesar aut uoluisset aut potuisset tam anxie et paene putide tempora definire et ultimis diebus nihil esse constitutum certo scisset. Itaque priore loco uerba ‘paucis diebus’ Iurinio delenda uisa sunt. Mihi probabilius uidetur ‘diebus’ sublatis ‘paucis’ retinendum esse. Nam paucis haec Iubam imperauisse id est breuiter ad superbiam eius significandam ponitur, quae et toto hoc loco et b. Afr. 57, 6 notatur. Eodem modo h. l. 39, 3 in optimis codd. ‘paucis diebus equitibus’ scriptum est. Deinceps autem ponendum est ‘diebusque post paucis’, quod ante Oudendorpium edebatur.

Lib. III, 2 haec de Caesare leguntur: 'His rebus et feriis Latinis comitiisque omnibus perficiendis XI dies tribuit dictaturaque se abdicat et ab urbe proficiscitur Brundisiumque peruenit. Eo legiones XII et equitatum omnem uenire iusserat. Sed tantum nauium reperit, ut anguste XV milia legionariorum militum, D equites transportare possent. Hoc unum, inopia nauium, Caesari ad celeritatem conficiendi belli defuit. Atque hae ipsae copiae hoc infrequentiores imponuntur, quod multi Gallicis tot bellis defecerant, longumque iter ex Hispania magnum numerum deminuerat, et grauis autumnus in Apulia circumque Brundisium ex saluberrimis Galliae atque Hispaniae regionibus omnem exercitum ualetudine temptauerat'. Hic uerba 'inopia nauium' delenda esse Hotomannus perspexit: neque enim inopia, sed copia nauium Caesari deerat. Sed alterum multo grauius uulnus uerbis proximis superioribus illatum detexit Ciacconius. Neque enim Caesar XV milia naues cepisse et tamen has copias infrequentiores impositas esse scribere poterat. Nam cum id queratur ob nauium inopiam se non omnes milites, qui Brundisii aderant, imponere potuisse, plures quam XV milia affuisse apparet. Neque omnino certus numerus infrequentior dici potest, cum ipse numerus secundum copiam commutetur. Vidi, qui uerbis 'atque hae ipsae copiae hoc infrequentiores imponuntur' de duodecim legionibus dici interpretarentur: quasi uero eae omnes impositae essent. Ad sententiam recte Ciacconius statuit non 'XV milia' Caesarem posuisse, sed legionum numerum: uerba tamen 'legionariorum militum' ne legionum quidem, sed cohortium numerum declaratum fuisse euincunt. Haec confirmantur uerbis c. 6, 3 'impositae, ut supra demonstratum est, legiones VII'. Nam cum legiones raro plenae essent, militum numero, quot legiones fuissent, demonstrari non poterat. Sed ne illo quidem loco uerum numerum legionum, quae cum ipso Caesare traiecerunt, seruatum esse, etsi idem apud Appianum b. ciu. II, 54 legitur, neque rectius Plutarchum Caes. 37 quinque legiones cum Caesare profectas tradere ratio paulo accuratius instituta docebit. C. enim 2 Caesarem referre uidimus sese duodecim legiones Brundisium conuenire iussisse. Ex his aliquantum post ipsius Caesaris profectionem M. Antonius secundum commeatum traduxit legionum quattuor (c. 29) nauesque in Italiam ad reliquos milites transportandos remisit. Sed ad Caesarem plures legiones non peruenerunt. Aestate uero huius anni Q. Cornificius duas

legiones in Illyricum duxit, et insequente hieme Gabinius cum legionibus tironum, quae nuper erant conscriptae, eodem peruenit (Hirt. b. Alex. 42 et 43 in.). Verum hae legiones Gabinii ad nostram rationem non pertinent: cum enim tironum dicantur nuperque conscriptae, apertum est eas superioris anni exitu, quo Caesar Brundisium uenit, nondum constitutas fuisse. Itaque quattuor Antonii legionibus et duabus Cornificii a duodecim legionibus, quae Brundisium uenerant, deductis ipsum Caesarem cum sex legionibus profectum esse colligitur. Idem numerus alia ratione efficitur. Caesar enim, posteaquam Antonius cum quattuor legionibus ad eum peruenit, deducta Orico legione, quam ibi adueniens praesidii causa posuerat, tribusque cohortibus relictis (c. 39) L. Cassium Longinum cum una legione in Thessaliam, C. Caluisium Sabinum cum cohortibus quinque in Aetoliam, Cn. Domitium Caluinum cum duabus legionibus in Macedoniam misit (c. 34). Quindecim autem Cassii et Caluisii cohortes postea Fufio Caleno in Achaiam ducendas dedit. De qua re c. 55 in. ita scriptum est: 'Aetolia, Acarnania, Amphilochis per Cassium Longinum et Caluisium Sabinum, ut demonstrauimus, receptis temptandam sibi Achaiam ac paulo longius progrediendum existimabat Caesar. Itaque eo Calenum misit eique Sabinum et Cassium cum cohortibus adiungit'. Nam 'eique' recte Glandorpius scribendum coniecit, cum ederetur 'et Q. Sabinum': is enim Gaius Sabinus dicebatur. Quae uerba ne quis ita interpretetur, ipsum Calenum praeterea secum aliquid cohortium adduxisse uideri, ex Plut. Caes. 43 constat non plures quam quindecim cohortes cum eo in Achaia fuisse. Quintum autem Tillium et Lucium Canuleium, quos Caesar c. 42, 3 rei frumentariae causa in Epirum missos scribit, nullas copias secum habuisse ipsa res indicio est, cum ea regio statim post Caesaris aduentum in eius potestatem uenisset (c. 12 extr.). Sed cum deinde a Dyrrhachio in Thessaliam discederet Caesar, Apolloniae IV cohortes, Lissi unam, Orici III, quas ibi fuisse supra dixi, praesidio reliquit (c. 58), duas autem legiones, quas cum Domitio in Thessaliam miserat, rursus sibi coniunxit (c. 80). Iam de copiis, quae apud Pharsalum cum Caesare fuerunt, c. 89, 2 haec leguntur: 'Cohortes in acie LXXX constitutas habebat, quae summa erat milium XXII, cohortes II castris praesidio reliquerat'. At illum numerum octoginta cohortium, licet eundem ponat Orosius VI, 15, a Caesare positum non esse facile euincam. Caesarem enim ex

consuetudine triplicem aciem instruxisse ex c. 89, 3. 4. 94, 1 uidemus, ubi tertia acies commemoratur. Triplicis autem aciei rationem ipse Caesar declarat hor. comm. I, 83. ‘Acies’, inquit, ‘erat Afraniana duplex legionum quinque, tertium in subsidiis locum alariae cohortes obtinebant; Caesaris triplex, sed primam aciem quaternae cohortes ex quinque legionibus tenebant, has subsidiariae ternae et rursus aliae totidem suae cuiusque legionis subsequebantur’. Vbi ne quis particula ‘sed’ indicari existimet Caesarem alias triplicem aciem non eodem modo instruere consuesse, refertur ea ad discrimen aciei Afranianae, quae alia ratione ipsa quoque triplex erat. Iam apud Pharsalum Caesar c. 89, 3 se ex tertia acie singulas cohortes detraxisse atque ex his quartam aciem instituisse scribit: quod ita necessario intellegendum est, ut ex tertia acie uniuscuiusque legionis una cohors detracta uideatur. Itaque si cohortes octoginta hoc est octo legiones in acie constitissent, cum in dextro cornu legiones nona et octaua ita coniunctae essent, ut unam efficerent, quod factum esse refertur c. 89 in., ex tertia acie singulis detractis cohortibus septem omnino detractas fuisse apparet. Nam coniunctione illa duarum legionum ex octo legionibus septem efficiebantur. At c. 93, 4 legimus ‘quartae aciei, quam instituerat sex cohortium, dedit signum’ (nam quod ibi in codd. non ‘sex’, sed ‘ex’ scriptum est, recte illud a Faërno positum esse certum est): isque numerus confirmatur a Plutarcho Caes. 44 *ἀπὸ τῆς ἐσχάτης τάξεως ἀδήλως ἐκέλευσε περιελθεῖν πρὸς ἑαυτὸν ἓξ σπείρας*, et Pomp. 69 *μετεπέμψατο σπείρας ἓξ ἀπὸ τῶν ἐπιταγμάτων*. Iam c. 89, 2 Achaintrius in Par. sec. non LXXX, sed LXXV cohortium numerum legi testatur. Haec scriptura, etsi in codice ‘LXXX’ legi diserto Beyerlii testimonio constat, tamen tam egregie omnes difficultates tollit, ut auctoritate supersedere liceat. Nam cum duae legiones coniunctae in sinistro cornu satis firmae uiderentur, quinque illas cohortes, quae supra septuaginta cohortium numerum erant, quinque reliquis legionibus singulis singulas ad tertiam aciem adiectas esse apparet, ut duae coniunctae legiones in tertia acie sex cohortes, quinque reliquae quaternas haberent. Deinde singulis cohortibus ex tertia acie detractis quarta acies sex cohortium efficiebatur: duabus coniunctis legionibus quinque, reliquis ternae in tertia acie relinquebantur. Orosii autem in hac re nulla est auctoritas, quippe qui statim pro XXII milibus, quae se habuisse Caesar scribit (eundem autem nu-

merum legimus ap. Plut. Caes. 42, Pomp. 69, Appian. b. ciu. II, 70), minus XXX milia ponat. Itaque computatis LXXV cohortibus, quae ad Pharsalum in acie erant, duabus, quae in castris remanserant, octo, quae Apolloniae, Orici, Lissi in praesidiis erant, quindecim, quae in Achaiam missae erant, centum cohortes siue legiones decem efficiuntur. Ex quibus cum quattuor legiones Antonius adduxerit, ipsum Caesarem hac quoque ratione sex legiones traduxisse reperimus. Itaque c. 2, 2 Caesarem 'LX cohortes legionariorum militum' scripsisse statuendum est: neque inde 'XV milia legionariorum militum' orta esse non uerisimile uidetur, si primo pro 'LX' peruagato errore 'XL' et pro hoc 'XV' posita, ex nota autem, qua cohortes significabantur, effectum esse 'cō', quomodo in Par. sec. 'mille' notatur, idque 'milia' librarium interpretatum esse existimamus. Equites ibi quingenti commemorantur, Plutarchus et Appianus sexcentos cum ipso Caesare traiecisse consentiunt. Huc si adicimus octingentos, quos Antonius adduxit (c. 29), secundum Caesaris locum mille et trecenti, secundum Graecos scriptores mille et quadringenti efficiuntur. Cum autem Caesar paucos equites cum Caluisio et ducentos cum Cassio dimisisset (c. 34), quorum copias cum Caleno in Achaiam missas ad Caesarem non reuertisse docui, Domitio Caluino, cui quingentos attribuerat (c. 34), rursus sibi coniuncto c. 84 mille equites se habuisse ostendit. Atque eundem mille equitum numerum ponunt Plut. Caes. 42, Appian. b. ciu. II, 70, Oros. VI, 15. Sed antequam a Dyrrhachio discederet Caesar, a Pompeio fusus equites aliquot amiserat. Nam c. 71 in optimis codd. haec leguntur: 'Duobus his unius diei proeliis Caesaris desiderauit milites DCCCCLX et notos equites Romanos Fleginatem Tuticanum Gallum, senatoris filium, C. Fleginatem Placentia, A. Granium Puteolis, M. Sacratiuirum Capua, tribunos militum et centuriones XXXII'. Hic recte Aldus correxit 'Caesar desiderauit': in deterioribus codd. ille genitiuus causae fuit, ut deinde 'desiderati sunt' et pro proximis accusatiuis nominatiui ponerentur; reliquaque in his codd. et edd. ante Aldum ex iis expressis uehementer corrupta sunt. Sed in illis, quae supra posuimus, primum apparet Fleginatem, quem Aldus sine causa Felginatem appellare maluit, alteroutro loco male repetitum esse. Deinde Tuticanus Gallus, senatoris filius, non poterat equitibus Romanis adnumerari, sed quamquam ipse non erat senator, ordinis tamen erat senatorii; quamobrem horum comm. I, 23 in simili

enumeratione senatorum filios senatoribus subici et equitibus Romanis praeponi uidemus. Haec qui reputauerit, non dubitabit illa uerba sic constituere: 'Duobus his unius diei proeliis Caesar desiderauit milites DCCCCLX et *equites* . . . Tuticanum Gallum, senatoris filium, notos equites Romanos C. Fleginatem Placentia, A. Granium Puteolis, M. Sacratiuirum Capua, tribunos militum et centuriones XXXII'. Hac enim una ratione illa confusio uidetur nasci potuisse, ut ab equitibus Romanis ad equites librarium aberrasse statuamus. Itaque equites nonnullos se hoc proelio desiderasse scripserat Caesar (num autem praeter eorum commemorationem alia exciderint, incertum est); quos numero aut centum aut ducentos fuisse necesse est. Nam ad mille equites, quos in Thessalia habuit, et ducentos, quos cum Cassio dimiserat (paucos enim Caluisii supra numerum fuisse arbitror), centum adiectis, cum ab his mille et trecentis octingentos Antonii deducimus, quingenti efficiuntur, quem numerum c. 2, 2 apud Caesarem legimus; ducentis adiectis omnium summa mille et quadringenti et, qui cum Caesare traiecerunt, sexcenti erunt, ut Graeci tradunt. Mihi cum Plutarchi et Appiani consensum sequi tutius uideretur, c. 2, 2 sexcentos posui et c. 71 ducenarium numerum perisse existimo.

Initio c. 4 in recensu copiarum Pompeianarum haec leguntur: 'unam ex Sicilia ueteranam, quam factam ex duabus gemellam appellabat'. Ciacconius, cum uideret c. 88 in acie Pompeiana Ciliciensem legionem commemorari, hic quoque 'ex Cilicia' ponendum existimabat. Cui Oudendorpius opposuit Ciliciensem legionem a Scipione demum cum Syriacis adductam uideri, idque confirmari opinatus est Lucani VII, 223 'agmina, quae Cilicum terris deducta tenebat Scipio'. Non uidit igitur ea ratione §. 3 h. c. non potuisse poni 'expectabat cum Scipione ex Syria legiones duas', sed tres legiones commemorandas fuisse. Nam c. 88 Ciliciensis legio in dextro cornu, et tamen in media acie plures Syriacae legiones collocatae fuisse dicuntur. Lucanus Syriacas legiones Cilicum terris ideo deductas scripsit, quia Scipio in monte Amano, 'qui Syriam a Cilicia aquarum diuortio diuidit' (uerba sunt Cic. ad Att. V, 20, 3), rem male gesserat, ut Caesar refert c. 31 in. In Sicilia autem, pacatissima prouincia, non probabile est ante bellum ciuile duas legiones fuisse: neque id tacuisset Caesar hor. comm. I, 30, 4, ubi de delectu a Catone ibi habito eiusque fuga refert. Cum Catone enim eas legiones ad Pompeium uenisse statuendum esset.

Contra in Cilicia et duas ueteranas legiones fuisse et infrequentes, quae causa erat, cur ex duabus una efficeretur, ex Cic. ep. ad Att. V, 15, 1 constat, qui se 'duas legiones exiles' habere scribit. Recte igitur Ciacconius.

Eiusd. c. §. 4 uerba 'octingentos ex seruis suis pastorumque suorum coëgerat' corrupta esse recte omnes consentiunt. Nam etsi non omnes pastores serui erant, quod Oudendorpio uisum est, tamen eos facultates rei familiaris tam tenues habuisse apparet, ut ridicule ex eorum seruis Pompeius aeque atque ex suis equites conscripsisse dicatur. Sed corrigendi rationes adhuc initae sunt parum probabiles, quas, ne longus sim, non commemorabo. Neque enim mihi aliter uidetur scribi potuisse quam hoc modo: 'octingentos ex seruis pastoribusque suis suorumque coëgerat'. Similiter ap. Cic. ad Att. IX, 13, 7 aberratum est in haec: 'nos quae monstra cotidie intellegamus ex illo libello, qui in epistolam coniectus est', cum scribendum esset 'cotidie legamus, intelleges ex illo libello' cett.

C. 6 optimos codd. secutus ita constitui: 'Caesar, ut Brundisium uenit, contionatus apud milites — conclamantibus omnibus, imperaret, quod uellet, quodcumque imperauisset, se aequo animo esse facturos, II Non. Ian. naues soluit. Impositae, ut supra demonstratum est, legiones VI. Postridie terram attigit Germiniorum. Saxa inter et alia loca periculosa quietam nactus stationem et portus omnes timens, quod teneri ab aduersariis arbitrabantur, ad eum locum, qui appellabatur † Pharsalia, omnibus nauibus ad unam incolumibus milites exposuit'. Numerum legionum secundum ea, quae supra disputaui, correxi. Sed editur 'pridie Non. Ian. naues soluit impositis — legionibus VII'; in optimis codd. scriptum est 'II Non. Ian. uaues soluunt impositae — legiones VII'. Et primum quidem diei significatio eadem ap. Cic. ep. ad Brut. I, 14 extr. in codice Mediceo, b. Afr. 79, 2 et Hisp. 39 extr. in Par. sec., b. Afr. 19, 7 'II d. Non. Ian.' in eodem legitur, quae a librariis, cum 'pridie' inuenissent, inuecta esse nequaquam probabile uidetur, et eadem in inscriptionibus inueniri docuit Marinius act. frat. Arual. p. 50. Deinde 'soluit' sane necessarium est, sed, quod hoc uerbum a librariis pro consuetudine proximis uerbis accommodatum est, ea, quae sequuntur, neque corrigenda neque uero eicienda esse, id quod Aldo Manutio uidebatur, euincere potest. Sequentia Victorius ita mutauit, ut scriberet 'terram attigit Cerauniorum'

montes Ceraunios siue Acroceraunios intellegens, ubi Caesarem appulisse Appian. b. ciu. II, 54 et Cass. Dio XLI, 44 referunt. Verum terram Ceauniorum ita demum dicere licebat, si populus aliquis eius nominis ad hos montes habitasset, quem non magis nouimus quam Germinios. Nam Ceraunii siue Cerauni, quos Ptolem. II, 17, 8 commemorat et Plinius hist. nat. III, 22, 43 in Illyrico in Naronam coloniam contributos fuisse refert, longe ab Orico remoti fuerunt. Quod autem Dauisius commentus est, ut 'Ceauniorum' sequentibus uerbis adiungeretur, ob collocationem praepositionis 'inter' probari nequit. Pro 'Germiniorum' in deterioribus aliquot codd. legitur 'Germaniorum', in aliis 'Graecorum'. Ego, cum nequaquam omnium eius orae populorum nomina nobis nota sint, optimorum codd. scripturam falsam esse non affirmauerim. Sed paulo inferius recte Glandorpius et alii Caesarem scripsisse statuerunt 'ad eum locum, qui appellabatur Palaeste'. Lucanus enim V, 455 de traiectu in Graeciam Caesaris haec scribit:

'Sed nocte fugata
Laesum nube dies iubar extulit imaque sensim
Concussit pelagi mouitque Ceraunia nautis.
Inde rapi coepere rates atque aequora classem
Curua sequi, quae iam uento fluctuque secundo
Lapsa Palaestinas uncis confixit arenas'.

Magistro, qui Pharsaliam posuit, pugna Pharsalica obuersabatur. 'Quod — arbitrabantur' edidi Par. sec. et Leid. pr. secutus: nam hoc uerbum passiuo significatu a Cicerone quoque et aliis positum esse docuit Zumpt. ad Verr. V, 41, 106.

C. 8, 4 ita posui: 'Hoc confecto negotio a Salonis ad Oricum portus, stationes littoraque omnia longe lateque classibus occupauit'. Edebatur 'a Salonis ad Orici portum': mire altero oppido ipso, alterius portu commemorato. Cuius rei aliqua causa esset, si Bibulus prius oppidum tenuisset, altero exclusus fuisset: at Pompeianos neutrum tenuisse c. 9, 2 et 11, 3 demonstratur. Et portus, qua facillimus Caesarianis egressus erat, omnium maxime occupandi erant. Quae his uerbis de eodem Bibulo adiunguntur, in codd. ita scripta sunt: 'custodiisque diligentius dispositis ipse grauissima hieme in nauibus excubans neque ullum laborem aut munus despiciens neque subsidium expectans, si in Caesaris complexum uenire posset'. Extrema corrupta esse intellectum est. Nam etiamsi in complexum alterius uenire is dici posset,

qui proelio congreditur, quod inauditum est, tamen hoc Bibulo ne in mentem quidem uenire poterat, cum ipse in classe esset neque terrestres copias haberet, Caesaris naues abessent isque in terra esset. Deinde quid erat, cur Bibulus subsidium expectaret, qui maximam classem haberet? Scribendum est 'ne quod subsidium expectanti Caesari in conspectum uenire posset'. Similia iam ab aliis proposita sunt, sed parum recte conformata. Sed ea, quae supra posui, manca esse ipsa codd. scriptura demonstrat; quod indicium a criticis ita obscuratum est, ut 'excubabat' ponerent. Quo facto sane haec uerba plena sunt, sed quae deinceps leguntur, nullam omnino cum his coniunctionem habent. Superiore enim huius commentarii parte de rebus a Caesare in urbe actis, de ipsius atque Pompeii copiis, de traiectu exercitus Caesaris, de Bibuli in remissas naues acerbitate deque studio eiusdem reliquas Caesaris copias prohibendi relatum est. Iam c. 9 haec inferuntur: 'Discessu Liburnarum ex Illyrico M. Octauius cum iis, quas habebat, nauibus Salonas peruenit', sequiturque narratio de Salonarum oppugnatione ab Octauio temptata, qua omissa Octauium appropinquante hieme Dyrrhachium ad Pompeium se recepisse extremo c. 9 refertur. Tum inde a c. 10 Caesar rursus suas res gestas, quas c. 8 reliquerat, persequitur, Vibullium se ad Pompeium misisse narrat uerbisque c. 11, 3 'at ille expositis militibus eodem die Oricum proficiscitur' ad ea, quae initio c. 8 narrata erant, redit. Liburnas autem in Illyrico fuisse ibique quaedam a Pompeianis gesta esse nusquam antea relatum est. Iam illam Salonarum oppugnationem, de qua Caesar c. 9 refert, statim, postquam C. Antonius a Pompeianis in Illyrico captus esset, ab Octauio institutam esse ex Cass. Dion. XLII, 11 apparet, nisi quod is errore iam tum Gabinium in Illyricum uenisse scribit et haec cum altera expeditione Octauii coniungit, quam post pugnam Pharsalicam factam narrauit Hirt. b. Alex. 43 — 48. Gaium autem Antonium et P. Cornelium Dolabellam illum Corcyrae Nigrae captum, hunc Illyrico eiectum esse ab eodem Octauio et Scribonio Libone Dio XLI, 40 narrauit. Atqui Libonem atque Octauium Caesar c. 5, 3 Liburnicae atque Achaicae classi praefuisse, et c. 15, 6 Libonem se cum Bibulo coniunxisse scribit, ut eum afuisse et redisse item a Caesare relatum fuisse apertum sit. Itaque cum extrema c. 8 imperfectam habeant orationis formam, sequentia c. 9 cum superioribus non cohaereant, non potest dubitari, quin hoc

loco exciderit narratio rerum a Libone et Octauio in Illyrico gestarum, quas paulo antea commemoraui. Ita uerba initio c. 9 posita 'discessu Liburnarum' apte referuntur ad discessum Libonis. Illas autem res in Illyrico gestas ab se narratas esse Caesar c. 67, 5 significat, ubi se exercitum C. Antonii a T. Pulione proditum demonstrasse scribit, eiusdemque rei c. 10, 5 meminit: 'militum deditione ad Corcyram'. Atque excidisse alicubi harum rerum narrationem interpretes uiderunt, sed minus recte in fine secundi commentarii hoc factum existimauerunt. Nam etsi haec eo tempore gesta sunt, quo Caesar in Hispania erat, id quod ex Dionis ll. citt. et Appian. b. ciu. II, 47 apparet, tamen res a Pompeianis in Graecia gestae et multo aptius huic loco reseruabantur, ut Caesar, quem statum rerum apud aduersarios aduento suo offendisset, demonstraret, et hic ipse locus excidisse quaedam indicio est, quae alia esse non potuerunt. Neque nostrae sententiae repugnat, quod iam c. 4 in recensu copiarum Pompeii haec leguntur: 'His Antonianos milites admiscuerat'. Ibi enim omnes copiae recensendae erant, quas Pompeius aduentu Caesaris habebat, neque uerendum erat, ne legentes iis uerbis perturbarentur, praesertim cum paulo post de his rebus edocerentur. Neque omnino tam anxie Caesar scripsisse uideri debet. Subiciam autem, quae res praeter eas, quas modo commemoraui, ex his commentariis excidisse et quo loco positae fuisse uideantur. Primum quod nonnulli opinati sunt narrationem seditionis militum apud Placentiam, quae sub reditum ex Hispania Caesaris accidit, in his libris perisse, eam rem a Caesare relatam esse uerisimile non est. Sed c. 88, 2 tertii huius commentarii cohortes Hispanas ab Afranio ad Pompeium traductas esse Caesar se docuisse scribit, de qua re nusquam relatum est. Quando Afranius ad Pompeium peruenerit, nescimus, sed post traiectum in Graeciam Caesaris id accidisse inde certum est, quod c. 4 in enumeratione copiarum, quas Pompeius in aduentu Caesaris habuit, Hispanae illae cohortes non commemorantur. Itaque ne inter octauum quidem et nonum caput haec res narrata esse potest: quae enim ibi relata fuerunt, ante Caesaris aduentum gesta esse docui. Praeter hunc autem locum uno c. 50 extremo lacuna est, sed ibi permulta exciderunt. Earum rerum extrema fuisse oppugnationem Dyrrhachii a Caesare temptatam et oppugnationem Caesaris castrorum discessu eius a Pompeio institutam (quae narrantur apud Cass. Dion. XLI, 50) ex initio c. 51 perspicitur. Eo

igitur loco etiam illa de aduentu Afranii cum cohortibus Hispanis perisse et eam rem, dum Caesar Pompeium ad Dyrrhachium obsidebat, gestam esse statuendum est. In primo et secundo commentario uerba quaedam alia alio loco exciderunt, integrae rerum gestarum narrationes non perierunt.

C. 10, 6 in mandatis, quae Caesar Vibullio ad Pompeium perferenda dedit, haec leguntur: 'proinde sibi ac reipublicae parcerent: quantum in bello fortuna posset, iam ipsi incommodis suis satis essent documento'. Verum adhortatio illa: 'iam ipsi incommodis suis satis essent documento' ab his uerbis plane aliena est. Inepte enim Caesar Pompeium adhortaretur, ne documenta, quantum fortuna posset, aliorum hominum expectaret, quasi si Caesar et Pompeius bellum gerere perseuerassent, ea re alii homines documento futuri fuissent, aut id actum esset, ut quisquam documento esset. Itaque ante 'quantum' particulam 'cum' inserui. Commonefacit enim Caesar Pompeium, si id adhuc incertum fuisset, quanta esset fortunae uis, iam eius rei ipsos satis esse documento.

Eiusd. c. §. 10 secundum codd. scripturam Caesar pollicetur: 'Haec quo facilius Pompeio probari possent, omnes suas terrestres urbiumque copias dimissurum'. Sed urbium copiae quamuis a terrestribus discerni possint, ut illis praesidia in urbibus posita, his reliquae copiae, quae in agris sunt, significentur, tamen hoc ita demum recte fit, cum idonea utriusque generis discernendi causa est, uelut c. 15, 6 'quorum alter oppidi muris, alter praesidiis terrestribus praeerat', quae uerba interpretes hic ascripserunt. Quamquam is locus non omni ex parte id, quod concessimus, probat. Nam cum Oricum, de quo ibi dicitur, maritimum oppidum esset, praesidia in eius muris disposita quodam modo maritima erant. In iis autem uerbis, quae initio posuimus, ut nulla causa erat terrestres copias in duo genera diducendi, ita maritimarum copiarum commemoratio desideratur. Itaque scribendum puto 'omnes suas terrestres nauiumque copias'. Error commutatione peruagata litterarum u et b ortus est.

Iam supra monui inde a c. 10 Caesarem ad suas res, quas c. 8 reliquerat, reuerti. Ibi igitur se Vibullium bis, Corfinii et in Hispania, captum et dimissum pro suis in eum beneficiis idoneum iudicasse scribit, cui mandata ad Pompeium perferenda daret, eaque mandata deinceps exponit. Quibus statim initio c. 11 haec subiciuntur, ut quidem in codd. scripta sunt: 'Bibulus his expositis Cor-

cyrae non minus necessarium esse existimauit de repentino aduentu Caesaris Pompeium fieri certiorem, uti ad id consilium capere posset, antequam de mandatis agi inciperet, atque eidem continuato nocte ac die itinere atque omnibus copiis mutatis ad celeritatem iumentis ad Pompeium contendit, ut adesse Caesarem nuntiaret'. Hic Bibulum perpetuo fere errore pro Vibullio scriptum esse superiores grammatici statuerant, recentiorum quidam acute sibi Bibulum defendisse uisi sunt. Hi commenti sunt Vibullium a Caesare peruenisse ad Bibulum eique mandata exposuisse, deinde cum iis mandatis Bibulum ad Pompeium esse profectum. Haec pluribus argumentis recte refutauit Elberlingius. Nos hoc uno defungi possumus, si id factum esset, peruenisse Vibullium ad Bibulum Caesari declarandum fuisse: ita quidem, ut nunc ponuntur uerba 'Bibulus his expositis' cett., necessario Bibulo mandata a Caesare exposita esse intellegendum esset. Item, quae c. 10 leguntur: 'demonstrauimus L. Vibullium Rufum, Pompeii praefectum, bis in potestatem peruenisse Caesaris atque ab eo esse dimissum, semel ad Corfinium, iterum in Hispania. Hunc pro suis beneficiis Caesar idoneum iudicauerat, quem cum mandatis ad Cn. Pompeium mitteret', haec igitur falso quidam ita interpretati sunt, ut Vibullium iam ex Hispania ad Pompeium missum dici existimarent. Nam poterat dimitti et tamen, ne ad Pompeium proficisceretur, uetari atque prohiberi, longeque antea de mandatis Vibullio dandis Caesar cogitare poterat, quam eum cum mandatis dimitteret. Summae autem dementiae fuisset nuntium aduentus sui praemittere, quo scilicet Pompeius facilius eum traiectu prohiberet. Ex ipsa serie rerum ab Caesare narratarum haec ita intellegenda esse apparet, quemadmodum a Plutarcho Pomp. 65 narrantur, qui haec de Caesare scribit: *αὐτὸς μὲν εἰς Ὤρικον παρενέβαλεν, Ἰούβιον δὲ τὸν Πομπηΐου φίλον αἰχμάλωτον ἔχων σὺν ἑαυτῷ πρὸς Πομπήϊον ἀνέστειλε*: nam corrupto nomine Vibullium significari iam Xylander uidit. Itaque et pro Bibulo ponendus est Vibullius, neque is quicquam Corcyrae exponere potuit. Quod autem Aldus ex illo 'Corcyrae' effecit 'a Caesare', nullam habet probabilitatem. 'Corcyrae' a magistro ascriptum est, qui, cum pro Vibullio positus esset Bibulus, hunc Corcyrae fuisse arbitraretur. Legerat enim c. 7, 1 'M. Bibulus cum nauibus CX Corcyrae [erat]'. Sed in hac quoque re errauit. Erat enim sane Corcyrae Bibulus, cum Caesar adueniret, sed statim

11*

eius aduentu cognito profectus inde redeuntibus Caesaris nauibus occurrerat easque incenderat et omnia littora a Salonis ad Oricum occupauerat, quae c. 8 referuntur, et deinde eum ad Oricum fuisse ex uerbis c. 15 apparet 'Bibulus, ut supra demonstratum est, erat cum classe ad Oricum'. Verba, quae paulo post leguntur, 'antequam de mandatis agi inciperet' rectam formam non habent. Nam res aliqua agi coepisse et incepisse recte dicitur, etsi Caesar hoc quoque genere abstinuit, ut p. 19 monui, re uero, quae agitur, non significata Latini constanter dixerunt 'agi coeptum est' et 'incipitur'. Neque enim apud Corn. Nep. Epam. 10, 3 tutum est, quod editur 'postquam apud Cadmiam cum Lacedaemoniis pugnari coepit'. Nam in optimo codice Danielino pluribusque mediocribus legitur 'pugnare coepit', in Guelpherbytano, qui Danielino bonitate proximus est, 'pugnatum est coepit': 'pugnari' in hoc et Sangallensi a secunda demum manu positum est. Itaque ibi scribendum est 'pugna coepit'; apud Caesarem 'agi inciperetur'. Deinde ex codd. scriptura 'atque eidem' recte nescio a quo effectum est 'atque ideo'. Sed uerba 'omnibus copiis' eo loco, quo in codd. ponuntur, cum ferri non posse intellectum esset, male ad extrema translata sunt in hunc modum: 'ut adesse Caesarem omnibus copiis nuntiaret'. Nam Vibullium, qui cum Caesare traiecisset, latere non poterat non omnes copias, sed dimidiam tantum partem traductam esse. Itaque Heldius uerba 'omnibus copiis' commenticia iudicauit. De qua re eo minus dubitare licet, quod ea ideo tam peruerse collocata esse apparet, quia in margine erant ascripta. Extrema uerba 'ut adesse Caesarem nuntiaret' pinguiter adiciuntur, cum id Vibullium spectauisse supra iam declaratum sit. Non sine causa igitur Grutero haec quoque spuria uidebantur. Cum tamen uerba 'omnibus copiis' his ascripta esse certum sit, eam suspicionem non admiserim. Potius cum in Par. sec. et Leid. pr. scriptum sit 'et adesse' cett., correxi 'et adesse Caesarem nuntiauit'.

Magnae turbae leuibus de causis excitatae sunt initio c. 13. Ea uerba sic edebantur: 'At Pompeius cognitis iis rebus, quae erant Orici atque Apolloniae gestae, Dyrrhachio timens diurnis eo nocturnisque itineribus contendit. Simulac Caesar appropinquare dicebatur, tantus terror incidit eius exercitui, quod properans noctem diei coniunxerat neque iter intermiserat, ut paene omnes in Epiro finitimisque regionibus signa relinquerent, complures arma proicerent ac fugae simile iter uideretur'. Hic mirum Heldio

uisum est terroris Pompeianorum dissimiles causas poni, aduentum Caesaris et festinationem ipsius Pompeii. Sed neque festinatio per se, si nullus ab hoste timor fuisset, neque solus Caesaris aduentus terrorem intulisset: cum milites festinando defatigati essent, aduentus Caesaris idoneam terroris causam afferebat. Neque rectius uerbis 'quod properans noctem diei coniunxerat' intolerabiliter idem repeti contendunt, quod paulo ante dictum erat, Pompeium diurnis nocturnisque itineribus Dyrrhachium contendisse. Sane factum id esse iam declaratum erat, causam eam terroris fuisse non erat significatum. Tamen his rebus motus qui de Heldii libro iudicauit in act. litt. Lips. a. 1824 p. 940 uerba 'quod properans — intermiserat' ad Caesarem referre conatus est, ipseque Heldius, cum id formam orationis non pati intellegeret, ea post superiora 'simulac Caesar appropinquare dicebatur' transponenda existimauit. Satis autem leuem causam adiciunt, Caesarem, cum §. 5 h. c. se finem properandi fecisse dicat, de sua quoque festinatione antea dicere debuisse. Nihil necesse erat id declarare, quod quemuis ipsa res docebat. Vnum recte reprehensum est, uerba 'simulac Caesar appropinquare dicebatur' nimis abrupte inferri. Itaque, cum deinceps in Par. sec. et Haun. pr. et quinque deterioribus codd. scriptum sit 'tantusque terror' cett., recte Oudendorpius haec ita constituenda iudicauit: 'Simul Caesar appropinquare dicebatur: tantusque terror incidit eius exercitui' cett. Quod autem edidi 'paene omnes ex Epiro finitimisque regionibus', ea Iurinii emendatio est, quam ueram esse manifestum est.

Extremo c. 18 haec leguntur: 'Bello perfecto ab iis Caesar haec dicta cognouit, qui sermoni interfuerunt, conatus tamen nihilo minus est aliis rationibus, per colloquia, de pace agere'. Indefinitae significationi 'aliis rationibus' per se recte apertior 'per colloquia' superaddi potest; sed hic id alienum est. Nam quae illae rationes fuerint, seq. c. luculenter explicatur, atque oratio ibi ita instituta est, ut de re nondum declarata dici appareat. Neque enim, nisi res ignota etiamtum legentibus adiungeretur, sequentia sine ulla coniunctione inferrentur. Itaque uerba 'per colloquia' a magistro profecta esse duxi.

C. 19, 3 haec scripta sunt: 'Multa suppliciter locutus, ut de sua atque omnium salute debebat, silentioque ab utrisque militibus auditus responsum est ab altera parte A. Varronem profiteri se altera die ad colloquium uenturum atque una etiam utrimque ad-

modum tuto legati uenire et, quae uellent, exponere possent, certumque ei rei tempus constituitur'. Hic recte in codice Noruicensi scriptum est 'locutus est'. Sequentia autem ab his uerbis separanda sunt. Nam neque uerbum substantiuum in tali oratione omisit Caesar, neque tam turpiter in breui oratione institutae formae oblitus est, quod scriptori belli Africani accidisse uidimus. Deinde uerba 'atque una etiam' cett. corrupta esse apertum est. In Par. sec. Haun. pr. Leid. pr. aliisque Oudendorpii haec ita scripta sunt: 'atque una uis utrumque'. Vnde admodum scite ab Elberlingio haec effecta sunt: 'atque una uisurum, quemadmodum tuto legati uenire et, quae uellent, exponere possent'. Sed 'una' in hac oratione ferri non posse ipse Elberlingius intellexit. Reliquis igitur retentis, quae is inuenit, 'atqueund̃' hoc est 'atque eundem' ponendum putaui.

C. 22 recte Vossius scribendum dixit 'Interim Milo dimissis circum municipia litteris ea, quae faceret, iussu atque imperio facere Pompeii, quae mandata ad se per Vibullium delata essent' cett. Nam et codices, in quibus 'Bibullium' legitur, illud magis quam 'Bibulum' commendant, et I, 34 in., postquam ibi codices optimos secuti uerba 'in Hispaniam' sustulimus, Vibullium Massiliam adisse demonstratur, in qua urbe Milo exul degebat.

C. 25 Caesar de cunctatione suorum scribit, qui, quamuis hiems praecipitauisset, tamen nondum secundum commeatum a Brundisio traicere ausi erant. Ibi §. 2 haec in codd. leguntur: 'quantoque eius amplius processerat temporis, tanto erant alacriores ad custodias, qui classibus praeerant, maioremque fiduciam prohibendi habebant; et crebris Pompeii litteris castigabantur, quoniam primo uenientem Caesarem non prohibuissent, ut reliquos eius exercitus impedirent: duriusque cotidie tempus ad transportandum lenioribus uentis expectabant'. Extrema uerba ita conformata sunt, ut necessario ad praefectos classis Pompeianae referenda sint: uerba autem 'ad transportandum lenioribns uentis' de Caesarianis tantum a Brundisio tramittere cupientibus dici potuerunt. Nam Heldius mirabiliter haec ita interpretatus est, quo leniores uenti futuri essent, eo difficilius a Caesarianis tramissum iri Pompeianos sperasse. Quasi, ut alia omittam, durius tempus aliud dici posset, quam hibernum tempestatibusque infestum. Neque, cum hiems praecipitauisset, leniores, sed uehementiores uenti consequebantur. Sed etiamsi forma orationis ad Caesarianos haec

referri pateretur, sententia tamen inepta esset, quae alia inesse non potest, nisi haec: expectabant cotidie durius tempus, quo lenioribus uentis tramitterent. Nam quae Oudendorpius sibi inuenisse uisus est, Caesarianos, dum leniores uentos expectarent, durius cotidie accepisse tempus, eorum nihil uideo. Sententiam requiri apertum est huiuscemodi: tempus cotidie durius spem lenioribus uentis tramittendi ademisse. Itaque sic scripsi: 'duriusque cotidie tempus ad transportandum lenioribus uentis non spectabat'. Particula negatiua separata est a copulatiua ad uim illius augendam. Cf. b. Gall. III, 29, 2 'uti opus necessario intermitteretur, et continuatione imbrium diutius sub pellibus milites contineri non possent', b. ciu. I, 81, 2 'et eo die tabernacula statui passus non est', Corn. Nep. Them. 3, 1 'longiusque barbaros progredi non paterentur'.

Quae c. 26 de Antonii et Caleni profectione leguntur, partim ex codd. scriptura bene constituit Elberlingius, de parte minus recte disputauit. Ea autem uerba ita scribenda sunt: 'nacti austrum naues soluunt atque altero die Apolloniam [Dyrrhachium] praeteruehuntur. Qui cum essent ex continenti uisi Coponius, qui Dyrrhachii classi Rhodiae praeerat, naues ex portu educit, et, cum iam nostris remissiore uento appropinquasset, idem auster increbruit nostrisque praesidio fuit. Neque uero ille ob eam causam conatu desistebat, sed labore et perseuerantia nautarum et uim tempestatis superari posse sperabat, praeteruectosque Dyrrhachium magna ui uenti nihilo secius sequebatur'. 'Apolloniam Dyrrhachium' scriptum est in Par. sec. Leid. pr. Scal. Haun. pr. compluribusque deteriorum. In quibus uerbis cum neque asyndeton ferri, neque hic iam Dyrrhachium praeteruehi Caesariani dici possint, quos postea demum, cum eos Coponius leniore uento paene assecutus esset, id oppidum uento rursus increbrescente praeteruectos esse declaretur, his de causis Elberlingius recte statuit Dyrrhachium interpolatum esse ex uerbis c. 30, 1 'praeteruectas Apolloniam Dyrrhachiumque naues uiderant'. Sed quod deinde scribendum existimauit 'et cum iam nostri — appropinquassent', mihi id, quod Vascosanus posuit ipseque supra scripsi, retinendum uidetur, licet in omnibus codd. legatur 'appropinquassent', et 'nostris' in Cuiac. tantum duobusque deterioribus. Quod autem Oudendorpius 'nostris' et 'appropinquassent' edidit et hoc ad 'naues' retulit, ea orationis forma nimis impedita est. Caesariani uero non

recte Coponio appropinquare dicuntur, quos neque sponte id fecisse probabile est, cum summum periculum afferret, neque ulla res, ut facerent, cogebat. Ante omnia, ut recte de his uerbis iudicetur, sciendum est Coponium longas naues habuisse, Antonium longe maximam partem onerarias. De illo quod dixi, et ipsa res et Appianus b. ciu. II, 59 demonstrat. Antonium perpaucas longas habuisse inde perspicitur, quod Caesar, qui iisdem nauibus traiecerat, h. l. c. 7 duodecim tantum longas secum fuisse scribit et in iis constratas non plures quam quattuor. Itaque Coponii naues omnibus rebus instructae et habiles erant ad remigandum, Antonianarum omnis uis in uelis consistebat, eaque μεγάλα ἴστια Appianus in his commemorat. Iam appropinquantibus Dyrrhachium Caesarianis cum Coponius ad eos contendisset, leniore uento fiebat, ut Caesariani tardius procederent, et Coponius eos paene consequeretur; sed cum uentus rursus increbruisset, prius eum praeuertebant, quam ad eos perueniret, et durante eodem uento post se relinquebant. Coponius autem nihilo minus 'labore et perseuerantia nautarum uim tempestatis superari posse sperabat' hoc est, remigando se celerius iturum, quam Antoniani uenti magnitudine ferebantur. Ita haec intellegenda esse et Appiani narratio ostendit et Caesaris uerba, quae statim sequuntur, 'Nostri usi fortunae beneficio tamen impetum classis timebant, si forte uentus remisisset'.

C. 35, 1 in codd. ita scriptum est: 'Ex his Caluisius primo aduentu summa omnium Aetolorum receptus uoluntate praesidiis aduersariorum Calydone et Naupacto relictis omni Aetolia potitus est'. Itaque 'a praesidiis' scripsi. 'Reiectis' enim, quod pro 'relictis' editur, in uno Par. tert. scriptum est, idque alienissimis exemplis Oudendorpius defendit. Si 'reiectis' in omnibus codd. legeretur, assentiendum esset Ciacconio, qui 'deiectis' coniciebat. Paulo post in his uerbis: 'Hegesaretus, ueteris homo potentiae, Pompeianis rebus studebat: Petreius, summae nobilitatis adolescens, suis ac suorum opibus Caesarem enixe iuuabat', nomen Petreium non conuenire homini Thessalo intellectum est. Apud Cic. Phil. XIII, 16, 33 Antonius in litteris ad senatum missis haec queritur: 'securi percussos Paetum et Menedemum, ciuitate donatos et hospites Caesaris, laudastis'. In codd. ibi scriptum est 'Petrum'. Eum eundem hominem esse atque hunc Petreium coniunctio cum Menedemo docet, quem principem Macedoniae liberae in suis partibus fuisse Caesar extremo superiore ca-

pite demonstrat. Petri tamen nomen in homine ipsius Graeciae ante Christiana tempora reperiri non uidetur. Itaque optime M. Hauptius Petraeum illum hominem dictum fuisse coniecit, quod nomen et ad Petreium et ad Petrum proxime accedit legiturque ap. Polyb. IV, 24 et V, 17.

C. 36, 1 haec leguntur: 'Eodemque tempore Domitius in Macedoniam uenit, et, cum ad eum frequentes ciuitatum legationes conuenire coepissent, nuntiatum est adesse Scipionem cum legionibus magna et opinione et fama omnium: nam plerumque in nouitate fama antecedit'. Haec extrema sententia inepte adicitur. Nam famam in noua re praecurrere, res adeo nota est, ut id putide moneatur. Ex iis autem, quae deinceps de Scipione narrantur, perspicitur eum famae non respondisse. Itaque scribendum uidetur 'nam plerumque in nouitate fama rem excedit'. Quo minus enim totam sententiam spuriam existimem, nouitas impedit, quo uocabulo ita magistrum usurum fuisse non arbitror.

Sequuntur haec: 'Hic nullo in loco Macedoniae moratus magno impetu tetendit ad Domitium et, cum ab eo milia passuum XX afuisset, subito se ad Cassium Longinum in Thessaliam conuertit. Hoc adeo celeriter fecit, ut simul adesse et uenire nuntiaretur'. Verum extrema superioribus uerbis non respondent. Neque enim aduentus solum, sed uel maxime discessus celeritas declaranda erat. Edidi igitur, quod me scriptum esse a Caesare M. Hauptius monuit, 'abisse et uenire'. Inuersus rerum ordo ipsam celeritatem significat.

C. 37, 2 sic scripsi: 'Sed cum esset inter bina castra campus circiter milium passum VI, Domitius castris Scipionis aciem suam subiecit, ille a uallo non discedere perseuerauit. Ac tamen aegre retentis Domitianis militibus est factum, ne proelio contenderetur'. Nam 'attamen', quod in codd. legitur, contrariam sententiam inferret, quasi, cum Scipio in loco munitissimo constitisset, Domitius iniquo, id expectari debuisset, ut Domitiani proelium committerent. Eadem causa est uerborum c. 87, 5, ubi Labienus, postquam Caesaris exercitum maximam partem nouis militibus constare asseuerauit, non poterat adicere 'Attamen, quod fuit roboris duobus proeliis Dyrrhachinis interiit': recte ibi in Par. sec. et Leid. pr. scriptum est 'ac tamen'. Accurate de hoc uitio satis frequenti disputauit Maduigius ad Cic. de fin. p. 289 et 429.

C. 38 narratur Domitium, ut Scipionem ad pugnam eliceret,

se angustiis rei frumentariae adductum discedere simulauisse neque longe progressum omnem exercitum in insidiis collocasse. Inde quae excipiunt, ita eduntur: 'Scipio ad sequendum paratus equitatum magnamque partem leuis armaturae ad explorandum iter Domitii et cognoscendum praemisit. Qui cum essent progressi primaeque turmae insidias intrauissent, ex fremitu equorum illata suspicione ad suos se recipere coeperunt, quique hos sequebantur, celerem eorum receptum conspicati restiterunt. Nostri cognitis insidiis, ne frustra reliquos expectarent, duas nacti hostium turmas exceperunt'. Verum uerba illa 'leuis armaturae' in nullo codice, de quo quidem constet, leguntur: in Louaniensi pro iis positum est 'exercitus'. Neque in iis, quae sequuntur, aliae copiae praeter equites commemorantur. Itaque 'equitum magnam partem' scriptum fuit, et peruagato errore factum est, ut ex 'equitum' efficeretur 'equitatum'. Deinde ad coniungendam orationem sequentibus uerbis copula adiecta est. Quod autem infra editur 'duas nacti hostium turmas', illud 'hostium' in omnibus codd. superioribus uerbis 'cognitis insidiis' interpositum est. Falso igitur ibi magister declarauerat, cuius insidiae cognitae dicerentur, recteque Vascosanus et alii hostes eiecerant.

Cn. Pompeius filius, cum ad Oricum cum classe uenisset, et nauem in introitu portus positam expugnauit et eodem tempore ex altera parte nauibus mole quadam traiectis in portum peruenit. Verba c. 40, 4, quibus posterior res declaratur, in tribus optimis totidemque deterioribus codd. ita scripta sunt: 'eodemque tempore ex altera parte molem tenuit naturalem obiectam, quae paene insulam oppidum effecerat, IV biremes subiectis scutulis impulsas uectibus in interiorem partem traduxit'. Situm horum locorum recte declarauit Ciacconius. Ex Caesaris enim uerbis perspicitur peninsulam a continente procucurrisse, ita ut caput eius, in quo oppidum Oricum positum erat, continenti rursus appropinquaret, et obiectu peninsulae portus angusto introitu efficeretur. Prima pars peninsulae, qua continenti cohaerebat, moles a Caesare appellatur. Confirmantur haec Plinii hist. nat. II, 89, 204 'Epidaurus et Oricum insulae esse desierunt', quae uerba Ciacconius ascripsit. Is uero, cum inepte ederetur, ut etiamnum fit, 'quae paene insulam contra oppidum effecerat', coniectura id ipsum inuenit, quod ex optimis codd. supra posui, nisi quod recte praeterea 'efficiebat' legendum dixit: plusquamperfectum enim positum est ab

eo, qui 'paene' non ad 'insulam', sed ad uerbum pertinere arbitraretur. Superiora uerba corrupta esse idem Ciacconius uidit, nihil tamen, quod probabile uideri possit, effecit. Quod uerba 'IV biremes in interiorem partem traduxit' sine copula adiunguntur, indicio est haec cum superioribus uerbis unam effecisse enuntiationem. Neque uero, si quis poneret 'et quattuor biremes — in interiorem partem traduxit', quod Clarkio uisum est, superiora recta essent. Nam cum moles diceretur obiecta, non poterat iis uerbis superaddi adiectiuum 'naturalis', sed 'moles naturaliter obiecta' dicenda erat. Itaque ita scriptum fuisse arbitror: 'eodemque tempore ex altera parte mole tenui naturaliter obiecta — quattuor biremes — in interiorem partem traduxit'. Ex his ea, quae nunc leguntur, ita orta sunt, ut primum exitus uocabulorum 'tenui naturaliter' permutarentur, quod item b. Gall. VI, 21, 5 factum est in optimo Bong. pr., ut 'feminam notitiae' scriberetur, cum deberet 'feminae notitiam'. Deinde cum pro 'tenuit̃' i. e. 'tenuiter' scriptum esset 'tenuit' idque uerbum uideretur, accusatiui 'molem naturalem obiectam' effecti sunt. Quos accusatiuos ideo non retinui, quia adiecto loco, in quem aliquid traductum esset, Latinis durum uisum est duplicem accusatiuum ponere, sed aut ea forma usi sunt, quam posui (eandem autem habent haec Liuii XXXV, 48 'equitum innumerabilem uim traici Hellesponto in Europam'), aut altera, quae est apud Caes. b. Gall. I, 35, 3 'ne quam multitudinem hominum amplius trans Rhenum in Galliam traduceret'. Denique 'scutula', quibus naues traductae dicuntur, qualia fuissent, nemo probabiliter explicauit. Hoc quoque emendauit Ciacconius suculas a Caesare positas esse docens. Suculae enim erant in machinis torcularibus ligna rotunda, quae uectibus uersabantur, quod apparet ex Vitruu. I, 1, 8. X, 2, 2 multisque aliis eius libri locis. Idem mendum, quod hic apud Caesarem uidimus, apud Catonem quoque de re rust. 68 recte criticis tollendum uisum est.

Eiusd. c. 40, 5 haec in codd. leguntur: 'Hoc confecto negotio D. Laelium ab Asiatica classe abductum reliquit, qui commeatus Bullide atque Amantia importari in oppidum prohibebat'. Sed si Laelius iam commeatus Oricum importari prohibuisset, non intellegitur, cur eum Pompeius ab Asiatica classe abductum Orici reliquisse dicatur. Apertum est eum relictum esse, ut tum demum commeatus importari prohiberet. Itaque 'prohibeat' scribendum erat. Coniunctiuum praesentis temporis Caesar etiam h. l. c. 20 extr. per-

fecto subiecit: 'legem promulgauit, ut sexenni die sine usuris creditae pecuniae soluantur'. 'Sexenni' enim 'die' recte Manutius coniecit, cum in codd. legeretur 'sexies seni dies'. Nam quae ibi ab aliis excogitata sunt, nullam habent uerisimilitudinem.

C. 44, 4 ita in codd. scriptum est: 'Atque ut nostri perpetuas munitiones uidebant perductas ex castellis in proxima castella, ne quo loco erumperent Pompeiani et nostros post tergum adorirentur, timebant, ita illi interiore spatio perpetuas munitiones efficiebant, ne quem locum nostri intrare atque ipsos a tergo circumuenire possent'. Hic primum recte Faërnum 'timebant' delendum iudicasse apertum est, quod neque habet, quo referatur, et, cur adiectum sit, causa in promptu est. Editur quidem supra 'nostri, qui perpetuas munitiones habebant', sed 'qui' in nullo codice scriptum est, et in omnibus legitur 'uidebant'. In hoc inepto uerbo emendando proxime ad codicum uestigia accessit idem Faërnus 'iungebant' coniciens: certa emendatio nondum reperta est. Muenscherus in ephem. scholast. a. 1828 p. 562 haec ita conformauit: 'atque ut nostris perpetuas munitiones uidebant perductas —, ita illi — efficiebant'. Sed, ne quid de duritie compositionis dicam, Caesaris munitiones nequaquam erant perfectae. Contendebant enim Caesariani etiam tum munitionibus cum Pompeianis, illi, ut Pompeium quam angustissime concluderent, hi, ut Caesarianos quam maxime extenderent, id quod superioribus et inferioribus uerbis declaratur. Itaque 'a nostris perduci uidebant' scribendum fuisset.

C. 48 in. ita editur: 'Est etiam genus radicis inuentum ab iis, qui fuerant cum Valerio, quod appellatur chara', quae a quo posita sint, nescio: in codd. scriptum est 'qui fuerant ualeribus'. Nihil igitur attinet demonstrare, quantopere illa 'cum Valerio' et ipsa inepta sint et a Vossio inepte sint explicata. In codicum scriptura Gruterus oppidi nomen latere arbitrabatur, eique Oudendorpius assentitur. Sed neque est in his regionibus urbs similis nominis, neque in oppido radices inuentas esse credibile est; et eos milites hanc radicem reperisse apparet, qui Pompeium munitionibus obsidebant. Mihi scribendum uidetur 'qui fuerant in uallibus'. Valles in his locis commemorantur 49, 4: neque improbabile est eam huius radicis fuisse naturam, ut maxime locis demissis nasceretur.

C. 49, 4 dubitatum est de his uerbis: 'ut erant loca mon-

tuosa et ad specus angustiae uallium', neque forma orationis neque sententia satis intellecta. Valles adeo angustae fuisse dicuntur, ut specubus similes essent, superimpendentibus rupibus et fere coniunctis. Praepostere specus interpretantur canales et hic et b. Alex. 6, 1 et 5, 1, ubi quod aquaeductus subterranei specus appellantur, non discedi a proprio significatu apparet. 'Ad' praepositio in comparando eodem modo atque apud Caesarem posita est a Cic. pro Vareno (fragm. p. 443 Orell.) 'L. ille Septimius diceret (etenim est ad L. Crassi eloquentiam grauis et uehemens et uolubilis, Erucius hic noster Antoniaster est)...' Ita enim haec distinguenda sunt. Deinde ab Liu. XXII, 22 'homini non ad cetera Punica ingenia callido'; M. Aurel. ad Front. II, 9 (p. 54 ed. Rom.) 'iam conticinium atque matutinum atque diluculum usque ad solis ortum gelidum, ad Algidum maxime'.

Eiusd. c. §. 6 haec eduntur: 'At Caesaris exercitus optima ualetudine summaque aquae copia utebatur, tum commeatus omni genere praeter frumentum abundabat: quibus cotidie melius succedere tempus maioremque spem maturitate frumentorum proponi uidebant'. Relatiuum 'quibus' Heldius neutro genere dictum ad res secundas antea commemoratas referri interpretatur. Sed aestiuum tempus (id enim instare inferiora demonstrant) neque maiorem salubritatem afferebat neque aquae copiam. Neque omnino haec commoda augeri Caesariani cupiebant, quibus plenissimis fruebantur, sed frumenti inopiam leuari. 'Succedere' uero siue consequi siue feliciter euenire interpretamur, ferri nequit. Prius enim plane ineptum est, altera ratione neque tempus succedere potest, sed res tantum, quam humano labore efficere licet, neque ulli quicquam nisi homini agenti. Ei ipsam actionem substituit Liuius, cum incepto, spei, fraudi, facinori aliquid succedere diceret XXIV, 19. XXXIII, 5. XXXVIII, 25. XLIV, 11: antiquiores se ab hoc genere abstinuerunt. Sed ne scriptum est quidem in codd. 'succedere', sed 'subterere' aut 'subterrere'. Inde quemadmodum haec emendanda sint, nescio. Nam Oudendorpius et Vossius, quorum alter 'succurrere', alter 'subuenire' scriptum fuisse coniecit, uitium, quod in pronomine inesse reprehendimus, non sustulerunt.

C. 50, 1 haec de Pompeianis referuntur: 'Illi cum animaduertissent ex ignibus nocte cohortes nostras ad munitiones excubare, silentio aggressi uniuersas intra multitudinem tela conicie-

bant et se confestim ad suos recipiebant'. Verum ita in quinque tantum deterioribus codd. scriptum est, in reliquis 'aduersi uniuersas'. Prius hac de causa pro 'adgressi' positum uidetur ('adgressi' autem certa coniectura scriptum arbitror, cum nullum uideatur alterum uerbum huic loco aptum reperiri posse), sed, ut dicere institueram, ex 'adgressi' factum est 'aduersi', quia sequenti uoci suprascriptum erat 'uersi', ut 'uniuersi' legendum esse significaretur. Et 'aggressi uniuersi intra multitudinem sagittas coniciebant' necessario requiri existimo, quia non tam id agebatur, ut Pompeiani uniuersas munitiones aggrederentur, quam ut omnes milites uno tempore sagittas conicerent, ne Caesariani prioribus telis admoniti ab insequentibus cauerent et celerius se expedirent, quam Pompeiani se recepissent.

C. 54 peruerse ita edebatur: 'Pompeius noctu magnis additis munitionibus reliquis diebus turres extruxit et in altitudinem pedum XV effectis operibus uineis eam partem castrorum obtexit et quinque intermissis diebus alteram noctem subnubilam nactus extructis omnibus castrorum portis et ad impediendum obiectis tertia inita uigilia silentio exercitum eduxit' cett. Nam neque exstrui castrorum portae recte dicuntur, neque omnes portae: sed, ut sententia nasceretur, fores omnibus portis impositas esse dicendum erat. In optimis codd. legitur 'obstructis', nam 'obstruxit' Par. sec. idem significat. Id recepi et post 'omnibus' adieci 'rebus', quod facile excidebat. Ita omnes res (nos dicimus alles mögliche) castrorum portis obstructae et ad impediendum obiectae dicuntur. Nam si quis ascito illo 'obstructis' portas interpretari uellet fores easque obiectas dici existimaret, hae praepostere prius obstructae, deinde ipsae obiectae dicerentur: et erat maius impedimentum in iis, quae obstruebantur, quam in foribus.

C. 63, 6 in codd., de quibus constat, haec leguntur: 'Nam ut ad mare nostrae cohortes nonae legionis excubuerant, accessere subito prima luce Pompeiani exercitus aduentus extitit: simul nauibus circumuecti milites in exteriorem uallum tela coniciebant, fossaeque aggere complebantur, et legionarii interioris munitionis defensores scalis admotis tormentis cuiusque generis telisque terrebant'. Quod enim inde ab Oudendorpio post 'simul' adicitur 'ex' praepositio, eam errore primum in Oudendorpii exemplar irrepsisse monuit Elberl. obss. p. 75. Sed in superioribus uerbis, de quibus dicere constitui, inter uerba 'exercitus' et 'aduentus' uulgo inserun-

tur haec: 'nouusque eorum'. Quae siue in uno et altero deteriorum codd. siue in impresso libro primum posita sunt, certum est de coniectura ad supplendam orationem adiecta esse. Neque tamen eo additamento quicquam ad ea uerba emendanda profectum est. Nullo enim modo hic plures exercitus Pompeiani commemorari potuerunt. Nam cum cohortes Pompeianae numero sexaginta (62, 2) in aduersas Caesaris munitiones impetum facerent, et simul milites leuis armaturae sagittariique nauibus circumuecti a tergo impugnarent, hae duae exercitus partes, quae ne coniunctae quidem Pompeii exercitum efficiebant (is enim nouem legionum erat eo tempore, uid. c. 4), peruerse singulae Pompeiani exercitus apellarentur. Iam in codd. scriptura, quam supra posui, recta sunt haec uerba: 'accessere subito prima luce Pompeiani', reliqua 'exercitus aduentus extitit' neque ulla ratione cum illis cohaerent et, quo minus corrupta uideantur, ipsorum uerborum integritas repugnat. Atqui ea uerba eandem sententiam referunt, quam superiora habent. Non dubitandum est igitur, quin hic duplicem deprehendamus scripturam, et genuinam et commentum a magistro suprascriptum. Cum enim Caesar scripsisset 'accessere subito prima luce Pompeiani', magistro pro his ponendum uisum est 'subito prima luce Pompeiani exercitus aduentus extitit': casus autem, quod neque ipse uerbum 'accessere' deleuit, neque consilium eius a librariis perspectum est, antiquam scripturam seruauit. Idem euenit hui. l. c. 9, 6, ubi in codd. haec leguntur: 'cum iis, quos nuper maximi liberauerant': 'maxime', quod editur, neque ad 'nuper' neque ad 'liberauerant' relatum aptum est. 'Maximi' siue potius 'maxumi' ortum est ex 'manumis', quas syllabas uerbo 'liberauerant' suprascripserat magister, ut 'manumiserant' legendum esse significaret. Item c. 13, 5 in his uerbis: 'Caesar praeoccupato itinere ad Dyrrhachium finem properandi facit' in codd. scriptum est 'praefecto occupato' uel 'perfecto' uel 'profecto', quorum medium poni uolebat magister. Nam cum praepositiones 'per' et 'prae' eodem compendio notarentur, duas tantum postremas syllabas supranotauerat. Quod autem 'perfecto itinere' eo loco poni non poterat, ineptiae a nostro homine non abhorrent.

C. 65, 4 haec in codd. leguntur: 'Neque multo post Caesar significatione per castella fumo facta, ut erat superioris temporis consuetudo, deductis quibusdam cohortibus ex praesidiis eodem uenit. Qui cognito detrimento cum animaduertisset Pompeium

extra munitiones egressum, castra secundum mare, ut libere pabulari posset nec minus aditum nauibus haberet, commutata ratione belli, quoniam propositum non tenuerat, iuxta Pompeium munire iussit'. Hic primum uerbis 'castra secundum mare', etiamsi per se suppleto 'animaduertisset' recte dicerentur, tamen adiciendum erat 'eius', ut Pompeii castra dici intellegeretur. Sed ut hoc toleretur, in extremis certe uerbis 'iuxta Pompeium munire iussit' desideratur castrorum commemoratio. Nam neque solo muniendi uerbo castrorum munitio indicatur, neque ex superioribus illis 'castra secundum mare' primum uocabulum hic intellegere licet, cum quia nimis multa sunt interiecta, tum quod ibi alius castra atque hic significantur. Haec incommoda ita nonnulli declinare sibi uisi sunt, ut uerba 'castra secundum mare iuxta Pompeium munire iussit' coniungerent omniaque et haec et interposita de Caesare dici opinarentur. Verum ea ratione primum tam contorta efficitur oratio, qualem nemo in scribendo mediocriter uersatus instituisset. Nam uerba 'commutata ratione belli, quoniam propositum non tenuerat' necessario subiungenda erant illis 'Pompeium extra munitiones egressum', et quia cum his sententia coniuncta sunt, et ne reliqua turbarent atque discinderent. Deinde, quod illam rationem plane euertit, uerba 'ut libere pabulari posset nec minus aditum nauibus haberet' uni conueniunt Pompeio. Is enim munitionibus a Caesare circumdatus summa pabuli inopia erat affectus eaque ipsa de causa erumpendi consilium ceperat (58, 4): Caesar incluso Pompeio neque pabulatione prohiberi poterat et, si eam facultatem retinere uoluisset, non iuxta Pompeium castra ponere, sed quam longissime discedere debebat, ne Pompeii equitatu longe superiore impediretur. Neque naues Caesaris ullae aderant (paucas enim, quas Orici et Lissi habuerat, a Cn. Pompeio filio incensas esse c. 40 relatum est), et de Italicis commeatibus dudum desperauerat (42, 3). Itaque transpositis potius uerbis 'castra secundum mare' haec ita constituenda censui: 'Qui cognito detrimento cum animaduertisset Pompeium extra munitiones eggressum, ut libere pabulari posset nec minus aditum nauibus haberet, commutata ratione belli, quoniam propositum non tenuerat, castra secundum mare iuxta Pompeium munire iussit'.

C. 66, 2 ante Oudendorpium sic edebatur: 'Superioribus diebus nona Caesaris legio, cum se obiecisset Pompeianis copiis atque opere, ut demonstrauimus, circummuniret, castra eo loco posuit';

et ita in optimis codd. legi indicio est, quod 'opere' ex Par. sec. annotatur. Sed in his uerbis desiderata est commemoratio eorum, qui opere a nona legione circummuniti essent. Cui rei Oudendorpius ita succurrit, ut ex quattuor deterioribus codd. ederet 'opera'. Verum num opera circummuniri ea dicere liceat, quae in circuitu muniuntur, uehementer dubito. 'Opere' uero 'circummuniret' rectissimum est: nam ex superioribus uerbis accusatiuus 'Pompeianas copias' asciscendus est. Eodem modo oratio instituta est b. Gall. VII, 81, 3 'dat tuba signum suis Vercingetorix atque ex oppido educit'.

C. 67, 1 in his uerbis: 'Eo signo legionis illato speculatores Caesari renuntiarunt. Hoc idem uisum ex superioribus quibusdam castellis confirmauerant' necessario scribendum erat 'confirmauerunt'. Confirmationem enim nuntium sequi tenemus, ni fallor. Item 'rem nuntiarunt' a Caesare scriptum esse certum est mihi: nam 'renuntiarunt', etsi non falsum, tamen durissimum est. Excipiunt haec: 'Is locus aberat a nouis Pompeii castris circiter passus quingentos. Hanc legionem sperans Caesar se opprimere posse et cupiens eius diei detrimentum sarcire, reliquit in opere cohortes duas, quae speciem munitionis praeberent, ipse diuerso itinere, quam potuit occultissime, reliquas cohortes numero XXXIII, in quibus erat legio nona multis amissis centurionibus deminutoque militum numero, ad legionem Pompeii castraque minora duplici acie duxit'. Verum, cum Caesar castra iuxta Pompeium muniret (c. 65 extr.), incredibile est eum duas cohortes eam speciem praebituras existimasse, ut Pompeius re uera castra muniri arbitraretur. Deinde quod deinceps Caesar reliquas cohortes ad legionem Pompeii opprimendam se duxisse scribit, omnes copias, quae praeter has cohortes aderant, in castris relictas esse demonstrat. Atqui longe plures XXXV cohortibus tum affuisse uel ex c. 75 uidemus. Nam cum Caesar statim post rem male gestam, quae deinceps refertur, in Thessaliam proficisceretur, unam legionem impedimentis praesidio praemisit, duas in castris retinuit, reliquas eodem itinere, quo impedimenta, misit et paulo post ipse secutus est. Itaque minimum quinque legiones affuerunt. Demonstraui autem supra p. 153 sqq. Caesarem omnino in Graecia decem legiones habuisse. Ex eo numero hoc tempore afuerunt duae legiones cum Domitio Caluino in Macedonia, quindecim cohortes cum Fufio Caleno in Achaia; tres cohortes Orici erant in praesidio

(39, 1), itemque Lissi praesidium erat (40, 6). Hic unam cohortem fuisse certo inde conicere licet, quod, cum Caesar in Thessaliam discederet, ibi una cohors relicta dicitur c. 78, 5. Orici enim quoque tres cohortes, quas ibi fuisse uidimus, ibid. relictas scribit neque poterat, cum Dyrrhachio Apolloniam et inde per Epirum et Athamaniam in Thessaliam proficisceretur, quam ad oppidum Gomphos ingressus est (75, 1. 78, 1. 5. 79, 2. 7. 80, 1), hoc itinere Lissum adire. Nam quod Caesarem per Epirum et Athamaniam profectum dixi, cum 78, 5 in codd. legatur 'per Epirum et Acarnaniam iter facere coepit', recte Drumannum hist. Rom. III, 501 posterius nomen emendasse ipse locorum situs docet. Praeterea ne Apolloniam quidem sine praesidio fuisse credibile est. Quam rem si quis ideo negare uellet, quod Caesar 78, 1 sibi a Dyrrhachio discedenti necesse fuisse scribit ad praesidium urbibus relinquendum adire Apolloniam et §. 5 eiusd. c. se praesidio Apolloniae cohortes quattuor, Orici tres, Lissi unam reliquisse, Orici et Lissi id praesidium iam fuisse uidimus, neque quicquam est, cur is, qui ex aliqua regione discedit, minus recte eos, qui in ea regione sunt, quam eos, quos ibi ponit, relinquere dicatur. Quamobrem Caesar Apolloniam ideo adisse existimandus est, ut praesidiis, quae collocauerat, mandata de tuendis oppidis daret, et uel maxime probabile uidetur Apolloniae quoque quattuor cohortes iam tum in praesidio fuisse, cum Caesar Dyrrhachii Pompeium obsideret. Summa igitur copiarum, quae hoc tempore aberant, cum cohortes quadraginta tres fuerint, cohortes quinquaginta septem apud Caesarem adfuerunt. Itaque eo loco, quem supra posui, plures quam triginta quinque cohortes a Caesare commemoratas esse certum est. Vtrum autem earum tantum cohortium numerus, quae in castris relictae sunt, corruptus sit, an alter quoque trium et triginta, quae cum Caesare profectae dicuntur, diiudicari nequit.

Res, quae c. 67 et sqq. narrantur, hoc modo gestae sunt. Castra minora, quo legio Pompeii ducta erat, ad quam opprimendam Caesar proficiscebatur, duplicem habebant munitionem alteram alteri inclusam, ita ut interior castelli obtineret locum. Ab angulo autem castrorum sinistro munitio erat ad flumen perducta passuum circiter CCCC (c. 66). Itaque cum Caesar duplici acie ad castra accessisset, hoc est acie in duo cornua diuisa, sinistro cornu, ubi erat ipse, legionem Pompeianam celeriter ex uallo de-

turbauit et, cum se illa in interius castellum recepisset, eo quoque irrupit (c. 67). Sed dextrum Caesaris cornu ad munitionem illam ad flumen pertinentem peruenit eamque, cum partem ualli castrorum existimaret, sequi coepit, ut per portam intraret; deinde animaduerso errore prorutis munitionibus defendente nullo transcendit, equitatusque Caesaris eas cohortes secutus est (c. 68). Verum interim re nuntiata Pompeius quinque legiones subsidio suis adduxit. Nam c. 69, 1, cum in optimis codd. legatur 'V legione ab opere deducta subsidio suis duxit', non 'V legionem — deductam', ut editur, sed 'V legiones — deductas' scribendum esse certum est. Caesar enim, cum amplius tres legiones eduxisset (c. 67, 3), c. 72, 2 paucitatem militum suorum commemorat; id quod inepte faceret, si duabus Pompeianis legionibus resistendum fuisset. Deinde Orosius VI, 15 Pompeium omnibus copiis oppressae legioni succurrisse scribit. Eae autem omnes copiae, cum Pompeius cum sex legionibus erupisset (c. 62, 2) et unam legionem in uetera castra remisisset (c. 66, 1), ipsae quinque legiones erant. Itaque Pompeio cum legionibus appropinquante, cum eodem tempore equitatus eius ad Caesaris equites accederet, legio Pompeiana in castris a Caesare oppressa et iam ad decumanam portam reiecta, ultro in Caesarianos impetum fecit, eaque consecuta sunt, de quibus ipsum Caesarem audiamus c. 69, 2. 'Equitatus', inquit, 'Caesaris, quod angusto itinere per aggeres ascendebat, receptui suo timens initium fugae faciebat. Dextrum cornu, quod erat a sinistro seclusum, terrore equitum animaduerso, ne intra munitionem opprimeretur, ea parte, quam proruerat, sese recipiebat, ac plerique ex his, ne in angustias inciderent, ex X pedum munitione se in fossas praecipitabant' cett. Ita enim haec emendanda erant. Editur primum 'ex parte, qua proruebat': quibus uerbis quid est ineptius, ibi milites Caesaris se recepisse dici, ubi proruerint? Neque uero ex parte, quam proruerat, cornu se recipiebat, sed ex circuitu munitionis se recipiens ea parte munitionum, quam proruerat (c. 68, 3), iter faciebat. Atque 'ea parte' iam Dauisius correxit. Non rectius deinceps editur 'X pedum munitionis se in fossas praecipitabant'. Hi enim milites ea parte ualli, quae proruta erat, ab aliis occupata ex integra munitione desiliebant. Quod si quis opinatur eum, qui se in fossas X pedum munitionis praecipitare dicatur, sponte intellegi ex munitione eius altitudinis desilire, neque hoc uerum est, cum sublata munitione fossae relinqui possint, nequequisquam satis qui-

dem sanus ita scribet, ut talem rem per ambages eloquatur. Haec igitur dextro cornu gerebantur, de sinistro, ubi ipse Caesar erat, §. 4 haec in edd. leguntur: 'Sinistro cornu milites, cum ex uallo Pompeium adesse et suos fugere cernerent, ueriti, ne angustiis intercluderentur, cum extra et intus hostem haberent, eodem, quo uenerant, receptui sibi consulebant, omniaque erant tumultus, timoris, fugae plena, adeo ut, cum Caesar signa fugientium manu prehenderet et consistere iuberet, alii dimissis equis eundem cursum conficerent, alii ex metu etiam signa dimitterent, neque quisquam omnino consisteret'. Verum datiuum 'receptui' ferri non posse apertum est: recte Vascosanus ablatiuum posuit. Quamquam accurate haec ita dicenda erant: 'eodem, quo uenerant, itinere sibi consulebant'; sed quia hoc itinere se recipiebant, generali uocabulo speciale substitutum et ea, quae illi conueniebant, huic accommodata sunt. Plane eodem modo scripsit Rutil. Lup. de fig. II §. 1 'magnus ancillarum, quae sequebantur, comitatus appellabatur', cum haec significaret: 'magna multitudo comitatus appellabatur'. Perperam is locus corruptus uisus est. Ex eodem enim genere haec sunt: Cic. Phil. VIII, 1, 3 'maiores nostri tumultum Gallicum, praeterea nullum nominabant' et de off. III, 10, 44 'nam si omnia facienda sint, quae amici uelint, non amicitiae tales, sed coniurationes putandae sint', Caes. b. Gall. VI, 40, 6 'neque eam quam profuisse aliis uim celeritatemque uiderant imitari potuerunt', Sen. de benef. II, 1, 2 'nam cum in beneficio iucundissima sit tribuentis uoluntas' cett. et epist. I, 3, 5 'nam illa tumultu gaudens non est industria, sed exagitatae mentis concursatio, et haec non est quies', Tac. ann. XIV, 15 'nec ulla moribus olim corruptis plus libidinum circumdedit quam illa colluuies'. Sed grauius corrupta sunt inferiora uerba 'alii dimissis equis eundem cursum conficerent'. Primum enim qui fugientibus in mentem uenire poterat, ut equos dimitterent? Deinde ea, quae hic narrantur in sinistro cornu gerebantur, equitatus autem, ut supra dixi, omnis in dextro cornu erat (c. 68 extr.), idque a sinistro erat seclusum (69, 3). Apparet igitur nullos hic equos commemorari potuisse: nam ex legionariis, qui soli cum Caesare erant, nemo profecto equo uehebatur. Quod si quis haec postea coniuncto in fuga utroque cornu gesta existimare uellet, primum ita rebus in sinistro cornu gestis coniunguntur, ut de hoc tantum intellegi possint; deinde equitum tam exiguum erat momentum, ut Caesar perterritis legionariis et fugientibus de illis retinendis ne cogitare quidem posset. Et tamen uerba 'equis

dimissis' nullam recipiunt corruptelae suspicionem. Itaque haec magistro tribuenda sunt, qui dimissos equos non sine schemate interpolauit, cum alios signa dimisisse legisset. Ceterum in codd., de quibus constat, scriptum est 'confugerent', non 'conficerent'. Inde effeci 'alii eundem cursum coniungerent'. Quae excipiunt, sic edebantur: 'His tantis malis haec subsidia succurrebant, quo minus omnis deleretur exercitus, quod Pompeius insidias timens (credo, quod haec praeter spem acciderant eius, qui paulo ante ex castris fugientes suos conspexerat) munitionibus appropinquare aliquamdiu non audebat, equitesque eius angustiis portisque a Caesaris militibus occupatis ad insequendum tardabantur. Ita paruae res magnum in utramque partem momentum habuerunt. Munitiones enim a castris ad flumen perductae expugnatis iam castris Pompeii propriam expeditamque Caesaris uictoriam interpellauerunt, eadem res celeritate insequentium tardata nostris salutem attulit'. Hic extrema uerba demonstrant angustias portasque a Caesarianis occupatas, quibus equites Pompeii ad insequendum tardati dicuntur, in munitionibus a castris ad flumen pertinentibus positas fuisse. Atque in eum locum equitatum Pompeii impetum fecisse ex c. 69, 1 scimus. At has munitiones nullam omnino portam habuisse eamque causam fuisse, cur a dextro Caesaris cornu proruerentur, itemque hac parte proruta id cornu se recepisse easque angustias fugientium multitudine occupatas fuisse supra c. 68 et 69 demonstratum est. Inde perspicuum est portas hic non magis commemorari potuisse quam paulo ante equos. In tribus optimis quattuorque deterioribus codd. ea uerba ita scripta sunt: 'angustis portis atque his a Caesaris militibus occupatis'. Itaque haec ita sunt constituenda: 'equitesque eius angustiis atque his a Caesaris militibus occupatis ad insequendum tardabantur'. In eo codice, quo magister usus est, 'angustis' erat scriptum, ut in antiquis libris solet. Id cum ei homini adiectiuum uideretur, uocabulum deesse opinatus portas adiecit, quarum angustias in eiusmodi casu saepe fugientibus impedimento fuisse legerat. Poterit alicui in mentem uenire 'angustiis prorutis' effingendum esse. Verum angustiae neque per se recte prorui dicuntur et efficiebantur demum eo loco, quo uallum prorutum erat.

C. 73, 5 recte sic editur: 'Sed siue ipsorum perturbatio siue error aliquis siue etiam fortuna partam iam praesentemque uictoriam interpellauisset, dandam omnibus operam, ut acceptum in-

commodum uirtute sarciretur. Quod si esset factum, detrimentum in bonum uerteret, uti ad Gergouiam accidisset, atque ii, qui ante dimicare timuissent, ultro se proelio offerrent': in codd. ante 'detrimentum' adicitur 'ut' particula. Sed recte defensa ea, quae posui, a nullo sunt, quod sciam. Si accurate scriptum esset, apertum est extrema uerba per accusatiuum et infinitiuum fuisse enuntianda: neque enim relatiuum ad uerba 'uerteret' et 'offerrent' pertinet, quod peruerse quidam demonstrare conati sunt. Verum accidit hic, quod Maduigius ad Cic. de fin. III, 15, 50 nonnumquam factum esse docuit, ut obliqua oratio indicatiuo directae in coniunctiuum mutato significaretur: ex quo genere est ille Ciceronis locus et, quos Maduigius ascripsit, de off. I, 44, 158 et de nat. deor. I, 44, 123. Idem adiecit accidere hoc condicionali enuntiato illato, cuius forma alterius conformationem traheret. Neque tamen eiusmodi excusationem habent haec Corn. Nep. Them. 7, 6 'quare, si suos legatos recipere uellent, quos Athenas miserant, se remitterent: aliter illos numquam in patriam essent recepturi', et b. Afr. 31, 3 'animaduertebat enim, quamquam magnis essent copiis aduersarii freti, tamen saepe a se fugatis, pulsis perterritisque et concessam uitam et ignota peccata: quibus rebus numquam tanta suppeteret ex ipsorum inertia conscientiaque animi uictoriae fiducia, ut castra sua adoriri auderent'. Sed quod in hoc libro ob peculiarem eius causam, de qua dixi, itemque apud Cornelium Nepotem, qui persaepe neglegentissime conformasse orationem deprehenditur, tolerandum est, in accurato et emendato scriptore librariorum errori tribuendum esset.

C. 74, 1 ita edidi: 'Hac habita contione nonnullos signiferos ignominia notauit ac loco mouit. Exercitu quidem omni tantus incessit ex incommodo dolor tantumque studium infamiae sarciendae, ut nemo aut tribuni aut centurionis imperium desideraret, et sibi quisque etiam poenae loco grauiores imponeret labores, simulque omnes arderent cupiditate pugnandi, cum superioris etiam ordinis nonnulli ratione permoti manendum eo loco et rem proelio committendam existimarent'. De ablatiuo 'exercitu' dixi p. 150. 'Ratione permoti' Oud. legi refert in 'quinque codd.' estque ita in Par. sec.: edunt 'oratione'. Verum si homines superioris ordinis contione a Caesare habita permoti essent, nihil iis aliud accidisset quam militibus. Vnice uera est codd. scriptura. Vulgus enim militum dolore ignominiae et caeco impetu ad pugnam ferebatur, su-

perioris ordinis homines etiam ratione adducti id consilium probabant. Quae excipiunt, sic edebantur: 'Contra ea Caesar neque satis militibus perterritis confidebat spatiumque interponendum ad recreandos animos putabat, relictisque munitionibus magnopere rei frumentariae timebat'. Extrema uerba cum a superioribus non intellecta atque adeo corrupta existimata essent, recte Iurinius monuit relictas munitiones eas dici, quibus Caesar Pompeium circumuallauerat. Quas cum hic perrupisset neque iam permagnus eius equitatus inclusus teneretur, libere pabulandi et frumentandi copia Caesari erat erepta. Sed in Par. sec. et Leid. pr. compluribusque deterioribus codd. 'que' particula, quae participio 'relictis' adiecta est, non legitur. Itaque eundem Iurinium secutus 'et relictis munitionibus' posui, quia proxima superior enuntiatio enclitica particula adiungitur, quo extrema uerba primis per particulam 'neque' incipientibus respondere magis appareret.

C. 75, 3 in his uerbis: 'Neque uero Pompeius cognito consilio eius moram ullam ad insequendum intulit, sed eadem spectans, si itinere impeditos perterritos deprehendere posset, exercitum ex castris eduxit' 'eadem' ferri nequit, cum neque quicquam legatur in superioribus uerbis, cui id, quod Pompeius spectabat, comparari possit, neque plura is spectauerit, sed unam rem, quae subicitur. Itaque scribendum puto 'sed id spectans'. Nam 'eam rem' magis pro litterarum uestigiis quam pro Caesaris consuetudine probabile esset. Deinde quod ex Par. sec. Leid. pr. Scal. tribusque deterioribus codd. posui 'itinere impeditos perterritos', neque habet, quo reprehendi possit, et eo nomine uulgatae scripturae 'et perterritos' praestat, quod iam non 'itinere perterritos' intellegere licet, id quod fieret ineptissime.

C. 78, 6 haec edebantur: 'Pompeius quoque de Caesaris consilio coniectura iudicans ad Scipionem properandum sibi existimabat, si Caesar iter illo haberet, ut subsidium Scipioni ferret, si ab ora maritima Corcyraque discedere nollet, quod legiones equitatumque ex Italia expectaret, ipse ut omnibus copiis Domitium aggrederetur'. Non fugit Marklandum Corcyram, quae in aduersariorum erat potestate, nihil ad Caesarem eiusque exercitum transportandum pertinuisse. Itaque cum in codd. legeretur 'Coriciaque', effecit 'ab ora maritima Oriciaque'. Verum Oricia ora inepte praeter maritimam commemoraretur, quasi ab hac esset diuersa. Oricum tamen hic commemorandum fuisse recte uidit Mark-

landus, quod oppidum et a Caesare tenebantur et ad egressum erat opportunum. Itaque scripsit Caesar 'ab ora maritima Oricoque', ut c. 44, 1 'a mari Dyrrhachioque'.

Quod extremo c. 79 in codd. scriptum est 'ad Aeginium, quod est obiectum oppositumque Thessaliae, Caesari uenienti occurrit', ineptam habet in simplici situs declaratione duorum uerborum idem significantium coniunctionem. De b. Gall. IV, 22, 3 idem uitium sententia demonstrata sustulimus: hic ponendum erat 'quod est oppidum oppositum Thessaliae'. Priore uocabulo corrupto copula ad hiantem orationem explendam adiecta est.

C. 81, 2 grauiter corrupta sunt haec uerba: 'nulla Thessaliae fuit ciuitas praeter Larisaeos, qui magnis exercitibus Scipionis tenebantur, quin Caesari parerent atque imperata facerent'. Nam unus erat Scipionis exercitus. Idem igitur hic factum est, quod hor. comm. I, 85, 5 in classibus Hispanicis accidisse demonstraui p. 145, ut exaggerandi studio genuina uerba libidinose a magistro commutarentur. Quid Caesar scripserit, definiri nequit, cum uestigia antiquae scripturae seruata esse nequaquam probabile sit.

C. 84, 3 ita editur: 'Superius tamen institutum in equitibus, quod demonstrauimus, seruabat, ut, quoniam numero multis partibus esset inferior, adolescentes atque expeditos ex antesignanis electos milites ad pernicitatem armis inter equites proeliari iuberet'. Cum haec ita legerentur, recte Oudendorpius uocabulum 'armis' tollendum iudicabat: neque enim rudibus aut nescio quibus rebus Caesarem milites proeliari iussisse etiam non admoniti intellegebant. Verum in Par. sec. et 'sex codd.' Oudendorpii, hoc est uno pluribus, quam ipse uidit, scriptum est 'electis'. Hoc restitui eiectis militibus. Antesignanis enim illis leuiora arma dabantur, quo essent ipsi perniciores. Atque ita demum arma accurate dicuntur. 'Milites' reici ante participium 'electis' poterant, nisi in hoc codicum genere interpolationis suspicio praeualeret. In iis, quae excipiunt: 'His erat rebus effectum, ut equites mille etiam apertioribus locis septem milium Pompeianorum impetum, cum adesset usus, sustinere auderent' cett., apertum est Caesarianos, si opus esset, id fecisse dici. Id ut significetur, 'est usus' poni solet: illud, quod supra scriptum est, de scientia exercitatione comparata dici consueuit. Cum tamen usus uenire etiam de necessitate dicatur (b. Gall. VII, 80, 1), illa uerba non temere mutauerim.

C. 85, 2 haec edebantur: 'Caesar nulla ratione ad pugnam elici posse Pompeium existimans hanc sibi commodissimam belli rationem iudicauit, uti ex eo loco moueret semperque esset in itineribus, hoc sperans, ut mouendis castris pluribusque adeundis locis commodiore frumentaria re uteretur, simulque in itinere ut aliquam occasionem dimicandi nancisceretur et insolitum ad laborem Pompeii exercitum cotidianis itineribus defatigaret'. 'Sperans' Oudendorpius ex omnibus codd. restituit. Verum id uerbum re, quae speratur, per 'ut' particulam adiuncta apud antiquiores non ponitur. Nam apud Q. Cic. de pet. cons. 5, 18, ubi antea sic edebatur: 'qui abs te tribum aut centuriam aut aliquod beneficium aut habeant aut, ut habeant, sperent', Orellius ex Turnebi codice posuit 'aut habeant aut habere sperent'. In Erfurtensi uerba 'aut habeant' non leguntur, unde ita scribendum esse conicere licet: 'aut habeant aut sperent'. Marcus autem Phil. V, 8, 22 'quod autem eius iter Brundisium, quae festinatio, quae spes, nisi ut ad urbem uel in urbem potius exercitum maximum adduceret' neglecta spe, quid itinere et festinatione spectauisset Antonius, declarauit et Lael. 19, 18 'nouitates autem, si spem afferunt, ut tamquam in herbis non fallacibus fructus appareat, non sunt illae quidem repudiandae' non significauit, quam spem nouitates afferrent, sed, quid esset illud, 'nouitates spem afferre', explicauit. Illa ratione primus usus est Seneca pater controu. IV, 25 p. 281 Bip. 'non speramus, ut Flamininum iudex probet, sed ut dimittat', deinde filius cons. ad Polyb. c. (37) 18, 4 'ut quidem nullum omnino esse eum patiatur, nec sperandum ulli nec concupiscendum est' et Iustin. V, 3, 3 'sperans, ut aut concordante ciuitate dux belli ab omnibus legeretur, aut' cett. Caesaris uero loco, quem supra posui, ne sententia quidem sperandi uerbum admittit. Nam commodiore re frumentaria se usurum, item Pompeianos defatigaturum non sperabat Caesar, sed eas res necessario consequi sciebat. Itaque recte Stephanus 'spectans' edidit, nisi quod nobis ex optimis codd. praeterea 'haec' ponendum fuit. Plures enim res Caesarem spectauisse sequentia docent. Paulo inferius insolens est ordo uerborum 'commodiore frumentaria re'. Recte haec ita collocarentur, si frumentaria res ab alia discerneretur, ut apud Cic. ad Att. I, 18, 1 fit in his uerbis: 'et in publica re socius et in priuatis omnibus conscius'. Caesarem 'commodiore re frumentaria' scripsisse indicio sunt, quae in Par. sec. et Leid. pr. legun-

tur. Apud Cic. ad Fam. II, 13, 3 nunc editur 'militemque collocassem', antea item uitiose legebatur 'militaremque rem collocassem': sed in codice Mediceo medium uocabulum scriptum non est. Igitur 'remque militarem' ponendum erat.

C. 86, 5 retinui, quod edebatur, 'simul denuntiauit, ut essent animo parati in posterum et, quoniam fieret dimicandi potestas, ut saepe cogitauissent, ne usu manuque reliquorum opinionem fallerent'. Hic 'cogitauissent' languidum uisum, et complura, quae substituerentur, proposita sunt, 'agitauissent' a Grutero, 'optauissent' a Dauisio, 'rogitauissent' a Moro, 'flagitauissent' a Marklando, quod Elberlingius maxime probabile iudicauit. Sed 'cogitauissent', si ad uerba 'usu manuque' refertur, aptam habet sententiam. Hortatur enim Pompeius, cum proelium animo saepe essent meditati, ne nunc in gerenda re opinionem fallerent. Verum Elberlingius ipsa illa 'ne usu manuque reliquorum opinionem fallerent' temptauit, et quod, qui dicerentur 'reliqui', obscurum esset, et quia in Par. sec. Leid. pr. Haun. pr. Voss. legeretur 'usu manu', in Cuiac. 'usu manuum', in Pet. et Noru. 'usu manus'. Effecit igitur 'neu suam neu reliquorum opinionem fallerent'. Sed reliqui intellegendi sunt milites, qui in consilio non aderant. In consilio enim haec acta esse ex initio huius capitis et §. 7 sequentis perspicitur. Itaque in uulgata scriptura acquiescere et copulam casu excidisse arbitrari satius uidetur.

C. 93, 3 recte in deteriore codice, Louaniensi, ita scriptum est: 'quorum impetum noster equitatus non tulit, sed paulatim loco motus cessit'. Neque enim paulum, ut editur, equites Caesaris aut loco motos esse aut cessisse ex iis apparet, quae adiciuntur: 'equitesque Pompeii hoc acrius instare et se turmatim explicare aciemque nostram a latere aperto circumire coeperunt'. Etiam b. Gall. IV, 33, 2 pro illo 'paulatim' in Par. sec. et Haun. pr. legitur 'paulum', in Vind. pr. 'paululum'.

C. 101, 4 magnopere in deterioribus codd. turbatum est, et ex eorum ineptiis coniectura recentiorum criticorum non meliora effecta, de quibus dicere nihil attinet. In optimis enim codd. Leid. pr. et Scal. haec leguntur: 'Cassiusque ad Sulpicianam inde classem profectus est Vibonem applicatisque nostris ad terram nauibus propter eundem timorem pari atque antea ratione egerunt secundum nactus uentum onerarias naues circiter quadraginta praeparatas ad incendium immisit': a quibus scriptura Par. sec. hacte-

nus discedit, quod post 'egerunt' adicitur 'Cassius'. Quae in Leid. pr. et Scal. scripta sunt, deleto uerbo 'egerunt' optime habent. Id illatum est a magistro, qui se in paulo longiore enuntiatione non expediret et haec ad Caesarianos referenda existimaret. Ii uero plane nihil pari atque antea ratione egerunt. Nam Messanae, quae res paulo ante relata est, ne temptarunt quidem naues defendere, et uix oppidum retentum est, hic, ut deinceps refertur, non solum naues seruatae sunt, sed etiam Cassius cum detrimento repulsus. Contra Cassius eodem modo atque Messanae secundum nactus uentum naues ad incendia instructas immisit. Sed numerum quadraginta nauium onerariarum, quas Cassius ad incendium praeparatas immisisse dicitur, multis partibus uero maiorem esse et ex ipsa re apparet et ex eo, quod dicam. Nam Caesarianae classis dimidiam partem Vibone, dimidiam Messanae fuisse initio h. c. declaratum est. Messanae autem omnes naues incensae sunt, quae fuerunt numero XXXV. Itaque quadraginta nauibus immissis Cassius sibi ipse par detrimentum atque Caesari intulisset. Animaduerti arbitror, cum Messanae XXXV naues Caesaris fuerint, uel maxime probabile esse alteram dimidiam classis partem, quae erat Vibone, quadraginta nauium fuisse. Itaque hic non magis quam §. 2 numerum nauium a Cassio ad incendium immissarum declaratum putaui, sed uerba 'circiter quadraginta' post superiora 'applicatisque nostris ad terram nauibus' collocaui, ut hic item atque §. 2 numerus nauium Caesarianarum significaretur. In uerbis, quae paulo ante in codd. leguntur, 'sed opportunissime nuntiis allatis oppidum fuit defensum' Maduigius opusc. alt. p. 222 demonstrauit 'fuit' ferri non posse. Ipse delendum iudicauit: mihi, quia deinde aliud subiectum infertur, propabilius uisum est 'oppidum st defensum' a Caesare scriptum fuisse, ex qua scriptura aliis locis illud 'fuit' natum esse idem Maduigius docuit.

C. 105, 5 inter prodigia, quae uictoriam Caesaris portenderant, hoc refertur: 'Item Trallibus in templo Victoriae, ubi Caesaris statuam consecrauerant, palma per eos dies in tecto inter coagmenta lapidum ex pauimento extitisse ostendebatur'. Verum uerba illa 'in tecto' refragantur consentienti testimonio Val. Max. I, 6, 12 et Plut. Caes. 47, qui palmam sub statua Caesaris enatam esse referunt. Itaque non possunt haec eo defendi, quod etiam tecta pauisse antiquos scimus, id quod de Alexandrinis Hirt. b. Alex. 1, 3 refert. Potius Hirtii uerba 'tectaque sunt rudere aut

pauimentis' ansam dederunt magistro, ut hic 'in tecto' adiceret. Nam qui corrigere ea uerba uoluerunt, ex iis unus Oudendorpius effecit, quod speciem aliquam habeat, 'integra'. Verum integra palma non est palma iustae magnitudinis, qualem hanc fuisse Valerius scribit, sed nulla ex parte truncata, quae res inepte commemoraretur.

C. 108, 3 in codd., ut uidetur, omnibus praeter Leid. pr. haec scripta sunt: 'In testamento Ptolemaei patris heredes erant scripti ex duobus filiis maior et ex duabus ea, quae aetate antecedebat', atque haec grammaticis recta uisa sunt, quia datiuo filiis et filios et filias significare liceret. Verum id ita fieri posse, ut hic factum est, ut ex superiore filiorum commemoratione deinde datiuo 'duabus' cogitatione 'filiabus' adiciatur, neque credibile est neque ullo exemplo comprobatur. Itaque recte in Leid. pr. 'duabus filiabus' scriptum est. Nam etsi hunc unum codicem scripturam codicis archetypi seruasse non est probabile, praesertim qui apud Hirt. quoque b. Alex. 33, 2 pro 'duabus filiis' scriptum habeat 'duabus filiabus', tamen in eo coniectura uerum positum arbitror. Nam si quis 'filiabus' non adicere, sed pro 'duabus' ponere uelit, id hoc loco, ubi accuratissima oratio requiritur, admittendum non uidetur.

C. 112, 3 haec edebantur: 'In hac sunt insula domicilia Aegyptiorum et uicus oppidi magnitudine, quaeque ubique naues imprudentia aut tempestate paulum suo cursu decesserint, has more praedonum diripere consuerunt'. Sed Pharitas omnes naues, quae ubique cursu decesserint, diripere non potuisse apertum est. In Par. sec. scriptum est 'quaequi ubique naues', in Leid. pr. 'qñcumque naues', in Leid. sec. 'quamquam ibique naues', in Vrs. et Pet. 'quaeque ubi naues', in Bong. et Voss. 'ubique' omissum est: de reliquis codd. tacetur. Ego sic edidi: 'quaeque ibi cumque naues — paulum suo cursu decesserunt'. Nam 'decesserunt' pro soloeco coniunctiuo recte est in 'quattuor codd.' Oud. et Par. sec. Paulo post (§. 5) posui 'Hoc tum ueritus Caesar hostibus in pugna occupatis militibus expositis Pharum prehendit'. Nam quod editur 'hostibus in pugna occupatis militibusque expositis', hoc modo res diuersissimae coniunguntur.

Apud Hirt. b. Alex. c. 1, 2 haec in codd. scripta sunt: 'Interim munitiones cotidie operibus augentur, atque omnes oppidi partes, quae minus esse firmae uidentur, testudinibus ac musculis aptantur, ex aedificiis autem per foramina in proxima aedificia

arietes immittuntur, quantumque aut ruinis deicitur aut per uim recipitur loci, in tantum munitiones proferuntur'. Hic uerbum 'aptantur' corruptum esse iam Lipsius uiderat. Nam qui ita defendere conantur, ut Caesaris opera testudinibus ac musculis tecta esse statuant, non reputauerunt neutram machinam ad defendendum usui fuisse, sed utramque ad impugnandum esse comparatam. Neque oppidi partes testudinibus ac musculis, sed haec oppidi partibus aptata dicenda erant. Verum, quae a Lipsio proposita sunt, 'quatiuntur' aut 'captantur', eorum neutrum aptum est, prius ne codicum quidem uestigia premit. Scribendum erat 'temptantur'.

C. 7 Oudendorpius retinuit hanc scripturam: 'Quo facto dubitatione sublata tantus incessit timor, ut ad extremum casum periculi omnes deducti uiderentur, atque alii morari Caesarem dicerent, quin naues conscendere iuberet, alii multo grauiorem extimescerent casum, quod neque celari Alexandrinis possent in apparanda fuga, cum tam paruo spatio distarent ab ipsis, neque illis imminentibus atque insequentibus ullus in naues receptus daretur'. Sed ipse Oudendorpius probabat haec, quae in omnibus codd. leguntur: 'alii multo grauius extimescerent casum', et casum eum dici interpretabatur, quod aqua ab Alexandrinis erat corrupta. Verum tum dicendum erat 'illum casum', et ne hoc quidem ad sententiam aptum erat. Neque enim casum illum timebant Caesariani, quippe qui adesset, sed ne effugere non possent. Fugiendum autem omnibus uidebatur, sed alteri fuga se salutem parere sperabant, alteri saluos se fugere non posse intellegebant eoque maiore timore cruciabantur. Itaque de M. Hauptii sententia retento illo 'grauius' omnium codicum 'casum' deleui utpote a magistro ascriptum, qui obiectum desiderabat et superiora memoria tenebat 'ut ad extremum casum periculi omnes deducti uiderentur'. Deinde pro soloeco datiuo 'Alexandrinis' ex Par. sec. Scal. Voss. posui 'Alexandrini'. Neque uero hoc loco ex codicibus emendato dubitandum est, quin uno, qui praeter hunc eodem uitio laborat, Corn. Nep. Alc. 5, 2 recte Gesnerus in thesauro correxerit 'id Alcibiades diutius celari non potuit'.

C. 8, 4 scripsi 'magno negotio impetus hostium aduersos munitionibus sustinere, quibus relictis nec loco nec numero pares esse posse'. Nam ex eo, quod editur, 'sustineri', peruersa res nascitur impetus hostium aduersi. Sensit hoc Clarkius, sed elegans quam ineptum dicere maluit.

C. 13, 5 haec in codd. leguntur: 'Caesar Rhodias naues IX habebat (nam decem missis una in cursu littore Aegyptio defecerat), Ponticas VIII, Lycias V, ex Asia XII'. Verum uerba 'in cursu' et 'littore Aegyptio' inter se contraria sunt: cursus enim in littore Aegyptio erat confectus. Praeterea necessario 'in littore Aegyptio' ponendum erat. Itaque 'littore' a magistro adiectum iudicaui, cui cursus Aegyptius insolentius dici uideretur. Ceterum ne haec iis repugnare uideantur, quae Caesar b. ciu. III, 106, 1 tradit, se nauibus longis Rhodiis decem et Asiaticis paucis Alexandriam peruenisse, Hirtius initio huius commentarii scribit: 'bello Alexandrino conflato Caesar Rhodo atque ex Syria Ciliciaque omnem classem arcessit', unde naues illas post aduentum Caesaris Alexandria remissas esse statuendum est.

C. 16, 1 cum in omnibus fere codd. haec legantur: 'Minime autem par erat proelii certamen. Nostris enim pulsis neque terra neque mari effugium dabatur uictis, omniaque uictoribus erant futura in incerto' cett., sponte apparet pro illo 'pulsis' non 'prorsus' ponendum, sed id spurium iudicandum fuisse. Nam 'uictis' et positione et propter inferius 'uictoribus' tutum est.

Eiusd. c. §. 6 retinenda erat uulgata scriptura haece: 'Itaque hoc animo est decertatum, ut neque maritimis nauticisque sollertia atque ars praesidium ferret, neque numero nauium praestantibus multitudo prodesset, neque flexi ad uirtutem e tanta multitudine uiri uirtuti nostrorum possent adaequari'; nisi quod, cum in Par. sec. et Scal. 'adaequarent' legatur, ex Voss. et Leid. sec. 'adaequare' recepi. Verum, de qua re dicere uolebam, 'flexi' proxime accedit ad 'flecti' ('flecsi' scriptum fuisse puta), quod in optimis et omnibus fere codd. legitur. Dauisius scribendum putabat 'electi', motus, ni fallor, uerbis 'e tanta multitudine'. Sed ea aeque recta sunt, cum 'flexi' ponuntur. Dicendum enim erat eos homines, siue flexos siue electos ad uirtutem, multos fuisse. Vtrum igitur posueris, cum ii homines ex magna multitudine prodisse dicantur, ipsos quoque multos fuisse sponte intellegitur. Flexi autem ad uirtutem rectissime dicuntur, qui omissa arte et sollertia, qua nihil proficiebant, ad manus et corporis uires uertebantur. Kreyssigius uni deterrimo codici, Par. tert., in quo est 'frecti', tantum tribuit, ut 'erecti' efficeret.

Initium c. 17 ita editur: 'Hoc ne sibi saepius accidere posset, omni ratione Caesar contendendum existimauit, ut insulam

molemque ad insulam pertinentem in suam redigeret potestatem. Perfectis enim magna ex parte munitionibus in oppido et illam et urbem uno tempore temptari posse confidebat'. Haec uerba aliter intellegi non possunt, nisi ut Caesar eodem tempore et insulam Pharum et ipsam Alexandriam oppugnare uoluisse dicatur. Nam uicus, quem in insula fuisse Caesar b. ciu. III, 112, 3 demonstrauit, non poterat urbs appellari. At Alexandriam Caesarem non eodem tempore oppugnare uoluisse ex insequenti narratione certum est. Solam enim insulam aggressus est et cepit; per molem ab insula ad urbem pertinentem (quae moles ἑπταστάδιον dicebatur) postero demum die progressus est et alterum pontem ex duobus Alexandriae propiorem occupauit (c. 19, 2). Iam in Par. sec. scriptum est 'in oppido et illam urbem'; in Leid. pr. Scal. Cuiac. 'in oppido et illa in urbem'; in Pet. Vrs. Voss. 'in oppido et illam in urbe'. Itaque Hirtium ita scripsisse existimaui: 'Perfectis enim magna ex parte munitionibus in oppido etiam illa urbem uno tempore temptari posse confidebat'. Hoc enim Caesaris consilium erat, ut, cum perfectis munitionibus, quas in ipsa urbe instituerat, ibi omnibus copiis non indigeret, capta insula et heptastadio, quo insula cum urbe coniungebatur, uno tempore et ex suis munitionibus, quae perfectae erant, et illa parte ab heptastadio Alexandriam oppugnaret. Vrbs et oppidum Alexandria paruo spatio interiecto etiam c. 1, 4 et 5 appellatur. Oudendorpius, cum coniceret 'et illam et turrem', non meminerat turrem, quae ad orientalem insulae partem sita ipsa quoque Pharus dicebatur, statim moto bello a Caesare esse occupatam, quod narrauit b. ciu. III, 112.

Eiusd. c. §. 3 haec excipiebant: 'Quo capto consilio cohortes X et leuis armaturae electos, quos idoneos ex equitibus Gallis arbitrabatur, in nauigia minora scaphasque imponit, inde alteram insulae partem distinendae manus causa constratis nauibus aggreditur praemiis magnis propositis, qui primus insulam cepisset'. Hic primum recte Lipsius scribendum iudicauit 'quosque idoneos' cett. Nam etsi equites quoque leuis armaturae erant, tamen dicendum erat 'et equitum leuis armaturae electos', et incredibile est Caesarem peditibus eius generis usum non esse, qui multo facilius et imponi in scaphas et inde pugnare possent. Deinde ineptum est uocabulum 'inde': nam neque ex eodem loco ea fiebant, quae subiecta sunt, neque posteriore tempore. Scriptum est ita in duobus deterioribus codd., in aliis deterioribus legitur 'inque', in Par.

uero sec. et Leid. pr. 'in'. Hinc apparet librarium orationem sic conformandam putasse: 'imponit in alteram insulae partem'. Itaque praepositionem 'in' deleui.

Quae sequuntur, ita a superioribus edita sunt: 'Ac primo impetum nostrorum pariter sustinuerunt: uno enim tempore et ex tectis aedificiorum propugnabant et littora armati defendebant, quo propter asperitatem loci non facilis nostris aditus dabatur, et scaphis nauibusque longis quinque mobiliter et scienter angustias loci tuebantur. Sed ubi primum locis cognitis uadisque pertemptatis pauci nostri in littore constiterunt atque hos sunt alii subsecuti constanterque in eos, qui in littore aequo institerant, impetum fecerunt, omnes Pharitae terga uerterunt. His pulsis custodia portus relicta ad littora et uicum applicarunt seque ex nauibus ad tuenda aedificia eiecerunt'. Apertum est, qui ad littora et uicum applicauerunt seque ex nauibus eiecerunt, eos intellegendos esse, qui supra scaphis nauibusque longis quinque mobiliter et scienter angustias loci tutati esse dicuntur. Itaque male in quibusdam deterioribus codd. scriptum est 'hi pulsi'. Sed qui ita posuit, perspexit extremis uerbis subiectum addendum fuisse. In duobus deterioribus codd., Reg. et Noru., legitur 'custodia portus relicta naues ad littora et uicum applicauerunt': idque Oudendorpius in suis quoque plerisque codd. legi ait, si excerptis sit fides habenda. Se ipsum uero neque in Leid. pr. neque in primis edd. 'naues' inuenisse affirmat. Nunc in reliquis optimis legi mea collatio Par. sec. docet. Sed licet, cum naues applicauisse dicuntur, prima uerba recta sint, tamen tum reliqua adici non poterant 'seque ex nauibus ad tuenda aedificia eiecerunt' nullo certo subiecto significato. Recte haec a Iurinio ita emendata sunt: 'His pulsis custodiae portus relicti naues ad littora et uicum applicarunt seque ex nauibus ad tuenda aedificia eiecerunt'.

Initio c. 21 haec legebantur: 'Caesar, quoad potuit cohortando suos ad pontem ac munitiones contendere, eodem in periculo uersatus est, postquam uniuersos cedere animaduertit, in suum nauigium se recepit'. Sed uerba 'quoad potuit — contendere' nullo modo recte habent. Siue enim Caesarem cohortando suos, quoad potuisset, ut ad pontem contenderent, in eodem periculo uersatum esse dici statuimus, siue quoad potuisset ipse ad pontem contendere, utrumque ineptum est, cum ei neque cohortandi neque ad pontem contendendi facultas umquam eriperetur. Deinde ipsum

'contendere' falsum est: Caesariani enim, cum pontem contra Alexandrinos praeuallarent (19, 4. 20, 5), in ipso ponte erant. Scribendum erat, ut coniecit Iurinius in addend. p. 571, 'Caesar, quoad potuit cohortando suos ad pontem ac munitiones continere, eodem in periculo uersatus est'.

C. 22 duobus locis quaedam excidisse notandum erat in hunc modum: 'Hoc detrimento milites nostri tantum afuerunt, ut perturbarentur, ut incensi atque incitati magnas accessiones fecerint in operibus hostium expugnandis, in proeliis cotidianis, quandocumque fors obtulerat, procurrentibus et erumpentibus Alexandrinis manum .... comprehendi; multum operibus .... et ardentibus studiis militum, nec diuulgata Caesaris hortatio subsequi legionum aut laborem aut pugnandi poterat cupiditatem, ut magis deterrendi et continendi a periculosissimis essent dimicationibus, quam incitandi ad pugnandum'. Quae post uerba 'erumpentibus Alexandrinis' leguntur, superioribus non cohaerere intellectum erat, et lacuna ante 'manum' significata. Sed non magis haec: 'manum comprehendi multum operibus' in ulla forma coniungi potuerunt. 'Manum' autem superioribus adiungere licet, ut deinde excidisse statuamus 'conserentes' uel simile quid. Verba 'comprehendi multum operibus' reliquiae sunt huiusmodi sententiae, Caesarem comprehendi multum operibus noluisse, id quod, cum milites Alexandrinos assidue premerent et repellerent, necessario consequebatur. Proxima 'et ardentibus studiis militum' extrema fuerunt deperditi enuntiati: nam neque cum superioribus cohaerent, et a sequentibus uerbis 'nec diuulgata' nouum enuntiatum incipit, quod superiori illi coniunctum fuit.

C. 25, 2 haec legebantur: 'Itaque expeditis nauigiis locis idoneis ad Canopum in statione dispositis nauibus insidiabantur nostris commeatibus. Quod ubi Caesari nuntiatum est, classem iubet expediri atque instrui'. His uerbis ridicule Alexandrini aut, cum nauigia expedissent, naues disposuisse dicuntur, aut uelocibus nauigiis dispositis commeatibus nauibus insidiati esse, quasi, cum prius declaratum esset, alterum nauibus factum esse, cuiquam obscurum esse potuisset. In optimis codd. non legitur 'commeatibus', sed 'commeatu'. Itaque Hirtius ita scripserat: 'nauibus insidiabantur nostris commeatuque. Quod ubi' cett. Deinde in iisdem codd. legitur 'unam classem iubet expediri'. Inde effeci 'suam classem'. Prius uocabulum recte praeponitur, cum Caesaris classis

nauigiis Alexandrinorum opponatur. Cf. c. 46, 7 'sequuntur hunc suae naues nonnullae'.

Eiusd. c. §. 5 ita editur: 'Nam cum ad Canopum uentum esset, instructaque utrimque classis conflixisset, et sua consuetudine Euphranor primus proelium commisisset et illic triremem hostium perforasset ac demersisset, proximam longius insecutus parum celeriter insequentibus reliquis circumuentus ab Alexandrinis est'. Oudendorpius, cum in codd. non 'illic', sed 'illi' inuenisset, hanc esse antiquam illius uocis formam defendit. Satius erat docere, quid ita Hirtius significandum putasset eam rem eo loco gestam esse, quod mihi quidem putide fieri uidetur. In optimis quattuorque deterioribus codd. legitur 'illi — perforassent ac demersissent'. Itaque cum uerba errore multitudinis numeri formam accepissent, quoniam ita subiectum desiderabatur, 'illi' interpolatum esse existimaui.

C. 28, 3 in optimis codd. duobusque deterioribus sic scriptum est: 'Consederat cum copiis rex loco natura munito, quod erat ipse excelsior planitie ex omnibus partibus subiecta, tribus autem ex lateribus uariis generum munitionibus tegebatur': editur 'uariis genere'. Sed uarium genere tum demum aliquid dicere licet, cum generi siue cogitatione siue oratione alia res opponitur. Id ab hoc loco alienum esse apparet. Codicum scriptura mihi indicari uidetur exitus uocabulorum permutatos esse (de quo uitii genere dixi p. 171) scribendumque 'uariis generibus munitionum tegebatur'.

C. 29, 4 haec edebantur: 'Itaque eodem tempore equites Germani dispersi uada fluminis quaerentes partim demissioribus ripis flumen tranarunt, et legionarii magnis arboribus excisis, quae longitudine utramque ripam contingerent, proiectis repentinoque aggere iniecto flumen transierunt'. In Par. sec. Leid. pr. duobusque deterioribus codd. legitur 'uada fluminum', quod mihi potius obseruationem prodere magistri, quae uada dicerentur, explicantis, quam librarii errori tribuendum uisum est, cuius causa non apparet. Deinde non poterant duo participia hoc modo componi: 'magnis arboribus excisis proiectis'. Diuersum est enim, quod Clarkius contulit ex Caes. b. ciu. III, 100 extr. 'ante proelium in Thessalia factum cognitum': nam uerba 'in Thessalia factum' pro appositione sunt. Oudendorpius plane, quid ageretur, non intellexit, cum §. 2 h. cap. 'expeditos delectos equites' similiter dici existimat. Cum arbores et excisae et proiectae sint eo tempore, quo

haec facta narrantur, neque excisae a legionariis repertae, non licebat alterum participium pro adiectiuo ponere, qua una ratione copulatiua particula recte omittebatur. Id perspexit, qui 'et proiectis' scripsit, quod legitur in quibusdam deterioribus codd. Sed cum complura uerba post 'excisis' interiecta essent, 'proiectis iis' ponere praestabat.

Quae c. 33 extr. de discessu ab Alexandria Caesaris leguntur: 'Sic rebus omnibus confectis et collocatis ipse itinere terrestri profectus est in Syriam', iis contraria esse, quae c. 66, 1 de eiusdem profectione ex Syria referuntur: 'ipse eadem classe, qua uenerat, proficiscitur in Ciliciam', Vsserium (annall. a. 3957) secutus posteriore loco notauit Dauisius eamque manifestam Hirtii *ἐναντιολογίαν* appellauit. Id plane incredibile est, Hirtium, quem Antiochiae apud Caesarem fuisse supra p. 10 demonstraui, non solum in hac re errasse, sed etiam altero loco uerum, altero falsum retulisse. Nos uero cognito codicum genere non dubitabimus hanc discrepantiam magistro acceptam referre. Itaque cum Ioseph. antiqq. XIV, 8, 3, ut monuit Dauisius, Caesarem in Syriam nauigasse referat, eundemque nauibus in Ciliciam uenisse ex Cic. Phil. II, 11, 26 constet, c. 33 uerba 'itinere terrestri' eicienda fuerunt.

C 36, 4 haec in codd. leguntur: 'Quibus ex castris cum locus angustus atque impeditus esset transeundus, Pharnaces in insidiis delectos pedites omnesque paene disposuit equites, magnam autem multitudinem pecoris intra eas fauces dissipari iussit paganosque et oppidanos in iis locis obuersari, ut siue amicus siue inimicus Domitius eas angustias transiret, nihil de insidiis suspicaretur, cum in agris et pecora et homines animaduerteret uersari tamquam amicorum aduentu, ut in hostium fines ueniret, praeda diripienda milites dissiparentur dispersique caederentur'. Nam 'ut siue amicus siue inimicus Domitius' in omnibus codd. scriptum est; 'aduentu ut in hostium fines' est in Par. sec. Leid. pr. Scal. Voss., nisi quod cum aliis codd. 'aduentus' exhibent. Editur supra 'ut si amicus Domitius' et deinde 'sin uero ut in hostium fines ueniret', quae nequaquam ex iis, quae supra posui, probabiliter effici apparet. A uerbis 'ut in hostium fines ueniret' alteram sententiae partem incipere idque ibi significandum fuisse, itemque uerba 'siue inimicus' supra, ubi in codd. leguntur, inepta esse, cum eadem sententia extremis uerbis declaretur, manifestum est. Itaque ea, quae in codd. leguntur, ita seruanda existimaui,

ut uerba 'siue inimicus' praeponerem inferioribus 'ut in hostium fines ueniret'. Adiuncta autem sunt superioribus cum propter formae similitudinem tum, quia duobus enuntiatis duplici particula 'siue' discretis non recte singulis sua cuique apodosis subici uidebatur. Id autem eodem modo fit ap. Cic. Phil. XIV, 5, 13 'nam siue in communi gaudio populi Romani uni gratulabantur, magnum iudicium, siue gratias agebant, eo maius, siue utrumque, nihil magnificentius excogitari potest', et de fin. I, 1, 3 'siue enim ad sapientiam perueniri potest, non paranda nobis solum ea, sed fruenda etiam est, siue hoc difficile est, tamen nec modus est ullus inuestigandi ueri, nisi inueneris, et quaerendi defatigatio turpis est, cum id, quod quaeritur, sit pulcherrimum'.

C. 37, 5 ferri non possunt, quae Oudendorpius ex optimis codd. compluribusque deteriorum recepit: 'Perfecit inceptum castrorum opus Domitius parte copiarum pro uallo instituta'. Instituuntur enim ea tantum, quae non sunt, quemadmodum eo loco, quem Oudendorpius ascripsit, b. Gall. I, 23 in., duplex acies institui dicitur. Recte edebatur 'instructa': codices 'constituta' ponendum esse demonstrant.

C. 39 in. haec in codd. leguntur: 'Domitius autem, cum Caesaris magis periculo quam suo commoueretur neque se tuto discessurum arbitraretur, si condiciones, quas reiecerat, rursus appeteret aut sine causa discederet, ex propinquis castris in aciem exercitum eduxit'. Sed illa 'sine causa' inepta sunt. Nam Domitius et satis grauem causam discedendi habebat, quod a Caesare Alexandriae obsesso euocabatur (38, 1), neque ulla causa, quare ei discedendum fuisset, iter poterat tutius effici. Atque ut hic ea uerba ponuntur, causam discedendi eam nancisci uoluisse Domitius uidetur, ut proelio cum Pharnace decertasset, quasi, cum acie uictus esset, quod fieri posse eum fugere non poterat, tutius fuisset discessurus. Verum, quomodo haec uerba emendanda sint, non inuenio.

Pharnaces ab oppido Nicopoli duas fossas directas in eum locum deduxerat, quo longius progredi non constituerat. Intra has fossas aciem instruebat equitatu ab utroque latere extra fossam collocato (c. 38, 3). Contra eum Domitius ita aciem disposuit, ut in dextro cornu legionem tricesimam sextam collocaret, Ponticam in sinistro, Deiotari legiones in media acie (39, 2). Proelio commisso legio XXXVI equitatum regis fugauit, fossam transiit auersosque hostes est aggressa. Deinde de Pontica legione c. 40, 2

haec scripta sunt: 'At Pontica ex altera parte legio, cum paulum auersa hostibus cessisset, fossam autem circumire acies secundo conata esset, ut aperto latere aggrederetur hostem, in ipso transitu fossae confixa et oppressa est'. Verba 'acies secundo' quin corrupta essent, recte nemo dubitauit. Apparet autem Ponticam legionem simile aliquid conatam esse, atque a tricesima sexta factum erat. At 'in ipso transitu fossae confixa et oppressa est'. Dictum igitur antea erat eam fossam transire uoluisse. Itaque haec ita emendanda putaui: 'fossam autem circumire ac transcendere conata esset'. Recte Oudendorpius contra Clarkium disputat fossas illas a Pharnace institutas non a fronte et tergo aciei ductas fuisse (qua altera fossa quid poterat institui peruersius?), sed a duobus lateribus: id quod ita esse ipsa Hirtii uerba docent. Quod igitur Pontica legio fossam circumire uoluisse dicitur, ita est intellegendum, eam ad sinistram partem cessisse, ut regionem fossae superaret, deinde autem conuersa ad fossam perueniret eamque transcenderet. Neque hic, quid requireretur, Iurinium fugit, sed quod coniecit 'fossam autem transire acies secunda conata esset', et a codicibus longius recedit, neque, quid ita secunda tantum acies fossam transire uoluerit, intellegitur.

C. 45, 2 edebatur 'distensis suis nauibus', eratque hoc unicum, quod sciam, exemplum, quo a distendendo formari distensum confirmaretur. At in optimis codd. 'distersis' legitur, quod 'dispersis' scriptum fuisse demonstrat. Longe autem plurimorum uerborum, quae a tendendo descendunt, et ualde rara sunt huius formae exempla et pleraque non satis a codicibus firmata.

C. 49, 2 haec eduntur: 'pecuniae locupletibus imperabantur, quas Longinus sibi expensas ferri non tantum patiebatur, sed etiam cogebat, in gregem locupletium simultatium causae tenues coniciebantur'. Toto hoc loco de quaestu agitur, quem Cassius pecuniis a prouincialibus exprimendis exercuerit. Ad quam rem quid pertinebat, quod locupletes leui de causa odisset? Et quale hoc est orationis genus, simultatum causas in gregem locupletium conicere? Leue hic mendum est, quod posita scriptura optimi codicis Leid. pr., cui nunc accedit Par. sec., dudum tollendum erat. In iis enim haec ita leguntur: 'in gregem locupletium simultatium causa tenues coniciebantur'. Hoc dicit Hirtius, homines tenues, quia Longino erant inuisi, eadem passos esse, quae locupletes.

C. 53, 6 haec legebantur: 'Nemo enim aut in prouincia natus

aut uernaculae legionis miles aut diuturnitate iam factus prouincialis, quo in numero erat secunda legio, non cum omni prouincia consenserat in odio Cassii'. Verum inepte uernaculae legionis milites discernuntur ab iis, qui nati erant in prouincia: hos enim ipsos milites in prouincia fuisse natos nomen legionis demonstrat. Scribendum erat 'ut uernaculae legionis miles'.

C. 55, 3 mihi non persuadetur sana esse haec uerba: 'Minutium libertis tradit excruciandum, item Calpurnium Saluianum, qui profitetur indicium coniuratorumque numerum auget, uere, ut quidam existimant, ut nonnulli queruntur, coactus. Iisdem cruciatibus affectus L. Mergilio. Squillus nominat plures, quos Cassius interfici iubet'. Nam ut 'affectus' positum concedamus pro 'affectus est', quod hic admodum dure fieret, tamen iis, quae de Mergilione referuntur, male sequentia a superioribus diiunguntur, cum utraque in eadem re uersentur. Et mirum est Mergilionem cruciatibus affectum aut nullos nominasse aut hoc non ab Hirtio esse relatum. Viderat haec Ciacconius, sed, ut erat temerarius in coniectando, 'affecti' efficiebat, inter Mergilionem et Squillum copulam inserebat, denique 'nominant' scribebat. Aut ante uerba 'Squillus nominat plures' quaedam exciderunt, aut Squillus eiciendus est, quem c. 52, 4 statim post Mergilionem nominatum hic desiderare poterat magister, praesertim cum ad iacentem Cassium inuolasset eumque leuibus plagis sauciasset.

Initio c. 57 ita editur: 'Interim L. Titius, qui eo tempore tribunus militum in legione uernacula fuerat, nuntiat fama legionem XXX, quam Q. Cassius legatus simul ducebat, cum ad oppidum Leptim castra haberet, seditione facta centurionibus aliquot occisis, qui signa tolli non patiebantur, discessisse et ad secundam legionem contendisse, quae ad fretum alio itinere ducebatur'. Verum quid illud 'simul' sibi uellet, neque explicauit quisquam, neque explicari potest. Vere egregia est neque digna, quae Oberlinum tantum praeconem inueniret, emendatio Iurinii ita haec conformantis: 'nuntiat eam a legione XXX, quam Q. Cassius legatus simul ducebat, — discessisse'. Haec inde confirmantur, quod §. 3 uernaculi re uera ad secundam legionem peruenisse dicuntur, tricesimani autem ad imperatorem suum Carmonam. Deinde ita demum apparet, quamobrem haec a tribuno legionis uernaculae nuntiata sint. De Lepti mihi non magis quam aliis quicquam compertum est. Quod autem eiusdem nominis urbs in Africa fuit, recte non

satis causae uisum est Vkerto, cur in Hispania fuisse negaretur. Eadem causa est eorum, quae §. 6 eiusd. c. in codd. leguntur: 'Cassius his rebus incensus mouet castra et postero die Segouiam ad flumen Siciliense uenit'. Nam quod Segouiam in citeriore prouincia commemorat Plin. hist. nat. III, 3, 27, nihil obstat, quo minus plura oppida huius nominis, item ut aliorum, in Hispaniis fuerint. Siciliense uero flumen in Hispania appellatum esse satis mirum est. De Singuli fluuio iam cogitauerunt interpretes. Id igitur ab Hirtio 'flumen Singiliense' nominatum existimo adiectiuo de Singili oppido usitato, ut ex inscriptt. notauit Furlanettus in Forc. lexico. Cassius Carmona Cordubam contendens altero die Segouiam uenit (57, 2. 59, 3): Singulis autem, qui in Baetim influebat, a Corduba non longe erat remotus.

C. 58 haec in codd. leguntur: 'Interim Thorius ad Cordubam ueteres legiones adducit; ac, ne dissensionis initium natum seditiosa militum suaque natura uideretur, simul ut contra Q. Cassium, qui Caesaris nomine maioribus uiribus uti uidebatur, aeque potentem opponeret dignitatem, Cn. Pompeio se prouinciam reciperare uelle palam dictitabat. Et forsitan etiam hoc fecerit odio Caesaris et amore Pompeii, cuius nomen multum poterat apud eas legiones, quas M. Varro obtinuerat. Sed id, qua mente, communis erat coniectura: certe hoc prae se Thorius ferebat' cett. Nam uerba 'sed id, qua mente, communis erat coniectura' ita scripta sunt in omnibus codd. Quae si eo modo distinguuntur, ut feci, ut uerba 'qua mente' explicationis causa pronomini adiciantur, nihil habent, quod reprehendi possit. Nam et 'faceret' ex superioribus uerbis 'et forsitan etiam hoc fecerit' recte intellegitur, et 'communis coniectura' dicitur, quae erat omnium. Itaque hoc dicit Hirtius, Thorium re uera Pompeio prouinciam reciperare uelle omnes suspicabantur: certum hoc est, eum hanc uoluntatem prae se tulisse.

Quae legebantur c. 62, 1: 'Paucis diebus Cassii litteris acceptis rex Bogud cum copiis uenit adiungitque ei legionem, quam secum adduxerat, compluresque cohortes auxiliarias Hispanorum', haec iis, quae sequuntur, repugnant. Nam §. 3 narratur Bogudem a munitionibus, quibus Cassius Vliae clausus obsidebatur, repulsum se coniungere cum eo nequisse. Quod si adiungendi uerbum figurate positum interpretamur, ea significatione cohortibus Hispanis conueniret, non item legioni Bogudis, quae, cum huius imperio

plane esset subiecta, non poterat ad partes Cassii perducta dici. Recte Iurinius emendauit 'adiungitque ei legioni, quam secum adduxerat, complures cohortes auxiliarias Hispanorum'.

C. 63, 5 edunt 'Non tantum indutiis factis, sed prope iam constituta opera cum complanarent' cett. Verum et uehementer inconcinna est haec orationis forma, neque 'prope' quid sibi uelit, intellegitur, neque constituta opera recte dicuntur. Itaque suppleto uocabulo sic scribendum iudico: 'Non tantum indutiis factis, sed prope iam *pace* constituta opera cum complanarent'. Desiderari aliquid iam Iurinius senserat, sed minus probabiliter 'constitutis omnibus' coniecit.

C. 66, 6 sic editur: 'Fratrem autem Ariobarzanis Ariarathen, cum bene meritus uterque eorum de republica esset, ne aut regni hereditas Ariarathen sollicitaret, aut heres regni terreret, Ariobarzani attribuit, qui sub eius imperio ac dicione esset'. Sed neque haec ita gesta sunt, neque heres regni terrere Ariarathen potuit, qui ipse erat ille heres. Si quis autem intellegi posse putat heredem regni terruisse Ariobarzanen, hoc aliter fieri non potest, nisi scribatur 'aut ipse heres regni terreret'. Atqui in omnibus codd. praeter duos deteriores legitur 'fratri autem Ariobarzanis Ariarathi'. Itaque forma orationis, quae fuisset, Iurinius uidit, qui haec ita constituebat: 'Fratri autem Ariobarzanis Ariarathi, cum bene meritus uterque eorum de republica esset, ne aut regni hereditas Ariarathen sollicitaret, aut heres regni terreret Ariobarzanen, *Armeniam minorem* attribuit, quae sub eius imperio ac dicione esset'. Atque Cic. Phil. II, 37, 94 et de diu. I, 15, 27 et II, 37, 79 Armeniam minorem Deiotaro ademptam scribit. Sed accuratius Cassius Dio XLI, 63 et XLII, 48 partem tantum Armeniae minoris ablatam esse Deiotaro refert neque eam Ariarathi tributam, sed Ariobarzani. Itaque retenta codd. scriptura haec uerba in hunc modum supplenda sunt: 'Fratri autem Ariobarzanis Ariarathi, cum bene meritus uterque eorum de republica esset, ne aut regni hereditas Ariarathen sollicitaret, aut heres regni terreret *Ariobarzanen, partem Armeniae minoris concessit eumque* Ariobarzani attribuit, qui sub eius imperio ac dicione esset'. Ita enim et causa defectus apparet, et haec narratio, nisi quod paulo est accuratior, cum Cassio Dione conuenit. Neque quae Cic. ad Att. XIII, 2, 2 scribit 'Ariarathes, Ariobarzanis filius, Romam uenit. Vult, opinor, regnum aliquod emere a Caesare. Nam quomodo nunc est, pedem

ubi ponat in suo, non habet', iis, quae apud Hirtium suppleuimus, repugnant, cum pars illa Armeniae minoris Ariarathi non propria concessa sit. Ne quis autem Ariarathen, Ariobarzanis filium, qui apud Ciceronem dicitur, alium putet atque Ariarathen, quem Hirtius fratrem Ariobarzanis appellat, id quod factum est in Orellii onomastico Tulliano, inde, quod Hirtius Ariarathen heredem regni appellat, fratrem eius Ariobarzanen filium non habuisse apparet. Ariobarzanen et Ariarathen apud Hirtium commemoratos filios fuisse Ariobarzanis Cic. ad Fam. II, 17, 2 demonstrat. Ceterum ipsa uerba, quae suppleui, me non praestare uix est, quod moneam.

C. 72 in. edebatur 'Zela est oppidum in Ponto positu ipso, ut in plano loco, satis munitum: tumulus enim naturalis ueluti manu factus excelsiore undique fastigio sustinet murum'. In codd. legitur 'Zela est oppidum in Ponto positum, ipsum ut in plano loco satis munitum'. Atque haec recta Oudendorpio uisa sunt. Verum ex iis, quae adiunguntur, apparet Zelam situ satis munitam fuisse, iis autem, quae in codd. leguntur, operibus munita diceretur. Ad sententiam igitur recta sunt, quae eduntur. Sed poterat paulo propius ad codd. accedi, ut ita scriberetur: 'Zela est oppidum in Ponto, positum ipsum, ut in plano, loco satis munito'. Oppidum ipsum satis munito loco positum dicitur, quia proxima plana erant, cum ipsum in monte iaceret. Similia haec sunt c. 28, 3 'consederat cum copiis rex loco natura munito, quod erat ipse excelsior planitie ex omnibus partibus subiecta' et 36, 3 'quod oppidum positum in Armenia minore est plano ipsum loco montibus tamen altis ab duobus lateribus obiectis'.

Initium c. 77 in codd. ita scriptum est: 'Tali uictoria totiens uictor Caesar incredibili est laetitia affectus, quod maximum bellum tanta celeritate confecerat, quodque subiti periculi recordatione laetior, quod uictoria facilis ex difficillimis rebus acciderat'. Hic recte editur 'recordatio est laetior', quod primum in ed. Mediol. a. 1477 positum est. Sed restat alterum uitium. Peruerse enim altera laetitiae causa primae per copulam adiungitur, tertia copulam non habet. Deinde inepte Caesar ideo laetatus esse dicitur, quia subiti periculi recordatio esset laetior, quasi is delectatus esset reputando, quam uoluptatem ex memoria huius periculi capturus esset. Et quid ita subiti periculi recordatio laetior est alius periculi recordatione? Scribendum erat 'quoque subiti periculi

recordatio est laetior, quod uictoria facilis ex difficillimis rebus acciderat'.

Bell. Afr. 2, 4 sic scripsi: 'Ita uento certo celerique nauigio uectus post diem quartum cum longis paucis nauibus in conspectum Africae uenit: namque onerariae reliquaeque praeter paucas uento dispersae atque errabundae diuersa loca petierunt'. Edebatur 'onerariae reliquae praeter paucas', quasi longae naues omnes cum Caesare fuissent. Sed et paucas cum eo fuisse modo dictum erat, et longarum quoque partem deerrauisse ex c. 7, 3 apparet 'eodem naues onerariae et longae nonnullae casu aduenerunt'.

Initium c. 3 in optimis siue potius omnibus codd. ita scriptum est: 'Postquam Adrumetum accessit, ubi praesidium erat aduersariorum, cui praeerat C. Considius, et a Clupeis secundum oram maritimam cum equitatu Adrumetum Cn. Piso, cum Maurorum circiter III milibus, apparuit, ibi paulisper Caesar ante portum commoratus, dum reliquae naues conuenirent, exponit exercitum': nisi quod Oudendorpius ex omnibus codd. posuit 'Mauris', ut ante Scaligerum edebatur. Sed recte hunc 'Maurorum' posuisse Par. sec. demonstrat, in quo legitur 'Mauro'. Cetera rectissime habent. A Clupeis Adrumetum Piso apparuisse dicitur, hoc est ita, ut Adrumetum peteret. Neque enim Adrumeti eum apparuisse, ut editur, inde perspicitur, quod nulla deinceps mentio eius infertur. Verba 'cum Maurorum circiter III milibus' per appositionem superaddita sunt superioribus 'cum equitatu': neque haec duriora sunt quam extrema c. 6 'Itaque eo die castra posuit ad oppidum Ruspinam, Cal. Ian.'

C. 6, 3 haec in codd. leguntur: 'Accidit res incredibilis, ut equites minus XXX Galli Maurorum equitum duo milia loco pellerent fugarentque in oppidum'. Verum equitum Gallorum numerus rectus non est. Cum enim Caesar cum omnibus copiis esset in itinere, si plures equites quam triginta habuit, apertum est eum non tam exiguum numerum duobus hostium milibus commissurum fuisse. Atqui supra c. 3, 2 cum centum et quinquaginta equitibus Caesarem in Africam peruenisse relatum est. Itaque hic ponendi sunt 'equites minus CC Galli'. Nisi c. 3, 2 'equites CL' errore scripti sunt pro 'CCL' et hic 'triginta' pro 'trecentis'.

In fine c. 7 quaedam deesse ipsa orationis forma indicio est. Leguntur ibi haec: 'Remiges interim, qui aquatum e nauibus exi-

erant, subito equites Mauri neque opinantibus Caesarianis adorti multos iaculis conuulnerarunt, nonnullos interfecerunt. Latent enim in insidiis cum equis inter conualles, non ut in campo comminus depugnent ...... Caesar interim in Sardiniam nuntios cum litteris et in reliquas prouincias finitimas dimisit' cett. Post 'depugnent' adici debebat contrarium, quod facerent Mauri. Vitiosam esse orationem Morus uidit, sed perperam omnia recta fore confisus est, si poneretur 'non, ut in campo, comminus depugnant'. Quasi in campo Numidae comminus depugnare soliti essent!

C. 8 ante haec uerba: 'interim cum X nauibus longis ad reliquas naues onerarias conquirendas, quae deerrassent, et simul mare tuendum ab hostibus iubet proficisci', nomen eius hominis, qui missus esset (nisi plures fuerunt), excidisse recte Clarkius animaduertit. Nam quod adicit fieri posse, ut uocabulum 'interim' ex illo nomine ortum sit, quae Dauisii sententia erat, ea uox, quae quauis fere pagina huius libri legitur, temptanda non est. Vt nunc illa uerba leguntur, necessario coniungenda essent cum superioribus 'exoneratisque partim nauibus longis Rabirium Postumum in Siciliam ad secundum commeatum arcessendum mittit', ita ut eidem Rabirio negotium datum diceretur nauium conquirendarum marisque tuendi. Verum ita ineptum erat nauium numerum ad posteriorem rem datum declarare in priore re nullo posito, quasi ad commeatum arcessendum aut nullas naues habuisset aut alium numerum. Deinde commeatus arcessi et naues conquiri mareque custodiri uno tempore non poterant: neque enim illa res eam moram ferebat, quam hae afferebant. Praeterea, cum c. 26, 3 litterae in Siciliam ad Alienum et Rabirium missae dicantur, ut quam celerrime secundum commeatum imponerent, Rabirium in Sicilia mansisse apparet.

Eiusd. c. §. 4 haec in codd. leguntur: 'Haec ita imperabat unicuique, ita praecipiebat, uti, fieri posset necne, locum excusatio nullum haberet nec moram tergiuersatio'. Certe, ut reliqua sana essent, 'possent' ponendum erat, cum id uerbum ad pronomen 'haec' pertineret. Verum quae est ista excusatio, utrum aliquid fieri potuerit necne? Nam in hac orationis forma equidem ne uestigium quidem sententiae uideo. Debebat autem id dici, Caesarem praeceptorum diligentia iis, quibus illas res mandauerat, omnem excusationem ademisse, ne re male gesta dicere liceret, ita eam comparatam fuisse, uti fieri non posset. Itaque sic posui:

'Haec ita imperabat unicuique, ita praecipiebat, uti fieri non posse neque locum excusatio ullum haberet nec moram tergiuersatio'.

C. 17 haec in codd. scripta sunt: 'Caesar interim consilio hostium cognito iubet aciem in longitudinem quam maximam porrigi et alternis conuersis cohortibus, ut una post alteram ante signa tenderet, ita coronam hostium dextro sinistroque cornu mediam diuidit et unam partem ab altera exclusam equitibus intrinsecus adortus cum peditatu telis coniectis in fugam uertit neque longius progressus ueritus insidias se ad suos recipit. Idem altera pars equitum peditumque Caesaris facit'. Ita enim haec distinguenda sunt, ut uerba 'et alternis conuersis cohortibus ita diuidit' coniungantur: 'ita' autem diuidebat, nimirum acie in longitudinem quam maximam porrecta. Verum illa uerba 'ut una post alteram ante signa tenderet' recte non habent. Caesar enim ab equitatu hostium circumuentus, et milites eius in orbem compulsi erant (15, 3). Itaque cum milites in longitudinem quam maximam porrexisse et ita dextro et sinistro cornu coronam hostium diuisisse dicitur, simplicem eum aciem instruxisse, hoc est singulas cohortes collocasse, apertum est. Hoc modo una pars hostium ante aciem erat, altera a tergo. Haec res quid postulauerit, perspicuum est. Ad eam enim quoque partem hostium, quae a tergo erat, pars suarum copiarum conuertenda Caesari erat, ut ab utraque parte impetu facto, id quod deinde accidisse legimus, hostes profligarentur. Iam uero si ita cohortes essent conuersae, ut una post alteram tenderet, omnes aut in dextrum aut in sinistrum cornu spectassent, hoc est in eam partem, ubi hostes non erant, latera autem aperta eo conuertissent, ubi hostes constiterant. Deinde quemadmodum ita alternae cohortes conuersae sint, item quomodo effectum sit, ut ante signa tenderent, ne intellegi quidem potest. Verum uidit Schnellius et ante eum Ablancurtius, qui Caesarem Gallice uertit, haec ita esse scribenda: 'alternis conuersis cohortibus, ut una post, altera ante signa tenderet'. Etenim cum simplex esset acies, ut monui, secunda, quarta, sexta, denique altera quaeque cohors (eae enim sunt alternae cohortes) in contrariam partem conuertebatur. Ita et in utramque partem acies instruebatur, et eae cohortes, quae non mouebantur, post signa tendebant, quae conuersae erant, ante signa. Denique longitudo aciei, id quod magni erat momenti, non minuebatur.

C. 18, 4 sic edidi: 'Cum ab hostibus eodem modo pugnare-

tur nec comminus ad manus rediretur, Caesarisque equites iumenta ex nausea recenti, siti, languore, paucitate, uulneribus defatigata ad insequendum hostem perseuerandumque cursum tardiora haberent, dieique pars exigua iam reliqua esset, cohortibus equitibus circumdatis cohortatur, ut uno ictu contenderent neque remitterent, donec ultra ultimos colles hostes repulissent atque eorum essent potiti'. In codd. scriptum est 'cohortibus equitibusque circumdatis'. Ea uerba in hanc tantum sententiam intellegi possunt, ut Caesar sibi cohortes equitesque dicatur circumdedisse, quod ineptum est. Quae antea de defatigatione equitum leguntur, aliquid a Caesare factum esse demonstrant, quo huic incommodo mederetur. Recte igitur in ed. Basileensi, qua usus est Daehnius, legitur 'cohortibus equitibus circumdatis'. Nam cum equites essent ad pugnam inutiles, iis Caesar cohortes circumdedit, ut et ipsi requiescerent et ab hostium impetu defenderentur.

Sequitur c. 19, quod totum est perturbatissimum. Initium ita constitui: 'Interim ea re gesta et proelio dirempto ex aduersariis perfugere plures ex omni genere hominum, et praeterea intercepti [hostium] complures equites peditesque'. 'Perfugae', ut editur, intercipi non poterant, nisi qui a Caesare perfugissent, quod hic ineptum est. Recte Gudius coniecit, quod posui. 'Hostium' autem, quod rectius abesse Oudendorpio uidebatur, delendum est necessario. Neque enim alii quam hostium equites peditesque intercipi poterant, et illud uocabulum eam sententiam inferret, quasi ii, qui perfugissent, hostes non fuissent. Sequentia in codd. recte ita scripta sunt: 'Ex quibus cognitum est consilium hostium, eos hac mente et conatu uenisse, uti nouo atque inusitato genere proelii tirones legionarii paucique perturbati Curionis exemplo ab equitatu circumuenti opprimerentur'. Editur 'tirones legionariique pauci', quasi tirones non fuissent legionarii. Hoc dicit scriptor, hostes legionarios circumuenire uoluisse, qui et tirones essent et pauci. Excipiunt haec: 'et ita Labienum dixisse pro contione, tantam sese multitudinem auxiliorum aduersariis subministraturum, ut etiam caedendo in ipsa uictoria defatigati uincerentur atque a suis superarentur'. Pro Labieno in omnibus codd. Iuba legitur, quem tum non affuisse ex c. 25 constat. Labieni autem hanc orationem fuisse docent, quae §. 6 leguntur: 'hac spe atque audacia inflammatus Labienus' cett. Iubae nomen etiam c. 30, 2 inepte in omnibus codd. adiectum est. Hic Labienus pri-

mum in ed. Ven. a. 1482 positus uidetur. Sequentia ita conformanda arbitror: 'quippe qui in illa re sibi confideret, primum, quod audierat Romae legiones ueteranas dissentire neque in Africam uelle transire' cett. In omnibus codd. praeter Cuiac. et quosdam deteriores legi uidetur 'quippe quis'. Deinde editur 'in illorum sibi confideret multidine', quod scriptum est in Scal. Cuiac. Pet. Noru., qui duo postremi tamen 'non illorum' exhibent. In Leid. pr. est 'quippe quis in illorum fide sibi confideret'. In Par. sec. legitur 'quippe quis in illorum sibi confideret', idemque in Lou. Doru. Leid. sec. cod. Ciacc., nisi quod in illis duobus est 'quippe qui non', in his 'quippe qui in nullo'. Scripturam Par. sec. codicem archetypum referre cum ex consensu deteriorum codd. tum ex discrepantia reliquorum bonorum perspicitur, quae indicio est et 'multitudine' et 'fide' librariorum supplementa esse. Ea igitur hic inepta esse quid demonstrem? Mihi illud 'illore' (ita enim fere 'illorum' scribitur in codd.) ortum esse uisum est ex 'illa re': non repugno tamen, quo minus uocabulum excidisse et haec uerbi causa ita scripta fuisse uideantur: 'qui in illorum pernicie sibi confideret'. Adiunguntur haec, ut mihi quidem emendanda uisa sunt: 'deinde, quod triennio in Africa suos milites consuetudine retentos fideles sibi iam effecisset, maxima autem auxilia haberet Numidarum equitum leuisque armaturae, praeterea ex fuga proelioque Pompeiano [Labienus], quos secum a Brundisio transportauerat equites Germanos Gallosque ibique postea ex hybridis, libertinis seruisque conscripserat. armauerat, uti frenatos constituerat'. Labieni nomen deletum erat in ed. Ven. a. 1482; reduxit Oudendorpius omnes codd. secutus. Iam uerba 'praeterea ex fuga' cett. a superioribus separantur, et tota enuntiatio ita enarratur: Labienus equites armauerat, quos secum transportauerat ibique postea conscripserat'. Verum hoc modo inepte Labienus ex fuga proelioque Pompeiano equites armasse diceretur: nam 'equites ex fuga proelioque Pompeiano' interpretari non possumus, cum equites in enuntiatione relatiua positi sint. Apertum est igitur haec cum superioribus uerbis coniungenda esse, quemadmodum feci, ut 'haberet' cogitatione repetatur. Tum autem certum est Labieni nomen hic poni non posse, cum tota haec oratio ipsius Labieni sit. At supra coniectura tantum confisi Labienum pro Iuba posuimus. Fecimus id quidem certissima coniectura. Et tamen, etiamsi superiora alius locutus esset, hic Labieni nomen certe post relatiuum ponendum

fuisset. Qui supra Labieni nomen mutauerat, cum haec de Iuba dici non posse uideret, hic illud importune inculcauit. Extrema horum uerborum in Par. sec. Leid. pr. Scal. duobusque deterioribus codd. ita scripta sunt: 'conscripserat, armauerat, uti frenato condidicerat'. 'Condidicerat' etiam ex Cui. annotatur, in quo quin reliqua quoque eodem modo legantur, non dubito. Editur nescio qua auctoritate, sed aut nulla aut pessima, 'armauerat equoque uti frenato condocuerat'. Ex codicum scriptura non moleste formare mihi uisus sum 'uti frenatos constituerat'. Frenatus Labieni eques c. 61, 3 a Numidis Gaetulisque sine frenis discernitur. Constituendi autem uerbum eodem modo ponitur ab Hirtio b. Alex. 34, 4 'adiungit Domitius legioni XXXVI duas ab Deiotaro, quas ille disciplina atque armatura nostra complures annos constitutas habebat', quae repetuntur 68, 4, similiterque a Caesare b. Gall. VI, 1, 4 'tribus ante exactam hiemem et constitutis et adductis legionibus'. Excipiunt haec: 'praeterea regia auxilia elephantis CXX equitatusque innumerabilis, deinde legiones conscriptas ex cuiusque modi generis amplius XII milibus'. Editur 'elephantes' et 'conscriptae'. Sed cum haec ad superiora pertinere et a uerbo 'haberet' apta esse appareat, in Par. autem sec. et Voss. 'elephantis', in Leid. pr. 'elephanti', in Scal. et Pet. 'elephantos' legatur, 'conscriptas' corrigere non dubitaui. Verum in illis: 'legiones conscriptas ex cuiusque modi generis amplius XII milibus' numerus XII milium nimis exiguus quibusdam uisus est, cum de omnibus, ut arbitror, Pompeianorum copiis dici putarent. Verum Labienus auxilia tantum enumerat, quibus solis eum Caesarianos obruturum sperasse §. 2 declaratum est, et paulo ante Numidis, Gallis Germanisque, reliquis, quos ipse parauerat, commemoratis iam regia auxilia adiungit. Iuba autem quattuor legiones habebat (c. 1, 4); quae si XII milibus hominum constiterunt, unaquaeque erat trinorum milium, qui numerus nihil est, quod uero inferior uideatur. Concluditur hic locus his uerbis: 'Hac spe atque audacia inflammatus Labienus cum equitibus Gallis Germanisque MDC, Numidarum sine frenis VII milibus, praeterea Petreiano auxilio adhibito equitibus MDC, peditum ac leuis armaturae quater tanto, sagittariis ac funditoribus hippotoxotisque compluribus, his copiis II d. Non. Ian. post diem VI, quam Africam attigit, in campis planissimis purissimisque ab hora diei quinta usque ad solis occasum est decertatum'. In his uerbis bis ab instituta oratione

deflexum est, primum inde a uerbis 'his copiis', quae secundum initium 'hac spe atque audacia inflammatus Labienus' sequi debebat 'decertauit'; uerum interiecta sunt haec: 'post diem VI, quam Africam attigit', quasi sequeretur 'Caesar decertauit', sed ea quoque forma relicta postremo ponitur 'decertatum est'. Quod autem in codd. legitur 'post diem III, quam Africam attigit', recte Ciacconius diem sextum ponendum iudicauit. Nam ex c. 1, 2 scimus Caesarem, cum a. d. VI Cal. Ian. Lilybaei naues conscendisset, post diem quartum in conspectum Africae uenisse, hoc est a. d. III Cal. Ian. Ab eo igitur die usque pridie Non. Ian. non tertius dies erat, sed sextus. Imperite de hac re dubitauit Oudendorpius statuitque pridie demum Cal. Ian. Caesarem in terram egressum esse, deinde contra Romanorum consuetudinem postremum diem, pridie Non. Ian., non numerat neque tamen ita tres, sed quattuor dies efficit. Verum eodem die, quo in conspectum Africae uenit, egressum esse Caesarem, ex ratione reliquorum dierum, qui notati sunt, certum est. Cum enim copias ad Adrumetum exposuisset, ibi una nocte atque die fuit (5, 1). Ita enim dicit scriptor, non uno die et nocte, ut Oudendorpius refert. Ex illo ordine perspicitur noctem esse eiusdem diei, quo egressus erat, diem autem ex consuetudine pro die ac nocte poni. Inde mouit et eodem die, quo mouerat, Ruspinam peruenit, qui dies fuit Cal. Ian. (6, 6). A. d. IV Non. Ian. a Ruspina Leptim profectus est et III Non. Ruspinam rediit (9, 1). Sub uesperum eius diei naues conscendit, ut suis nauibus, quae deerrassent, succurreret (10, 2), cumque noctem in nauibus consumpsisset, sub lucem naues, de quibus timebat, aduenerunt (11, 1). Itaque militibus expositis frumentatum profectus est, in eoque itinere hoc proelium, de quo c. 12—19 refertur, accidit. Sex igitur dies accurate notatos habemus.

C. 26, 2 ita edebatur: 'Interim nobiles homines ex suis oppidis perfugere et in castra Caesaris deuenire et de aduersariorum eius crudelitate acerbitateque commemorare coeperunt. Quorum lacrimis querellisque Caesar commotus, cum antea constitisset in statiuis castris, aestate inita cunctis copiis auxiliisque actis bellum cum suis aduersariis gerere instituit'. Hic primum 'actis' ineptum est neque legitur nisi in deterioribus codd., in Leid. pr. est 'aggregatis', in Par. sec. et Scal. 'agitis'. Illud temeraria correctione positum esse apparet, ex hoc Scaliger recte effecit 'accitis'. Verum si Caesar cunctis copiis auxiliisque accitis aestate demum inita bellum

gesturus fuisset, quid erat, quod Afrorum lacrimis querellisque commotus uideretur? Atqui in Par. sec. Leid. pr. Scal. haec leguntur: 'cum antea constituisset e statiuis castris'. Haec scriptura, cum nihil adiciatur, quod constituerit Caesar, quaedam excidisse satis luculenter demonstrat. Is defectus in hunc fere modum supplendus est: 'Quorum lacrimis querellisque Caesar commotus, cum antea constituisset e statiuis castris aestate inita cunctis copiis auxiliisque accitis *bellum gerere, iam, simulac secundus commeatus aduenisset*, bellum cum suis aduersariis gerere instituit'. Hac ratione et, cur aberratum sit, apparet, et eorum uerborum, quae exciderunt, hanc fuisse sententiam, quam posui, sequentia demonstrant: 'litterisque celeriter in Siciliam [missis] ad Alienum et Rabirium Postumum conscriptis [et] per catascopum mittit, ut sine mora ac nulla excusatione hiemis uentorumque quam celerrime exercitus sibi transportaretur' cett. Ita enim haec in Par. sec. Leid. pr. Scal. scripta sunt, quae deletis iis uerbis, quae uncis circumscripsi, rectissime habent. Vulgo 'missis' omittitur et deinde 'et per catascopum missis' ponitur, quo facto oratio exitum non inuenit. Secundum autem commeatum expectasse Caesarem, ut rem gereret, etiam ex c. 31, 9 perspicitur: 'Itaque constituerat gloriam exultationemque eorum pati, donec sibi ueteranarum legionum pars aliqua in secundo commeatu occurrisset'. Et postquam secundus commeatus aduenit, re uera Caesarem ex statiuis castris progredi uidemus (c. 37, 1).

Initio c. 29 haec leguntur: 'Turmae interim equitum, quae pro uallo in stationibus esse solebant ab utrisque ducibus, cotidie minutis proeliis inter se depugnare non intermittunt'. Verba 'ab utrisque ducibus' Dauisius superioribus 'in stationibus esse solebant' adiungenda contendit. Nam Clarkium quis audiat iunctis his cum insequentibus uerbis subintellegere iubentem haec pauca: 'e castris emissae'? Verum ne Dauisii quidem ratio recta est. Nam turmae in statione esse ab utrisque ducibus plane insolenter dicuntur. Mihi non dubium est, quin uerba 'ab utrisque ducibus' errore hic repetita sint ex initio superioris cap. 'dum haec ad Ruspinam ab utrisque ducibus administrantur'. Verisimile est enim haec uerba in altera pagina e regione illorum fuisse posita.

Initium c. 31 ita fuit emendandum: 'Quibus rebus cognitis Caesar iubet milites, qui extra munitiones processerant [quique] pabulandi aut lignandi *causa* aut etiam muniendi gratia uallum

petierant quaeque ad eam rem opus erant, omnes intra munitiones minutatim modesteque sine tumultu aut terrore se recipere atque in opere consistere'. In codd. haec ita scripta sunt, quemadmodum Oudendorpius edidit: 'qui extra munitiones processerant quique pabulandi aut lignandi aut etiam muniendi gratia uallem petierant quique ad eam rem opus erant'. Sed primum ineptum est eos, qui extra munitiones processerant, separari ab iis, qui aliqua de causa idem fecerant. Itaque prius 'quique' delendum erat. Quo facto sponte apparebat post uerba 'pabulandi aut lignandi' excidisse 'causa'. Haec enim uerba superioribus adiungenda, sequentia 'aut etiam muniendi gratia' necessario ad uerbum 'petierant' referenda sunt. Librarii, qui haec omnia coniungebant, quia postea 'gratia' ponebatur, superius 'causa' superuacaneum existimauerunt, deinde, cum ita dissoluta esset oratio, post 'processerant' adiecerunt 'quique'. Quod si quis hanc abruptam orationem ferendam duxerit et haec ita constituenda: 'qui extra munitiones processerant, pabulandi aut lignandi aut etiam muniendi gratia uallem petierant', ut extremis uerbis explicetur, cur milites processerint, is opinionem abiciet, cum 'uallem' ferri non posse perspexerit. Nam cum milites muniendi gratia uallem petisse dicuntur, hoc ita tantum intellegi potest, eos in ualle nescio qua munitionem instituisse. At quales illae munitiones fuissent, unde milites, cum hostis accederet, essent reuocandi? Neque ualles ulla ante commemorata est. Recte ante Oudendorpium edebatur 'uallum petierant', quod nescio a quo primum positum sit. Vallum petere dicuntur ii, qui palos uallo faciendo siue uallos petunt, ut apud Liu. III, 27. VIII, 38; 'uallum ferre' legitur apud eund. XXIII, 16. XXXIII, 6. Flor. II, 18, 10, ubi uid. Duker. et Drakenb. ad Liu. VIII, 38. Denique item recte ante Oud. editum esse 'quaeque ad eam rem opus erant', uix est, quod moneam. Nam Oudendorpius nugatur, cum, qui ad eam rem opus erant, calones et lixas dici opinatur.

C. 34 in his uerbis: 'legiones equitesque ex nauibus egressos iubet ex languore nauseaque reficere, dimissos in castella munitionesque disponit', alienum est dimittendi uerbum, quasi Caesar milites nescio quo ablegasset, quos in castris mansisse uerba 'in castella munitionesque' demonstrant. Posui igitur 'diuisos'.

C. 37 in., ubi haec leguntur: 'naues VI onerarias statim iu-

bet Lilybaeum ad reliquum exercitum transportandum proficisci', numerus nauium nimis exiguus est. Singulas enim naues circiter ducentos milites sustulisse ex Caes. b. Gall. IV, 37 in., b. ciu. III, 28, 3 apparet. C. 53 autem h. l. duae legiones Caesaris onerariis nauibus a Sicilia profectae esse dicuntur. Quot naues in Siciliam missae sint, definire nequimus, cum, quo numero illae legiones fuerint, non teneamus. Sed mihi uerisimile uidetur a scriptore nullum nauium numerum esse positum et notam senarii numeri repetita extrema syllaba superioris uocabuli ortam esse.

Eiusd. c. §. 3 haec edebantur: 'Hic campus mirabili planitie patet milia passuum XII: quem iugum ingens a mari ortum neque ita praealtum uelut theatri efficit speciem'. Ingens iugum Clarkius in longitudinem dici existimabat; quae longitudo definita iam erat: neque enim iugum longius erat quam planities. Sed qualis haec oratio est: iugum campum theatri speciem efficit? Scripserat auctor 'quem iugum cingens'.

Initium c. 38 sic edebatur: 'Caesar ad iugum, de quo docui, ascendit atque in unumquemque collem turres castellaque facere coepit'. De accusatiuo 'in unumquemque collem' postea uidebimus: iam Caesarem turres in unoquoque colle fecisse negamus. Turres enim fuisse in collibus extremo sup. cap. declaratum est: 'In hoc iugo colles sunt excelsi pauci, in quibus singulae turres speculaeque singulae perueteres erant collocatae', idque confirmatur inferioribus uerbis 'postquam non ita longe ab ultimo colle turrique fuit' cett. Atqui in Leid. pr. et Pet. non 'turres', sed 'turrem' scriptum est. Non dubitaui igitur, quin copula, quae castellis adiungitur, transposita haec ita scribenda essent: 'in unumquemque collem turremque castella facere coepit'. Accusatiuus autem praepositioni 'in' coniunctus distributionem designat, nobisque haec ita uertenda essent: 'hügel für hügel und thurm für thurm'. Pauca, ut frequentissimae rationis, exempla ascripsi. Cic. de inuent. I, 12, 16 'exempla autem cuiusque generis tum commodius expositururi uidemur, cum in unumquodque eorum argumentorum copiam dabimus', II, 3, 11 'nunc certos confirmandi et reprehendendi in singula causarum genera locos tradendos arbitramur'; ad Att. XI, 22, 2 'itinera enim ita facit, ut multos dies in oppidum ponat'; Planc. ad Cic. Fam. X, 24, 1 'facere non possum, quin in singulas res meritaque tua tibi gratias agam'. Verum hoc modo defendi non possunt, quae c. 68, 2 leguntur, 'castris ex campo in collem ac

tutiora loca collocatis': ibi recte Lipsius 'collatis' ponendum dixit.

C. 40, 5 manifesto corrupta sunt haec uerba: 'nonnulli, qui ex Curionis proelio capti conseruatique parem gratiam in fide partienda praestare uoluerant'. Nam quod Oudendorpius Gallos Germanosque ideo fidem partitos dici interpretatur, quia antea Curioni, nunc Labieno se addixissent, non partienda fide Labieno gratiam praestare poterant, sed conseruanda. Iam in Par. sec. legitur 'peruenta', eique 'partienda' suprascriptum est. Ex illo non dubitaui efficere 'in fide seruanda'.

C. 41, 2 haec scripta sunt: 'Caesar instructa acie secundum infimas iugi radices propius munitiones leniter accessit, iamque minus mille passuum ab oppido Vzitta, quod Scipio tenebat, aberant legiones Iulianae, cum Scipio ueritus, ne oppidum amitteret, unde aquari reliquisque rebus subleuari eius exercitus consuerat, eductis omnibus copiis quadruplici acie instructa ex instituto suo, prima equestri turmatim directa elephantisque turritis interpositis armatisque, suppetias ire contendit. Quod ubi Caesar animaduertit, arbitratus Scipionem ad dimicandum paratum ad se certo animo uenire in eo loco, quo paulo ante commemoraui, ante oppidum constitit suamque aciem mediam eo oppido texit, dextrum sinistrumque cornu, ubi elephanti erant, in conspectu patenti aduersariorum constituit'. Verum extrema uerba non posse ad Caesarem referri Clarkius intellexit. Caesar enim neque oppido Vzitta mediam aciem tegere poterat, cum id ab aduersariis teneretur, neque elephantos tum habebat, eos autem, quos c. 72, 3 ex Italia transportasse dicitur, ut milites bestiis assuescerent, in aciem non educebat. Contra et Scipionis elephanti paulo ante commemorati sunt, et eum oppido se texisse cum ipsa res docet tum uerba cap. seq. §. 3 'hostesque mediam aciem suam oppido texisse'. Deinde quae initio seq. cap. leguntur: 'Cum iam prope solis occasum Caesar expectauisset, neque ex eo loco, quo constiterat, Scipionem progredi propius se animaduertisset', indicio sunt hic locum, in quo constitisset Scipio, fuisse declaratum. Recte igitur Clarkio quaedam excidisse uisa sunt, sed errauit, quod id ante uerba 'in eo loco, quo paulo ante commemoraui' factum putauit. De Scipione enim nihil eiusmodi commemoratum erat: et referuntur illa ad superiora 'iamque minus mille passuum ab oppido Vzitta, quod Scipio tenebat, aberant legiones Iulianae'. Itaque, quae hic deside

rantur, post uerba 'ante oppidum constitit' exciderunt. Videntur autem ea, quae de Scipione relata erant, ipsa quoque in ea uerba, quae modo posui, desisse eaque causa omittendi fuisse.

C. 42, 3 corrupta sunt haec: 'praesertim cum milites a mane diei ieiuni sub armis stetissent defatigati'. Neque enim defatigati stetisse dici poterant, qui tum demum stando essent defatigati. 'Defatigati' eiciendi sunt, quos magister ieiunis substituere, aut omnino defatigatos fuisse milites significare uolebat.

Initio c. 43 in Par. sec. haec leguntur: 'Interim Considius, qui Acillam et VIIII cohortes stipendiarias Numidis Gaetulisque obsidebat' cett., atque ita ante Dauisium edebatur, nisi quod 'octo cohortes' ponebantur. Is Pet. et Noru. secutus scripsit 'qui Acillam VIII cohortibus stipendiariis — obsidebat'. Quibus quod Oudend. Leid. pr. et Scal. accedere scribit, in quibus 'et IX' legatur, non 'cohortibus stipendiariis' in iis codd. inuenisse existimandus est, sed illa 'et IX' scripta putabat pro nota octonarii numeri 'IIX', qua ipse uti solet. C. 33, 3 relatum est Considium, cum octo cohortes obsidendo oppido pares non iudicaret, praeterea equestres copias a Labieno adduxisse. Itaque codd. scriptura sic erat conformanda: 'qui Acillam ... et VIII cohortibus stipendiariis Numidis Gaetulisque obsidebat'. Periit enim equitum commemoratio.

C. 45, 3 centurio legionis Caesarianae quartae decimae, cum captus esset a Scipione, inter alia haec dicit, ut quidem in codd. leguntur: 'Egone contra Caesarem, imperatorem meum, apud quem ordinem duxi, eiusque exercitum, pro cuius dignitate uictoriaque amplius XXXVI annis depugnaui, aduersus armatusque consistam?' Quartam decimam legionem p. 119 docui anno 53 conscriptam esse. Sed centurionem eius legionis iam antea in exercitu Caesaris militasse uerisimile est. Verum cum annos numeret, quibus pro dignitate Caesariani exercitus depugnauerit, non posse eum ultra annum 58 progredi, quo Caesar in Galliam uenit, apertum est, et uehementer errat Glandorpius, qui annos a praetura Caesaris numerandos existimauit. At uel ex eo inde tempore uix dimidium spatium conficitur eius, quod hic positum est. Itaque auctorem ita scripsisse arbitror: 'pro cuius dignitate uictoriaque amplius tricies armis depugnaui'. Ita b. Alex. 74, 3 legati Pharnacis gloriati esse dicuntur exercitum eius uicies et bis in acie conflixisse. Hic uero, quia 'amplius' adicitur, plenus

numerus erat ponendus. Quamobrem ipsum numerum, quem posui, non praesto.

C. 49 haec et in codd. scripta et a superioribus edita sunt: 'Caesar, postquam animaduertit Scipioni auxilia fere, quae expectasset, omnia conuenisse neque moram pugnandi ullam fore, per iugum summum cum copiis progredi coepit et brachia protinus ducere et castella munire propiusque Scipionem capiendo loca excelsa occupare contendit. Aduersarii magnitudine copiarum confisi proximum collem occupauerunt atque ita longius sibi progrediendi eripuerunt facultatem. Eiusdem collis occupandi gratia Labienus consilium ceperat et, quo propiore loco fuerat, eo celerius occurrerat'. Verum aduersarios colle occupando sibi longius progrediendi facultatem non adempturos, sed paraturos fuisse interpretes intellexerunt. Itaque pronomen reflexiuum pro demonstratiuo poni et ad Caesarem referri contenderunt. Quod etsi in secundaria tantum enuntiatione fieri potest, tamen sententia eo artificio nihilo aptior efficitur. Nam aduersarios collem occupauisse insequentibus demum uerbis refertur, et, quod ibi Labienus hunc eundem collem et occupare uoluisse et occupauisse dicitur, indicio est superioribus uerbis declaratum esse Caesarem hunc collem capere constituisse. Sensit haec Clarkius, sed, cum corruptae scripturae patrocinari cuperet, ineptias quasdam adiecit memoratu indignas. Mihi certum est sic scriptum fuisse: 'propiusque Scipionem capiendo loca excelsa occupare contendit, ne aduersarii magnitudine copiarum confisi proximum collem occuparent atque ita longius sibi progrediendi eriperent facultatem'. Cum 'ne' particula extrita esset, ad restituendam orationis formam perfecta sunt posita. Deinde scribendum esse 'eiusdem collis occupandi Labienus consilium ceperat' Clarkius animaduertit. Neque enim consilium aliquod, per quod colle potiretur, Labienus ceperat, qua una ratione 'causa' recte adiciebatur. Nam id consilium, quod deinceps exponitur, et post occupatum collem captum erat et ad insidias Caesari struendas pertinebat.

Harum insidiarum ratio explicatur c. 50, quae uerba sic eduntur: 'Erat conuallis satis magna latitudine, altitudine praerupta crebris locis speluncae in modum subrutis, quae erant transgredienda Caesari, antequam ad eum collem, quem capere uolebat, perueniretur, ultraque eam conuallem oliuetum uetus crebris arboribus condensum'. In Par. sec. Leid. pr. cod. Vrs. est 'transgre-

diendae'. Recte Vascosanus posuit 'quae erat transgredienda': nam scriptorem haec ad conuallem retulisse docent uerba 'ultraque eam conuallem' et §. 2 'prius necesse esse conuallem oliuetumque transgredi'. Pluralis 'transgrediendae' positus est, quia supra 'conualles' legebatur, quae forma in commentariis de bello Gallico constanter in optimis codd. seruata in reliquis libris a magistro mutata est. Sequentia sic eduntur: 'Hic cum Labienus animaduertisset Caesarem, si uellet eum locum occupare, prius necesse esse conuallem oliuetumque transgredi, eorum locorum peritus in insidiis cum parte equitatus leuique armatura consedit et praeterea post montem collesque equites in occulto collocauerat, ut, cum ipse ex improuiso legionarios adortus esset, ex colle se equitatus ostenderet et re duplici perturbatus Caesar eiusque exercitus neque retro regrediundi neque ultra procedendi oblata facultate circumuentus concideretur'. In codd. post uerba 'et praeterea post montem collesque' haec adiciuntur: 'Caesari subito se ostenderet', quae uerba uariandae orationis causa inferioribus 'ex colle se equitatus ostenderet' a magistro ascripta perperam huc illata esse nescio quis primus perspexerit. Sed una cum illis 'collesque' eiciendum erat. Nam neque plures colles hic commemorare licebat, et ridicule componuntur haec 'post montem collemque' (ita enim quidam ediderunt), cum mons idem sit atque collis. Oudendorpius, cum infra ponendum putaret 'ex colle se equitatus subito Caesari ostenderet', id assecutus est, quod magistro eo loco scribendum uidebatur. Neque enim auctorem ibi ita scripsisse indicio est, quod deinceps Caesaris nomen posuit. Excipiunt haec: 'Caesar postquam equitatu ante praemisso inscius insidiarum cum ad eum locum uenisset, abusi siue obliti praeceptorum Labieni siue ueriti, ne in fossa ab equitibus opprimerentur, rari ac singuli de rupe prodire et summa petere collis: quos Caesaris equites consecuti partim interfecerunt partim uiuorum sunt potiti, deinde protinus collem petere contenderunt atque eum decusso Labieni praesidio celeriter occupauerunt'. Qui hic abusi nescio qua re dicuntur, eos intellegi, quos Labienus in ipsa conualle occultauerat, cum ex fossae commemoratione apparet, tum quod summa collis petiuerunt, et quod Caesariani insecuti collem occupauerunt et inde praesidium (qui sunt equites post montem collocati, uid. §. 3) decusserunt. Sed 'abusi' corruptum esse omnes uiderunt. Nam etiamsi abusos siue oblitos praeceptorum con-


iungeremus et alterum 'siue' non superiori respondere sed sequentia adiungere statueremus, tamen ineptum erat abusos praeceptis dici, qui praeceptis plane contraria faciebant. Daehnius coniecit 'cum ad eum locum uenisset arbusti' idque arbustum oliuetum dici interpretatur. Verum hoc oliuetum ultra conuallem erat (§. 1), hi homines in conualle. Praeterea necessario declarandum erat, qui siue obliti praeceptorum siue ueriti essent, ne opprimerentur, neque id satis perspicue fit pronomine 'illi' adiecto, quod Daehnio faciendum uidebatur, cuius tamen rei ne ipsius quidem ulla est probabilitas. Pro abusis illis ponendi erant 'abditi'.

Inde a fine c. 51 haec leguntur: 'Dum haec opera, quae ante dixi, fiebant a legionibus, interim pars acie instructa sub hoste stabat, equites barbari leuisque armaturae proeliis minutis comminus dimicabant. Caesar ab eo opere cum iam sub uesperum copias in castra reduceret, magno incursu cum omni equitatu leuique armatura Iuba, Scipio, Labienus in legionarios impetum fecerunt. Equites Caesariani ui uniuersae subitaeque hostium multitudinis pulsi parumper cesserunt'. Animaduertit Dauisius extremis uerbis et iis, quae deinceps leguntur, hostes in equitatum Caesaris impetum fecisse demonstrari. Itaque uerba 'in legionarios impetum fecerunt' corrupta iudicauit. Et sane legionarii dici solent pedites legionum. Verum hic non moleste intelleguntur legionarii equites, cum proximis superioribus uerbis commemorentur 'equites barbari leuisque armaturae'. Notum est autem aliquantum ante haec tempora equitatu ciuium Romanorum non usos esse Romanos. Relinquitur igitur, ut equites auxiliares diuisos fuisse statuamus partemque leui armaturae, partem item, ut antiquitus fiebat, legionibus attributam esse. Idque ita fuisse ex Tac. ann. IV, 73 et hist. I, 57 uidemus, ubi 'turmae sociales equitesque legionum' et 'equites legionis auxiliorumque' commemorantur. Sed ne quis hoc post liberam demum rempublicam institutum credat, ne de superiore quidem tempore testimonium deest. Plutarchus enim Anton. 37 haec de Antonii exercitu refert: *ἦσαν δὲ Ῥωμαίων μὲν αὐτῶν ἑξακισμύριοι πεζοὶ καὶ τὸ Ῥωμαίοις συντεταγμένον ἱππικὸν Ἰβήρων καὶ Κελτῶν μύριοι, τῶν δ' ἄλλων ἐθνῶν ἐγένοντο τρεῖς μυριάδες σὺν ἱππεῦσιν ὁμοῦ καὶ ψιλοῖς.* Vnde simul id perspicitur, equites legionibus attributos Gallos et Hispanos fuisse. Leuis autem armaturae equites praecipue Numidas fuisse consentaneum est. Atque eos barbaros dicit scriptor, quia a cultu Romanorum maxime abhorrebant.


Inde a c. 59 acies Scipionis et Caesaris declarantur. De priore haec in codd. leguntur: 'Scipio hoc modo aciem direxit. Collocauit in fronte suas et Iubae legiones, postea autem Numidas in subsidiaria acie ita extenuatos et in longitudinem directos, ut procul simplex esse acies media ab legionariis militibus uideretur (in cornibus autem duplex esse existimabatur): elephantos dextro sinistroque cornu collocauerat aequalibus inter eos interuallis interiectis, post autem elephantos armaturas leues Numidasque auxiliares substituerat'. Hic primum posui 'post eas autem Numidas' cett. Nam 'post ea' de loco tum demum recte dicitur, cum neutrum pronominis superioribus uerbis accommodatum est. Deinde intolerabilia sunt haec: 'in cornibus autem duplex esse existimabatur'. Antea enim cornua ne commemorata quidem sunt, sequentibus autem uerbis nihil eiusmodi refertur, quamobrem cornua duplicis aciei speciem praebere potuerint. Quamquam, ut apte illa uerba interponerentur, omnino antea ratio cornuum iis consentanea declarari debebat. Itaque haec ascripta sunt a magistro, quia scriptor mediam aciem simplicem uisam esse dixerat.

De Caesaris acie quae c. 60 legebantur, quin corrupta essent, non poterat dubium uideri. Ea, quantum fieri poterat, codices secutus sic conformaui: 'Caesaris autem acies hoc modo fuit collocata, ut ab sinistro eius cornu ordiar et ad dextrum perueniam. Habuit legionem X, VIIII in sinistro cornu, XXV, XXVIII, XIII, XIIII, XXVIIII, XXVI in media acie. In suo autem dextro cornu e secunda acie ueteranarum legionum partem cohortium collocauerat, praeterea ex tironum paucas adiecerat. Tertiam autem aciem in sinistrum suum cornu contulerat et usque ad aciei suae mediam legionem porrexerat et ita collocauerat, uti sinistrum suum cornu triplex esset'. Hic quod numeros quosdam legionum immutaui, de ea re statim separatim dicam: reliqua utrum ex codicum scriptura probabiliter effecta sint necne, ipsa demonstrabunt; recta esse ostendam. In ipsa acie Caesar habuit octo legiones: unam, quae quinta appellabatur, equitibus praesidio praemisit (§. 4). Illas octo legiones in sinistro cornu et media acie collocauerat triplici acie instructas (id quod secundae et tertiae aciei commemoratio docet), cuius triplicis aciei p. 155 hanc rationem fuisse demonstraui, ut in prima acie quaternae cohortes uniuscuiusque legionis ponerentur, in secunda ternae, in tertia item ternae. Itaque cum omnes legiones in sinistro


cornu et media acie essent dispositae, dextrum cornu non poterat aliter institui, nisi ut ex illis legionibus cohortes quaedam detraherentur. Igitur Caesar e secunda acie ueteranarum legionum, quae fuerunt X et IX in sinistro cornu, XIII et XIV in media acie, partem cohortium detraxit eoque paucas ex tironum legionibus adiecit et has in dextro cornu posuit. Quot autem cohortes in dextro cornu collocatae sint, scriptor non declarauit, sed duodecim fuisse sequentia ostendunt. Tertia enim acies in sinistrum cornu collata esse dicitur ita, ut acies usque ad mediam totius aciei legionem triplex esset. Reliqua igitur duplex erat. Media autem totius aciei legio dicitur tertia decima: cohortes enim, quae in dextro cornu collocatae erant, pro una legione numerantur. Iam cum tertia acies initio uiginti quattuor cohortium esset, ut postea quattuor tantum legiones tertiam aciem haberent, quae sunt duodecim cohortes, reliquas duodecim tertiae aciei cohortes totidem e secunda acie detractis ad eas supplendas in secunda acie positas esse apparet. Quo facilius haec intellegantur, formas aciei Caesarianae subieci. Initio igitur acies hoc modo fuit collocata:



Deinde dextro cornu instituto haec fere eius forma erat:



Postremo haec efficiebatur:




Iam de legionibus Caesaris dicendum est, quas hoc bello in Africa habuerit. Traiecit autem ipse in Africam cum sex legionibus, quinque tironum, una ueterana, quae quinta appellabatur (1, 5. 2, 1). Praeter has sex legiones secundo commeatu duae ueteranae (c. 34, 4 et 37) et tertio commeatu totidem (c. 53), ut ex numeris uidemus, item ueteranae ad Caesarem uenerunt. Itaque exer-

citus Caesaris in Africa fuit decem legionum, quinque ueteranarum, quinque tironum. Inde apparet c. 66, ubi VIII legiones ueteranae Caesaris commemorantur, numerum corruptum esse. Cum ad duas Labieni legiones excipiendas Caesar proficisceretur (65, 3) uerisimile est quinarii numeri notam delendam esse. Deinde quibusdam locis nomina legionum non recta seruata sunt. Duae legiones ueteranae, quae secundo commeatu aduenerunt, c. 34, 4 appellantur XIII et XIV, et c. 45 in. centurio XIV legionis commemoratur, qui cum commilitonibus aliquot in naui, quae in secundo commeatu aberrauerat, a classe Vari et M. Octauii captus erat (c. 44, 2). Duae ueteranae, quae tertio commeatu traiectae sunt, c. 53 in. in Par. sec. recte dicuntur X et VIIII (edebatur ibi 'IX et X'), in Leid. pr. aberratum est, in quo 'X et XI' legitur: item c. 54 eodem commeatu tribunum decimae legionis traiecisse refertur. Sed decimae legionis miles iam c. 16 commemoratur, aliquantum antequam decima legio in Africam traiceretur. Hoc inde factum est, quod Caesar ipse secum praeter sex legiones septem cohortes ueteranas traduxerat, quas scriptor belli Africani c. 10, 2 in classe cum Sulpicio et Vatinio rem gessisse scribit. Vterque autem classe dimicauerat paulo post pugnam Pharsalicam, Sulpicius in Sicilia contra C. Cassium, de qua re Caesar b. ciu. III, 101 retulit, Vatinius in Illyrico contra M. Octauium, quas res Hirtius narrauit b. Alex. 44 sqq. Vtroque loco eos milites aegrorum numero relictos esse demonstratur, cum Caesar contra Pompeium in Graeciam proficisceretur: atque ex aegris cohortes Brundisii factas esse Caesar b. ciu. III, 87, 4 ostendit. Ex harum igitur cohortium numero septem, quas ipse Caesar initio trauexit, ad eas legiones ueteranas pertinuisse, quae secundo et tertio commeatu aduenerunt, et rursus iis coniunctas esse inde apparet, quod post harum aduentum non commemorantur. Sed, ut ad nomina legionum reuertamur, c. 60 in descriptione aciei Caesarianae recte XIII et XIV in media acie collocatae esse dicuntur, sed in sinistro cornu in codicibus IX et VIII ponuntur. Pro his igitur X et VIIII restitui, quorum nomina et iis, quae supra retuli, satis firmata sunt, et c. 81 in omnibus codd. leguntur. Cum autem c. 60 quinque legiones ueteranae commemorentur (quinta, quae equitibus praesidio praemissa erat, decima et nona, quae in sinistro cornu, tertia decima et quarta decima, quae in media acie collocatae erant), neque plures quam quinque ueteranas legiones Caesarem in Africa habuisse constet, quattuor reliquas, quarum

nomina ibidem ponuntur, tironum fuisse necesse est. Eae in codicibus appellantur XXX, XXVIII, XXIX, XXVI. Verum tricesima legio hoc tempore ueterana erat. Eam enim legionem a Caesare iam anno 49 Q. Cassio Longino in ulteriore Hispania attributam et paulo ante in Italia conscriptam esse Hirt. b. Alex. 53 extr. refert (cf. 54, 2. 57, 1 et 3). Itaque pro ea quintam et uicesimam posui cum propter mutationis facilitatem, tum quia ita ordo legionum in dextra parte, uicesimae sextae et uicesimae nonae, respondet ordini alterius partis legionum, uicesimae quintae et uicesimae octauae. Vnam tironum legionem, cuius nomen c. 60 non ponitur (quinque enim cum Caesare in Africa fuisse ostendi), cum illa res gereretur, in praesidiis collocatam fuisse statuendum est. Praeterea duobus locis nomina legionum non recta in codicibus seruata sunt. C. enim 62 haec in Par. sec. et Leid. pr. leguntur: 'Interim Varus classem, quam antea Vticae hiemis gratia subduxerat, cognito legionis VII et VIIII ex Sicilia aduentu celeriter deducit'. Cum proxime antea, c. 53, legiones decimam et nonam ex Sicilia traiecisse relatum sit, horum nomina c. 62 restituenda uideri possunt. Sed Vari classis iam c. 44, 2 commemoratur ibique milites, qui secundo commeatu cum legionibus tertia decima et quarta decima traiecerant et aberrauerant, ab ea exceptos esse narratur. Itaque c. 62 scribendum est 'cognito legionis XIII et XIIII ex Sicilia aduentu', id quod ad codicum quoque scripturam proxime accedit. Alter locus paulo grauius corruptus legitur c. 81. Ibi haec eduntur: 'Quo postquam Caesar peruenit et animaduertit aciem pro uallo Scipionis elephantosque dextro sinistroque cornu collocatos et nihilo minus partem militum castra non ignauiter munire, ipse acie triplici collocata legione decima secundaque dextro cornu, VIII et IX sinistro oppositis, V legionibus in quarta acie, ante ipsa cornua quinis cohortibus contra bestias collocatis' cett. Hic primum legiones 'X IIque' ortae sunt ex 'X XIIIque' altera denarii numeri nota extrita et pro ternario numero eodem errore binario posito, item VIII errore posita est pro XIIII. Sed ne inferiora quidem 'V legionibus in quarta acie' cett. recta sunt. Decem enim legiones in Africa affuisse uidimus. Ex his Caesar, cum ad Thapsum eam aciem, quae c. 81 describitur, instrueret, duas legiones cum Asprenate castris praesidio reliquerat (c. 80, 4). At binis legionibus in cornibus positis quinisque cohortibus ante cornua, si praeterea quin-

que legiones in quarta acie essent collocatae, non octo, sed omnes decem legiones in in acie affuissent, et tamen nullae superfuissent, quae in media acie collocarentur. Denique plane incredibile est quinque legiones in quarta acie positas esse. Nam cum prima, secunda, tertia uel quotacumque acies instructa dicitur, singulas cohortes poni intellegendum est. At quinquaginta cohortibus in quarta acie positis haec immanem longitudinem accepisset. In Par. sec. Leid. pr. Pet. scriptum est 'V legiones in quarta acie'. Inde facillima emendatione haec ita restituuntur: 'acie triplici collocata, legione decima tertiadecimaque dextro cornu, quartadecima et nona sinistro oppositis, quinta legione in quarta acie ad ipsa cornua quinis cohortibus contra bestias collocatis' cett. Itaque Caesar triplicem aciem instruxit legionum septem, ita ut binas ueteranas in cornibus poneret; tres tironum in media acie collocatas esse scriptor non declarauit, quia sponte intellegebatur, id quod eodem modo factum est a Caesare b. ciu. III, 89. Deinde in quarta acie quintam legionem opposuit, ita ut ad cornua quinas cohortes collocaret, id est dimidiam legionem ad dextrum, dimidiam ad sinistrum. Haec igitur fuit aciei forma:



Ita autem, ut dixi, auctorem scripsisse c. 84 confirmat, ubi certamen militis legionis quintae cum elephanto refertur. Et Appianus b. ciu. II, 96 legionem quintam, quia elephantis opposita rem bene gessisset, simulacra harum bestiarum in signis gestasse refert. Ceterum illo loco belli Africani, de quo modo diximus, in Par. sec. scriptum est 'animaduertit aciem pro uallo Scipionis contra elephantos dextro sinistroque cornu collocatis', similiaque in reliquis codd. leguntur. Quae scriptura indicio est uerba 'contra elephantos dextro sinistroque cornu collocatis' a magistro ascripta fuisse inferioribus 'ad ipsa cornua quinis cohortibus contra bestias collocatis', ut ea uel explicaret uel immutaret, deinde autem ex margine in alienum locum translata esse. Itaque illa uerba delenda esse significaui. Sed ut, quae de legionibus Caesaris disputauimus, complectamur, decem legiones hoc bello in Africa fuisse uidimus,

quinque ueteranas, quae appellabantur quinta, nona, decima, tertiadecima, quartadecima, item quinque tironum, quarum quattuor nominabantur uicesima quinta, uicesima sexta, uicesima octaua, uicesima nona, unius nomen nescimus.

C. 61, 2 edidi 'Iamque Caesar cum exercitum intra suas munitiones reducere coepisset, subito uniuersus equitatus ulterior Numidarum Gaetulorumque sine frenis ab dextra parte se mouere propiusque Caesaris castra, quae erant in colle, se conferre coepit'. Nam ulterior equitatus Numidarum Gaetulorumque is est, quem Scipionem longius ab aduersariorum suisque copiis promouisse et ad radices collis, in quo Caesar castra habebat, appulisse c. 59, 5 relatum est. Verum hi equites in dextro Scipionis cornu erant collocati. Itaque cum se propius castra Caesaris conferrent, ut Caesarianos se recipientes circumuenirent (59, 5), non ad dextram partem se mouebant, ut in codd. scriptum est, sed a dextra Scipionis parte ad sinistram Caesaris. Deinde scribendum erat 'frenatus autem Labieni eques in loco permanere legionesque detinere', quod optimi codd. Par. sec. et Leid. pr. confirmant, quorum in altero scriptum est 'destinere' primae syllabae i littera suprascripta, in altero 'destituere'. Prohibebantur enim legiones ab equitibus, quo minus se recipere possent. Quomodo distentae sint, ut editur, hoc est in pluribus rebus simul occupatae, non intellegitur. Sequuntur haec: 'cum subito pars equitatus Caesaris cum leui armatura contra Gaetulos iniussu ac temere longius progressi paludemque transgressi multitudinem hostium pauci sustinere non potuerunt leuique armatura deserti ac pulsi conuulneratique uno equite amisso, multis equis sauciis, leuis armaturae XXVII occisis ad suos refugerunt'. Hic primum equites 'a leui armatura deserti' dicendi erant. Verum non equites a leui armatura esse desertos, sed hanc ab illis satis inde apparet, quod leuis armaturae XXVII, eques omnino unus cecidit. Itaque sic posui: 'leuique armatura deserta pulsi conuulneratique'.

Sequentia ita edebantur: 'Quo secundo equestri proelio facto Scipio laetus in castra nocte copias reduxit. Quod proprium gaudium bellantibus fortuna tribuere non decreuit. Namque postero die Caesar cum parte equitatus sui Leptim frumenti gratia misit. In itinere praedatores equites Numidas Gaetulosque ex improuiso adorti circiter centum partim occiderunt partim uiuorum potiti sunt'. Relatiuum uerbis 'proprium gaudium bellantibus fortuna tribuere non

decreuit' praemissum Iosephus Scaliger delendum significauerat: quem reprehendunt et indignabundi, cur id fecerit, requirunt. Scilicet uidebat ille relatiuo posito sententiam ad solum Scipionem referri, participio 'bellantibus' adiecto ad omnes, quicumque umquam bellum gererent. Sed relatiuo sublato coniunctio horum uerborum cum superioribus tollitur. Itaque potius 'bellantibus' delendum est. Magistro enim declarandum uidebatur, cui proprium gaudium tributum non esset. In sequentibus uerbis haec: 'frumenti gratia' non leguntur nisi in uno et altero deteriorum codd. et ne in his quidem sine discrepantia. His deletis reliqua Clarkius uidit in Vossiano codice recte ita conformata esse: 'namque Caesar cum partem equitatus sui Leptim misisset, in itinere' cett. Quae edebantur, non solum durissima, sed ne sana quidem erant. Cum enim, quid cum parte equitatus missum esset, nemo ipse intellegere posset, id necessario declarandum erat, item participio 'adorti' subiectum erat addendum.

Initium c. 63 sic edidi: 'Caesar interim celeriter per nuntios in castris, cum opera circumiret, certior factus, quae aberant a portu milia passuum sex, equo admisso omissis omnibus rebus celeriter peruenit Leptim ibique hortatur, omnes ut se naues consequerentur; [postea] ipse paruulum nauigiolum conscendit, in cursu Aquilam multitudine nauium perterritum atque trepidantem nactus hostium classem sequi coepit'. Hic de reliquis rebus non est, quod dicatur: pro illis 'postea ipse', quae leguntur in Par. sec. Leid. pr. Scal., 'primum ipse' editur, cui, quid deinceps respondeat, non uideo. 'Postea' autem moram et cunctationem infert a festinatione Caesaris alienissimam. Itaque hoc delendum significaui.

C. 66 in. haec in codd. leguntur: 'Caesar interim de insidiis Labieni ex perfugis certior factus paucos dies ibi commoratus, dum hostes cotidiano instituto saepe idem faciendo in neglegentiam adducerentur, subito mane imperat porta decumana legiones se VIII ueteranas cum parte equitatus sequi atque equitibus praemissis neque opinantes insidiatores subito in conuallibus latentes leui armatura concidit circiter D, reliquos in fugam turpissimam coniecit'. Numerum VIII legionum ueteranarum rectum non esse, supra p. 219 demonstraui. Verum paulo ante, quod Caesar 'paucos dies ibi commoratus' dicitur, peruerse 'ibi' ponitur, cum castra, quae sola intellegi possunt, longe antea, c. 65, 2, tota insidiarum declaratione interiecta, commemorentur. Atque ut hoc neglegentiae scriptoris tribueremus, in illis castris commoratum esse Caesarem ita demum recte de-

clararetur, si aut ante hanc expeditionem aut postea in iisdem castris non fuisset; quod contra est. Nam quod ipse cum parte copiarum expeditionem fecit, qua confecta eodem die in castra rediit, cum interim eadem castra teneret, nihilo minus ibi commorabatur. Neque enim aliter haec interpretari licet, nisi ut Caesaris commemoratione totum exercitum comprehendi intellegamus. Auctor scripserat 'paucos dies moratus'. Commorandi uerbum etiam b. Gall. VIII, 4, 3 pro morando in interpolatis codd. legitur. In extrema enuntiati parte offendit, quod Caesar praemissis equitibus tamen leui armatura concidisse Labienianos dicitur. Nam etsi equites quoque leuis armaturae fuisse uidimus, tamen, cum leuis armatura nulla re adiecta ponitur, semper pedites significantur. Equites autem rem gessisse sequentia docent: 'interim Labienus cum uniuerso equitatu fugientibus suis suppetias occurrit. Cuius uim multitudinis cum equites pauci Caesariani iam sustinere non possent' cett. Itaque haec ita correxi: 'subito in conuallibus latentes ex leui armatura concidit circiter D'. Nam ab Labieno leuem armaturam in insidiis positam esse extremo sup. cap. declaratum est.

C. 67 extr. Scipionem ad Aggar sex milia passuum longe a Caesaris castris consedisse, et cum uterque eadem castra teneret, c. 75 in. Caesarem progressum ab suis castris milia passuum V a Scipionis circiter duum milium interiecto spatio, c. 77 extr. autem in edd. eundem VIII milibus passuum ab suis castris, ab Scipionis uero IV milibus longe aciem instruxisse narratur. Ex his locis quo minus duobus prioribus numeros rectos existimemus, causa nulla est, cum Caesarem, quo aequiore loco aciem instrueret, ad dextram aut ad sinistram partem a suis castris discessisse probabile sit, ita ut spatium inter ipsius castra et aciem atque inter hanc et Scipionis castra longius intercederet quam inter utraque castra. Sed quemadmodum Caesar, cum sex milia passuum inter ipsius et Scipionis castra interessent, ita instruere aciem potuerit, ut ab illis octo, ab his quattuor abesset, non intellegitur. Iam quae c. 77 extr. in codd. pro quattuor milibus leguntur, aperte duo milia significant. Itaque pro VIII milibus quinque ponenda putaui deleta ternarii numeri nota, quam repetita prima littera sequentis uocabuli, quod est 'milibus', ortam esse uerisimile est. Verum postquam c. 67 extr. inter Caesaris et Scipionis castra sex milia interfuisse declaratum est, initio c. 68 haec eduntur: 'Oppidum erat Zeta, quod aberat a Scipione milia passuum X, ad eius regionem et partem castrorum collocatum,

a Caesare autem diuersum ac remotum, quod erat ab eo longe milia passuum XVIII'. Hic apertum est non potuisse inter Caesaris castra et oppidum longius spatium intercedere, quam inter castra Caesaris et Scipionis atque huius castra et oppidum intererat: id nulla re cogimur ut cum Glandorpio inter Caesaris castra et oppidum id spatium intercessisse statuamus, quod ex illis interuallis conficitur. Nam si a Caesaris castris recta regione ad oppidum peruenire licebat Scipionis castra ad alteramutram partem relinquenti, breuius interuallum erat. Itaque Leidensem pr. secutus pro XVIII milibus XIV posui; ex quo numero et XIX milia, quae in Scal. sunt, et, modo secundum antiquiorem consuetudinem XIIII scribamus, XVIIII milia, ut in Par. sec. legitur, facile oriebantur.

C. 70 extr. ita edebatur: 'Scipio interim legiones productas cum elephantis, quos ante castra in acie terroris gratia in conspectu Caesaris collocauerat, reducit in castra'. Verum soli elephanti terrorem Caesarianis inferre non poterant, neque ii tantum, sed legiones quoque in acie erant collocatae. Itaque 'quas' scripsi.

C. 78, 7 scribendum fuit: 'Caesar alteram alam mittit, qui satagentibus celeriter succurrerent'. Nam 'occurrerent', quod editur, non comprehendit id, quod hic significandum erat, subsidio equites missos esse. Itaque 'subsidio' uel 'auxilio' uel 'suppetias occurrerent' auctor scripsisset, ut facere consueuit, cum hoc uerbo in tali re utitur.

C. 80 in. haec eduntur: 'Erat stagnum salinarum, inter quod et mare angustiae quaedam non amplius mille et quingentos passus intererant; quas Scipio intrare et Thapsitanis auxilium ferre conabatur. Quod futurum Caesarem non fefellerat. Namque pridie in eo loco castello munito ibique trino praesidio relicto ipse cum reliquis copiis lunatis castris Thapsum operibus circummuniuit'. Hoc trinum praesidium nihili esse apertum est: neque in codd. ita legitur. Nam in Par. sec. et Scal. scriptum est 'III praesidio relicto', in Leid. pr. 'cohortibus tribus praesidio relicto', in deterioribus quibusdam 'magno praesidio'. Supplementum librarii, qui Leid. pr. scripsit, corrigebat Oudendorpius 'cohortium trium' ponens. Potius ipsi suppleamus 'III *legionum* praesidio relicto': nam cohortibus tribus Caesar se Scipionem retenturum sperare non poterat.

C. 85, 4 sic edidi: 'Qui postquam ad ea castra, quae petebant, perfugerunt, ut refectis castris rursus sese defenderent, ducemque aliquem requirerent, quem respicerent, cuius auctoritate imperioque

rem gererent, [qui] postquam animaduerterunt neminem ibi esse [praesidio], protinus armis abiectis in regia castra fugere contendunt'. Hic de reliquis rebus dictum est p. 17 : 'praesidio' quod eiciendum significaui, haec causa fuit. Scipionis enim legiones ad antiqua castra, quae pridie reliquerant, fugisse c. 83 extr. relatum est. Itaque ibi se praesidium inuenturos esse plane expectare non poterant. Neque uero illi praesidium requirebant, ut quos suo praesidio confisos castra reficere et se defendere uoluisse paulo ante dictum sit, sed ducem quaerebant, quem sequerentur. Deleto igitur 'praesidio' ad uerba 'neminem ibi esse' ex superioribus dux intellegendus est.

C. 86 in. haec in codd. scripta sunt : 'Caesar trinis castris potitus occisisque hostium X milibus fugatisque compluribus se recepit L militibus amissis, paucis sauciis in castra et statim ex itinere ante oppidum Thapsum constitit elephantosque LXIV ornatos armatosque cum turribus ornamentisque capit, captos ante oppidum instructos constituit'. Hic numerum interfectorum hostium correxi ex Plut. Caes. 53, qui haec refert de Caesare : *ἡμέρας δὲ μιᾶς μέρει μικρῷ τριῶν στρατοπέδων ἐγκρατὴς γεγονὼς καὶ πεντακισμυρίους τῶν πολεμίων ἀνῃρηκὼς οὐδὲ πεντήκοντα τῶν ἰδίων ἀπέβαλεν.* Nam cum auctor superiore capite retulisset omnes Pompeianos, qui in castra refugerant, crudelissime esse interfectos, nihil erat, quod numerum uero minorem poneret. Deinde 'capit', quod 'captos' praecedit, delendum esse uidit Glandorpius. Ridicule enim Caesar ante Thapsum constitisse et cum exercitu elephantos uenatus diceretur, quos in proelio captos esse ipsa res docet. Vides magistrum rhetorem. Verum numerus quoque elephantorum emendandus erat. Aduersarii enim Caesaris CXX elephantos habuerunt (c. 1, 4) : sed eos omnes Iubae fuisse inde apparet, quod 19, 5 inter regia auxilia enumerantur. Iuba uero cum contra Sittium in regnum proficisceretur, triginta tantum elephantos apud Scipionem reliquit (25, 5) : neque plures affuisse, priusquam Iuba rediret, c. 30, 2 confirmatur, ubi Scipionem uniuersis copiis productis eum numerum habuisse refertur. Cum autem Iuba rediret, XXX elephantos adduxit (48, 1), ut eum reliquos sexaginta cum Saburra contra Sittium misisse statuendum sit. Itaque c. 48, 6 Scipio uniuersas suas regisque copias cum elephantis LX produxisse dicitur. Cum plures postea non accesserint, is numerus hic quoque ponendus est : et eum proelio Thapsitano captum esse Orosius VI, 16 refert.

C. 97, 1 edebatur 'uectigalibusque regiis abrogatis ex regnoque prouincia facta'. Verum Caesarem, quem pecunia uel ma-

xime indiguisse scimus, nequaquam uerisimile est uectigalia regia sustulisse. Pro 'abrogatis' autem in Par. sec. et Cuiac. scriptum est 'togatis', in Scal. 'irrogatis', in Leid. pr. 'erogatis'. Hoc recepi atque uectigalia a Caesare exacta dici interpretor, qua significatione illud uerbum ponitur ap. Cic. ad Att. V, 21, 7. VI, 1, 21. Irrogari noua uectigalia dicuntur. Sequentia sic edebantur: 'Ibi bonis uenditis eorum, qui sub Iuba Petreioque ordines duxerant, item Thapsitanis HS uicesies, conuentui eorum HS tricesies, Adrumetinis HS tricesies, conuentui eorum HS quinquagies multae nomine imponit'. Verum in Par. sec. Leid. pr. Pet. Noru. scriptum est 'itemque Thapsitanis'. Hinc Clarkius excidisse quaedam suspicabatur. Sed id, cum omnia oppida alicuius momenti hic enumerentur, probabile non uidetur. Nam Vticae quidem commemorationem Clarkium desiderare non debuisse c. 90 ostendit. Itaque potius illud 'itemque' collocandum existimaui ante uerba 'Adrumetinis HS tricesies'. Adrumetini enim tantundem, quantum conuentus Thapsitanus, pependerunt.

Superiores commentarios de bello ciuili, Alexandrino, Africano praeter interpolationes magistri grauioris corruptelae duobus generibus affectos animaduertere licuit, ut et complura omitterentur, et oratio uerbis quibusdam in alienum locum translatis turbaretur. Prioris generis maxime insignia exempla sunt b. ciu. I, 38, 1. 39, 2. II, 29. III, 8 extr. 22, 2. 50 extr. 71 in. b. Alex. 12, 1. 22, 2. 66, 6. b. Afr. 2, 2. 7 extr. 26, 3. 41, 3. 43 in., alterius b. ciu. I, 39, 3. 64, 7. II, 5, 3. 28, 1. III, 65, 4. 101, 5. b. Alex. 36, 5. b. Afr. 54, 1. 87, 2. 97, 2. Iam commentarius de bello Hispaniensi, ad quem reliquis profligatis accedimus, praecipue illis mendorum generibus adeo corruptus est et laceratus, uix ut unam et alteram paginam integram continuare legendo liceat. Cum autem optimorum codicum scriptura plerumque ipsa aperte mendi genus demonstret, de satis multis huius libri locis hic disputandum non existimaui admonitionem et corruptelae notationem sufficere confisus. Nam mira quidem artificia, quibus Schneiderus (in specimine nouae recensionis commentariorum de bellis C. Iulii Caesaris) omnia menda defendere sibi uisus est, ut refutarem, a me impetrare non potui.

Compluribus uerbis omittendis statim ipsum libri initium deformatum est. Ibi haec eduntur: 'Pharnace superato, Africa re-

cepta qui ex his proeliis cum adolescente Cn. Pompeio profugissent, cum et ulterioris Hispaniae potitus esset, dum Caesar muneribus dandis in Italia detinetur, quo facilius praesidia contra compararet Pompeius, in fidem uniuscuiusque ciuitatis confugere coepit'. Hic primum Pharnacen superatum plane inepte commemorari, cum ea res nihil omnino ad ea, quae deinceps referuntur, pertineat, neque alios fugit neque eum, qui in Leid. pr. scripsit 'Scipione superato'. Atqui res in Hispania gestas Hirtius b. Alex. c. 48 orsus a discessu ex Hispania Caesaris uictis Afranio Petreioque et Varrone, quo loco Caesar b. ciu. II, 21 res Hispanienses reliquerat, narrauit usque ad aduentum C. Trebonii. Is autem, cum anno 48 praetor urbanus fuisset (Caes. b. ciu. III, 20), anno 47 Q. Cassio Longino in ulteriore prouincia successit: eodemque anno et Pharnaces uictus est, et Caesar Septembri uel Octobri mense Romam rediit (Cic. ad Fam. XIV, 22 et 23, ad Att. XI, 20. 21, 2). Haec consideranti una ratio apparebit, qua initio commentarii de bello Hispaniensi apte Pharnaces commemorari potuerit. Nimirum post uerba 'Pharnace superato' quaedam excidisse statuendum est, quibus declarauerat scriptor, quid Caesar, cum ex Asia redisset, de Hispania constituisset, quaeque ibi res usque ad confectum in Africa bellum accidissent. Eas res plenius reliquis scriptoribus narrauit Cassius Dio XLIII, 29: auctor belli Hispaniensis item ut res post Africam receptam usque ad aduentum in Hispaniam Caesaris gestas breuiter et summatim significauerat. Verum non saniora sunt, quae uerba 'Africa recepta' excipiunt. Nam cum Gnaeo Pompeio, qui iam initio belli Africani in insulas Baleares profectus erat (b. Afr. 23), nemo poterat Africa a Caesare recepta profugere. Quod autem Glandorpio pro Cn. Pompeio Sextus ponendus uidebatur, omni probabilitate destituitur. Id uero nequaquam casu factum arbitror, quod in Par. sec. et Vind. pr. non 'cum adolescente', sed in illo 'cum adolescentes', in hoc 'cum adolescentules' scriptum est. Hic quoque omissis quibusdam uerbis reliqua turbata esse indicio est, quod neque de illis, qui profugissent, quicquam deinceps refertur, quo ea uerba referri possint, et statim haec de Cn. Pompeio adiunguntur: 'cum et ulterioris Hispaniae potitus esset'. Nam etiamsi 'et' pro 'etiam' positum interpretemur, quod neque in Caesaris Hirtiique libris aut in bello Africano factum est neque in hoc commentario nisi hic et c. 23, 7, ubi 'et' in Leid. pr. omissum est, tamen, ut Cn. Pompeius etiam

ulteriore Hispania potitus dici posset, antea declarandum erat, quid praeterea fecisset. Denique ante uerba 'quo facilius praesidia contra compararet Pompeius' apertum est eius rei commemorationem desiderari, contra quam praesidia a Pompeio comparata sint. Ibi igitur ostenderat auctor Caesarem Fabium Maximum et Q. Pedium legatos cum exercitu misisse: et ad ea uerba etiam superiora 'dum Caesar muneribus dandis in Italia detinetur' pertinuisse uidentur.

Eiusd. c. §. 4, ubi haec leguntur de Cn. Pompeio: 'ex quibus si qua oppida ui ceperat, cum aliquis ex ea ciuitate optime de Cn. Pompeio meritus ciuis esset, propter pecuniae magnitudinem aliqua ei inferebatur causa, ut eo de medio sublato ex eius pecunia latronum largitio fieret', recte animaduertit Oudendorpius incredibile esse tanta Cn. Pompeium fuisse dementia, ut aut de se aut de patre suo optime meritos circumueniret et interficeret. Itaque 'optime de C. Caesare meritus' scribendum esse coniecit. At bene de C. Caesare meriti auctori omnino optime meriti uidebantur: illa 'de Cn. Pompeio' a magistro adiecta sunt, qui haec uerba explicare conatus turpiter errauit.

Initium c. 6 sic edebatur: 'Id cum animaduerteret aduersarios minime uelle, quos ideo a uia retraxerat, ut in aequum deduceret, copiis flumen traductis noctu iubet ignes fieri magnos: ita, firmissimum eius castellum, Ateguam proficiscitur'. Hic cum nihil supra esset significatum, a uia aduersarios a Caesare retractos esse, sed c. 4 relatum Caesarem Cordubam profectum ea re Cn. Pompeium coëgisse, ut Vliae oppugnationem dimitteret et ipse quoque Cordubam iter faceret, recte Ciacconius 'ab Vlia retraxerat' scribendum iudicauit. Verum neque ideo Caesar Pompeium ab Vlia retraxerat, ut eum in aequum deduceret, sed ut Vliam obsidione liberaret, neque 'ideo' in optimis codd. legitur, sed 'quoniam'. Atque hoc quidem recepto oratio exitum non inuenit: et sequentia postulant, ut Caesar Pompeium eadem ratione in aequum deducere uoluisse dicatur, qua eum ab Vlia retraxerat. Nam utramque rem ita efficere conatus est, ut oppida partium Pompeianarum aggrederetur atque ita eo, quo uolebat, Pompeium sequi cogeret. Itaque cum 'ut', quod ante uerba 'in aequum deduceret' ponitur, in Leid. pr. et Doru. scriptum non sit, haec ita conformanda existimaui: 'Id cum animaduerteret aduersarios minime uelle, quo eos, quomodo ab Vlia retraxerat, in aequum deduceret, copiis flumine' [ita est enim in quinque codd. Oud. et Par. sec.] 'traductis noctu iubet

ignes fieri magnos' cett. Nam 'quoniam' in codd. litteris 'qm' aut solis (Papias p. 1661 P.) aut, ut hic in Par. sec. factum est, superducta linea notatur: at easdem litteras 'qm' Probus p. 1529 et Paulus Diaconus p. 1629 P. 'quomodo' significare tradunt. Quae deinceps eduntur: 'Id cum Pompeius ex perfugis rescisset, ea die per uiarum angustias carra complura multosque lanistas retraxit', nulla ex parte optimorum codd. scripturae similia sunt. Nam in Par. sec. legitur 'rescisset qua die facultatem et angustias carra complura multos lanistos', idemque in Leid. pr. et Scal., nisi quod 'lanistas' retinere dicuntur. Lanistas hic inepte commemorari intellectum est: Lipsius 'multosque lixas', Scaliger 'multasque balistas' coniecerunt. Mihi haec ita emendanda uidentur: 'rescisset, nactus per conuallem et angustias carra complura mulos onustos retraxit', ex quibus 'mulos onustos' recipere non dubitaui.

C. 7 extr., postquam quattuor legiones Pompeii, quibus is maxime confidebat, enumeratae sunt, haec adiunguntur: 'reliquae ex fugitiuis auxiliares consistebant: nam de leui armatura et equitatu longe et uirtute et numero nostri erant superiores'. Hic leue est, quod reprehendunt, minus recte legiones ex fugitiuis consistere dici, quae constare ex iis dicendae erant. Quis enim umquam legiones auxiliares audiuit? quod hic eo ineptius est, quod his uerbis nouem legiones, quas praeter quattuor illas antea enumeratas habebat Pompeius, significantur. Quid autem auxiliaribus est cum fugitiuis? Denique quae est ista collocatio uerborum 'reliquae ex fugitiuis auxiliares consistebant'. C. 30 de copiis Pompeii haec leguntur: 'Erat acies XIII aquilis constituta, quae lateribus equitatu tegebatur cum leui armatura milibus VI: praeterea auxiliares accedebant prope alterum tantum'. Itaque illo loco, de quo diximus, aut 'auxiliares' a magistro, qui lecto initio c. 30 eorum commemorationem desiderabat, in margine ascripti et perperam inter uerba auctoris positi sunt, aut ipse auctor hic quoque auxiliares commemorauit, uerbaque eius truncata sunt.

Initio c. 8 inepte edebatur 'Accedebat huc, ut longius bellum duceret Pompeius, quod loca sunt edita et ad castrorum munitiones non parum idonea': nihil enim antea erat relatum, quo haec accessisse dici possent. Correxi igitur 'accidebat hoc', uel potius scripturam Par. sec. restitui: nam 'accedebat' plerumque pro 'accidebat' in codd. scribitur, 'hoc' autem ('h' puncto supra ascripto) in Par. sec. inuenit Beyerlius. Ostenderat auctor reliquas copias

Pompeii praeter quattuor legiones non magni momenti fuisse. Itaque, ne quis miraretur, quod Pompeius tamen bellum longius duxisset, quamobrem id accidisset, declarauit. Adiunguntur autem illis uerbis haec: 'Nam fere totius ulterioris Hispaniae regio propter terrae fecunditatem inopem difficilemque habet oppugnationem et non minus copiosam aquationem'. Hic inepte terrae fecunditatem in causa fuisse dici, ut oppugnatio inops esset et aquatio non minus copiosa, Lipsius intellexit. Nam Oudendorpius quidem non leuiter nugatur, qui ob terrae fecunditatem culturam siluarum neglectam putat ideoque res ad oppugnationem necessarias defecisse. Coniciebat autem Lipsius 'terrae infecunditatem' et deinceps 'et non nimis copiosam aquationem' scribendum esse. Verum et fecunditatem Hispaniae ulterioris Strabo et Plinius (hist. nat. III, 1, 7) laudant, neque in ea aquae copiam desideres, atque in hac parte, ubi bellum gerebatur, flumen Salsum ab auctore belli Hispaniensis commemoratur. Neque uero id solum ineptum est, quod Lipsius reprehendit, sed etiam, quod oppugnationis difficultas et non minus copiosa aquatio coniunguntur, quae res diuersissimae sunt. Itaque mihi auctor sic uidetur scripsisse: 'Nam tota fere ulterioris Hispaniae regio propter terrae fecunditatem et non minus copiosam aquationem longam difficilemque habet oppugnationem'. Terrae enim fecunditate et copiosa aquatione efficiebatur, ut obsessi neque fame neque siti facile ad deditionem compellerentur. Transponendorum autem uerborum remedio nos recte in hoc libro uti insigni documento sunt, quae c. 9 leguntur.

Extremo c. 8 relatum est in colle quodam, qui Castra Postumiana appellabatur et a Pompeii castris milia passuum quattuor aberat, Caesarem castellum constitutum habuisse. 'Quod Pompeius', inquit auctor c. 9 in., 'quod eodem iugo tegebatur loci natura et remotum erat a castris Caesaris, animaduertebat loci difficultatem et, quia flumine Salso intercludebatur, non esse commissurum Caesarem, ut in tanta loci difficultate ad subsidium mittendum se committeret'. Sic enim extrema uerba emendanda erant, cum in omnibus fere codd. legeretur 'ad subsidium committendum se mitteret': in uno cod. Vrsini scriptum est, quod editur, 'ad subsidium submittendum se mitteret', in Pet. et Noru. effectum est 'ad subsidium ueniret'. Iam Glandorpius coniecerat 'ad subsidium submittendum se committeret'. Reliqua, ut posui, scripta sunt in Par. sec. et, ut puto, in Vind. pr., cum Schneiderus quo-

que ita ediderit, leniter in quibusdam rebus reliquis bonis discrepantibus. Schneiderus 'quod' illud initio positum particulam esse iudicauit et uerba sequentis §. 'ita fretus opinione tertia uigilia profectus castellum oppugnare coepit' superioribus adiunxit, ut apodosin efficerent. Verum hac ratione uerba 'et remotum erat', quae ad castellum extremo superiore capite commemoratum referenda sunt, duritie ne in hoc quidem libro tolerabili inferuntur. Potius 'quod' illud pronomen esse existimaui et auctorem, cum initio constituisset uerbo 'animaduertebat' aliquid adiungere accusatiuo relatiui accommodatum, deinde interiectis quibusdam institutam orationis formam deseruisse. Hoc igitur dicit scriptor: Ad quod castellum quod attinebat, Pompeius, quod ipse eodem iugo tegebatur, in quo castellum erat positum, et quod castellum remotum erat a castris Caesaris, animaduertebat loci difficultatem, neque Caesarem, cum flumine Salso intercluderetur, suis subsidio uenturum existimabat. Ita enim, 'existimabat', auctori scribendum fuisse sequentia docent, sed more suo neglegenter haec quoque ad uerbum 'animaduertebat' retulit. Verum sequuntur haec: 'Ita fretus opinione tertia uigilia profectus castellum oppugnare coepit, ut laborantibus succurreret. Nostri, cum appropinquassent, clamore repentino telorumque multitudine iactus facere coeperunt, uti magnam partem hominum uulneribus afficerent. Quo peracto cum ex castello repugnare coepissent, maioribusque castris Caesari nuntius esset allatus, cum III legionibus est profectus: et, cum ad eos appropinquasset, fuga perterriti multi sunt interfecti, complures capti' cett. At Pompeius, cum castellum Caesaris oppugnaret, nullo modo id facere poterat, ut laborantibus succurreret. Nam laborantes partium Pompeii solos, qui Ateguae a Caesare obsidebantur, intellegere possumus, quamquam id ipsum uix fieri potest, cum ii antea omnino non sint commemorati. Verum ne his quidem oppugnando castello succurrebat Pompeius, cum castellum ab oppido et castris Caesaris, quibus id obsidebatur, remotum esset atque ultra flumen Salsum positum, id quod paulo ante relatum est. Neque magis 'nostri' sequentibus uerbis conuenit. Neque enim Caesariani appropinquarunt, ut qui in castello essent, neque eos clamorem sustulisse et iactus facere coepisse, sed Pompeianos proxima docent: 'Quo peracto cum ex castello repugnare coepissent'. Itaque illa uerba 'ut laborantibus succurreret nostri' una littera adiecta, ut 'nostris' scriberem, collocaui post uerba 'cum tribus legionibus est profectus'.

Ibi cum excidissent et in margine essent suppleta, errore superiore loco posita sunt, quia, ut altero uerba 'et cum ad eos appropinquasset', ita priore 'cum appropinquassent' legebantur.

Initium c. 12 sic edebatur: 'Postero die ex legione uernacula milites sunt capti ab equitibus nostris II, qui dixerunt se seruos esse. Cum uenirent, cogniti sunt a militibus: qui antea cum Fabio et Pedio fuerant et a Trebonio transfugerant'. Hic extrema uerba necessario maiore distinctione a superioribus separanda sunt, ut feci, et de duobus militibus legionis uernaculae intellegenda, qui a Caesarianis capti erant. Nam in Caesaris exercitu ii, qui a Trebonio, legato Caesaris, transfugerant, esse non poterant. Verum ne illa quidem ratione ea uerba tueri licet. Nam cum Fabium et Pedium aliquantum post Trebonium a Caesare in Hispaniam missos esse constet, qui a Trebonio transfugerant, numquam cum Fabio et Pedio fuisse apertum est: et utramque legionem uernaculam a Trebonio transfugisse auctor c. 7, 4 retulit: 'duae fuerunt uernaculae, quae a Trebonio transfugerant'. Si in omnibus codd. ita scriptum esset, ut supra posui, non posset dubitari, quin uerba 'a Trebonio transfugerant' ex hoc ipso loco c. 7, quem modo ascripsi, male hic illata essent. Sed cum in Leid. pr. legatur 'et cum Trebonio transfugerant', in Par. sec. 'et Trebonio transfugerant', uerbis 'et Trebonio' retentis solum 'transfugerant' interpolatum iudicaui. Hoc sublato minore distinctione post 'militibus' posita uerba 'qui cum Fabio et Pedio fuerant et Trebonio' referenda sunt ad proximum 'militibus'. Nam cum c. 7, 4 h. libri praeter duas uernaculas, quarum altera accuratius secunda appellabatur, nullae legiones a Trebonio transfugisse dicantur, tricesimam et uicesimam primam, quae praeter illas in ulteriore prouincia fuerunt (b. Alex. 53, 6: nam quintam Caesar secum in Africam duxerat, uid. har. qu. p. 218 sqq.), in fide mansisse apparet. Eae igitur postea in Pedii quoque et Fabii exercitu fuerant: et militibus earum legionum, cum Q. Cassio Longino pro praetore ulteriorem Hispaniam obtinente una cum uernaculis meruissent, uernacularum legionum milites noti erant.

Eodem capite inde a §. 5 haec leguntur: 'Praeterito noctis tempore eruptionem ad legionem VI fecerunt, cum in opere nostri distenti essent, acriterque pugnare coeperunt: quorum uis repressa a nostris, etsi oppidani superiore loco defendebantur. Hi cum eruptionem facere coepissent, tamen uirtute militum no-

strorum, [qui] etsi inferiore loco premebantur, tamen repulsi aduersarii bene multis uulneribus affecti in oppidum se contulerunt'. Hic quod in codd. scriptum est 'l. cum eruptionem' cett., idem mendum etiam b. Afr. 87, 3 inuenitur, et b. ciu. II, 41, 4 in Par. sec. legitur 'sed hi erant numero CC, reliqui in itinere substiterant. L. Hi quamcumque in partem impetum fecerant', qui tamen locus docet b. Afr. 87, 3 et b. Hisp. 12, 5, quo de loco agimus, non 'ii', ut editur, sed 'hi' ponendum fuisse, quod per se ipsum quoque probabilius est. Deinde 'qui', quod ante 'etsi' legitur, recte Scaliger tollendum significauit, sed idem ultra necessitatem etiam alterum 'tamen' et 'aduersarii' deleri uolebat. Quod uero Clarkio post 'qui' quaedam excidisse uisa sunt, eam suspicionem hic non admiserim. Etenim, quod a nullo animaduersum mirere, manifestum est inde a uerbis 'Hi cum eruptionem facere coepissent' immutatis paulum uerbis et forma orationis plane eadem dici, quae proximis superioribus erant narrata: quod incredibile est auctorem facere uoluisse. Et tamen, cum in his satis multa scriptori propria legantur, 'aduersarii', 'bene multis', 'uulneribus affecti', de quibus dixi p. 24 et 27, a magistro haec adiecta esse non arbitror, sed ipsum scriptorem utramque enuntiationem posuisse et siue dubitantem, utram relinqueret, neutram delesse siue, cum ipse alteram utram delendam notauisset, hanc rem a librariis praetermissam esse.

C. 13 restituta optimorum codd. scriptura duobus locis lacunam notaui in hunc modum: 'glans missa est inscripta, quo die ad oppidum capiendum accederent, se scutum esse positurum. Qua spe nonnulli, dum sine periculo murum ascendere et oppido potiri posse se sperant, postero die ad murum opus facere coeperunt et bene magna prioris muri parte deiecta ...... Quo facto ab oppidanis, ac si suarum partium essent, conseruati ...... missos facere loricatos, qui praesidii causa praepositi oppido a Pompeio essent, orabant. Quibus respondit Caesar se condiciones dare, non accipere consueuisse. Ibi cum in oppidum reuertissent, relato responso clamore sublato omni genere telorum emisso pugnare pro muro toto coeperunt'. Et priore quidem loco uel forma orationis quaedam excidisse demonstrat. Sed operae pretium est luculento exemplo ostendere optimorum codicum indicia non impune contemni. Etiamsi enim illa obscurentur, quemadmodum factum est, ut 'pars deiecta est' scriberetur (poterat autem aliquanto callidius

'pars est deiecta'), necessario tamen, ut proxima adiungi possent, declarandum erat, qua ratione milites illi Caesariani, qui partem muri deiecerant, in potestatem oppidanorum peruenissent. Alterum defectum, quem post 'conseruati' notaui, sola quidem sententia, sed apertissime indicat. Nam neque milites Caesarianos ab oppidanis conseruatos probabile est Caesarem orasse, ut praesidium Pompeianum dimitteret, et, ut hoc ita factum esset, certe dicendum erat, quem orassent, itemque oppidanos dedendi oppidi consilium cepisse et captos milites Caesarianos remisisse iisque mandasse, ut condiciones dedendi oppidi ad Caesarem perferrent. Verum oppidanos per legatos ex suo numero condiciones perferendas curasse inferiora docent 'Ibi cum in oppidum reuertissent': neque enim Caesarianos milites ab oppidanis dimissos cum Caesaris responso, quod refertur, in oppidum regressos esse credibile est. Lacunam autem inde ortam existimo, quod scriptum erat 'conseruati missique sunt facti', ita ut hinc ad uerba 'missos facere' aberraretur.

In extremis uerbis c. 14 'Qui cum aliquo loco a nostris recepti essent, ut consuessent, ex simili uirtute clamore facto auersati sunt proelium facere' coniunctiuus 'consuessent' tolerari nequit; sed, quomodo haec emendanda sint, non reperio. Cetera tamen recta sunt. Nam uerba 'ex simili uirtute' per irrisionem dicuntur. Vt enim Pompeiani, cum cedentibus Caesarianis longius progrediebantur, uirtutem sine periculo simulabant, ita, cum congrediendi copia esset, forti clamore ignauiam tegebant, sed congressum abnuebant.

Prior pars c. 15 interpolando corrupta est. Prima uerba haec sunt: 'Fere apud exercitus haec est equestris proelii consuetudo: cum eques ad dimicandum dimisso equo cum pedite congreditur, nequaquam par habetur. Id quod in hoc accidit proelio'. Verum quod supra demonstratum est, nequaquam in eo proelio accidit, quod deinceps refertur, sed plane contrarium. Cum enim equites Caesariani cum peditibus Pompeii congressi ex equis descendissent, ea re uicisse Pompeianos dicuntur. Neque equitem pediti parem esse habitum ex Caes. b. Gall. V, 16, 2 perspicitur, qui equites suos magno cum periculo cum essedariis Britannorum dimicasse refert, propterea quod hi ex essedis desilirent et pedibus dispari proelio contenderent. Itaque illa 'dimisso equo' magistro accepta tuli, ut ap. Caes. b. ciu. III, 69, 4 'dimissis equis'.

Et ne a proximis quidem idem homo se abstinuit. ‘Cum pedites leui armatura lecti ad pugnam equitibus nostris necopinantibus uenissent, idque in proelio animaduersum esset, complures ex equis descenderunt. Ita exiguo tempore eques pedestre, pedes equestre proelium facere coepit’ cett. Cum equites Caesariani ex equis descendissent, sane fiebat, ut ii pedestre proelium facerent; pedites quidem quomodo equestre proelium fecerint, plane intellegi nequit. Verba ‘pedes equestre’ aeque inepte interpolata sunt, atque b. Afr. 59, 2, cum auctor mediam aciem simplicem uisam esse dixisset, magister in cornibus duplicem existimatam esse adiecit.

C. 16, 2 haec in codd. leguntur: ‘Ita igne telorumque multitudine iacta cum bene magnam partem muri consumpsissent’. Hic murus necessario uallum Caesaris, quo circumdata erat Ategua, dici existimandus esset. Is uero neque per se recte murus appellatur, et hic eo minus id a scriptore factum esse credibile est, quod uallum contra murum oppidi structum erat. Itaque ‘bene magnam partem temporis’ posui. Similia leguntur c. 12, 4 ‘ignem multum telorumque multitudinem iactando bene magnum tempus consumpserunt’. Ex ‘temporis’ factum est ‘muri’, cum ‘tempuris’ scriptum esset, et librarius alteram partem superioris uocabuli iterare neglexisset. Contrario errore apud Tac. ann. IV, 13 scriptum est ‘ob atrocitatem temporum’, cum deberet ‘ob atrocitatem morum’, ut recte Lipsius emendauit.

Orationem Tullii legati, quae c. 17 legitur, sic constitui: ‘Vtinam quidem dii immortales fecissent, ut tuus potius miles quam Cn. Pompeii factus essem et hanc uirtutis constantiam in tua uictoria, non in illius calamitate praestarem. Cuius funestae laudes quoniam ad hanc fortunam reciderunt, ut ciues Romani indigentes praesidii ..... et propter patriae luctuosam perniciem dedimur hostium numero, qui neque in illius prospera acie primam fortunam, neque in aduersa secundam obtinuimus [uictoriam]’. Hic iis, quibus ipsa codd. scriptura non demonstrabit post uerba ‘indigentes praesidii’ quaedam deesse, uerbis persuadere non conabor. Sed ‘uictoriam’ ideo delendam significaui, quod ineptissime Tullius, cum partes, quas secutus erat, uincerentur, sibi uictoriam contingere flagitaret. Queritur ille, quod, cum rebus Pompeii prospere fluentibus ipse et ciues sui primum locum gratiae apud Pompeium non tenuissent, in aduersa fortuna non secundus locus, hoc est remotior a periculis iis tribueretur, sed obsessi maximas ex

omnibus calamitates perferrent. Sequuntur haec: 'Qui legionum tot impetus sustentantes, nocturnis diurnisque temporibus gladiorum ictus telorumque missus expectantes, relicti et deserti a Pompeio, tua uirtute superati salutem a tua clementia deposcimus, petimus, ut qualem ..... gentibus me praestiti, similem in ciuium deditione praestabo'. 'Nocturnis diurnisque temporibus' scripsi pro 'operibus', quae ut tolerari possent, haec uerba superioribus erant adiungenda: operibus enim expectari nihil potest. Verum sequentia ne inepta sint, adiungi aliquid, quo augeantur, necesse est: nam gladiorum ictus et telorum missus in bello quis miles non expectat? Deinde 'relicti et deserti a Pompeio' ponendi erant: cum enim 'uicti et deserti' dicuntur, ut editur, peruerse deinceps 'tua uirtute superati' inferuntur, tamquam inter uictos et Caesaris uirtute superatos nescio quod discrimen intercederet. Ceterum nisi lubricum esset in loco manco aliquid de forma orationis constituere, praeoptarem 'sustentamus' et 'expectamus', ut enuntiatio primaria a uerbis 'relicti et deserti' inciperet. Sed inter uerba 'qualem' et 'gentibus' uel post hoc uocabulum finem orationis Tullii et initium responsi Caesaris perisse manifestum est. Vt illa uerba edidi, in Par. sec. leguntur, neque, quin reliqui boni consentiant, dubito, etsi de codicibus neglegenter relatum est. Etenim ante Dauisium haec sic edebantur: 'petimusque, ut, qualem te gentibus praestitisti, similem in ciuium deditione praestes', atque ita in suis codd. Oudendorpius legi refert, cui de Leid. pr. non credo, etsi pro illo 'praestes' eum 'praestari' exhibere ait, quod mihi in eo codice pro Parisini secundi 'praestabo' scriptum esse certum est. Sed illis uerbis Dauisius ex codice Thuaneo Goduini haec adiecit, quae in Regio quoque Clarkius se inuenisse ait: 'Et qualem, ait, gentibus me praestiti, similem in ciuium deditione praestabo'. Nimirum neque in codice Thuaneo neque in Regio haec uerba superioribus addi, sed pro illis poni, codex pessimus Parisinus numero 5768 saec. XIV demonstrat, qui quin ipse ille Thuaneus Goduini sit, dubium non est. In eo enim haec ita scripta sunt: 'salutem a tua clementia deposcimus petimusque. Et qualem, ait, me gentibus praestiti, similem in ciuium deditione me praestabo'. Itaque quae inde a Dauisio hoc loco edita sunt, nullius codicis auctoritate nituntur, sed duobus diuersis emendandi conatibus conglutinatis effecta sunt. In quibus ne id reprehendam, quod tamquam infans et elinguis Caesar extrema tantum Tullii uerba

repetit, quae res scriptori tribui potest, etsi non absurda Tullii oratio eum certe sententias orationum re uera habitarum expressisse demonstrat, — sed quis tandem scriptor aetatis quidem paulo antiquioris exteras nationes nulla re adiecta gentes appellauit?

Initio c. 18 ne uestigium quidem sententiae relictum esse manifestum est. Temere igitur Glandorpius, quod hic nescio qui C. Antonius commemoratur, initio c. 17 pro Catone Lusitano C. Antonium ponendum coniecit. Atque Schneiderus, homo cautissimus, cum id nomen ibi in duobus deterioribus codd., Dresd. pr. et Vind. sec., scriptum inuenisset, recipere non dubitauit, etsi eum, cui uel corruptissima sana uidentur, initium c. 18 integrum existimare non sustinuisse signa lacunae indicio sunt, quae inter Tiberium et Tullium posuit. Mihi ut locum mancum esse certum est, ubi defectus acciderit, non uidetur definiri posse.

C. 18, 4 sic edidi: 'Seruus, cuius dominus in Caesaris castris fuisset (uxorem et filios in oppido reliquerat), dominum iugulauit et ita clam a Caesaris praesidiis in Pompeii castra discessit et indicium glande scriptum misit, per quod certior fieret Caesar, quae in oppido ad defendendum pararentur. Ita litteris acceptis, cum in oppidum reuertisset, qui mittere glandem inscriptam solebat ...... Insequenti nocte duo Lusitani fratres transfugae nuntiarunt, quam Pompeius contionem habuisset' cett. Hic primum mirum uideri potest seruum illum in castris Pompeii comperire potuisse, quae in oppido ad defendendum pararentur, cum oppidum Caesaris munitionibus esset circumdatum. Verum tamen, cum c. 16 in. legamus tabellarium a Pompeio missum in oppidum peruenisse, per huiusmodi occasiones seruum ea, quae Caesarianis enuntiabat, cognouisse statuendum est. Deinceps 'reuertissent' et 'solebant' edebatur, et, quae hoc uerbum sequuntur, superioribus coniungebantur. Sed Lusitanos fratres ex castris Pompeii transfugisse apparet: qui glandem inscriptam mittere solebant, in oppidum reuertisse dicuntur; et ne plures quidem glandem misisse usquam relatum est, sed unum illum seruum. In Par. sec. et tribus deterioribus codd. scriptum est 'reuertisset'. Hoc recepto Schneiderus reliqua seruauit, ut antea uulgabantur. Videtur igitur uerba 'cum in oppidum reuertisset' ad seruum retulisse, altera 'qui glandem inscriptam mittere solebant' ad fratres Lusitanos. Sed, ut iam dixi, unus seruus glandem miserat, neque uideo, quid reditus serui in oppidum ad transfugium Lusitanorum pertineat, aut, quem-

admodum aut hi aut seruus litteras accepisse dici potuerint. Itaque 'solebat' scripsi et inferiora lacuna significata separaui. Litterae dicuntur, quae seruus glandi inscripserat, easque Caesariani accepisse intellegendi sunt, sed uerba, ad quae haec pertinebant, perierunt. Seruum autem ex castris Pompeii in oppidum reuertisse ex c. 20, 3 perspicitur, ubi haec referuntur: 'Hoc praeterito tempore in oppido, quod fuit captum, seruus est prensus in cuniculo, quem supra demonstrauimus dominum iugulasse: is uiuus est combustus'.

C. 21, 2 haec in codd. scripta sunt: 'Et eo tempore circiter XI equites ad aquatores nostros excucurrerunt, nonnullos interfecerunt, item alios uiuos abduxerunt: e quibus capti sunt equites VIII'. 'E quibus' scriptum est in Par. sec. et Leid. pr., idemque Schneiderus consensu, ut arbitror, Vindobonensis primi ductus posuit: antea edebatur 'ex equitibus'. Illud ad aquatores Caesarianos refertur, similiterque haec dicta sunt atque b. Alex. 18 extr. 'multi tamen ex iis capti interfectique sunt, sed numerus captiuorum omnino fuit sexcenti'. Verum equites Pompeianos, qui nonnullos interfecerunt, octo uiuos abduxerunt, plures quam undecim fuisse necesse est. Itaque equidem non dubitaui 'XL equites' ponere.

C. 22, 1 in Par. sec. et Leid. pr. haec scripta sunt: 'Hoc praeterito tempore qui in oppido Ategua Bursauonenses capti sunt, legati profecti sunt cum nostris, uti rem gestam Bursauonensibus referrent', nisi quod in Par. sec. et 'codd.' Oud. pro 'Ategua' legitur 'Articula'. Antea edebatur 'Bursauolenses' et 'Bursauolensibus', cuius nominis oppidum in Hispania nemo commemorat: Schneiderus optimorum codd. scripturam restituit. Verum ne Bursauonenses quidem hic commemorari poterant. Ii enim, ut ex Plin. hist. nat. III, 3, 24 apparet, qui Bursaonenses appellat, in Hispania citeriore cis Iberum positi erant, quam omnem regionem Caesar tenebat. Recte Ciacconius et Glandorpius Vrsaonenses ponendos dixerunt, quos auctor hui. lib. c. 26. 41. 28, ubi in codd. legitur 'Versaonensium', commemorat et in partibus Pompeii fuisse ostendit: idemque oppidum Plinius quoque hist. nat. III, 1, 12 et Strabo III p. 208 Alm. in hac regione ulterioris prouinciae, ubi bellum gerebatur, positum fuisse demonstrant. Ego tamen Vrsauonenses scripsi, cum Vrso, Vrsao, Vrsauo aeque recte dicantur, item ut Vrgao et Vrgauonenses. Refertur igitur, cum

legati ad oppidum uenissent, solos Vrsaonenses ausos introire. Qui cum mandatis peractis ad Caesarianos, qui ante oppidum manserant, redirent, oppidanos praesidio insecutos legatos trucidasse. Deinde haec leguntur §. 3: 'Duo reliqui ex eis fugerunt, Caesari rem gestam detulerunt et speculatores ad oppidum Ateguam miserunt. Qui cum certum comperissent legatorum responsa ita esse gesta, quemadmodum illi retulissent, ab oppidanis concursu facto eum, qui legatos iugulasset, lapidare et ei manus intentare coeperunt'. Verum apertum est non duos illos legatos speculatores Ateguam misisse (quo quid cogitari ineptius potest?), sed Vrsaonenses, ut certum comperirent, num Ategua a Caesare capta esset. Itaque post uerbum 'detulerunt' quaedam excidisse notandum erat. Ceterum uerba 'legatorum responsa' Scaliger eicienda significauit, quod, si in alio scriptore uersaremur, sine ulla dubitatione probarem. Sed aliis locis non magis proprie huius libri auctorem locutum esse p. 26 ostendi.

C. 24, 2 haec leguntur: 'Pompeius cum animaduerteret castello se excludi Aspauia, quod est ab Vcubi milia passuum V, haec res necessario deuocabat, ut ad dimicandum descenderet, neque tamen aequo loco sui potestatem faciebat, sed ex grumo excelsum tumulum capiebat, usque eo, ut necessario cogeretur iniquum locum subire'. Verum primum eo, quod Pompeius excelsum tumulum capiebat, nullo modo effici poterat, ut ipse cogeretur iniquum locum subire, quam rem iis euenturam fuisse apparet, qui Pompeium tumulum illum obtinentem aggrederentur. Deinde, quae statim adiciuntur: 'Quo de facto cum utrorumque copiae tumulum excellentem petissent, prohibiti a nostris sunt, deiecti planitie', ne cepisse quidem tumulum Pompeium demonstrant, sed capere uoluisse, neque id eum fecisse ex grumo, quod ita demum recte diceretur, si tumulus in grumo positus fuisset, sed ex planitie. Itaque post uerba 'ex grumo' nonnulla perisse significaui. Fuerunt autem eo loco haec fere declarata: inter utramque aciem excelsum tumulum fuisse; uter eum cepisset, eum aduersarios iniquum locum subire coacturum fuisse. Eiusd. c. §. 5 sic edidi: 'Vndique cedentibus aduersariis non parum magna in caede uersabantur. Quibus mons, non uirtus saluti fuit subsidio. Quod nisi aduesperasset, a paucioribus nostris omni auxilio priuati essent'. Editur uulgo 'quo subsidio, nisi aduesperasset, a paucioribus nostris omni auxilio priuati essent'. Verum qui fieri potest, ut uerbis 'quo subsidio' su-

peraddantur altera 'omni auxilio'? Itaque, cum in Par. sec. scriptum sit 'quod subsidio', illud uocabulum huic postposui. Similiter auctor scripsit c. 40, 8 'quae res eorum uitae fuit subsidio'.

C. 25, 2 eodem modo scripsi atque Schneiderus: 'Cum nostri in opere essent, equitum copiae concursus facere coeperunt, simulque uociferantibus legionariis, cum locum efflagitarent ut consueti insequi existimare posses paratissimos esse ad dimicandum, nostri ex humili conualle bene longe sunt egressi' cett. Nam scriptura Par. sec. 'existimare posse speratissimos esse' et Leid. pr., in quo eadem scripta sunt omisso tamen 'esse', satis aperte 'existimare posses paratissimos esse' significant. Longe tamen absum, ut illa uerba hac ratione in integrum restituta credam, quod Schneiderus minore distinctione post 'insequi' et maiore post 'dimicandum' posita se assecuturum sperasse uidetur. Ridicule enim legionarii locum efflagitarent, quod se consuetos esse insequi dicerent. Ea enim omnium, ni fallor, consuetudo erat, siquidem uicissent. Et longe uerisimilius est Caesarianos uociferatos esse, cum Pompeiani, quos Schneiderus id fecisse statuit, initio capitis praeter equites nullo loco aequo se commisisse dicantur.

Quae inde a §. 6 eiusdem capitis leguntur, ita exhibui, ut in Par. sec. et reliquis optimis codd. scripta sunt. In quibus ipsa codd. scriptura manifesto duas lacunas aperuit, unam ante uerba 'quorum pugna esset prope profecto dirempta', alteram ante inferiora 'castra constituit'. Praeterea uerba 'ita auidi cupidique suarum quisque ex partium uirorum fautorumque uoluntas habebatur' omni sententia destituta sunt. Satis autem multa hic desiderari facile est intellectu. Nam postquam §. 4 relatum est Antistium Turpionem Pompeianum et Q. Pompeium Nigrum Caesarianum ad singulare certamen utrimque esse progressos, de ipso certamine eorum ne uerbum quidem legimus. Deinde initio c. 26 narratur Caesarem turmam Cassianam et leuem armaturam ob uirtutem praemiis affecisse, quarum illa antea ne commemoratur quidem, haec commemoratur c. 25, 7, sed qua in re fortiter fecerit, nihil traditur. Neque §. 7 uerba 'ut supra demonstrauimus' quicquam habent in superioribus, quo referri possint, ubi tamen probabile est 'equitum congressum' scribendum esse, et haec ad proelium equestre pertinere, quo scriptor turmam Cassianam insignem uirtutem praestitisse narrauerat.

C. 29 in. haec edebantur: 'Planities inter utraque castra in-

tercedebat circiter milia passuum V, ut auxilia Pompeii duabus defenderentur rebus, oppidi excelsi et loci natura'. Hic oppidi excelsi naturam nullam aliam interpretari licet, quam excelsum oppidi situm, ita ut his uerbis eadem res atque proximis, 'loci natura', demonstretur. At scriptor non una re, sed duabus Pompeium defensum esse declarare uolebat. Eae quae essent, et supra c. 28, 4 ostendit his uerbis: 'etenim et natura loci defendebatur et ipsius oppidi munitione, ubi castra constituta', et hui. cap. §. 8 haec scripsit de Pompeianis: 'neque tamen illi a sua consuetudine discedebant, ut aut ab excelso loco aut ab oppido discederent'. Itaque edidi 'oppido et excelsi loci natura'. Nam quod Clarkius scribendum coniecit 'oppido excelso et loci natura', ita id, quod reprehendimus, non tollitur, cum uerbis 'oppido excelso' non munitio, sed situs oppidi significetur. Verum plane peruerse auxilia Pompeii his duabus rebus defensa dicuntur, id quod toti aciei Pompeianae contigisse apparet. Mihi non est dubium, quin auctor 'praesidia Pompeii' posuerit, quemadmodum c. 30, 1 aciem Caesaris 'nostra praesidia' appellauit: magister autem pro sua consuetudine praesidiis uocabulum affinis significationis, sed in hac re ineptum substituit. Sequuntur haec: 'Hinc dirigens proxima planities aequabatur. Cuius decursum antecedebat riuus, qui ad eorum accessum summam efficiebat loci iniquitatem: nam palustri et uoraginoso solo currens erat dextram'; quae mihi sana uidentur, etsi parum proprie et perspicue ab auctore scripta. Ab excelso loco, in quo oppidum erat positum, planities proxima direxisse, hoc est recta regione propagasse, et in ea re ipsa aequata esse dicitur. Decursus autem planitiei discessus eius a monte intellegendus est. Monti enim propinquum fuisse riuum et proxima et, quae extremo capite leguntur, demonstrant. Neque uero uerba 'currens erat' coniungenda sunt, sed flumen illud, quod uoraginoso solo currebat, ad dextram positum fuisse dicitur. Proxima sic edebantur: 'Et Caesar, cum aciem directam uidisset, non habuit dubium, quin media planitie in aequum ad dimicandum aduersarii procederent. Hoc erat in omnium conspectu. Huc accedebat, ut locus illa planitie equitatum ornaret et diei solisque serenitas, ut mirificum et optandum tempus prope ab diis immortalibus illud tributum esset ad proelium committendum'. Initio horum uerborum, cum in omnibus codd. Oudendorpii et Par. sec. non 'et', sed 'id quod' scriptum esset, 'itaque Caesar' edidi. In inferioribus uerbis reprehendere pos-

sem, quod locus illa planitie ornasse equitatum diceretur, qui ei accommodatus uel secundus dicendus erat: neque diei solisque serenitas equitatum magis quam reliquas copias ornabat. Verum haec omitto, id intolerabile est, scriptorem postulare, ut Pompeiani in planitiem descenderent, quia ea secunda esset equitatui, quo genere copiarum c. 7 extr. Caesarem longe superiorem fuisse declarauit. In Par. sec. et Leid. pr. scriptum est 'serenitatem', in hoc praeterea 'equitatem', hoc est 'aequitatem'. Inde haec ita emendaui: 'Huc accedebat, ut locus illa planitie aequitatem ornaret diei solisque serenitate'. Hoc dicit scriptor: locus illa planitie aequus erat, ea autem aequitas solis splendore maiorem speciem accipiebat. Quod aequitatem ab ipso loco ornatam dixit, cum aequitatem loci ornatam dicere deberet, simile est planitiei proxima dirigenti hui. c. §. 2 et balistae missae c. 13 extr. 'Et' particula, quae post 'ornaret' legitur, aut proximis superioribus litteris male repetitis orta est, aut a librariis, postquam 'serenitatem' scripserant, sarciendae orationis causa adiecta. Neque enim per particulas 'et' eique respondentem 'que' duo nomina componi Maduigius ad Cic. de fin. p. 730 demonstrauit. Nam b. Alex. 44, 5, ubi haec leguntur: 'quem tamen diutius in rebus secundis et fortuna, quae plurimum potest, diligentiaque Cornificii et uirtus Vatinii uersari passa non est', etsi aptius uideri potest ex altera parte fortunam, ex altera duorum hominum diligentiam atque uirtutem collocari, tamen non sine causa Hirtius fortunam Cornificiique diligentiam coniunxit et ab his uirtutem Vatinii separauit. Cum enim de hac deinceps esset dicturus, ea re consequebatur, ut uirtus Vatinii orationis pondere insigniretur, legentesque iam tum ad hanc potissimum animum attenderent.

C. 30 extr. demonstratur Mundensi proelio Caesarem dextro cornu legionem decimam, sinistro tertiam et quintam et in eodem cornu et reliqua auxilia et equitatum collocasse. Id eum hac de causa fecisse apparet, quod ad dextram aciei partem riuus erat palustri et uoraginoso solo currens (c. 29, 2), quae res equitatum ad rem gerendam inutilem fecisset. Sed c. 31, 4 haec edebantur: 'Dextrum demonstrauimus decumanos cornu tenuisse: qui etsi erant pauci, tamen propter uirtutem magno aduersarios timore eorum opera afficiebant, quod a suo loco hostes uehementer premere coeperunt, ut ad subsidium, ne ab latere nostri occuparent, legio aduersariorum traduci coepta sit ad dextrum. Quae simul est

mota, equitatus Caesaris sinistrum cornu premere coepit. At ii eximia uirtute proelium facere incipiunt, ut locus in acie ad subsidium ueniundi non daretur'. Hic Glandorpius intellexit, cum legio decima dextro Caesaris cornu collocata sinistrum Pompeianorum cornu premeret, legionem a Pompeianis non ad dextrum, sed ad sinistrum cornu traductam esse, itemque equites Caesaris sinistro cornu collocatos non sinistrum, sed dextrum Pompeianorum cornu pressisse. Idem prius mendum recte sustulit, ita ut 'a dextro' scribendum diceret, alterius neque ipse neque Schnellius probabile remedium inuenit: hic enim 'dextrum cornu premere coepit', Glandorpius 'equitatus Caesaris, qui sinistrum cornu tenebat, premere coepit' proposuit. Sufficiebat leni correctione 'sinistro cornu' scribere. Proxima in Par. sec. Leid. pr. Scal. sic scripta sunt: 'ita uti eximia uirtute proelium facere possent, ut' (de Vind. pr. hoc unum traditur, eum 'possunt' exhibere), et in Par. sec. et Leid. pr. 'in aciem' legitur. Itaque suspicionem Oudendorpii secutus 'possent' delendum significaui et totum locum ita conformaui: 'Quae simul est mota, equitatus Caesaris sinistro cornu premere coepit: at illi eximia uirtute proelium facere, ut locus in aciem ad subsidium ueniundi non daretur'. 'Illi' et necessarium est, ut haec ad decumanos referri possint, et propius ad codicum scripturam accedit. 'Ita', quod in codd. legitur, duabus postremis litteris uerbi 'coepit' male repetitis ortum est. 'Possent' autem, cum errore 'ita uti' scriptum esset, ad supplendam orationem adiectum est.

Quae initio c. 32 de uallo referuntur, quo Caesariani post pugnam oppidum Mundam circumdederunt, sic edebantur: 'Ex hostium armis pro cespite cadauera collocabantur, scuta et pila pro uallo, insuper occisi et gladii et mucrones et capita hominum ordinata ad oppidum conuersa uniuersa hostium timorem, uirtutisque insignia proposita uiderent et uallo circumcluderentur aduersarii, ita Galli tragulis iaculisque oppidum ex hostium cadaueribus sunt circumplexi, oppugnare coeperunt': in quibus uerbis tribus locis defectus signa ponebantur, ante uerba 'insuper occisi' et 'proposita uiderent' et 'ita Galli'. Verum primum omnium apertum est inepte cadauera 'ex hostium armis' collocata dici; deinde, cum cadauera pro cespite collocata esse declaratum esset, male deinceps repeti insuper occisos ordinatos esse. Neque in optimis codd. 'occisi et gladii et mucrones et capita' legitur, sed in Par. sec. scriptum est 'et gladio ut mucro et capita', in Leid. pr. 'in gladio

ut in ueru et capita'. Itaque haec sic conformaui: 'Ex hostium armis scuta et pila pro uallo, pro cespite cadauera collocabantur, insuper [occisi] in gladiorum mucrone capita hominum ordinata ad oppidum conuersa uniuersa hostium timorem. . .' Occisi illi a magistro cadaueribus ascripti et deinde ex margine alieno loco illati sunt. Post 'timorem' autem quae leguntur, et forma orationis et sententia plane a superioribus abhorrent. Itaque hic quaedam deesse significaui. Sententiam superiorum uerborum ita explere possumus: 'uniuersa hostium timorem augebant'. Vniuersa enim dicuntur res supra commemoratae, uallum ex cadaueribus et armis structum capitaque gladiis suffixa. Perperam deinceps post uerba 'uirtutisque insignia' lacuna notata est. Nam rectissime Pompeiani uirtutis insignia proposita uidisse dicuntur, nimirum cadauera et arma suorum a Caesarianis in modum tropaei circum oppidum aggerata. Neque temere me fecisse existimo, quod Petauianum codicem secutus 'sunt', quod post 'circumplexi' legitur, delendum significaui. Hac ratione apodosin a uerbis 'ita Galli' incipere, coniunctiuos autem 'uiderent' et 'circumcluderentur' a particula 'cum', quae cum aliis uerbis periit, aptos fuisse statuendum est.

C. 34 refertur, cum Caesar castra ad Cordubam posuisset, in oppido discordiam ortam esse inter Caesarianos atque Pompeianos. Deinde §. 2 haec in codd. scripta sunt: 'Erant hic legiones, quae ex perfugis conscriptae, partim oppidanorum serui, qui erant a Sexto Pompeio manumissi; qui in Caesaris aduentum descendere coeperunt. Legio XIII oppidum defendere coepit: nam, cum iam repugnarent, turres ex parte et murum occuparunt. Denuo legatos ad Caesarem mittunt, ut sibi legiones subsidio intromitteret. Hoc cum animaduerterent homines fugitiui, oppidum incendere coeperunt' cett. Hic uerba 'qui in Caesaris aduentum descendere coeperunt' per se ipsa referre licet ad ea, quae initio superioris capitis narrantur, cum Caesar Cordubam appropinquasset, eos, qui ex Mundensi proelio eo confugissent, ponte occupato Caesarianos transitu prohibere conatos esse. Verum tum proxima ita essent intellegenda, ut legio tertiadecima oppidum contra Caesarianos defendisse diceretur, quod contra perfugas et libertinos factum esse sequentia docent. Deinde uerba 'nam cum iam repugnarent' corrupta sunt: neque enim qui neque cui rei repugnauerint, intellegitur. Neque denuo Cordubenses legatos ad

Caesarem mittebant, quippe quos id iam antea fecisse nusquam relatum sit, nisi forte haec uerba eo referri posse putamus, quod primo aduentu in Hispaniam Caesaris legati Cordubenses ad eum uenerunt (c. 2). His rebus facillime ita subuentum iri existimaui, ut hoc modo scriberem: 'Erant hic legiones, quae ex perfugis conscriptae, partim oppidanorum serui, qui erant a Sexto Pompeio manumissi; qui in Caesaris aduentum discordare coeperunt. Legio XIII oppidum defendere coepit: nam, cum iam depugnarent, turres ex parte et murum occuparunt. Denique legatos ad Caesarem mittunt, ut sibi legiones subsidio intromitteret'. Perfugae et libertini, qui dedito oppido de salute desperabant, cum reliquis, quibus Caesar recipiendus uidebatur, discordabant. Ab his legio XIII oppidum defendit et, cum discordia iam eo peruenisset, ut armis inter se depugnarent, turres et murum occupauit. Denique Caesarem in oppidum asciuerunt.

Hispali cum Pompeiani clam adducta Lusitanorum manu praesidium Caesaris, quod initio oppido erat receptum, trucidassent, Caesar, ne Lusitani oppidum, si ui expugnare conaretur, incenderent, noctu eos eruptionem facere patitur. Tum c. 36, 3 haec in codd. legimus: 'Ita erumpendo naues, quae ad Baetim flumen fuissent, incendunt. Nostri dum incendio detinentur, illi profugiunt et ab equitibus conciduntur. Quo facto oppido recuperato Astam iter facere coepit'. Verum quid erat, quod Caesar Lusitanos consulto erumpere pateretur, si hoc facto nihil erat acturus, sed incendio nauium suos detineri sinebat? Quid autem Lusitanos mouebat, ut profugerent potius, quam in oppidum se reciperent? Enimuero hoc erat Caesaris consilium, ut, dum Lusitani extra urbem essent hique nauium incendio detinerentur, ipse urbe potiretur et exclusos Lusitanos profugere cogeret. Itaque illa uerba mutila sunt et sic distinguenda: 'Nostri, dum incendio detinentur . . . . . illi profugiunt et ab equitibus conciduntur', quae hoc modo supplere licet: 'Nostri, dum incendio detinentur *illi, oppido potiuntur;* illi profugiunt' cett.

C. 37 narratur Cn. Pompeium Carteiae, cum inter Caesarianos et Pompeianos seditio atque caedes orta esset, nauibus longis occupatis saucium profugisse. Reliqua eius cap. uerba inde a §. 2 sic edebantur: 'Didius, qui Gadis classi praefuisset, ad quem simul nuntius allatus est, confestim sequi coepit: partim peditatus et equitatus ad persequendum celeriter iter faciebant. Item quarto die

nauigatione confecta consequitur eos. Quod imparati a Carteia profecti sine aqua fuissent, ad terram applicant. Dum aquantur, Didius classe occurrit, naues incendit, nonnullas capit'. Initio horum uerborum neque orationem exitum inuenire, neque accusatiuum 'Gadis' ferri posse perspicuum est. Priori rei egregie medetur Glandorpii coniectura, qui transpositis uerbis 'ad quem simul' inde 'simuladque' effecit, alterum mendum eadem ratione remouebimus, ut 'Gadis' ante inferiora 'nuntius allatus est' transferamus. Neque enim satis probabiliter 'Gadibus' scribi existimo, quod Glandorpio uisum est, inauditum autem ablatiuum 'Gadi', qui in codice Noruicensi legitur, satis inconsiderate a Schneidero receptum arbitror. Deinde in Par. sec. et Leid. pr. scriptum est 'partim pedibus et equitatus', et 'pedibus' item in omnibus fere deterioribus codd. legitur. Aptissime autem, cum Didius classe Pompeium persequeretur, reliqui pedibus, hoc est terrestri itinere, profecti dicuntur. Sed cum scriptor eos, qui pedibus iter faciebant, a nauigantibus discerneret, non poterat eosdem ab equitibus separare, qui illa ratione non minus pedibus iter faciebant. Itaque uerba 'et equitatus' a magistro adiecta iudicaui, qui initio seq. cap. legisset equites et cohortes ad persequendum missas esse, neque, quemadmodum pedibus iter fieri diceretur, teneret. Proxima uerba in Par. sec. Scal. Leid. pr. sec. sic scripta sunt: 'item quarto die nauigatione confestim consequentes'. Hic quoque duabus uocibus transpositis et una leniter correcta totum locum ita conformaui: 'Didius, qui classi praefuisset, simulatque Gadis nuntius allatus est, confestim sequi coepit; partim pedibus ad persequendum celeriter iter faciebant item confestim consequentes. Quarto die nauigationis, quod imparati a Carteia profecti sine aqua fuissent, ad terram applicant. Dum aquantur, Didius classe occurrit, naues incendit, nonnullas capit'.

Ex hoc proelio cum Cn. Pompeius cum paucis profugisset et locum natura munitum occupasset, Caesariani, qui terrestri itinere iter faciebant, de ea re certiores facti diem et noctem iter faciunt. Iam excipiebant haec c. 38, 2: 'Pompeius humero et sinistro crure uehementer erat saucius. Huc accedebat, ut etiam talum intorsisset, quae res maxime impediebat. Ita lectica a turre, qua esset allatus, in ea ferebatur'. Verum a qua turre Pompeius latus sit, nulla ratione intellegi potest. Neque eum iter facientem a Caesarianis deprehensum esse, sed in ipso illo munito loco morantem,

quo nauibus a Didio incensis et captis profugerat, et ex sequentibus uerbis apparet (quae etsi corrupta sunt, tamen 'munitum locum natura' §. 4 commemorari uidemus) et ex Appiani uerbis b. ciu. II, 105 καὶ διαπλεύσας ἔς τι χωρίον ἐθεραπεύετο. Itaque cum in Vind. pr. et compluribus deterioribus Schneideri scriptum esset 'ad turrem', in Par. sec. 'quem esset ablatus', in Leid. pr. 'cum esset oblatus', sic edidi: 'Ita lectica ad turrem cum esset allatus, in ea tenebatur'. Reliqua huius capitis ita exhibui, ut in optimis codd. scripta sunt. Ea adeo corrupta sunt, ut equidem ad emendandi desperationem adactus sim. Suspiciones tamen duas non reticebo, si quid aliis prodesse poterunt, primam, fieri posse, ut uerba §. 4 'praesidio fuisset conspectus celeriter', quae eadem §. 3 leguntur, male repetita sint, alteram, paulo inferius scribendum esse 'quamuis magna multitudine perpauci homines ex superiore loco defendere possent'. Neque enim, qui aduersarium a superiore loco propulsare uult, inde descendet, sed ipsa altitudine subeuntem premet.

C. 40 haec narrantur: 'Didius, quem supra demonstrauimus, illa affectus laetitia proximo se recepit castello nonnullasque naues ad reficiendum subduxit et, quamuis .... essent, brachium ....' Sic enim extrema uerba, quae ex Par. sec. et Leid. pr. adieci (neque, quin eadem in reliquis bonis legantur, mihi dubium est), distinguenda uidebantur; quorum hanc sententiam fuisse arbitror, Didium, quamuis naues satis tuto uel satis propinquo loco collocatae essent, brachium a castello ad eas perduxisse. Quae sequuntur, ita erant constituenda: 'Lusitani, qui ex pugna superfuerunt, ad signum se receperunt et bene magna manu comparata ad Didium se reportant. Huic etsi non aberat diligentia ad naues tuendas, tamen nonnumquam ex castello propter eorum crebas excursiones eliciebatur et prope cotidianis pugnis .... insidias ponunt et tripertito signa distribuunt. Erant parati, qui naues incenderent, incensisque † qui subsidium repeterent: hi sic dispositi erant, ut a nullo .... conspectu omnium ad pugnam contendunt'. Prima lacuna ante uerba 'insidias ponunt' ideo notanda fuit, quia incredibile est Lusitanos in cotidianis pugnis semper eodem modo insidias posuisse, ut tripertito signa distribuerent, qua re cognita insidiarum ratione omnem earum usum sustulissent. Deinde, si superiora illa uerba coniungerentur, etiam, quae deinceps referuntur, cotidie a Lusitanis facta dicerentur, quae semel facta esse et iis insidiis

circumuentum Didium interisse sequentia docent. Itaque declarauerat scriptor Didium prope cotidianis pugnis cum Lusitanis conflixisse, hos uero aliquot pugnis factis circumueniendi Didii consilium cepisse et insidias posuisse, ita ut tripertito signa distribuerent. Sequentibus igitur uerbis, quemadmodum tres Lusitanorum partes dispositae fuerint, quidque unicuique parti mandatum sit, declarari necesse est. Eorum uerborum postrema obscuratis codicum indiciis sic edebantur: 'hi sic dispositi erant, ut a nullo conspecti omnium ad pugnam contenderent', quo facto non tres, sed duae tantum partes demonstrantur: codicum scriptura, quam supra posui, etsi integram orationem non praestat, tamen aperte, quo loco quaedam exciderint, ostendit. Etenim quae insidiarum ratio fuerit, narratione rei gestae, quae illa uerba excipit, docemur. 'Ita cum ex castello Didius ad propellendum processisset cum copiis, signum a Lusitanis tollitur, naues incenduntur, simulque, qui ex castello ad pugnam processerant, eodem signo, fugientes latrones dum persequuntur, a tergo insidiae clamore sublato circumueniunt'. Hic, quod ad propellendum Didius processisse dicitur, documento est unam Lusitanorum partem ad castellum accessisse et Didium elicuisse, deinde simulata fuga produxisse. Altera signo dato naues incendit, tertia eodem signo Didium primam partem persequentem a tergo circumuenit. Harum partium una significatur superioribus uerbis: 'erant parati, qui naues incenderent'. Proximis uerbis 'incensisque qui subsidium repeterent' eam contineri necesse est, quae Didium a tergo circumuenit. Sed ea uerba adeo corrupta sunt, ut non uideantur restitui posse: nam Glandorpii coniectura 'repellerent' nihil proficimus. Reliqua sic sunt supplenda: 'hi sic dispositi erant, ut a nullo *conspici possent*' et, quae de ea parte, quae Didium ex castello eliceret, dicta erant, '*reliqui in* conspectu omnium ad pugnam contendunt'.

C. 41, 2 de Vrsaone haec in Par. sec. et Leid. pr. scripta sunt: 'quod oppidum magna munitione continebatur, sic ut ipse locus non solum opere, sed etiam natura aditus ad oppugnandum hostem appeteret'. Editur uulgo 'natura editus' et ex Scaligeri coniectura 'abuerteret', quod debebat esse 'auerteret', ut Goduinus uolebat. 'Aditus oppugnationis' legitur ap. Hirt. b. Alex. 35, 5, 'difficilis ad oppugnationem accessus' b. Afr. 5. Vtrum autem 'aditu ad oppugnandum hostem aspelleret' uel 'absterreret', an 'aditus — hostium' emendandum sit, nihil definio. Quae sequuntur opti-

mos codices secutus sic edidi: 'Huc accedebat, ut aqua praeterquam in ipso oppido [nam] circumcirca nusquam reperiretur propius milia passuum VIII; quae res magno erat adiumento oppidanis. Tum praeterea accedebat, ut aggerem ..... materiesque, unde soliti sunt turris † agi, propius milia passuum VI non reperiebatur. † Ac Pompeius ad oppidum oppugnationem tutiorem efficeret, omnem materiem circum oppidum succisam intro congessit'. Ex particula 'nam', quae post uerba 'in ipso oppido' legitur, Oudendorpius effecit 'Munda' mira oscitantia, cum de Vrsaone dicatur: et tamen illa 'in ipso oppido Munda' omnes ante Schneiderum retinuerunt. Hic Petauianum et Noruicensem secutus deleuit, quod imitati sumus; sed, quo pertineat, statim uidebimus. Proxima sic eduntur: 'Tum praeterea accedebat, ut agger materiesque, unde solitae sunt turres agi, propius milia passuum sex non reperiebantur'. Hic, quod primo aspectu apparebat, Clarkius monuit, 'quod — reperiebantur' aut 'ut — reperirentur' scribendum fuisse. Verum incredibile est propius milia passuum sex circa oppidum neque terram neque lapides neque cespites inuenta esse, unde agger fieri posset. Itaque cum in Par. sec. Leid. pr. Doru. scriptum sit 'aggerem', post hoc uocabulum nonnulla excidisse statuendum est, quibus nescio quae difficultas aggeris extruendi declarata erat. Proxima autem uerba non a particula 'ut' apta fuerunt, sed absoluta oratione posita sunt. Scripsi autem 'reperiebatur', ut est in Par. sec. et Petau., quia, quid praeter materiem commemorari potuerit, non inuenitur. Neque rectius 'unde solitae sunt turres agi' editur. Turres enim agi ita dicuntur, ut ad oppidum moueri intellegantur: hic extrui uel aedificari dicendae erant. In Par. sec. autem et Leid. pr. legitur 'unde soluti sunt' et in illo praeterea 'turris'. Illud nihil aliud significat, quam quod in primis edd. scriptum est, 'soliti sunt', hoc uerbum actiuum positum fuisse demonstrat. Iam sepositis paulisper his uerbis sequentia consideremus. Ea aperte corrupta sunt, neque meliora erant, quae edebantur: 'Ac Pompeius, ut oppidi oppugnationem tutiorem efficeret' cett. Mihi ex omnium codicum scriptura, quam supra posui (in solo Petauiano 'ut ad oppidum' legitur), haec uidentur efficienda esse: 'Pompeius, ut oppidum ad oppugnationem tutius efficeret': certe hanc sententiam requiri apparet. Verum ea, cum non noua res adiciatur, sed, cur materies prope oppidum defecerit, declaretur, non copulatiua particula, sed causali supe-

rioribus uerbis adiungenda erat. Huc igitur pertinere puto illud 'nam', quod supra deleuimus. Sed quid particula 'ac' faciemus? In iis uerbis, a quibus modo digressi sumus, in Scal. et Leid. sec. non 'agi', sed 'et' scriptum est. Id mihi uidetur indicio esse pro illo 'agi' ponendum esse 'ac', post hanc particulam autem et commemorationem alterius rei, quae materia fieri soleret (uineas fuisse puto), et uerbum actiuum excidisse. 'Nam' et 'ac' particulae, cum in margine fuissent ascriptae, alieno loco illatae sunt.

C. 42, 7, ubi haec in codd. scripta sunt: 'An me deleto non animaduertebatis decem habere legiones populum Romanum, quae non solum uobis obsistere, sed etiam caelum diruere possent?', denarium numerum deleui. Nam cum Cn. Pompeius adolescens in Hispaniam ueniret, quod factum est initio belli Africani (b. Afr. 23), omnes prouinciae praeter Africam et Hispaniam ulteriorem in Caesaris potestate erant. In his igitur plures quam decem legiones fuisse quid demonstrari opus est? Numerus aut male repetita proxima superiore littera ortus est, aut a magistro interpolatus, qui b. Gall. VIII, 39, 4 item legionum numerum, II, 2, 5 uerba 'duodecimo die' adiecit.

In scripturae discrepantia uerbis scriptoris subiecta

A significat codicem Bongarsianum primum (*Aφ* ex collatione Gruteri in exemplari Fabriciano, *Ao* ex collatione Oudendorpii, *Aπ* ex collatione Plueschkii),

B — — Parisinum primum,

C — — Vossianum primum (*Cφ* ex collatione Gudii in exempl. Fabr., *Co* ex collatione Oudendorpii),

D — — Egmondanum,

E — — Vratislauiensem primum,

a — — Parisinum secundum,

b — — Leidensem primum,

c — — Scaligeranum,

d — — Cuiacianum,

e — — Hauniensem primum,

f — — Vindobonensem primum. Quae notae cum his uncis ( ) circumscriptae sunt, secundum silentium eius, qui contulit, de codice referri indicatur; cum iisdem interrogandi signum ascriptum est, de fide uel silentii uel diserti testimonii dubitandum uideri. Vid. qu. p. 37—50. Littera *u* notaui scripturam uulgatam, id est editionis Oudendorpianae a. 1737, cuius tamen discrepantia ibi tantum relata est, ubi perspicuitatis causa id faciendum uidebatur. Eiusdem Oudendorpii uerba sunt, quae nullo nomine adiecto his signis ‘ ’ inclusi. Littera *P.* numero apposito indicatur pagina quaestionum.

C. IVLII CAESARIS

COMMENTARII

CVM SVPPLEMENTIS

A. HIRTII ET ALIORVM.

C. IVLII CAESARIS

DE BELLO GALLICO

COMMENTARIVS PRIMVS.

Gallia est omnis diuisa in partes tres; quarum unam inco-
lunt Belgae, aliam Aquitani, tertiam qui ipsorum lingua Celtae,
nostra Galli appellantur. Hi omnes lingua, institutis, legibus in- 2
ter se differunt. Gallos ab Aquitanis Garumna flumen, a Belgis
Matrona et Sequana diuidit. Horum omnium fortissimi sunt Bel- 3
gae, propterea quod a cultu atque humanitate prouinciae longissi-
me absunt, minimeque ad eos mercatores saepe commeant atque
ea, quae ad effeminandos animos pertinent, inportant, proximique 4
sunt Germanis, qui trans Rhenum incolunt, quibuscum continen-
ter bellum gerunt. Qua de causa Heluetii quoque reliquos Gallos
uirtute praecedunt, quod fere cotidianis proeliis cum Germanis

SCRIPTVRAE DISCREPANTIA. Incipit liber Gaii Caesaris belli Gallici Iuliani de narratione temporum, *tum rubro* Incipit liber Suetonii *A*; Incipint (*sic*) libri Gaii Caesaris belli Gallici Iuliani de narratione temporum *B*; Incipiunt libri Gaii Caesaris belli Gallici Iulii Celsi de narratione temporum *E*; Incipiunt libri Gaii Iulii Caesaris belli Gallici de narratione temporum *ac*. 'De narratione temporum *hoc opus inscribunt D b*': *in f inscriptio nulla est. P. 34 extr.* 1 omnis est *f*. tres partes *Ef*, partis tres *a*, partes tris *b*. 2 alteram Aquitani *Aimoinus de gest. Franc. praef. c. 4 apud Bouquetum, cuius tamen duo codd.* aliam *tenent*. 3 nostra autem Galli *b*. hii *E*. 4 Garunna *BEf*, Garomna *Aimoinus*. 7 comeant *f*. 8 inportant *ABDE*. 9 Renum *BEf*. quibus cum *deleto* cum *et eodem ante* quibus *suprascripto B*, cum quibus *Aimoinus*. 10 Heluitii *A semper*. 11 fore *f*. cotidianis *AE et, ubicumque nihil annotauero, B*; cottidianis *f*. praeliis *ante corr. B*.

contendunt, cum aut suis finibus eos prohibent, aut ipsi in eorum
5 finibus bellum gerunt. Eorum una pars, quam Gallos optinere
dictum est, initium capit a flumine Rhodano; continetur Garumna
flumine, Oceano, finibus Belgarum; attingit etiam ab Sequanis et
6 Heluetiis flumen Rhenum; uergit ad septentriones. Belgae ab
extremis Galliae finibus oriuntur; pertinent ad inferiorem partem
fluminis Rheni; spectant in septentrionem et orientem solem.
7 Aquitania a Garumna flumine ad Pyrenaeos montes et eam partem Oceani, quae est ad Hispaniam, pertinet; spectat inter occasum solis et septentriones.

2 Apud Heluetios longe nobilissimus fuit et ditissimus Orgetorix. Is M. Messala et M. Pisone consulibus regni cupiditate inductus coniurationem nobilitatis fecit et ciuitati persuasit, ut de
2 finibus suis cum omnibus copiis exirent: perfacile esse, cum uir-
3 tute omnibus praestarent, totius Galliae imperio potiri. Id hoc
facilius eis persuasit, quod undique loci natura Heluetii continentur: una ex parte flumine Rheno latissimo atque altissimo, qui agrum Heluetium a Germanis diuidit; altera ex parte monte Iura altissimo, qui est inter Sequanos et Heluetios; tertia lacu Lemanno et flumine Rhodano, qui prouinciam nostram ab Heluetiis di-
4 uidit. His rebus fiebat, ut et minus late uagarentur et minus facile finitimis bellum inferre possent; qua ex parte homines bellan-

1 cum *codd. constanter*, quum *u.* aut a suis *Aimoinus.* prohibeant *m. pr. f.* 2 optinere *A B E.* 3 Rodano *f.* Garunna *A B E f*, Garomna *Aimoinus.* 4 Oceanum *codd. omnes.* finis *B*, in finibus *Aimoinus.* a *E.* 5 Renum *B f.* a septentrione *Aimoinus.* 6 partem *om. E.* 7 Reni *B f.* septentrionem *A B E f Aimoinus*, septemtriones *u.* 8 Aquitanici *DE.* Garunna *A B C D E f*, Garomna *Aimoinus.* ad] usque ad *Aimoinus.* Pirenaeos *A f.* et ad eam $(A\pi)$? *C? e.* 9 Oceani *om. Aimoinus.* qua *D E.* est *A B C E, om. f Aimoinus et in B postea deletum est.* pertinens *D E.* 10 septentrionis *f*, septentrionem *E Aimoinus.* 11 nobilissimos *ante corr. B.* fuit et ditissimus *'mss. plerique'*, *A B C D*, *omnes Schneideri;* et ditissimus fuit *u.* Orgentorix *A semper.* 12 Marco Messala *E et sec. m. B.* et P. M. Pisone *A B C*, et Publio Marco Pisone *D E et sec. m. B.* 14 perfacile est *m. pr. A.* 15 omnes *m. pr. C.* praestarent] spectarent *C.* Galliae sese imperio *b.* 16 natura *suprascripto m. sec.* tua *B et in marg. item sec. m.* qua loci natura Heluetii continebantur. 17 Reno *B C f.* 19 tertio *DE.* 20 Rodano *B m. pr. et f.* qui] ubi *f.* 22 finitimis ut bellum *B C 'Leidd. 2'.* potuissent *f.* qua ex parte *'ueteres mss. 14' A B C D E d e f;* qua de causa *u. P.* 50.

di cupidi magno dolore adficiebantur. Pro multitudine autem ho- 5
minum et pro gloria belli atque fortitudinis angustos se finis ha-
bere arbitrabantur, qui in longitudinem milia passuum CCXL in
latitudinem CLXXX patebant. His rebus adducti et auctori- 3
tate Orgetorigis permoti constituerunt ea, quae ad proficiscendum
pertinerent, comparare, iumentorum et carrorum quam maximum
numerum coëmere, sementes quam maximas facere, ut in itinere
copia frumenti suppeteret, cum proximis ciuitatibus pacem et ami-
citiam confirmare. Ad eas res conficiendas biennium sibi satis 2
esse duxerunt: in tertium annum profectionem lege confirmant.
Ad eas res conficiendas Orgetorix deligitur. Is sibi legationem 3
ad ciuitates suscepit. In eo itinere persuadet Castico, Cataman- 4
taloedis filio, Sequano, cuius pater regnum in Sequanis multos
annos optinuerat et a senatu populi Romani amicus appellatus
erat, ut regnum in ciuitate sua occuparet, quod pater ante habue-
rat; itemque Dumnorigi Haeduo, fratri Diuitiaci, qui eo tempore 5
principatum in ciuitate optinebat ac maxime plebi acceptus erat,
ut idem conaretur, persuadet eique filiam suam in matrimonium
dat. Perfacile factu esse illis probat conata perficere, propterea 6
quod ipse suae ciuitatis imperium optenturus esset: non esse du- 7
bium, quin totius Galliae plurimum Heluetii possent; se suis copiis
suoque exercitu illis regna conciliaturum confirmat. Hac oratione 8
adducti inter se fidem et iusiurandum dant et regno occupato per
tres potentissimos ac firmissimos populos totius Galliae sese potiri

1 adficiebantur *A B C*. autem] enim *m. sec. f*. 2 fortitudi *et inter uersus* nis *f*. finis *m. pr. A*. 3 longitudine *C*. mil' *A B*, mille *D E f et suprasc.* ia *C*, milibus *b*. ducentorum quadraginta *D E*. 4 hiis *E*. 5 proficiendum *E*, perficiendum *D*. 7 sementis *ante corr. f*. 9 *et* 11 re *addita m. pr.* s *A*. 9 biennium *om. C*. 10 dixerunt *ascripto m. pr.* duxerunt *C et cum* u *super* i *f*. tertiam annuam *C*, tertio anno *f*. 11 res confirmandas *b*. delegitur *f*, eligitur *m. sec. B*, derigitur *b*. is ibi (*sed in inferiore marg.* is sibi) *B*, is ubi *C D E*. 12 Catamantaloedis *B D E*, Catamantalohedis *A*, Catamandoloedis *C*, Catamanteloedis *f*. 14 optinuerat *A B C*. ab *f*. senatu populi Romani *A B C D E a b e f*, S. P. P. Q. R. *u*. 16 ‘Haeduo *uel* Heduo *mss. hic et infra*’. Haeduo *A C D f et, nisi aliter referam, semper B*; Aeduo *E et semper u*. Diuiciaci *A*, Diuiciati *C*. 17 in ciuitate *in marg. supplet f*. optinebat *A B*. 19 facile *E*. factum *C*, facto *b f*. illis esse *E*. 20 suae *om. m. pr. B*. optenturus *A*. 21 totis *A*. 22 consiliaturum *E*. hac] ac *suprasc. m. sec.* h *B*. 24 potissimos *E*. *post* potiri *m. sec. inter uers.* imperio *add. A*.

4 posse sperant. Ea res est Heluetiis per indicium enuntiata. Mo-
ribus suis Orgetorigem ex uinclis causam dicere coëgerunt. Da-
2 mnatum poenam sequi oportebat, ut igni cremaretur. Die constituta
causae dictionis Orgetorix ad iudicium omnem suam familiam, ad
hominum milia decem, undique coëgit et omnes clientes obaera-
tosque suos, quorum magnum numerum habebat, eodem conduxit:
3 per eos, ne causam diceret, se eripuit. Cum ciuitas ob eam rem
incitata armis ius suum exsequi conaretur, multitudinemque homi-
4 num ex agris magistratus cogerent, Orgetorix mortuus est; ne-
que abest suspicio, ut Heluetii arbitrantur, quin ipse sibi mortem
5 consciuerit. Post eius mortem nihilo minus Heluetii id, quod con-
2 stituerant, facere conantur, ut e finibus suis exeant. Vbi iam se
ad eam rem paratos esse arbitrati sunt, oppida sua omnia, numero
ad duodecim, uicos ad quadringentos, reliqua priuata aedificia in-
3 cendunt, frumentum omne, praeterquam quod secum portaturi
erant, comburunt, ut domum reditionis spe sublata paratiores ad
omnia pericula subeunda essent, trium mensum molita cibaria sibi
4 quemque domo efferre iubent. Persuadent Rauracis et Tulingis
et Latobrigis finitimis, uti eodem usi consilio oppidis suis uicisque
exustis una cum iis proficiscantur, Boiosque, qui trans Rhenum
incoluerant et in agrum Noricum transierant Norciamque oppugna-
6 rant, receptos ad se socios sibi adsciscunt. Erant omnino itinera
duo, quibus itineribus domo exire possent: unum per Sequanos,
angustum et difficile, inter montem Iuram et flumen Rhodanum,
uix qua singuli carri ducerentur; mons autem altissimus inpende-
2 bat, ut facile perpauci prohibere possent: alterum per prouinciam
nostram, multo facilius atque expeditius, propterea quod inter

1 ea res est '*mss.* 13 *uetustiores*' *A B C e f*, ea res *d*, postquam ea res est *D E*, ea res ut est *u*. enuntiata *itemque* nuntius *reliquaque, quae inde descendunt, semper A et, ubi nihil monuero, B.* 2 uinclis *A B C D E.* 3 constitutae *D E.* 4 ad iucium *A.* familiam suam *A.* 5 decem milia *C.* 6 perduxit *f.* 7 per] et *E.* 11 mortem eius *f.* 12 ut et finibus *B.* 15 praeterquam quod *A E*, praeter quod *B C b c d e f.* 17 mensum *A et suprasc. m. sec.* i *B*, mensium *u.* 18 queque *f.* Reuracis *E.* et *om. b.* Tulingis *suprasc. extremae syll.* u *B*, Tulinguis *C f.* 19 Latobicis *B C D E d*, Latouicis *A*, Latocucis *f et m. sec. in marg. B.* finitimis suis uti *A.* usi *om. m. pr. b.* 20 cum his *A B f*, cum hiis *E.* Rhoenum *B*, Renum *f.* 21 obpugnarant *D E f.* 22 adsciscunt (*B*) *C D E*, adciscunt *f.* 24 Rodanum *f.* 25 autem] enim *f.* inpendebat *B C f.* 26 alterum iter per *A.* 27 inter fines Helueticrum *codd.*,

fines Heluetiorum et Allobrogum, qui nuper pacati erant, Rhoda-
nus fluit isque nonnullis locis uado transitur. Extremum oppidum 3
Allobrogum est proximumque Heluetiorum finibus Genua. Ex eo
oppido pons ad Heluetios pertinet. Allobrogibus sese uel persua-
suros, quod nondum bono animo in populum Romanum uideren-
tur, existimabant, uel ui coacturos, ut per suos fines eos ire pate-
rentur. Omnibus rebus ad profectionem conparatis diem dicunt, 4
qua die ad ripam Rhodani omnes conueniant. Is dies erat a. d.
V Kal. Apr. L. Pisone, A. Gabinio consulibus.

Caesari cum id nuntiatum esset, eos per prouinciam nostram 7
iter facere conari, maturat ab urbe proficisci et quam maximis pot-
est itineribus in Galliam ulteriorem contendit et ad Genuam per-
uenit. Prouinciae toti quam maximum potest militum numerum 2
imperat (erat omnino in Gallia ulteriore legio una), pontem, qui
erat ad Genuam, iubet rescindi. Vbi de eius aduentu Heluetii 3
certiores facti sunt, legatos ad eum mittunt nobilissimos ciuitatis,
cuius legationis Nammeius et Verucloetius principem locum optine-
bant, qui dicerent sibi esse in animo sine ullo maleficio iter per
prouinciam facere, propterea quod aliud iter haberent nullum: ro-
gare, ut eius uoluntate id sibi facere liceat. Caesar, quod memo- 4
ria tenebat L. Cassium consulem occisum exercitumque eius ab
Heluetiis pulsum et sub iugum missum, concedendum non putabat;
neque homines inimico animo data facultate per prouinciam itineris 5
faciundi temperaturos ab iniuria et maleficio existimabat. Tamen, 6
ut spatium intercedere posset, dum milites, quos imperauerat,

Heluetiorum inter fines *u*. 1 Adlobrogum *ante corr. B*, Allogobrum *f*. pacti *marg. B C*. Rodanus *f*. 2 hisque *A*. 3 Allogobrum *f*. finibus *om. b*. Genua *codd.*, Geneua *u*. 5 populo Romano *DE*, publica re *f*. 7 rebus *om. f*. conparatis *A B C*. 8 Rodani *f*, fluminis Rhodani *C*. omnes *ante* ad rip. *ponit E*. ad v *B et codd. Schneideri*. 9 Kal. (*A B*), Kl' *C D E*, K. *f*. Apr. (*A B*), Aprilis *E*, Apl' *f*. Lucio *E f*. Aulo *A B E f*. 10 per *inter uers. m. sec. f*. 12 contendit ulteriorem *f*. 12 *et* 15 Genuam *codd.*, Geneuam *u*. 13 prouincieque *E*. potest *A B C D E e f et int. uers. uel. m. b; om. u*. 17 Nammeius *A C D E*, Nameius (*B*) *d u*, Namproeius *uel* Namprocius *f*. Verucloetius *B C*, Verucletius *Aφ*, Verudoetius *d e f* (*hic* cius), Verudecius *D E*, Verudoctius *Aπ dubie et u*. principum *A B C D E*, principe *suprasc.* um *a*. *Post* principum *in B folia* 3, 4, 5, 6 *exciderunt*. optinebant *A a*. 19 iter *om. f*. rogarent *m. pr. Ao*, rogaret *Aφ*. 21 Lucium *E f*. eius *om. f*. 22 iugo *e f et m. sec. C*. 24 facundi *A*.

conuenirent, legatis respondit diem se ad deliberandum sumpturum:
8 si quid uellent, ad Id. April. reuerterentur. Interea ea legione,
quam secum habebat, militibusque, qui ex prouincia conuenerant,
a lacu Lemanno, † qui in flumen Rhodanum influit, ad montem Iuram, qui fines Sequanorum ab Heluetiis diuidit, milia passuum decem nouem murum in altitudinem pedum sedecim fossamque per-
2 ducit. Eo opere perfecto praesidia disponit, castella communit,
quo facilius, si se inuito transire conarentur, prohibere possit.
3 Vbi ea dies, quam constituerat cum legatis, uenit, et legati ad eum
reuerterunt, negat se more et exemplo populi Romani posse iter ulli per prouinciam dare et, si uim facere conentur, prohibiturum
4 ostendit. Heluetii ea spe deiecti nauibus iunctis ratibusque compluribus factis, alii uadis Rhodani, qua minima altitudo fluminis erat, nonnumquam interdiu, saepius noctu, si perrumpere possent, conati operis munitione et militum concursu et telis repulsi hoc
9 conatu destiterunt. Relinquebatur una per Sequanos uia, qua Se-
2 quanis inuitis propter angustias ire non poterant. His cum sua
sponte persuadere non possent, legatos ad Dumnorigem Haeduum
3 mittunt, ut eo deprecatore a Sequanis impetrarent. Dumnorix
gratia et largitione apud Sequanos plurimum poterat et Heluetiis erat amicus, quod ex ea ciuitate Orgetorigis filiam in matrimonium duxerat, et cupiditate regni adductus nouis rebus studebat et
4 quam plurimas ciuitates suo beneficio habere obstrictas uolebat.
Itaque rem suscipit et a Sequanis impetrat, ut per fines suos

1 sumpturum, *non* sumturum, *A a omnes Schneideri itemque postea similia, si nihil annotabo, semper B.* 2 ad *codd.*, a. d. *u.* Id. *A*, yd. *E*, Idus (*a f*). April' *A C D*, Aprl' *a f.* ea *om. f.* legatione *D E.* 3 ex *om. f.* 4 qui *cett. P.* 52. in *om. b.* Rodanum fluit *f.* 5 decem et nouem *C e*, (*P.* 114), nouem *b.* 6 pedum xv *C.* fossam *f.* 8 possit *A C D* (*a*) *b d f et* (*secundum Whittium*) *e*, posset *E. Addend. ad P.* 85. 9 dies *om. et sec. m. ante* uenit *ponit f.* 10 reuerterentur *E f*, reuertuntur *c* '2 *Leidd*'. publice rei *f.* 11 prohibiturum] se *add. D E.* 12 quam pluribus *C.* 13 Rodani *f.* altitudo ipsius erat *b*, altitudo erat fluminis *C.* 14 nonnumquam *f et corr. alia m. D*, nonnunquam (*a*) *u.* nocte *D E.* 15 munitione] conatione *D E.* taelis *A.* 18 persuadere non poterant '*mss.* 11' *A C D E a e f.* Dumnorigmem *Aφ*, Dumnoriginem *Aπ*, Domnoriem *f.* Heduum *a.* 19 eodem precatore *b.* 21 matrimonia *ante corr. a.* 23 suo beneficio '*sedecim mei*' *A C D E a d f*; suo sibi ben. *u.* 24 'suos] aluerni *add. E*, *sed uirgula, ut uidetur, deletum*' *Schneid.*

Heluetios ire patiantur, obsidesque uti inter sese dent, perficit: Sequa-
ni, ne itinere Heluetios prohibeant; Heluetii, ut sine maleficio et in-
iuria transeant. Caesari renuntiatur Heluetiis esse in animo per agrum 10
Sequanorum et Haeduorum iter in Santonum fines facere, qui non
longe a Tolosatium finibus absunt, quae ciuitas est in prouincia.
Id si fieret, intellegebat magno cum periculo prouinciae futurum, 2
ut homines bellicosos, populi Romani inimicos, locis patentibus
maximeque frumentariis finitimos haberet. Ob eas causas ei mu- 3
nitioni, quam fecerat, T. Labienum legatum praefecit; ipse in Ita-
liam magnis itineribus contendit duasque ibi legiones conscribit et
tres, quae circum Aquileiam hiemabant, ex hibernis educit et, qua
proximum iter in ulteriorem Galliam per Alpes erat, cum his quin-
que legionibus ire contendit. Ibi Centrones et Graioceli et Catu- 4
riges locis superioribus occupatis itinere exercitum prohibere co-
nantur. Conpluribus his proeliis pulsis ab Ocelo, quod est citerioris 5
prouinciae extremum, in fines Vocontiorum ulterioris prouinciae
die septimo peruenit; inde in Allobrogum fines, ab Allobrogibus
in Segusianos exercitum ducit. Hi sunt extra prouinciam trans
Rhodanum primi. Heluetii iam per angustias et fines Sequanorum 11
suas copias traduxerant et in Haeduorum fines peruenerant eorum-
que agros populabantur. Haedui, cum se suaque ab iis defendere 2
non possent, legatos ad Caesarem mittunt rogatum auxilium: Ita 3
se omni tempore de populo Romano meritos esse, ut paene in con-
spectu exercitus nostri agri uastari, liberi eorum in seruitutem
abduci, oppida expugnari non debuerint. Eodem tempore Haedui 4

1 ire Heluetios($A\pi$)? *et errore u.* perfecit '*mss.* 10' *E a.* 2 ne in itinere *a b et m. pr. f.* 3 renuntiantur *a et m. pr. f.* 4 Heduorum *a.* Sanctonum *C a.* 6 intellegebat, *non* intelligebat, *E f et semper A item a et postea B, cum tacebo.* cum magno *C D.* 9 T. *om. et* ter *sup. uers. ponit a*, Titum *D E f.* Labiaenum *A.* in Italiam] militiam *C.* 10 legationes *m. pr. f.* 11 circa *b f et ante corr. a.* Aquileam *f.* hiemebant *A.* exibernis *f.* 12 cum iis *A C*, cum hiis *E.* 13 Ceutrones '*mss. plerique*' *A C D E a f.* Graiocaeli *A*, Gaioceli *a d f.* 15 conpluribus *A C a.* iis *A D*, hiis *E.* citerioris] ulterioris *f.* 16 in finibus *b c.* Vocotiorum *f.* 17 Allobrocum *C*, Allogobrum *f.* fines et ab *D E.* 18 Sebusianos '*plerique*' *A C D E a*, Sebusiones *f.* hii *E f.* 19 Rodanum *a f.* iam *om. m. pr. f.* 20 transduxerant, *sed del.* ns, *C et semper u.* Heduorum *et* 21 Hedui *a.* 21 ab iis '*antiquiores mss.*' *A*, ab hiis *E*, ab his *a f.* 22 laegatos *A.* 23 poene *A.* 24 nostri *om. D E*, p. r. *a b d*, sui *f.* 25 Haedui *del. f*, Hedui *a.*

Ambarri, necessarii et consanguinei Haeduorum, Caesarem cer-
tiorem faciunt sese depopulatis agris non facile ab oppidis uim
5 hostium prohibere. Item Allobroges, qui trans Rhodanum uicos
possessionesque habebant, fuga se ad Caesarem recipiunt et de-
6 monstrant sibi praeter agri solum nihil esse reliqui. Quibus rebus
adductus Caesar non expectandum sibi statuit, dum omnibus for-
tunis sociorum consumptis in Santonos Heluetii peruenirent.

12 Flumen est Arar, quod per fines Haeduorum et Sequanorum
in Rhodanum influit, incredibili lenitate, ita ut oculis, in utram
partem fluat, iudicari non possit. Id Heluetii ratibus ac lintribus
2 iunctis transibant. Vbi per exploratores Caesar certior factus est
tres iam partes copiarum Heluetios id flumen traduxisse, quartam
fere partem citra flumen Ararim reliquam esse, de tertia uigilia
cum legionibus tribus e castris profectus ad eam partem peruenit,
3 quae nondum flumen transierat. Eos impeditos et inopinantes ad-
gressus magnam partem eorum concidit: reliqui sese fugae man-
4 darunt atque in proximas siluas abdiderunt. Is pagus appellaba-
tur Tigurinus: nam omnis ciuitas Heluetia in quattuor pagos
5 diuisa est. Hic pagus unus, cum domo exisset patrum nostrorum
memoria, L. Cassium consulem interfecerat et eius exercitum sub
6 iugum miserat. Ita siue casu siue consilio deorum inmortalium,
quae pars ciuitatis Heluetiae insignem calamitatem populo Romano
7 intulerat, ea princeps poenas persoluit. Qua in re Caesar non so-
lum publicas, sed etiam priuatas iniurias ultus est, quod eius

1 Heduorum *a*. Caesarem *om. f*. 2 'com, *sup.* u *super* o, dep. *Aπ' Schneid.*, depulatis *et* po *int. uers. f*. 3 Allabroges *E*. Rodanum *Ef*. 6 expectandum (*a*) *f*. 7 Santonos *ADEbcef*, Sanctonos *Ca*. 8 Heduorum *a*. 9 Rodanum *af*. fluit *f*. utram] quam *Aπ*, *m. pr. Ao*, *manu emendatoris eraso priore Aφ, quod credo, et f*. 10 influat *m. pr. A*, defluat *m. pr. C*. indicare *f*. non] uix *Aimoinus praef. c. 4*. id] iñ *Ao*, in id *Aφ*. lintibus *A*. 11 esset *f*. 12 partes copiarum *ACDa omnes Schneideri*; cop. part. *u*. tranduxisse *Cφ*, transduxisse *Co*. 13 fere *ACDE*, uero (*a*) *bcf*. circa *C*. 14 e *om. a*. 15 transierant *m. pr. f*. inopinatos *b*. adgressus *ACaf*. 16 partem eorum *A*(*D*)*Ee*, eor. part. (*a*) *bf*. reliquis esse fugae *A*, reliqui se fugae *af*, reliqui fugae sese *u contra codd. et edd. superiores*. 17 siluas proximas *af*. his *m. pr. f*. appellatur *Cb*. 18 Tygurinus *A*. quattuor *Aa*. pagos] partes *C?*, partes uel pagos *abf. P*. 85. 19 est diuisa *af*. unus *om. f*. 20 Lucium *Ef*. 21 sine casu *f*. iumortalium *AD et*, *qui ante* deorum *ponunt*, *af*. 22 publice rei *f*. 23 eas *m. pr. f*. princeps per poenas *E*. non solum Caesar *f*.

soceri L. Pisonis auum, L. Pisonem legatum, Tigurini eodem proe-
lio, quo Cassium, interfecerant. Hoc proelio facto reliquas copias 13
Heluetiorum ut consequi posset, pontem in Arare faciendum curat
atque ita exercitum traducit. Heluetii repentino eius aduentu com- 2
moti, cum id, quod ipsi diebus XX aegerrume confecerant, ut
flumen transirent, illum uno die fecisse intellegerent, legatos ad
eum mittunt; cuius legationis Diuico princeps fuit, qui bello Cas-
siano dux Heluetiorum fuerat. Is ita cum Caesare egit: Si pa- 3
cem populus Romanus cum Heluetiis faceret, in eam partem ituros
atque ibi futuros Heluetios, ubi eos Caesar constituisset atque esse
uoluisset; sin bello persequi perseueraret, reminisceretur et ue- 4
teris incommodi populi Romani et pristinae uirtutis Heluetiorum.
Quod inprouiso unum pagum adortus esset, cum ii, qui flumen 5
transissent, suis auxilium ferre non possent, ne ob eam rem aut
suae magnopere uirtuti tribueret aut ipsos despiceret. Se ita a 6
patribus maioribusque suis didicisse, ut magis uirtute quam dolo
contenderent aut insidiis niterentur. Quare ne committeret, ut is 7
locus, ubi constitissent, ex calamitate populi Romani et interni-
cione exercitus nomen caperet aut memoriam proderet. His Cae- 14
sar ita respondit: Eo sibi minus dubitationis dari, quod eas res,
quas legati Heluetii commemorassent, memoria teneret, atque eo
grauius ferre, quo minus merito populi Romani accidissent: qui 2
si alicuius iniuriae sibi conscius fuisset, non fuisse difficile cauere;
sed eo deceptum, quod neque commissum a se intellegeret, quare
timeret, neque sine causa timendum putaret. Quod si ueteris con- 3
tumeliae obliuisci uellet, num etiam recentium iniuriarum, quod

1 soceri *om. D E.* Lucii *et* Lucium *E.* 2 quo Cassium *om. C.* interfecerunt *D E.* facto proelio *C.* 3 Arari *D E (a) b.* 4 transducit *f.* 5 uiginti *D E.* aegerrume *A.* 6 uno illum *errore u.* 8 agit *u cum paucis dett.* Legati ab Heluetiis ad Caesarem missi pacem petunt cum denuntiatione terroris *post* egit *add. A et, qui* petitum *habent, 'multi mss. etiam uetustissimi' E et secund. Whitt. e, pro quo Haun. sec. nominari debuit.* 9 populus Romanus — (12) incommodi *om. D E*; 9 *et* 12 *et* 18 *pro* populus Romanus *habet* publice rei *f.* 11 *ante* bello *litura est in f.* perseueraret] uoluisset *b.* 13 inprouiso *A C D a f.* cum hii *E a f.* 14 transsissent *a.* 15 magno opere *ex uno pessimo u.* aut] an *C.* sed ita *f.* a *om. f.* 16 suis *om. D E.* 17 qua in re *f.* 18 constituissent *a f.* et] aut *E.* internicione *C D E a,* inernicione *f;* internecione *(Aπ)? u.* 19 ita Caesar *f.* 20 dare *D E.* 22 populo Romano *D E.* accidissent *A D (E)*, accidisset *'reliqui' a f.* 23 difficile sibi cauere *b.* 26 num] non *C f.*

eo inuito iter per prouinciam per uim temptassent, quod Haeduos,
quod Ambarros, quod Allobrogas uexassent, memoriam deponere
4 posse? Quod sua uictoria tam insolenter gloriarentur quodque tam diu
5 se inpune iniurias tulisse admirarentur, eodem pertinere. Consuesse
enim deos inmortales, quo grauius homines ex commutatione rerum
doleant, quos pro scelere eorum ulcisci uelint, his secundiores in-
6 terdum res et diuturniorem inpunitatem concedere. Cum ea ita
sint, tamen, si obsides ab iis sibi dentur, uti ea, quae polliceantur,
facturos intellegat, et si Haeduis de iniuriis, quas ipsis sociisque
eorum intulerint, item si Allobrogibus satisfaciant, sese cum iis
7 pacem esse facturum. Diuico respondit: Ita Heluetios a maioribus
suis institutos esse, uti obsides accipere, non dare, consuerint:
eius rei populum Romanum esse testem. Hoc responso dato dis-
15 cessit. Postero die castra ex eo loco mouent. Idem facit Caesar
equitatumque omnem, ad numerum quattuor milium, quem ex
omni prouincia et Haeduis atque eorum sociis coactum habebat,
2 praemittit, qui uideant, quas in partes hostes iter faciant. Qui
cupidius nouissimum agmen insecuti alieno loco cum equitatu Hel-
3 uetiorum proelium committunt; et pauci de nostris cadunt. Quo
proelio sublati Heluetii, quod quingentis equitibus tantam multitu-
dinem equitum propulerant, audacius subsistere nonnumquam et
4 nouissimo agmine proelio nostros lacessere coeperunt. Caesar
suos a proelio continebat ac satis habebat in praesentia hostem ra-
5 pinis, pabulationibus populationibusque prohibere. Ita dies circiter
quindecim iter fecerunt, uti inter nouissimum hostium agmen et

1 temptassent, *non* tentassent, *A C D E a f et postea, cum tacebo, semper B.* Heduos *a.* 2 Allobrogas '*mss. plerique*' *A*, Allobroges *E a f.* memoriam *A*, memoria *C D E a f* '*plerique*'. 3 posset *m. sec. f.* quodque — admirarentur *in fine paginae manu antiqua minutioribus litteris suppleta habet A.* tandiu se *a*, tam se diu *f.* 4 inpune *a f.* ammirarentur *D E.* 5 inmortales *D a f.* 6 iis *A.* 7 inpunitatem *D a f.* *ante* concedere *add.* interdum *C.* 8 ab his *a f.* quae — (9) ipsis *om. D E.* 9 si] de *add. f.* Heduis *a.* 10 *post* intulerint *add.* emendent *D E.* cum is *E*, cum his *a f.* 11 esse *om. D E.* 13 testem esse *E.* recessit *E.* 14 ex eo loco *om. D E.* 15 quattuor *a*, quatuor (*Aπ*)? 16 Heduis *a.* 17 hostes *om. errore u.* 19 proeliorum *ante corr. a.* et *om. b.* paucis *C.* 20 equitatibus *f.* 21 audatius *A.* nonnumquam *D (a) f. P.* 69 *extr.* 22 nostros *int. uers. f.* coeperant *D E.* 23 a proelio suos *a f.* 24 pabulationibusque *omisso* populationibusque *C et contradicente Oud. Aφ?* 25 xv *a f.* ut *f.*

nostrum primum non amplius quinis aut senis milibus passuum
interesset.

Interim cotidie Caesar Haeduos frumentum, quod essent pu- 16
blice polliciti, flagitare. Nam propter frigora, quod Gallia sub 2
septentrionibus, ut ante dictum est, posita est, non modo frumenta
in agris matura non erant, sed ne pabuli quidem satis magna copia
subpetebat: eo autem frumento, quod flumine Arare nauibus sub- 3
uexerat, propterea uti minus poterat, quod iter ab Arare Heluetii
auerterant, a quibus discedere nolebat. Diem ex die ducere Hae- 4
dui: conferri, conportari, adesse dicere. Vbi se diutius duci in- 5
tellexit et diem instare, quo die frumentum militibus metiri opor-
teret, conuocatis eorum principibus, quorum magnam copiam in
castris habebat, in his Diuitiaco et Lisco, qui summo magistratui
praeerat, quem uergobretum appellant Haedui, qui creatur annuus
et uitae necisque in suos habet potestatem, grauiter eos accusat,
quod, cum neque emi neque ex agris sumi posset, tam necessario 6
tempore, tam propinquis hostibus ab iis non subleuetur; praeser-
tim cum magna ex parte eorum precibus adductus bellum susce-
perit, multo etiam grauius, quod sit destitutus, queritur. Tum 17
demum Liscus oratione Caesaris adductus, quod antea tacuerat,
proponit: Esse nonnullos, quorum auctoritas apud plebem pluri-
mum ualeat, qui priuatim plus possint quam ipsi magistratus. Hos 2
seditiosa atque improba oratione multitudinem deterrere, ne fru-
mentum conferant, quod praestare debeant: si iam principatum 3
Galliae optinere non possint, Gallorum quam Romanorum imperia
praeferre, neque dubitare [debeant], quin, si Heluetios superaue- 4
rint Romani, una cum reliqua Gallia Haeduis libertatem sint ere-
pturi. Ab eisdem nostra consilia quaeque in castris gerantur 5
hostibus enuntiari: hos a se coërceri non posse. Quin etiam, 6
quod necessario rem coactus Caesari enuntiarit, intellegere sese,

1 passuum *om. b.* 3 cotidie *a.* Heduos *a.* 7 subpetebat *A a f.* eodem autem *a.* 7 *et* 8 Arari *a b.* 9 *et* 14 Hedui *a.* 10 comportare *E* (conportari *A D f*). 13 Deuitiaco *a ante corr.* magistratu *u cum paucis dett.* 14 praeerat *a* (*ita Beyerlius interrogatus respondit*); praeerant *reliqui codd.* 16 possit frumentum, tam *D.* 17 ab his *a.* 22 possent *'mss. multi' a.* 25 optinere *a.* possint *Hotomannus;* possent *'mss. plerique', omnes Schneideri, a. P.* 85. 26 praeferre *a b f,* perferre *u.* [debeant] *P.* 52. 27 Heduis *a.* 28 iisdem (*a*). nostra] an *a,* autem *b.* 30 necessariam rem *A C D E a b e f,* necessaria re *Bong. sec.*

quanto id cum periculo fecerit, et ob eam causam, quam diu potue-
18 rit, tacuisse. Caesar hac oratione Lisci Dumnorigem, Diuitiaci
fratrem, designari sentiebat, sed, quod pluribus praesentibus eas
res iactari nolebat, celeriter concilium dimittit, Liscum retinet.
2 Quaerit ex solo ea, quae in conuentu dixerat. Dicit liberius
atque audacius. Eadem secreto ab aliis quaerit; reperit esse uera:
3 Ipsum esse Dumnorigem, summa audacia, magna apud plebem
propter liberalitatem gratia, cupidum rerum nouarum. Compluris
annos portoria reliquaque omnia Haeduorum uectigalia paruo pre-
tio redempta habere, propterea quod illo licente contra liceri audeat
4 nemo. His rebus et suam rem familiarem auxisse et facultates ad
5 largiendum magnas comparasse; magnum numerum equitatus suo
6 sumptu semper alere et circum se habere, neque solum domi, sed
etiam apud finitimas ciuitates largiter posse atque huius potentiae
causa matrem in Biturigibus homini illic nobilissimo ac potentis-
7 simo collocasse, ipsum ex Heluetiis uxorem habere, sororem ex
8 matre et propinquas suas nuptum in alias ciuitates collocasse. Fa-
uere et cupere Heluetiis propter eam adfinitatem, odisse etiam suo
nomine Caesarem et Romanos, quod eorum aduentu potentia eius
deminuta, et Diuitiacus frater in antiquum locum gratiae atque
9 honoris sit restitutus. Si quid accidat Romanis, summam in spem
per Heluetios regni obtinendi uenire; imperio populi Romani non
modo de regno, sed etiam de ea, quam habeat, gratia desperare.
10 Reperiebat etiam in quaerendo Caesar, quod proelium equestre
aduersum paucis ante diebus esset factum, initium eius fugae fa-
ctum a Dumnorige atque eius equitibus (nam equitatui, quem au-
xilio Caesari Haedui miserant, Dumnorix praeerat): eorum fuga
19 reliquum esse equitatum perterritum. Quibus rebus cognitis, cum
ad has suspiciones certissimae res accederent, quod per fines Se-
quanorum Heluetios traduxisset, quod obsides inter eos dandos

4 tractari *b*. 5 a solo quae *b*. 6 repperit *a*. 8 compluris '*mss*. 10', complures (*a*); compluribus annis *b*. 9 Heduorum *a*. 10 illo dicente '*mss. plerique*' *af*. liceri *Aldus*; licere *A D E*, dicere '*iidem mss.*', *qui* dicente, *af*. 15 Viturigibus '*mss. plerique*' *a*. ac potentissimo *om. a* '*mss*. 4'. 18 adfinitatem *A af*. etiam suorum *a ante corr. et b*. 23 habebat *a* '*mss. quidam*'. 24 repperiebat *a*. in quaerendo '*mss. ueteres multi et uetustissimi*' *A E et m. sec.? C*; inquirendo *a f et m. pr.? C*. 25 esset *om. C*. 26 equitatu *u contra codd*. 27 Hedui *a*. 28 equitatum esse *b*.

curasset, quod ea omnia non modo iniussu suo et ciuitatis, sed
etiam inscientibus ipsis fecisset, quod a magistratu Haeduorum
accusaretur, satis esse causae arbitrabatur, quare in eum aut ipse
animaduerteret, aut ciuitatem animaduertere iuberet. His omni- 2
bus rebus unum repugnabat, quod Diuitiaci fratris summum in po-
pulum Romanum studium, summam in se uoluntatem, egregiam
fidem, iustitiam, temperantiam cognouerat: nam, ne eius supplicio
Diuitiaci animum offenderet, uerebatur. Itaque prius, quam quic- 3
quam conaretur, Diuitiacum ad se uocari iubet et cotidianis inter-
pretibus remotis per C. Valerium Procillum, principem Galliae
prouinciae, familiarem suum, cui summam omnium rerum fidem
habebat, cum eo colloquitur: simul commonefacit, quae ipso prae- 4
sente in concilio Gallorum de Dumnorige sint dicta, et ostendit,
quae separatim quisque de eo apud se dixerit. Petit atque horta- 5
tur, ut sine eius offensione animi uel ipse de eo causa cognita sta-
tuat, uel ciuitatem statuere iubeat. Diuitiacus multis cum lacrimis **20**
Caesarem complexus obsecrare coepit, ne quid grauius in fratrem
statueret: Scire se illa esse uera, nec quemquam ex eo plus quam 2
se doloris capere, propterea quod, cum ipse gratia plurimum domi
atque in reliqua Gallia, ille minimum propter adolescentiam posset,
per se creuisset; quibus opibus ac neruis non solum ad minuendam 3
gratiam, sed paene ad perniciem suam uteretur. Sese tamen et
amore fraterno et existimatione uulgi commoueri. Quod si quid ei 4
a Caesare grauius accidisset, cum ipse eum locum amicitiae apud
eum teneret, neminem existimaturum non sua uoluntate factum;
qua ex re futurum, uti totius Galliae animi a se auerterentur.
Haec cum pluribus uerbis flens a Caesare peteret, Caesar eius 5
dextram prendit; consolatus rogat, finem orandi faciat; tanti eius
apud se gratiam esse ostendit, uti et reipublicae iniuriam et suum
dolorem eius uoluntati ac precibus condonet. Dumnorigem ad se 6
uocat, fratrem adhibet; quae in eo reprehendat, ostendit, quae

2 Heduorum *a.* 6 Romanum '*abest ab mss.* 12'. 8 quicquam *Aaf*, quidquam *D*, quitquam *E*. 9 cotidianis *a.* 10 Procillum *d*; Troaucillum '*uetustissimi*' *Schneid.*, Traucillum *af*: '*mss. nostri* Troacillum *uel* Troaucillum *uel* Traucillum'. *Vid. c.* 47, 4. 53, 5. Galileae *C.* 12 conloquitur *f.* 14 unusquisque *b.* 16 multum *ab.* 17 complexans *m. pr. b.* 20 ille] ipse *C.* minime *ante corr. a.* 21 creuissent *C*, creuisse '*mss.* 9', eum creuisse *D.* 27 *uerbis* haec cum *incipit fol.* 7 *B.* 28 dextram prendit '*mss. plures et antiquiores*' (*B*); dexteram prendit *E.* consolatusque eum rogat *D.*

ipse intellegat, quae ciuitas queratur, proponit; monet, ut in reliquum tempus omnes suspiciones uitet; praeterita se Diuitiaco fratri condonare dicit. Dumnorigi custodes ponit, ut, quae agat, quibuscum loquatur, scire possit.

21 Eodem die ab exploratoribus certior factus hostes sub monte
consedisse milia passuum ab ipsius castris octo, qualis esset natura
2 montis et qualis in circuitu ascensus, qui cognoscerent, misit. Re-
nuntiatum est facilem esse. De tertia uigilia Titum Labienum,
legatum pro praetore, cum duabus legionibus et iis ducibus, qui
iter cognouerant, summum iugum montis ascendere iubet; quid
3 sui consilii sit, ostendit. Ipse de quarta uigilia eodem itinere, quo
hostes ierant, ad eos contendit equitatumque omnem ante se mittit.
4 P. Considius, qui rei militaris peritissimus habebatur et in exer-
citu L. Sullae et postea in M. Crassi fuerat, cum exploratoribus
22 praemittitur. Prima luce, cum summus mons a Labieno teneretur,
ipse ab hostium castris non longius mille et quingentis passibus
abesset, neque, ut postea ex captiuis comperit, aut ipsius aduentus
2 aut Labieni cognitus esset, Considius equo admisso ad eum ac-
currit, dicit montem, quem a Labieno occupari uoluerit, ab hosti-
bus teneri: id se a Gallicis armis atque insignibus cognouisse.
3 Caesar suas copias in proximum collem subducit, aciem instruit.
Labienus, ut erat ei praeceptum a Caesare, ne proelium commit-
teret, nisi ipsius copiae prope hostium castra uisae essent, ut un-
dique uno tempore in hostes impetus fieret, monte occupato nostros
4 expectabat proelioque abstinebat. Multo denique die per explora-
tores Caesar cognouit et montem a suis teneri et Heluetios castra
mouisse et Considium timore perterritum, quod non uidisset, pro
5 uiso sibi renuntiasse. Eo die quo consuerat interuallo hostes se-
23 quitur et milia passuum tria ab eorum castris castra ponit. Postri-
die eius diei, quod omnino biduum supererat, cum exercitui fru-

2 Deuitiaco *ante corr. B.* 7 ascensus *et* 10 ascendere *B.* 7 cognosceret '*mss.* 18' *A B C D E e f.* 8 Titum *A B C D E f*, T. *u.* 9 'iis *uel* his *A C b*', his *B* (*E*) *a e* (*f*). 11 hostendit *ante corr. B.* 13 P. *A*, *om. B et reliqui fere omnes.* 15 a Labieno *ego,* 'a L. *uel* Lucio Labieno *mss. plerique*', a Lucio Labienio *B;* a T. Labieno *u.* 17 ex] a *D.* 18 ad eum *om. C.* 20 a Gallicis (*B*) *C D E b c f*, e Gallicis *A*, aut Gallicis *e.* 21 seducit *b.* 24 montem occupat *b.* 25 expectabat (*B*). die exacto per *D.* 26 castra] contra *m. pr. A.* 27 prouiso *B,* ex inprouiso *D.* 28 pronuntiauisse *D.* insequitur *b.* 30 exercitum *C*, exercitu *f* '*mss.* 3'.

mentum metiri oporteret, et quod a Bibracte, oppido Haeduorum
longe maximo et copiosissimo, non amplius milibus passuum XVIII
aberat, rei frumentariae prospiciendum existimauit: iter ab Hel-
uetiis auertit ac Bibracte ire contendit. Ea res per fugitiuos L. 2
Aemilii, decurionis equitum Gallorum, hostibus nuntiatur. Hel- 3
uetii, seu quod timore perterritos Romanos discedere a se existi-
marent, eo magis, quod pridie superioribus locis occupatis proelium
non commisissent, siue eo, quod re frumentaria intercludi posse
confiderent, commutato consilio atque itinere conuerso nostros a
nouissimo agmine insequi ac lacessere coeperunt. Postquam id **24**
animum aduertit, copias suas Caesar in proximum collem subdu-
cit equitatumque, qui sustineret hostium impetum, misit. Ipse in- 2
terim in colle medio triplicem aciem instruxit legionum quattuor
ueteranarum [ita, uti supra]; sed in summo iugo duas legiones,
quas in Gallia citeriore proxime conscripserat, et omnia auxilia
conlocari ac totum montem hominibus compleri et interea sarcinas 3
in unum locum conferri et eum ab his, qui in superiore acie con-
stiterant, muniri iussit. Heluetii cum omnibus suis carris secuti 4
inpedimenta in unum locum contulerunt; ipsi confertissima acie 5
reiecto nostro equitatu phalange facta sub primam nostram aciem
successerunt. Caesar primum suo, deinde omnium ex conspectu **25**
remotis equis, ut aequato omnium periculo spem fugae tolleret,
cohortatus suos proelium commisit. Milites e loco superiore pilis 2
missis facile hostium phalangem perfregerunt. Ea disiecta gladiis
destrictis in eos impetum fecerunt. Gallis magno ad pugnam erat 3
impedimento, quod pluribus eorum scutis uno ictu pilorum trans-
fixis et conligatis, cum ferrum se inflexisset, neque euellere ne-
que sinistra inpedita satis commode pugnare poterant, multi ut 4
diu iactato brachio praeoptarent scutum manu emittere et nudo

4 ac, *quod 'meliores plerique agnoscunt', supra uers. sec. m. B. P.* 68. 5 nunciatur *pr. m. B.* 11 animum aduertit *A (B) C*, aduertit *suprasc.* anim *f*, animaduertit *alii* 13 quattuor *A B C D.* 14 ueteranarum *duo dett.*; ueteranorum *B et reliqui. P.* 54. ita uti supra *'suspicor esse glossam'. P.* 53. sed *A B*, *in quo* d *m. sec. del.*, *C D E e ?*; se *reliqui fere omnes.* 16 conlocari *A B C D E.* *post* compleri *m. sec.* uellet *suprasc. habet f.* 18 consecuti *b.* 19 inpedimenta *A C.* 20 nostro equitatu] nostro equitu *A m. pr.*, 'a nos. exercitu *b*'. 24 ea disiecta — fecerunt *om. E.* 25 destrictis *A (B) C D b e.* erant *ante corr. B.* 26 eorum *om. f.* tranfixis *m. pr. B.* 27 conligatis *A B C f.* inflixisset *A B C D E b e*, infixisset *f corr.* 28 inpedita *A C.* 29 scuta e manu *A.*

5 corpore pugnare. Tandem uulneribus defessi et pedem referre et,
quod mons suberat circiter mille passuum, eo se recipere coepe-
6 runt. Capto monte et succedentibus nostris Boii et Tulingi, qui
hominum milibus circiter XV agmen hostium claudebant et nouis-
simis praesidio erant, ex itinere nostros latere aperto adgressi cir-
cumuenire, et id conspicati Heluetii, qui in montem sese recepe-
7 rant, rursus instare et proelium redintegrare coeperunt. Romani
conuersa signa bipartito intulerunt: prima et secunda acies, ut ui-
26 ctis ac summotis resisteret, tertia, ut uenientes sustineret. Ita
ancipiti proelio diu atque acriter pugnatum est. Diutius cum sus-
tinere nostrorum impetus non possent, alteri se, ut coeperant, in
montem receperunt, alteri ad inpedimenta et carros suos se con-
2 tulerunt. Nam hoc toto proelio, cum ab hora septima ad uesperum
3 pugnatum sit, auersum hostem uidere nemo potuit. Ad multam
noctem etiam ad inpedimenta pugnatum est, propterea quod pro
uallo carros obiecerant et e loco superiore in nostros uenientes
tela coniciebant, et nonnulli inter carros rotasque mataras ac tra-
4 gulas subiciebant nostrosque uulnerabant. Diu cum esset pugna-
tum, inpedimentis castrisque nostri potiti sunt. Ibi Orgetorigis
5 filia atque unus e filiis captus est. Ex eo proelio circiter
hominum milia CXXX superfuerunt eaque tota nocte conti-
nenter ierunt: nullam partem noctis itinere intermisso in
fines Lingonum die quarto peruenerunt, cum et propter uul-
nera militum et propter sepulturam occisorum nostri triduum
6 morati eos sequi non potuissent. Caesar ad Lingonas litteras nun-
tiosque misit, ne eos frumento neue alia re iuuarent: qui si iuuis-

2 mille *A* (*B*) *Ef*, M. *u*. 3 succendentibus *ante corr. B*. 5 ex *om. D*. apertos *b*. adgressi *ABDf*. circumuenere *codd. omnes*. 8 bipertito *E*; tripartito *C*, tripertito *correctus in prima syll. f, qui in antepenultima ubique* per *habet*. 9 summotis, *non* submotis, *ABf*; semotis *E*. sustineret] exciperet *u cum uno et altero dett.* 10 ancipiti *addita* n *sec. m. B*. sustinere nostrorum impetus *AB C D E e*, sust. nostr. impetum *f*; nostrorum impetus sustinere *errore u*: cum sustinere non possent nostros, alteri *b*. 12 recerunt, *sed corr. pr. m., B*. inpedimenta *Af*, '*item* 15 *et* 19, *quibus tamen locis Fabriciani exemplaris testimonio de A contradicit Plueschkius*' *Schneid.* 14 aduersum '*mss.* 12' *D E e et ante corr. A*; *in f int.* a *et* u *litura est*. 16 abiecerant *ante corr. B*. 17 coniciebant *et* 18 subiciebant *B atque ita constanter omnia, quae a iaciendo descendunt, cum nihil annotabo*. 20 filiae *Cf*. 23 quarto (*B*) *Ef*, quarta *A*, IV *u*. 25 Lingonas, *non* Lingones, (*B*) *Cbf*, Ligonas *A*.

sent, se eodem loco, quo Heluetios, habiturum. Ipse triduo inter-
misso cum omnibus copiis eos sequi coepit. Heluetii omnium rerum 27
inopia adducti legatos de deditione ad eum miserunt. Qui cum eum 2
in itinere conuenissent seque ad pedes proiecissent subpliciterque
locuti flentes pacem petissent, atque eos in eo loco, quo tum es-
sent, suum aduentum expectare iussisset, paruerunt. Eo postquam 3
Caesar peruenit, obsides, arma, seruos, qui ad eos perfugissent,
poposcit. Dum ea conquiruntur et conferuntur, nocte intermissa 4
circiter hominum milia VI eius pagi, qui Verbigenus appellatur,
siue timore perterriti, ne armis traditis supplicio adficerentur,
siue spe salutis inducti, quod in tanta multitudine dediticiorum
suam fugam aut occultari aut omnino ignorari posse existimarent,
prima nocte e castris Heluetiorum egressi ad Rhenum finesque
Germanorum contenderunt. Quod ubi Caesar resciit, quorum per 28
fines ierant, his, uti conquirerent et reducerent, si sibi purgati esse
uellent, imperauit: reductos in hostium numero habuit; reliquos 2
omnes obsidibus, armis, perfugis traditis in deditionem accepit.
Heluetios, Tulingos, Latobrigos in fines suos, unde erant profecti, 3
reuerti iussit, et quod omnibus fructibus amissis domi nihil erat,
quo famem tolerarent, Allobrogibus imperauit, ut iis frumenti co-
piam facerent: ipsos oppida uicosque, quos incenderant, restituere
iussit. Id ea maxime ratione fecit, quod noluit eum locum, unde 4
Heluetii discesserant, uacare, ne propter bonitatem agrorum Ger-
mani, qui trans Rhenum incolunt, e suis finibus in Heluetiorum
fines transirent et finitimi Galliae prouinciae Allobrogibusque es-
sent. Boios petentibus Haeduis, quod egregia uirtute erant cogniti, 5
ut in finibus suis collocarent, concessit; quibus illi agros dederunt
quosque postea in parem iuris libertatisque condicionem, atque

1 habitum *m. pr. B.* 2 eos *om. f.* 4 ad pedes] eius *add. DEb.* subpliciterque *B.* 5 pacem flentes *b;* flentes *om. E;* pecem *pr. m. B.* tum *sec. m. sup. uers. B*, tunc *f.* 6 suum aduentum] se *b.* expectare *B.* 9 sex (*B*). Verbigenus *A* (*B*) *C D E e f aliique*, Vrbigenus *cum aliquot dett. u.* 10 adficerentur *A B C.* 11 deditiorum *C D f.* 16 reductus, *sed corr.*, *B.* 18 Latobicos *D.* 19 fructibus *A D E;* frugibus *B e reliquique fere omnes P.* 54. 20 ut his *A B E f*, ut hiis *C.* 21 restaurare *b c.* 22 ea *om. C.* 24 e *om. A B C b f*, a *E.* 26 Heduis *B.* 27 in *om. b.* dederunt] contulerunt *D.* 28 quos postea *b c.* in parem *Aldus*; in partem *codd.* libertatemque *m. pr. Co*, libertateque *Cφ.* condicione *A dubitante de extrema syll. Plueschkio*, conditione *B C E f.* atque] ut *add. D E.*

29 ipsi erant, receperunt. In castris Heluetiorum tabulae repertae
sunt litteris Graecis confectae et ad Caesarem relatae, quibus in
tabulis nominatim ratio confecta erat, qui numerus domo exisset
eorum, qui arma ferre possent, et item separatim pueri, senes mu-
2 lieresque. Quarum omnium rerum summa erat capitum Heluetio-
rum milia CCLXIII, Tulingorum milia XXXVI, Latobrigorum XIIII,
Rauracorum XXIII, Boiorum XXXII; ex his, qui arma ferre pos-
3 sent, ad milia nonaginta duo. Summa omnium fuerunt ad milia
CCCLXVIII. Eorum, qui domum redierunt, censu habito, ut Caesar
imperauerat, repertus est numerus milium C et X.

30 Bello Heluetiorum confecto totius fere Galliae legati, princi-
2 pes ciuitatum, ad Caesarem gratulatum conuenerunt: Intellegere
sese, tametsi pro ueteribus Heluetiorum iniuriis populi Romani ab
his poenas bello repetisset, tamen eam rem non minus ex usu ter-
3 rae Galliae quam populi Romani accidisse, propterea quod eo con-
silio florentissimis rebus domos suas Heluetii reliquissent, uti toti
Galliae bellum inferrent imperioque potirentur locumque domicilio
ex magna copia deligerent, quem ex omni Gallia opportunissimum
ac fructuosissimum iudicassent, reliquasque ciuitates stipendiarias
4 haberent. Petierunt, uti sibi concilium totius Galliae in diem cer-
tam indicere idque Caesaris uoluntate facere liceret: sese habere
5 quasdam res, quas ex communi consensu ab eo petere uellent. Ea
re permissa diem concilio constituerunt et iureiurando, ne quis
enuntiaret, nisi quibus communi consilio mandatum esset, inter se
31 sanxerunt. Eo concilio dimisso idem principes ciuitatum, qui ante
fuerant, ad Caesarem reuerterunt petieruntque, uti sibi secreto

3 erant *ante corr. B.* exissent *b.* 5 *Orosius VI, 7:* Horum fuit, cum primum progressa est, omnis multitudo Heluetiorum, Tulingorum, Latobrogiorum, Rauracorum et Boiorum utriusque sexus ad centum quinquaginta et septem milia hominum. Ex his quadraginta et septem milia in bello ceciderunt: cetera in terras proprias remissa sunt. 6 XIIII *A f*, XIV (*B*) *u.* 7 ferre possent] possent portare *f.* 8 ad milia — fuerunt *om. f.* nonaginta duo *A B E*, XCII *u.* summe *m. pr. A.* fuerat *D*, suorum *b.* 9 domum *D E f*, de domo *A*, domo *B et ceteri tantum non omnes.* 13 iam etsi *C D et, in quo* i *correctione effectum est, B.* populi Romani *A* (*B*) *C D E; alii ambiguo compendio, ut* p. R. *e.* ab his *A B f*, ab hiis *E;* ab iis *u.* 15 p. R. *B,* populo R. *D.* 18 deligerent *corr. in* i *f*, delegerint *b.* 21 indiceret *m. sec. b.* 23 concilium *A.* constituerunt] statuerunt *C.* 24 concilio *m. pr. A.* 25 idem *A B C D E f*, *non* iidem. 26 reuersi sunt *b et in marg. C.* secro *A.*

in occulto de sua omniumque salute cum eo agere liceret. Ea re 2
impetrata sese omnes flentes Caesari ad pedes proiecerunt: Non
minus se id contendere et laborare, ne ea, quae dixissent, enun-
tiarentur, quam uti ea, quae uellent, impetrarent, propterea quod,
si enuntiatum esset, summum in cruciatum se uenturos uiderent.
Locutus est pro his Diuitiacus Haeduus: Galliae totius factiones 3
esse duas: harum alterius principatum tenere Haeduos, alterius
Aruernos. Hi cum tantopere de potentatu inter se multos annos 4
contenderent, factum esse, uti ab Aruernis Sequanisque Germani
mercede arcesserentur. Horum primo circiter milia XV Rhenum 5
transisse: posteaquam agros et cultum et copias Gallorum homines
feri ac barbari adamassent, traductos plures: nunc esse in Gallia
ad centum et XX milium numerum. Cum his Haeduos eorumque 6
clientes semel atque iterum armis contendisse; magnam calamita-
tem pulsos accepisse, omnem nobilitatem, omnem senatum, omnem
equitatum amisisse. Quibus proeliis calamitatibusque fractos, qui 7
et sua uirtute et populi Romani hospitio atque amicitia plurimum
ante in Gallia potuissent, coactos esse Sequanis obsides dare no-
bilissimos ciuitatis et iureiurando ciuitatem obstringere, sese neque
obsides repetituros neque auxilium a populo Romano inploraturos
neque recusaturos, quo minus perpetuo sub illorum dicione atque
imperio essent. Vnum se esse ex omni ciuitate Haeduorum, qui 8
adduci non potuerit, ut iuraret aut liberos suos obsides daret. Ob 9
eam rem se ex ciuitate profugisse et Romam ad senatum uenisse
auxilium postulatum, quod solus neque iureiurando neque obsidi-
bus teneretur. Sed peius uictoribus Sequanis quam Haeduis uictis 10
accidisse, propterea quod Ariouistus, rex Germanorum, in eorum
finibus consedisset tertiamque partem agri Sequani, qui esset opti-
mus totius Galliae, occupauisset et nunc de altera parte tertia Se-
quanos decedere iuberet, propterea quod paucis mensibus ante Ha-
rudum milia hominum XXIIII ad eum uenissent, quibus locus ac
sedes pararentur. Futurum esse paucis annis, uti omnes ex Gal- 11
liae finibus pellerentur, atque omnes Germani Rhenum transirent:
neque enim conferendum esse Gallicum cum Germanorum agro,

2 flentes] gentes *A*. 4 ea *om. b*. 6 *littera* t *in* Diuitiacus *sec. m. B*. Haeduos *suprasc.* u *B*. 10 arcessirentur *b*. primum *A*. 12 in Galliam *b*. 13 centum *B*, c *u*. 20 inploraturos *B*. 21 ditione (*B*) *u*. 31 xxiiii *A C f*, xxiv (*B*) *u*, uiginti quatuor *E*. 34 cum *om. A*.

12 neque hanc consuetudinem uictus cum illa comparandam. Arioui-
stum autem, ut semel Gallorum copias proelio uicerit, quod proe-
lium factum sit ad Magetobriam, superbe et crudeliter imperare,
obsides nobilissimi cuiusque liberos poscere et in eos omnia
exempla cruciatusque edere, si qua res non ad nutum aut ad uo-
13 luntatem eius facta sit. Hominem esse barbarum, iracundum, te-
14 merarium: non posse eius imperia diutius sustinere. Nisi si quid
in Caesare populoque Romano sit auxilii, omnibus Gallis idem esse
faciendum, quod Heluetii fecerint, ut domo emigrent, aliud domici-
lium, alias sedes, remotas a Germanis, petant fortunamque, quae-
15 cumque accidat, experiantur. Haec si enuntiata Ariouisto sint,
non dubitare, quin de omnibus obsidibus, qui apud eum sint, gra-
16 uissimum supplicium sumat. Caesarem uel auctoritate sua atque
exercitus uel recenti uictoria uel nomine populi Romani deterrere
posse, ne maior multitudo Germanorum Rhenum traducatur, Gal-
32 liamque omnem ab Ariouisti iniuria posse defendere. Hac oratione
ab Diuitiaco habita omnes, qui aderant, magno fletu auxilium a
2 Caesare petere coeperunt. Animaduertit Caesar unos ex omnibus
Sequanos nihil earum rerum facere, quas ceteri facerent, sed
tristes capite demisso terram intueri. Eius rei quae causa esset,
3 miratus ex ipsis quaesiit. Nihil Sequani respondere, sed in eadem
tristitia taciti permanere. Cum ab his saepius quaereret neque
ullam omnino uocem exprimere posset, idem Diuitiacus Haeduus
4 respondit: Hoc esse miseriorem et grauiorem fortunam Sequano-
rum quam reliquorum, quod soli ne in occulto quidem queri neque
auxilium implorare auderent absentisque Ariouisti crudelitatem,
5 uelut si coram adesset, horrerent, propterea quod reliquis tamen

2 proelio *om. b.* uinceret *D.* 3 ad Magetobriam *f;* admagetobrige *A;* ad Magetobrie *B atque ita reliqui, nisi quod partim utramque uocem coniungunt, ut e, et, ut idem, in fine* ae *habent.* 5 cruciatusque *an etiam D habeat, dubitat Oud.* aut ad] ad *om. b.* 7 sustinere *A D E e f, item ante corr. B et pro uar. lect.? C et m. sec. b;* sustineri *u.* si *m. sec. Aπ, om. f.* 8 idem] id *b.* 9 faciundum *u cum uno pessimo.* 10 quaecunque *(B) u.* 11 anunciata *b.* sunt *ante corr. B,* fuerint *b.* 12 apud ipsum *b.* 17 ab Deniaco *ante corr. B, om. f.* adherant *ante corr. B.* 18 unus *A B C E e f reliquique fere omnes.* 20 trites *m. pr. B.* causa quae *errore u.* 22 permanere *etiam B diserto Beyerlii testimonio;* permansere *A C (hic corr.) b f.* ab his *A B f,* ab hiis *E;* ab iis *u.* 24 miseriorem grauioremque *cum paucis dett. u.* 26 implorare] ferre *m. pr. C.* 27 ueluti *D.* tamen] tantum *A b c f,* tam *suprasc.* tu *B,* tanta *C.*

fugae facultas daretur, Sequanis uero, qui intra fines suos Ariouistum
recepissent, quorum oppida omnia in potestate eius essent, omnes
cruciatus essent perferendi. His rebus cognitis Caesar Gallorum 33
animos uerbis confirmauit pollicitusque est sibi eam rem curae fu-
turam: magnam se habere spem et beneficio suo et auctoritate ad-
ductum Ariouistum finem iniuriis facturum. Hac oratione habita
concilium dimisit. Et secundum ea multae res eum hortabantur, 2
quare sibi eam rem cogitandam et suscipiendam putaret, inpri-
mis, quod Haeduos, fratres consanguineosque saepenumero a se-
natu appellatos, in seruitute atque in dicione uidebat Germanorum
teneri eorumque obsides esse apud Ariouistum ac Sequanos in-
tellegebat; quod in tanto imperio populi Romani turpissimum sibi
et reipublicae esse arbitrabatur. Paulatim autem Germanos con- 3
suescere Rhenum transire et in Galliam magnam eorum multitudi-
nem uenire populo Romano periculosum uidebat, neque sibi ho- 4
mines feros ac barbaros temperaturos existimabat, quin, cum
omnem Galliam occupauissent, ut ante Cimbri Teutonique fecis-
sent, in prouinciam exirent atque inde in Italiam contenderent,
praesertim cum Sequanos a prouincia nostra Rhodanus diuideret;
quibus rebus quam maturrime occurrendum putabat. Ipse autem 5
Ariouistus tantos sibi spiritus, tantam arrogantiam sumpserat, ut
ferendus non uideretur. Quamobrem placuit ei, ut ad Ariouistum 34
legatos mitteret, qui ab eo postularent, uti aliquem locum medium
utriusque conloquio deligeret: uelle sese de re publica et summis
utriusque rebus cum eo agere. Ei legationi Ariouistus respondit: 2
Si quid ipsi a Caesare opus esset, sese ad eum uenturum fuisse;
si quid ille se uelit, illum ad se uenire oportere. Praeterea se ne- 3
que sine exercitu in eas partes Galliae uenire audere, quas Caesar
possideret, neque exercitum sine magno commeatu atque moli-
mento in unum locum contrahere posse. Sibi autem mirum uideri, 4

2 recipissent *m. pr. B.* 4 futurae *b.* 6 hac] ac *m. pr. B.* 7 dimissit *ante corr. B.* 10 seruitutem *D.* ditione *suprasc. sec. m.* de *B*, deditione *C ? b d.* 13 paullatim, *itemque* paullum, paullo, paullisper *contra codd. ubique u.* 15 uidebat *m. sec. supra uers. B.* 16 optemperaturos *A e*, obtemperaturos *B et reliqui praeter unum det.* 17 occupauissent *A C D f aliique*, occupauisset *E*; occupassent (*B*)? *u.* 19 Rodanus *suprasc.* h *B.* 21 tantam sibi arr. *D.* 24 utrique *b.* (conloquio *A B C f*) colloquii *b.* deligeret] diceret *u. P.* 55. 26 ipsi] ei *b.* 29 molimento *Faërnus*, emolimento *m. sec.* u *super* i *posita f*, emolumento *reliqui.*

quid in sua Gallia, quam bello uicisset, aut Caesari aut omnino
35 populo Romano negotii esset. His responsis ad Caesarem relatis
2 iterum ad eum Caesar legatos cum his mandatis mittit: Quoniam
tanto suo populique Romani beneficio adfectus, cum in consulatu
suo rex atque amicus a senatu appellatus esset, hanc sibi populo-
que Romano gratiam referret, ut in conloquium uenire inuitatus
grauaretur neque de communi re dicendum sibi et cognoscendum
3 putaret, haec esse, quae ab eo postularet: primum, ne quam mul-
titudinem hominum amplius trans Rhenum in Galliam traduceret;
deinde obsides, quos haberet ab Haeduis, redderet Sequanisque
permitteret, ut, quos illi haberent, uoluntate eius reddere illis li-
ceret; neue Haeduos iniuria lacesseret, neue his sociisque eorum
4 bellum inferret. Si id ita fecisset, sibi populoque Romano perpe-
tuam gratiam atque amicitiam cum eo futuram: si non impetraret,
sese, quoniam M. Messala, M. Pisone consulibus senatus censuis-
set, uti, quicumque Galliam prouinciam optineret, quod commodo
reipublicae facere posset, Haeduos ceterosque amicos populi Ro-
36 mani defenderet, se Haeduorum iniurias non neglecturum. Ad
haec Ariouistus respondit: Ius esse belli, ut, qui uicissent, iis,
quos uicissent, quemadmodum uellent, imperarent: item populum
Romanum uictis non ad alterius praescriptum, sed ad suum arbi-
2 trium imperare consuesse. Si ipse populo Romano non praescri-
beret, quemadmodum suo iure uteretur, non oportere sese a po-
3 pulo Romano in suo iure inpediri. Haeduos sibi, quoniam belli
fortunam temptassent et armis congressi ac superati essent, sti-
4 pendiarios esse factos. Magnam Caesarem iniuriam facere, qui
5 suo aduentu uectigalia sibi deteriora faceret. Haeduis se obsides
redditurum non esse, neque iis neque eorum sociis iniuria bellum
inlaturum, si in eo manerent, quod conuenisset, stipendiumque

2 relatis *Dresd. pr. et Vind. sec.*; legatis *B e 'optimi' Schneid., alii corruptiora.* 4 adfectus *B.* 6 conloquium *A B.* 8 hominum multitudinem *errore u.* 10 Heduis *B.* 12 sociisue (*B*)? *Faërni coniectura Scaliger atque u.* 13 sibi] sui *D.* populique Ro *D b.* 15 sese] scire sese *b d.* M. Pisone *Glandorpius,* Pisone *E,* L. (*sic B suprasc.* o) *uel* Lucio Pisone *reliqui.* 16 quicumque *B.* prouintiam *pr. m. B.* optineret *B.* 19 his, quos *A B D E f.* 20 idem *B 'mss. nouem'*, id ẽ *C,* id est *A e.* 23 sese *A;* se *B et reliqui.* 24 inpediri *B.* 25 stipendiorios, *sed* a *antepenultimae suprasc., B.* 28 neque his *A B E f.* iniuriis *b.* 29 inlaturum *A B E f.* conuenisset (*B*) *C D*, conuenissent *A f et m. pr. E.*

quotannis penderent; si id non fecissent, longe iis fraternum no-
men populi Romani afuturum. Quod sibi Caesar denuntiaret se 6
Haeduorum iniurias non neglecturum, neminem secum sine sua
pernicie contendisse. Cum uellet, congrederetur: intellecturum, 7
quid inuicti Germani, exercitatissimi in armis, qui inter annos
XIIII tectum non subissent, uirtute possent. Haec eodem tempore 37
Caesari mandata referebantur, et legati ab Haeduis et a Treueris
ueniebant: Haedui questum, quod Harudes, qui nuper in Galliam 2
transportati essent, fines eorum popularentur: sese ne obsidibus
quidem datis pacem Ariouisti redimere potuisse; Treueri autem 3
pagos centum Sueuorum ad ripam Rheni consedisse, qui Rhenum
transire conarentur; his praeesse Nasuam et Cimberium fratres.
Quibus rebus Caesar uehementer commotus maturandum sibi exi- 4
stimauit, ne, si noua manus Sueuorum cum ueteribus copiis Ario-
uisti sese coniunxisset, minus facile resisti posset. Itaque re fru- 5
mentaria quam celerrime potuit comparata magnis itineribus ad
Ariouistum contendit. Cum tridui uiam processisset, nuntiatum 38
est ei Ariouistum cum suis omnibus copiis ad occupandum Veson-
tionem, quod est oppidum maximum Sequanorum, contendere tri-
duique uiam a suis finibus profecisse. Id ne accideret, magnopere 2
sibi praecauendum Caesar existimabat. Namque omnium rerum, 3
quae ad bellum usui erant, summa erat in eo oppido facul-
tas, idque natura loci sic muniebatur, ut magnam ad ducendum 4
bellum daret facultatem, propterea quod flumen [alduas] Du-
bis ut circino circumductum paene totum oppidum cingit;
reliquum spatium, quod est non amplius pedum sexcentorum, 5
qua flumen intermittit, mons continet magna altitudine, ita, ut

1 longe his *B et tantum non omnes,* longe illis *b.* 2 afuturum *A* (*B*) *D E et m. sec. C,* affuturum e '*nonnulli*', abfuturum (*f*). 5 in-uictissimi *b.* inter *A D E b e*, intra *B f.* 6 XIV (*B*) *u.* 7 Treueris *A E f* '*multi hic et dein*', Treuiris (*B*) *et ubique u.* 8 quae-stum *ante corr. B.* 9 ne] non *C.* 10 Treueri *A B D E f.* 12 his *A B E f,* iis *u.* Natsuam *D.* 14 cum *int. uers. b.* 16 caelerrime *ante corr. B.* 17 nunciatum *m. pr. B.* 20 a *om. b.* profecisse *A D E*, *item B*, *in quo* c *super* f *et* ss *super* c *m. sec. po-suit;* processisse *a e f aliique.* acideret *suprasc. altera* c *B.* magnopere *suprasc.* o *ante* p *B*, magno opere *C u.* 22 facultas] diffi-cultas *codd. praeter unum et alterum det.* 24 alduas dubis *B f et con-iunctim A C D E e reliquique plerique;* Dubis *Valesius.* 25 circum-dultum *C.* 26 non est *f.* sescentorum *B.* 27 ut] u *m. pr. B.*

6 radices montis ex utraque parte ripae fluminis contingant. Hunc
7 murus circumdatus arcem efficit et cum oppido coniungit. Huc Cae-
sar magnis nocturnis diurnisque itineribus contendit occupatoque
oppido ibi praesidium conlocat.

39 Dum paucos dies ad Vesontionem rei frumentariae commea-
tusque causa moratur, ex percontatione nostrorum uocibusque
Gallorum ac mercatorum, qui ingenti magnitudine corporum Ger-
manos, incredibili uirtute atque exercitatione in armis esse prae-
dicabant (saepenumero sese cum his congressos ne uultum quidem
atque aciem oculorum dicebant ferre potuisse), tantus subito timor
omnem exercitum occupauit, ut non mediocriter omnium mentes
2 animosque perturbaret. Hic primum ortus est a tribunis militum
praefectis reliquisque, qui ex urbe amicitiae causa Caesarem se-
3 cuti non magnum in re militari usum habebant: quorum alius alia
causa inlata, quam sibi ad proficiscendum necessariam esse diceret,
petebat, ut eius uoluntate discedere liceret; nonnulli pudore adducti,
4 ut timoris suspicionem uitarent, remanebant. Hi neque uultum
fingere neque interdum lacrimas tenere poterant: abditi in taber-
naculis aut suum fatum querebantur, aut cum familiaribus suis
5 commune periculum miserabantur. Volgo totis castris testamenta
obsignabantur. Horum uocibus ac timore paulatim etiam ii, qui
magnum in castris usum habebant, milites centurionesque quique
6 equitatui praeerant, peturbabantur. Qui se ex his minus timidos
existimari uolebant, non se hostem uereri, sed angustias itineris,
magnitudinem siluarum, quae intercederent inter ipsos atque Ario-

1 radices montis *A D E*, *item B, in quo* eius *post* radices *m. sec. suprasc.;* radices eius montis *f.* 3 nocturnis *om. m. pr. C.* diuturnisque *B C.* 4 conlocat *A B f.* 5 dum] cum *B.* 6 percontatione *A B C f*, percunctatione (*E*) *et ubique u.* 9 his *A B E f;* eis *u.* 10 dicebant *in marg. b suppletum om. u paucique pessimi.* 12 ab *f.* 13 reliquiisque *B.* secuti non magnum in re *D E et dett. fere omnes:* secuti non magnum periculum miserabantur in re *B*, *in quo uerba* periculum miserabantur *deleta et sec. m. eadem et* quod ñ magnum *suprascripta sunt;* secuti non magnum periculum miserabantur, quod non magnum in re *C;* secuti magnum periculum miserabantur, quod non magnum in re *A* (*sed* misereabantur *cum puncto sub* e *ante* a) *a b* (*hic* miserebantur) *d e f. P.* 41 *extr. et* 47. 15 inlata *A B f.* 20 uolgo *B et m. sec. C.* 21 hi *A B E f.* 22 quique *C et corr. B*, ut quisque *A D et ante corr. B*, quique qui *b.* 23 equitatu *u cum 'Vossiano'.* 24 itineris, magnit. '*mss. plerique*' *A D E et m. pr. B*; itineris et magnit. *u.* 25 intercederent inter ipsos atque Ariouistum *B*, '*mss. ueteres plerique*', '*fere iidem, qui* et *ante* magnitudinem *om.*' *Schneid.*:

uistum, aut rem frumentariam, ut satis commode supportari posset,
timere dicebant. Nonnulli etiam Caesari nuntiabant, cum castra 7
moueri ac signa ferri iussisset, non fore dicto audientes milites ne-
que propter timorem signa laturos. Haec cum animaduertisset, **40**
conuocato consilio omniumque ordinum ad id consilium adhibitis
centurionibus uehementer eos incusauit: primum, quod, aut quam
in partem aut quo consilio ducerentur, sibi quaerendum aut cogi-
tandum putarent. Ariouistum se consule cupidissime populi Romani 2
amicitiam appetisse: cur hunc tam temere quisquam ab officio dis-
cessurum iudicaret? Sibi quidem persuaderi cognitis suis postu- 3
latis atque aequitate condicionum perspecta eum neque suam neque
populi Romani gratiam repudiaturum. Quod si furore atque amen- 4
tia inpulsus bellum intulisset, quid tandem uererentur? aut cur de
sua uirtute aut de ipsius diligentia desperarent? Factum eius hostis 5
periculum patrum nostrorum memoria, cum Cimbris et Teutonis
a Gaio Mario pulsis non minorem laudem exercitus quam ipse im-
perator meritus uidebatur; factum etiam nuper in Italia seruili tu-
multu, quos tamen aliquid usus ac disciplina, quae a nobis acce-
pissent, subleuarent. Ex quo iudicari posse, quantum haberet in 6
se boni constantia, propterea quod, quos aliquamdiu inermos sine
causa timuissent, hos postea armatos ac uictores superassent.
Denique hos esse eosdem, quibuscum saepenumero Heluetii con- 7
gressi non solum in suis, sed etiam in illorum finibus plerumque
superarint, qui tamen pares esse nostro exercitui non potuerint.

inter eos atque Ariouistum intercederent *f* (*hic* intenderent) *Aldus et seqq. usque ad u. In B m. sec. uerba* inter — Ariouistum *inclusit et* intercederent inter eos atque Ariouistum *suprascripsit, sed* cederent inter *rursus deleuit.*
2 nuntiarant *A D et m. pr. B, in quo sec. m. initio* re *et* b *super* r *suprasc.;* renuntiabant *e u.* 3 ferre *C D.* 5 concilio *'alii' f, et in B sec. m.* c *super* s *posuit.* omnium ord. *A.* concilium *'alii' E.*
6 eos *om. A.* 10 iudicasset siquidem persuadere *A.* 11 aequitate condicionum *B;* aequitate et conditione *C? b c d, et in B sec. m.* et *ante* condicionum *et* e *super* um *posuit;* aequitate conditionum *u.*
13 inpulsus *B, sed* — sis *ante corr.* 14 hosti *A.* 16 Gaio *A B C D E f,* C. *u.* 18 usus ad disciplinam *b.* quae *A D E et m. pr. B,* quam *u. P.* 56. 19 iudicare *D.* posse *'mss. et edd. qdd.'*, posset *u.*
20 inermos *A et m. pr. B,* inermes *a et reliqui fere omnes.* 21 uietores *ante corr. B.* 22 hos esse eosdem *A B D;* hos esse Germanos *e et sec. m. B, similiaque Oud. inuenit in 'mss. recentioribus'.* 23 *post* in suis *add.* sedibus *'mss. 10' et int. uers. sec. m. B.* illorum] suis *'mss. 3' et deleto* illorum *int. uers. sec. m. B.* 24 superassent *B e.* exercitu *u cum uno et altero det.*

8 Si quos aduersum proelium et fuga Gallorum commoueret, hos, si
quaererent, reperire posse diuturnitate belli defetigatis Gallis Ario-
uistum, cum multos menses castris se ac paludibus tenuisset neque
sui potestatem fecisset, desperantes iam de pugna et dispersos su-
9 bito adortum magis ratione et consilio quam uirtute uicisse. Cui
rationi contra homines barbaros atque imperitos locus fuisset, hac
10 ne ipsum quidem sperare nostros exercitus capi posse. Qui suum
timorem in rei frumentariae simulationem angustiasque itineris
conferrent, facere arroganter, cum aut de officio imperatoris de-
11 sperare aut praescribere uiderentur. Haec sibi esse curae: fru-
mentum Sequanos, Leucos, Lingones sumministrare, iamque esse
in agris frumenta matura; de itinere ipsos breui tempore iudicaturos.
12 Quod non fore dicto audientes neque signa laturi dicantur, nihil
se ea re commoueri: scire enim, quibuscumque exercitus dicto
audiens non fuerit, aut male re gesta fortunam defuisse, aut ali-
13 quo facinore comperto auaritiam esse conuictam: suam innocentiam
14 perpetua uita, felicitatem Heluetiorum bello esse perspectam. Ita-
que se, quod in longiorem diem conlaturus fuisset, repraesentatu-
rum et proxima nocte de quarta uigilia castra moturum, ut quam
primum intellegere posset, utrum apud eos pudor atque officium,
15 an timor ualeret. Quod si praeterea nemo sequatur, tamen se
cum sola decima legione iturum, de qua non dubitaret, sibique
eam praetoriam cohortem futuram. Huic legioni Caesar et
indulserat praecipue et propter uirtutem confidebat maxime.
41 Hac oratione habita mirum in modum conuersae sunt omnium

1 moueret *m. pr. A.* hoc *ante corr. B.* 2 quaererent] quaerere uellent *b.* repperire *B.* defetigatis *Ao,* defatigatis (*Aπ*) *reliqui.* 5 adortum] ad austrum *b,* Ariouistum *D.* 6 hac] ac *A B C D e.* 8 simulationem *deleta sec. m. postrema litt. B.* itineris *m. pr. B,* '*mss. et edd. qdd.*', '*sic mss. omnes, non* itiuerum, *sed extat tamen* itinerum *in C' Exempl. Fabr.;* itinerum *e u et m. sec. B.* 9 conferrent *f,* conferret *A B C D E.* 10 uiderentur] auderent *C ? f* '*mss. 6*' *et sec. m. B.* 11 Lingonas *b f.* sumministrare *B.* 13 *post* audientes *contra codd.* milites *add. u.* 14 quibuscumque (*B*). 16 conuictam] coniunctam *codd. fere omnes.* 17 perpetua uita, felicitatem *Carrariensis:* '*reliqui omnes* uitae *et pars* perpetuae, *pars* felicitate *exhibent*' *Schneid.,* perpetua uitae felicitate *B el, qui* perpetuam, *D;* felicitatem *om. f.* 18 conlaturus *A B D E f.* fuisset *A B E,* esset *C ? d e f et sec. m. B.* repraesentaturum] esse *add.* '*mss. multi*' *et sec. m. B.* 19 castra *om. A.* 21 ualeret *A B D (E),* plus ualeret *e f u et sec. m. B.* 23 eam *om. C.* et *om. b d.* 24 praecipuae *cum puncto sub* a *B.* 25 hac] ac *m. pr. B.*

mentes, summaque alacritas et cupiditas belli gerendi innata est,
principesque decima legio per tribunos militum ei gratias egit, quod 2
de se optimum iudicium fecisset, seque esse ad bellum gerendum
paratissimam confirmauit. Deinde reliquae legiones cum tribunis 3
militum et primorum ordinum centurionibus egerunt, uti Caesari
satisfacerent: se neque umquam dubitasse neque timuisse neque
de summa belli suum iudicium, sed imperatoris esse existimauisse.
Eorum satisfactione accepta et itinere exquisito per Diuitiacum, 4
quod ex aliis ei maximam fidem habebat, ut milium amplius quin-
quaginta circuitu locis apertis exercitum duceret, de quarta uigilia,
ut dixerat, profectus est. Septimo die, cum iter non intermitte- 5
ret, ab exploratoribus certior factus est Ariouisti copias a nostris
milibus passuum quattuor et XX abesse. Cognito Caesaris ad- **42**
uentu Ariouistus legatos ad eum mittit: quod antea de colloquio
postulasset, id per se fieri licere, quoniam propius accessisset,
seque id sine periculo facere posse existimare. Non respuit con- 2
dicionem Caesar iamque eum ad sanitatem reuerti arbitrabatur,
cum id, quod antea petenti denegasset, ultro polliceretur, magnam- 3
que in spem ueniebat pro suis tantis populique Romani in eum
beneficiis cognitis suis postulatis fore, uti pertinacia desisteret.
Dies conloquio dictus est ex eo die quintus. Interim saepe ultro 4
citroque cum legati inter eos mitterentur, Ariouistus postulauit,
ne quem peditem ad conloquium Caesar adduceret: uereri se, ne
per insidias ab eo circumueniretur: uterque cum equitatu ueniret:
alia ratione sese non esse uenturum. Caesar, quod neque conlo- 5
quium interposita causa tolli uolebat neque salutem suam Gallorum
equitatui committere audebat, commodissimum esse statuit omnibus equis Gallis equitibus detractis eo legionarios milites legionis decimae, cui quam maxime confidebat, inponere, ut praesidium

3 esse *om. C.* 4 deinde] denique *b.* cum tribunis — centurionibus *A B E*, per tribunos — centuriones *C ? b d e f et sec. m. B.* 5 uti] per eos *add. C ? b d e f et sec. m. B.* 6 se] seque *b.* nec umquam *A D E* (umquam *A D f*, *non* unquam). 7 esse *om. A.* 8 Diuiciacum *m. pr. B.* 9 ex aliis ei causis fidem maximam *b.* 13 quattuor et xx *B*, iv et xx *u.* 14 ante *f.* 16 existimare *A D E*, existimaret *B e f.* condicionem *B*, *non* conditionem. 21 conloquio *B.* saepe ultro citroque cum *A B E* '*mss. plerique*', cum saepe ultro citroque *u*: *in f* cum legati *post* saepe *ponitur*: saepe *int. uers. C*, *om. b.* 23 conloquium *B.* 24 uterque] sed uterque *b.* 25 sese *A E* '*mss.* 8', se (*B*) *u*, *om. b f.* conloquium *B.* 27 esse *om. m. pr. b.* 28 eo] in eos *B C.* 29 quam] quod *A et m. pr. B.* inponere *A B f.*

6 quam amicissimum, si quid opus facto esset, haberet. Quod cum
fieret, non inridicule quidam ex militibus decimae legionis dixit:
plus, quam pollicitus esset, Caesarem facere: pollicitum se in co-
hortis praetoriae loco decimam legionem habiturum ad equum re-
43 scribere. Planicies erat magna et in ea tumulus terrenus satis
grandis. Hic locus aequo fere spatio ab castris Ariouisti et Cae-
2 saris aberat. Eo, ut erat dictum, ad conloquium uenerunt. Le-
gionem Caesar, quam equis deuexerat, passibus ducentis ab eo
tumulo constituit. Item equites Ariouisti pari interuallo constite-
3 runt. Ariouistus, ex equis ut conloquerentur et praeter se denos
4 ut ad conloquium adducerent, postulauit. Vbi eo uentum est, Cae-
sar initio orationis sua senatusque in eum beneficia commemora-
uit, quod rex appellatus esset a senatu, quod amicus, quod munera
amplissime missa; quam rem et paucis contigisse et pro magnis homi-
5 num officiis consuesse tribui docebat; illum, cum neque aditum ne-
que causam postulandi iustam haberet, beneficio ac liberalitate sua ac
6 senatus ea praemia consecutum. Docebat etiam, quam ueteres quam-
7 que iustae causae necessitudinis ipsis cum Haeduis intercederent,
quae senatusconsulta quotiens quamque honorifica in eos facta es-
sent, ut omni tempore totius Galliae principatum Haedui tenuissent,
8 prius etiam, quam nostram amicitiam appetissent. Populi Romani
hanc esse consuetudinem, ut socios atque amicos non modo sui
nihil deperdere, sed gratia, dignitate, honore auctiores uelit esse:

1 facto opus *C b.* 2 inridicule *A D E f.* 3 facere *e f*; ei facere *A B E b*, *sed in B* ei *deletum est.* se *A B D (E)*, esse '*multi*' *e f et m. sec. B.* 4 ad equum *A B C D E d f*, nunc ad equum *u.* rescribere *om. b.* 5 ea] itinere *D.* terreus *contra codd. u.* 6 aequum fere spatium *f*, aequatio *C.* a *f.* Ariouisti et Caesaris] utriusque *e f*, utrisque *c u.* 7 dictum est *D.* conloquium *B.* 8 deuexerat *C ? b f et m. sec. B*, uexerat *A B D E.* 10 equo *D.* conloquerentur *et* 11 conloquium *B.* 11 adduceret *A.* ubi] cum *A*, ut *f et m. sec. in marg. B.* 12 commemorauit] praedicauit *Oxon. et sec. m. in marg. B.* 14 amplissime *A B C E*, amplissima *margo C m. pr.? pro uar. lect.*, tam amplissima *b c d e f et m. sec. in marg. B.* pro magnis] a Romanis pro maximis *e et Aldus*, a Romanis proximis *C ? et m. sec. in marg. B.* 15 illum docebat *C*, dicebat illum *d.* cum] quando *C ? b f et m. sec. B.* 16 beneficiom *ante corr. B*, beneficium *D.* ac] hac *D.* 17 docebat] dicebat *b*, '*item d cum glossa* al' referebat', referebat uel dicebat *m. sec. in marg. B*, id est referebat uel dicebat *margo C.* 18 Heduis *B.* 19 quotienscumque *b.* 22 atque (*an et hoc et* amicos?) *om. b.* suis *A et m. pr. B.* 23 auctores *m. pr. B.*

quod uero ad amicitiam populi Romani adtulissent, id iis eripi quis
pati posset? Postulauit deinde eadem, quae legatis in mandatis 9
dederat, ne aut Haeduis aut eorum sociis bellum inferret; obsides
redderet; si nullam partem Germanorum domum remittere posset,
at ne quos amplius Rhenum transire pateretur. Ariouistus ad po- 44
stulata Caesaris pauca respondit, de suis uirtutibus multa praedi-
cauit: Transisse Rhenum sese non sua sponte, sed rogatum et 2
arcessitum a Gallis; non sine magna spe magnisque praemiis do-
mum propinquosque reliquisse: sedes habere in Gallia ab ipsis con-
cessas, obsides ipsorum uoluntate datos; stipendium capere iure
belli, quod uictores uictis inponere consuerint. Non sese Gallis, 3
sed Gallos sibi bellum intulisse: omnes Galliae ciuitates ad se op-
pugnandum uenisse ac contra se castra habuisse; eas omnes co-
pias a se uno proelio pulsas ac superatas esse. Si iterum experiri 4
uelint, se iterum paratum esse decertare; si pace uti uelint, ini-
quum esse de stipendio recusare, quod sua uoluntate ad id tempus
pependerint. Amicitiam populi Romani sibi ornamento et praesi- 5
dio, non detrimento esse oportere, idque se ea spe petisse. Si
per populum Romanum stipendium remittatur et dediticii subtra-
hantur, non minus libenter sese recusaturum populi Romani ami-
citiam, quam adpetierit. Quod multitudinem Germanorum in Gal- 6
liam traducat, id se sui muniendi, non Galliae inpugnandae causa
facere: eius rei testimonium esse, quod nisi rogatus non uenerit
et quod bellum non intulerit, sed defenderit. Se prius in Galliam 7
uenisse quam populum Romanum. Numquam ante hoc tempus
exercitum populi Romani Galliae prouinciae finibus egressum.
Quid sibi uellet, cur in suas possessiones ueniret? Prouinciam 8

1 populum R. *D.* adtulissent *Af.* id his *AB longe plurimi Schneideri*, id a se *f.* 2 deinde *om. 'mss. 11' et m. pr. B.* 6 suis] quidem *add. f.* 7 Rhenum *om. ef.* sese *om. f.* 9 concessa *C.* 11 inponere *ABf.* 12 expugnandum *bcdf.* 13 omnes *cum puncto sub* e *et* i *suprasc. B.* 14 a se in proelio *D.* pulsas *ABCDE*, fusas *bf et in marg. m. sec. B.* experiri uellent *in marg. sec. m. B.* 15 se iterum paratum esse *ACDE,* se iterum paratum *B*, se paratum *f.* pace uti] pacem *ef.* uellent, iniquum *E;* mallent, iniquum *ef.* 17 perpenderint *DE*, dependerint *C? bcef et m. sec. in marg. B.* 18 idque se ea spe] idque se hac spe *A*, id per se ac saepe *b.* 21 adpetierit *AB*, *in quo punctum sub* d *et* p *suprasc.*, *DEf.* 22 se] facere *add. C.* (inpugnandae *B*) oppugnandae *b.* 23 testimonio *C? bdf et m. sec. B.* 25 numquam *ADf*, nunquam (*B*). 26 fines *def.* ingressum *ef.* 27 quid sibi] quod si *A.* cur] quod *m. pr. C.*

suam hanc esse Galliam, sicut illam nostram. Vt ipsi con-
cedi non oporteret, si in nostros fines impetum faceret, sic
item nos esse iniquos, quod in suo iure se interpellaremus.
9 Quod fratres Haeduos appellatos diceret, non se tam barba-
rum neque tam imperitum esse rerum, ut non sciret neque
bello Allobrogum proximo Haeduos Romanis auxilium tulisse
neque ipsos in his contentionibus, quas Haedui secum et cum Se-
10 quanis habuissent, auxilio populi Romani usos esse. Debere se
suspicari simulata Caesarem amicitia, quod exercitum in Gallia
11 habeat, sui opprimendi causa habere. Qui nisi decedat atque
exercitum deducat ex his regionibus, sese illum non pro amico,
12 sed hoste habiturum. Quod si eum interfecerit, multis sese nobi-
libus principibusque populi Romani gratum esse facturum: id se ab
ipsis per eorum nuntios compertum habere, quorum omnium gra-
13 tiam atque amicitiam eius morte redimere posset. Quod si disces-
sisset et liberam possessionem Galliae sibi tradidisset, magno se
illum praemio remuneraturum et quaecumque bella geri uellet
45 sine ullo eius labore et periculo confecturum. Multa ab Caesare
in eam sententiam dicta sunt, quare negotio desistere non posset,
et neque suam neque populi Romani consuetudinem pati, uti optime
merentes socios desereret, neque se iudicare Galliam potius esse
2 Ariouisti quam populi Romani. Bello superatos esse Aruernos et Ru-
tenos ab Quinto Fabio Maxumo, quibus populus Romanus ignouisset
3 neque in prouinciam redegisset neque stipendium inposuisset. Quod
si antiquissimum quodque tempus spectari oporteret, populi Romani

1 sicut *om. b.* 3 quod] qui *u cum 'mss. quibusdam', quos deteriores fuisse Schneiderus docuit.* 4 quod fratres Haeduos appellatos diceret *ABCD(E)*: quod a se Haeduos amicos appellatos diceret *Schneiderus ait legi in aef 'uariato tamen nominis* amicos *loco', quod in e ante* diceret *positum est;* a se *et* amicos *Oud. inuenit in bcd, sed in nullo suo codice illo ordine* Haeduos appellatos amicos. *In C pro uar. lect. ascriptum est* si amicos, *et in B sec. m. in marg.* a$\int_{a}^{ea}$micos *posuit.* (Heduos *e*).
6 bellum *A.* 7 ipsis *BCD.* 10 discedat *f.* 12 sed hoste *ADE*, sed pro hoste *u. P.* 56. se *f: in A* sese *an* esse *scriptum esset, dubitabat Plueschkius.* 15 decessisset *b e f et in marg. pro uar. lect. C, item in marg. B sec. m.* de *posuit. P.* 57. 16 Galliam *D.* 17 quaecumque *A(B)f.* 18 ab *A(B)DE*, a *(f)*. 20 et *om. ef.* pati] esse pati *D.* 21 merentes *ABCDE*, meritos *bcf. P.* 57. 22 Rutones *A.* 23 Quinto *B*, Q. *u.* Maxumo *cum puncto sub* u *et* i *suprasc. B.* 24 inposuisset *ABEf.* 25 quodque *om. m. pr. b.* spectare *A*, exspectari *D.* populo Ro *b.*

iustissimum esse in Gallia imperium; si iudicium senatus ob-
seruari oporteret, liberam debere esse Galliam, quam bello
uictam suis legibus uti uoluisset. Dum haec in conloquio ge- 46
runtur, Caesari nuntiatum est equites Ariouisti propius tumulum
accedere et ad nostros adequitare, lapides telaque in nostros coni-
cere. Caesar loquendi finem facit seque ad suos recepit suisque 2
imperauit, ne quod omnino telum in hostes reicerent. Nam etsi 3
sine ullo periculo legionis delectae cum equitatu proelium fore ui-
debat, tamen committendum non putabat, ut pulsis hostibus dici
posset eos ab se per fidem in conloquio circumuentos. Postea- 4
quam in uolgus militum elatum est, qua adrogantia in con-
loquio Ariouistus usus omni Gallia Romanis interdixisset, im-
petumque in nostros eius equites fecissent, eaque res conloquium
ut diremisset, multo maior alacritas studiumque pugnandi maius
exercitui iniectum est. Biduo post Ariouistus ad Caesarem legatos 47
mittit: Velle se de his rebus, quae inter eos agi coeptae neque
perfectae essent, agere cum eo: uti aut iterum conloquio diem
constitueret aut, si id minus uellet, e suis legatis aliquem ad se
mitteret. Conloquendi Caesari causa uisa non est, et eo magis, 2
quod pridie eius diei Germani retineri non poterant, quin in no-
stros tela conicerent. Legatum e suis sese magno cum periculo ad 3
eum missurum et hominibus feris obiecturum existimabat. Com- 4
modissimum uisum est Gaium Valerium Procillum, C. Valeri Caburi
filium, summa uirtute et humanitate adulescentem, cuius pater a Gaio

1 esse in Gallia imperium *in B sec. m. inclusit eademque in marg. ascripsit et* 284, 25 *ante* quodque *ponenda significauit*: in Galliam *C*. 2 debere *om. C*. 3 in *om. b*. conloquio *B*. 5 ad *om. d e f*. conicere *praeter B etiam 'mss. ut apud nostrum et alios ubique in compositis a iacio'*; coicere *b et m. sec. in marg. B*. 6 facit *A B D E f*; fecit *m. sec. B u*. recipit *A*. 8 delectae] commissum *add. C? b et m. sec. in marg. B*. 9 ut] ne *d*. 10 conloquio *B*. 11 uolgus *B C*. est *om. D*. adrogantia *B*. conloquio *B*. 12 usus *om. b*. omnem Galliam *D E*. impetumque — fecissent *om. D*. 13 eius *om. f*. fecisset *f*. res *om. f*. conloquium *B*. 14 ut *A* (*B*) *C c*, *om. D E d e f*. 15 exercitu (*B*)? *et cum uno det. u*. 17 conloquio *B*. 18 e *A B*, *om. D E*, ex *f*. 19 conloquendi *B*. 21 *ad* conicerent *in marg.* co *posuit sec. m. B*. e *A B D E et* x *suprasc. C*, ex *f*. magno] ex magno *C*. 22 *Verba* §. 4 *in marg. B sec. m. repetita sunt cum iis discrepantiis, quas indicabo*. 23 Gaium *B*, *om. sec. m. in marg*, C. *u*. Pricillum *D E*. Valeri *B C b et corr. f*, *qui ante corr.* Veleri; Valerii *u*. Cabuli *b*. 24 adulescentem *m. pr. A et m. sec. in marg. B*, adolescentem (*B*) *u*. Gaio *B*, C. *m. sec. in marg. B et u*.

Valerio Flacco ciuitate donatus erat, et propter fidem et propter linguae Gallicae scientiam, qua multa iam Ariouistus longinqua consuetudine utebatur, et quod in eo peccandi Germanis causa non esset, ad eum mittere et Marcum Metium, qui hospitio
5 Ariouisti utebatur. His mandauit, ut, quae diceret Ariouistus,
6 cognoscerent et ad se referrent. Quos cum apud se in castris Ariouistus conspexisset, exercitu suo praesente conclamauit: quid ad se uenirent? an speculandi causa? Conantis dicere prohibuit et
48 in catenas coniecit. Eodem die castra promouit et milibus pas-
2 suum sex a Caesaris castris sub monte consedit. Postridie eius diei praeter castra Caesaris suas copias traduxit et milibus passuum duobus ultra eum castra fecit, eo consilio, uti frumento commeatuque, qui ex Sequanis et Haeduis subportaretur, Caesarem
3 intercluderet. Ex eo die dies continuos quinque Caesar pro castris suas copias produxit et aciem instructam habuit, ut, si uellet Ario-
4 uistus proelio contendere, ei potestas non deesset. Ariouistus his omnibus diebus exercitum castris continuit, equestri proelio cotidie contendit. Genus hoc erat pugnae, quo se Germani exercu-
5 erant. Equitum milia erant sex, totidem numero pedites uelocissimi ac fortissimi, quos ex omni copia singuli singulos suae salutis
6 causa delegerant: cum his in proeliis uersabantur. Ad eos se equites recipiebant: hi, si quid erat durius, concurrebant, si qui gra-
7 uiore uulnere accepto equo deciderat, circumsistebant; si quo erat longius prodeundum aut celerius recipiendum, tanta erat horum ex-

1 Flacto *B.* ciuitate *om. m. sec. in marg. B.* et propter fidem — consuetudine utebatur] quorum amicitia iam Ariouistus longinqua consuetudine utebatur, et propter fidem et propter linguae Gallicae scientiam *m. sec. in marg. B et*, *qui* longa *pro* longinqua, *duo codd. Vrsini et*, *qui* Ar. iam a longinqua, *f.* 2 Galliae *D.* 4 et] et una *m. sec. in marg. B.* Marcum Metium *d et* Metium *etiam e f*, M. Mettium *m. sec. in marg. B;* Marium Titium *A B C* (*hic* Titum) *D E. Vid. c.* 53 *extr.* 5 utebatur *A B C* (*E*) *b c* '*aliique magno numero*'; usus erat *ex Schneiderianis solus f m. sec. in marg. B Aldus u.* 6 apud se *om. b d.* in castris] suis *add. b.* 8 conantis *B C et m. pr. f*, *qui corr.* conantesque *habet.* 10 a *om. b.* 12 commeatuque] '*C caret* τῷ que *et pro eo in marg. habet* quod'. *Sed uid. seq. annot.* 13 qui] quod *b et m. sec. in marg. B.* subportaretur *A B D E f.* 15 suis *D et m. pr. b.* 17 continens *b.* 18 contendebat *b.* 21 eos *A B E f* '*mss. multi*', hos *u.* 22 qui] quis *D E b f*, quid *a.* 23 deciderat *A* (*B*) *D b*; deciderant *E f idemque Schneiderus in A D b legi et Oudendorpii de his testimonio aut non credere sese aut eum a Plueschkio de A et exemplari Fabr. de D erroris conuinci significare uidetur.*

ercitatione celeritas, ut iubis equorum subleuati cursum adaequa-
rent. Vbi eum castris se tenere Caesar intellexit, ne diutius 49
commeatu prohiberetur, ultra eum locum, quo in loco Germani
consederant, circiter passus sexcentos ab iis, castris idoneum lo-
cum delegit acieque triplici instructa ad eum locum uenit. Primam 2
et secundam aciem in armis esse, tertiam castra munire iussit.
Hic locus ab hoste circiter passus sexcentos, uti dictum est, abe- 3
rat. Eo circiter hominum numero sedecim milia expedita cum
omni equitatu Ariouistus misit, quae copiae nostros perterrerent
et munitione probiberent. Nihilo secius Caesar, ut ante consti- 4
tuerat, duas acies hostem propulsare, tertiam opus perficere iussit.
Munitis castris duas ibi legiones reliquit et partem auxiliorum, 5
quattuor reliquas in castra maiora reduxit. Proximo die instituto 50
suo Caesar e castris utrisque copias suas eduxit paulumque a ma-
ioribus castris progressus aciem instruxit, hostibus pugnandi po-
testatem fecit. Vbi ne tum quidem eos prodire intellexit, circiter 2
meridiem exercitum in castra reduxit. Tum demum Ariouistus
partem suarum copiarum, quae castra minora oppugnaret, misit.
Acriter utrimque usque ad uesperum pugnatum est. Solis occasu 3
suas copias Ariouistus multis et inlatis et acceptis uulneribus in
castra reduxit. Cum ex captiuis quaereret Caesar, quamobrem 4
Ariouistus proelio non decertaret, hanc reperiebat causam, quod
apud Germanos ea consuetudo esset, ut matresfamiliae eorum
sortibus et uaticinationibus declararent, utrum proelium committi
ex usu esset, necne; eas ita dicere: non esse fas Germanos su- 5
perare, si ante nouam lunam proelio contendissent. Postridie eius 51
diei Caesar praesidium utrisque castris, quod satis esse uisum

2 sese *m. sec. B, quod Oud. 'mss. fere omnes' secutus mutauit.* 4 passum *b.* sescentos *m. pr. B.* ab his *A B E f,* ab eis *Clarkius et u.* 6 muniri *A.* 7 hic] is *b c.* sescentos *m. pr. B.* 8 numero *om. e f.* 9 terrerent *D et m. pr. B.* 10 munitiones *b.* 13 quattuor *A*, quatuor (*B*) *E*, IIII *f.* reliquas] legiones *add. 'mss. nonnulli' et m. sec. B.* 14 paulumque *A C D E*, paullumque (*B*); paululumque *f 'mss. 4'.* 15 castris *om. e f u.* hostibus *A D E*, hostibusque *B* (*diserto testimonio*) (*f*) *u. P.* 69. 17 in *om. m. pr. C.* 18 quae] ut *b.* 19 utrimque *A f*, utrinque (*B*). uesperam *D.* 20 inlatis *A B E f.* 22 repperiebat *B.* 23 ea *om. b.* matresfamilias *D.* eorum *om. D.* 24 sortibus uaticinationibusque declarent *m. pr. b.* 25 esset *int. uers. C.* 26 nonam *C? Oxon. et m. sec. B.* 27 praesidium (*Ao*) *B E e* (*'sed, ut uidetur, alia lectio ibi prius fuit postea ead. m. mutata' Elberl.*) *f;* praesidio (*Aπ*)? *C b, et in B litteris* ium *punctis notatis ead. m.* o *suprasc.* esse *om. m. pr. b.*

est, reliquit, omnis alarios in conspectu hostium pro castris mino-
ribus constituit, quod minus multitudine militum legionariorum pro
hostium numero ualebat, ut ad speciem alariis uteretur; ipse tri-
2 plici instructa acie usque ad castra hostium accessit. Tum demum
necessario Germani suas copias castris eduxerunt generatimque
constituerunt paribus interuallis, Harudes, Marcomanos, Tribo-
ces, Vangiones, Nemetes, Sedusios, Sueuos, omnemque aciem
suam redis et carris circumdederunt, ne qua spes in fuga relin-
3 queretur. Eo mulieres imposuerunt, quae in proelium profici-
scentes passis manibus flentes inplorabant, ne se in seruitutem Ro-
52 manis traderent. Caesar singulis legionibus singulos legatos et
quaestorem praefecit, uti eos testis suae quisque uirtutis haberet;
2 ipse a dextro cornu, quod eam partem minime firmam hostium esse
3 animaduerterat, proelium commisit. Ita nostri acriter in hostes
signo dato impetum fecerunt, itaque hostes repente celeriterque
procurrerunt, ut spatium pila in hostes coniciendi non daretur.
4 Reiectis pilis comminus gladiis pugnatum est. At Germani cele-
riter ex consuetudine sua phalange facta impetus gladiorum exce-
5 perunt. Reperti sunt conplures nostri milites, qui in phalangas
insilirent et scuta manibus reuellerent et desuper uulnerarent.
6 Cum hostium acies a sinistro cornu pulsa atque in fugam conuersa
esset, a dextro cornu uehementer multitudine suorum nostram

1 reliquid *C.* omnis *ABE.* halarios *A.* 2 quod *P. Manutius*, quo *codd. P.* 58. pro *om. b.* 4 demum] uero *pro uar. lect. C.* 6 instituerunt *C? '3 alii' et m. sec. B.* paribus *ADE*, paribusque *B diserto testim. (f) u.* Arudes *Orosius VI*, 7. Marcomanos '*A et alii*', Marcomannos *B* '*quidam*'; Marcomani *Orosius Hauercampi, sed* Marcomones *cod. Langobardicus*, Marcomañes *Portensis cum Freculpho.* Triboces *ABE*, Tribocos *C? f et m. sec. B itemque* Triboci *Orosius.* 7 Vangiones, Nemetes *om. b.* Sedusios *om. b*, Edures *Orosius Hauercampi, qui tamen in omnibus codd. a se consultis* Eduses *inuenit.* Suebos *ABD.* 8 redis *ADEf*, rhedis (*B*). 9 in] ad *b.* proficiscentes *ABD(E)f;* proficiscentes milites *C? bce, et* milites *in B sec. m. sup. uers. posuit.* 10 passis] passim *D*, expansis *b*; sparsis *suprasc. in C.* manibus *ABCDEabdef*, crinibus *cum paucis pessimis u.* inplorabant *B.* 12 testis, *sed cum* e *super* i, *A.* 13 esse *om. BCD.* 14 animum aduerteret *f*, animo aduerterat *b.* 16 procucurrerunt *D.* ut ad spatium *C.* coniciendi '*mss. et semper*', coniiciendi (*B*). 17 reiectis] relictis *b d et pro uar. lect. C et m. sec. in marg. B.* 19 conplures *B.* milites *om. b.* phalangas *A(BD)E*, phalangam *C? bf*, phalangem *d.* 20 et scuta] et *om. b.* 21 fuga *A.* conuersa] coniecta *Oxon. et m. sec. in marg. B.*

aciem premebant. Id cum animaduertisset Publius Crassus adu- 7
lescens, qui equitatui praeerat, quod expeditior erat quam ii, qui
inter aciem uersabantur, tertiam aciem laborantibus nostris sub-
sidio misit. Ita proelium restitutum est, atque omnes hostes terga 53
uerterunt neque prius fugere destiterunt, quam ad flumen Rhenum
milia passuum ex eo loco circiter quinquaginta peruenerunt. Ibi 2
perpauci aut uiribus confisi tranare contenderunt aut lintribus in-
uentis sibi salutem pepererunt. In his fuit Ariouistus, qui nauiculam 3
deligatam ad ripam nactus ea profugit: reliquos omnes equitatu
consecuti nostri interfecerunt. Duae fuerunt Ariouisti uxores, 4
una Sueua natione, quam domo secum duxerat, altera Norica, re-
gis Voctionis soror, quam in Gallia duxerat a fratre missam:
utraeque in ea fuga perierunt. Duae filiae harum, altera occisa,
altera capta est. Gaius Valerius Procillus, cum a custodibus in 5
fuga trinis catenis uinctus traheretur, in ipsum Caesarem hostis
equitatu persequentem incidit. Quae quidem res Caesari non mino- 6
rem quam ipsa uictoria uoluptatem adtulit, quod hominem honestissi-
mum prouinciae Galliae, suum familiarem et hospitem, ereptum e
manibus hostium sibi restitutum uidebat, neque eius calamitate de
tanta uoluptate et gratulatione quicquam fortuna deminuerat. Is se 7
praesente de se ter sortibus consultum dicebat, utrum igni statim
necaretur, an in aliud tempus reseruaretur: sortium beneficio se esse
incolumem. Item Marcus Metius repertus et ad eum reductus est. 8

1 Publius *B*, P. *u.* adulescens *B et suprasc.* o *A.* 2 equitatu *cum uno pessimo u.* hi, qui *codd. et edd.* 3 intra *C? Oxon. et m. sec. B.* aciem] partem *C? f et m. sec. B.* 6 milibus *b.* quinquaginta *Orosius VI*, 7; quinque *codd. Caesaris.* peruenerunt *e* (*f*), peruenerint *A* (*B*) *DE*, peruenirent *b.* 7 tranatare *b c*, transnatare *f.* 8 pepererunt *Heinsius*, repererunt *codd.* (*sed* repper. *B*). *P.* 58. 9 equites consecuti *c*, consecuti equites *b e f.* 10 nostri *om. D.* 11 quam a domo *C? b c d e f et m. sec. B.* duxerat *A D E;* eduxerat *B C b c d e*, adduxerat *f.* Norici *sec. m. in marg. B.* 12 Voctionis *A f*, Voccionis *E*, Boccionis *C D*, hoccionis *linea per superiorem partem litterae* h *ducta B.* 13 utraeque — perierunt *A B C* (*E*) *b*, utraque — periit *a d e f. P.* 57. harum] earum *b.* 14 Gaius *A B C D E*, G. *d*, C. *f u.* Pricillus *D E.* 15 (hostis *A B D b c*) hostium *C? d e et m. sec. B.* 16 equitatu *B D d*, equitatum *A C b c e.* insequentem *b d e.* 17 adtulit *B.* 18 eruptum *A.* e] de *C? b.* 19 uiderat *A D et m. pr. B.* 20 quicquam *B.* diminuerat *B 'mss. plerique'.* is] hic *b.* 21 ter sortibus] tergoribus *A D*, terroribus *m. pr. B.* 22 necaretur] cremaretur *m. pr. C.* 23 Marcus *B*, M. *u.* Metius *A C D d f 'mss. longe plurimi et uetustiores'*, Mecius *E*, Mettius (*B*) *u.* ad ipsum *omisso* et *b.*

54 Hoc proelio trans Rhenum nuntiato Sueui, qui ad ripas Rheni
uenerant, domum reuerti coeperunt; quos Vbii, qui proximi Rhe-
num incolunt, perterritos [senserunt] insecuti magnum ex his nu-
2 merum occiderunt. Caesar una aestate duobus maximis bellis con-
fectis maturius paulo, quam tempus anni postulabat, in hiberna in
3 Sequanos exercitum deduxit; hibernis Labienum praeposuit; ipse
in citeriorem Galliam ad conuentus agendos profectus est.

C. IVLII CAESARIS

DE BELLO GALLICO

COMMENTARIVS SECVNDVS.

Cum esset Caesar in citeriore Gallia [in hibernis], ita uti
supra demonstrauimus, crebri ad eum rumores afferebantur, litte-
risque item Labieni certior fiebat omnes Belgas, quam tertiam esse
Galliae partem dixeramus, contra populum Romanum coniurare
2 obsidesque inter se dare. Coniurandi has esse causas: primum,

1 Renum *f*. Suebi *B C*. Reni *f*. 2 Vbii *Rhenanus*, ubi *codd.* 3 senserunt *deleuit Rhenanus: in f post* insecuti *legitur, sed impositis litteris* b a. *P.* 59. ex his magnum *f* (hiis *E*). 5 postulat *f*. hibernia *C*, hyberna *hic et* 6 hybernis *f*. 6 proposuit *E*. Iulius Celsus Constantinus u. c. legi. C. Caesaris C. f. belli Gallici liber I explicit *B et, qui* Cesaris, *E*. Explicit liber primus *f*. *In B sec. m. ascripsit* in alio ita: Iulii Caesaris b. G. liber I explicit.

Incipit liber secundus *B a f*; incipit II feliciter *m. sec. B*. 1 caeteriore *ante corr. B*, interiore *ante corr. C*, *om. E*. in hibernis *delendum uidit Goerlitzius. P.* 59. hibernis, *omisso* in, *f* (*hic* hyb.) *et Vaticanus* 3324. ut *E*. 2 supra *om. f Vaticanus* 3324, superius *b*. demonstrauimus] dispositis *int. uers. add. f*. rumores ad eum *f*. adferebantur (*a*). 3 omnis *Vaticanus* 3324. terciam *m. pr. B*. 4 Gallia *ante corr. a*. 5 dare *om. A*. causas esse *af*.

quod uererentur, ne omni pacata Gallia ad eos exercitus noster
adduceretur; deinde, quod ab nonnullis Gallis sollicitarentur, par- 3
tim qui, ut Germanos diutius in Gallia uersari noluerant, ita po-
puli Romani exercitum hiemare atque inueterascere in Gallia mo-
leste ferebant, partim qui mobilitate et leuitate animi nouis imperiis
studebant, ab nonnullis etiam, quod in Gallia a potentioribus atque 4
iis, qui ad conducendos homines facultates habebant, uulgo regna
occupabantur, qui minus facile eam rem imperio nostro consequi
poterant. His nuntiis litterisque commotus Caesar duas legiones 2
in citeriore Gallia nouas conscripsit et inita aestate, in interiorem
Galliam qui deduceret, Quintum Pedium legatum misit. Ipse, cum 2
primum pabuli copia esse inciperet, ad exercitum uenit. Dat ne- 3
gotium Senonibus reliquisque Gallis, qui finitimi Belgis erant, uti
ea, quae apud eos gerantur, cognoscant seque de his rebus cer-
tiorem faciant. Hi constanter omnes nuntiauerunt manus cogi, 4
exercitum in unum locum conduci. Tum uero dubitandum non 5
existimauit, quin ad eos proficisceretur. Re frumentaria compa- 6
rata castra mouet diebusque circiter quindecim ad fines Belgarum
peruenit. Eo cum de inprouiso celeriusque omni opinione uenis- 3

1 paccata *ante corr. A.* 2 ab *cum puncto sub* b *B, int. uers. A*, a *C.* nonnullis] numero nullis *f.* 3 qui] a *int. uers. add. f.* ut *pauci dett.; om. reliqui.* uersari nollent *a* (*hic suprasc.* uel noluerant) *c e f Vaticanus* 3324. 4 hyemare *f*, gemare *ante corr. B.* inueterescere *D E.* 5 *super* qui *add.* a *f.* 6 ab] a *C.* quod *del. in f.* a *om. f.* 7 his *A* (*B*) *C D* (*E f*) *u.* ad ducendos *f.* uolgo *Vaticanus* 3324. 8 eam rem] ea *D E.* imperio *A a b c e f Vaticanus* 3324, in imperio *B C D* (*E*) *d.* nostro *om. D E;* n *suprasc.* o *et separatim* n *B*, non *C Vaticanus* 3864. 9 his *A B C D E Vaticanus* 3864 *a e f Vaticanus* 3324, iis *u.* duos *E.* 10 ceteriore *ante corr. B.* inita *A B D E d*, ineunte *C? a b e f Vaticanus* 3324 *et m. sec. B.* aestate] hyeme *d.* in ulteriorem Galliam *b c e f Vaticanus* 3324. 11 qui deduceret *om. m. pr. C.* Quintum *A B E*, Quinctum *f*, Q. *u.* 12 inceperat *b.* 13 senioribus *f.* 14 sequae *ante corr. B.* 15 hii *E*, huic *f.* nuntiabant *b.* manum *b et corr. a.* 16 exercitum *A B* (*E Vaticanus* 3864), exercitus *C? a b c e f Vaticanus* 3324 *et m. sec. B.* non *int. uers. f.* 17 ad eos] duodecimo die *add. C? a d c et int. uers. m. sec. B*, XII diebus *add. f.* proficiscerentur *m. pr. f.* comparata *A B E Vaticanus* 3864, prouisa *a* (*hic suprasc.* uel comparata) *c d e f* (*Vaticanus* 3324). 18 mouit *D E.* diebusque] et diebus *b f Vaticanus* 3324. quindecim *A* (*B*) *C D E*, XV *a* (*f*) *u.* 19 de *om. Vaticanus* 3324. inprouiso (*A*) *B C D f.* omni *A* (*B*) *C Vaticanus* 3864 (*a*) *b c e f Vaticanus* 3324, omnium *E Flodoardus hist. eccl. Rem. I, 2 ed. Coluener.* (*biblioth. patr. Lugdun. Tom. XVII p.* 506 *b*). oppinione euenisset *A.*

set, Remi, qui proximi Galliae ex Belgis sunt, ad eum legatos
2 Iccium et Andocumborium, primos ciuitatis, miserunt, qui dicerent
se suaque omnia in fidem atque in potestatem populi Romani per-
mittere, neque se cum Belgis reliquis consensisse neque contra
3 populum Romanum coniurasse, paratosque esse et obsides dare et
imperata facere et oppidis recipere et frumento ceterisque rebus
4 iuuare; reliquos omnes Belgas in armis esse, Germanosque, qui
5 cis Rhenum incolant, sese cum his coniunxisse, tantumque esse
eorum omnium furorem, ut ne Suessiones quidem, fratres consan-
guineosque suos, qui eodem iure et isdem legibus utantur, unum
imperium unumque magistratum cum ipsis habeant, deterrere po-
4 tuerint, quin cum his consentirent. Cum ab his quaereret, quae
ciuitates quantaeque in armis essent et quid in bello possent, sic
reperiebat: plerosque Belgas esse ortos ab Germanis Rhenumque
antiquitus traductos propter loci fertilitatem ibi consedisse Gal-
2 losque, qui ea loca incolerent, expulisse solosque esse, qui patrum

2 Iccium *C*, Siccium *A B* (*hic corr. in* S) *D E Vaticanus* 3864 *a d e Vaticanus* 3324, Sicium *f*. *Vid. c.* 6, 4. 7, 1. Andocumborium *A B C E Vaticani* 3864 *et* 3324, Andocium borium *D*, Andecomborium *d*; Andebrogium *a* (*hic suprasc.* cumborium) *e f Flodoardus, margines C Vaticani* 3324 *et sec. m. marg. B*. ciuitatis] suae *add. C ? a e f Vaticanus* 3324 *Flodoardus et int. uers. sec. m. B*. qui dicerent *om. e f Vaticanus* 3324, *inter uers. ponit a*. 3 se] seque *f*. fide *A*. atque in potestatem *A B C D Vaticanus* 3864, atque potestatem *reliqui* (atque amicitiam *Flodoardus, qui uu.* permittere — Romanum *om.*). 4 neque se] Suessiones *f*. Belgis reliquis *A B C D* (*E*), reliquis Belgis *e f Vaticanus* 3324. consensisse] se *inter uers. add. f*. 5 *ante* coniurasse *add.* omnino (*a*) *b c e f Flodoardus*. 6 caeterisque *A Vaticanus* 3324. 7 omnis *Vaticanus* 3324 *et suprasc.* e *a*. 8 cis Rhenum] ripas Rheni *a f Vaticanus* 3324 *Flodoardus* (*hic et f* Reni), *et in B m. sec.* ripas *in marg. et* i *super extremum nomen* Rhenum *posuit; in a suprasc. est* uel qui cis Rhenum. incolant *A B Vaticanus* 3864, incolunt *C D* (*E f*) *Flodoardus et m. sec. B*. 9 eorum *om. b*. furores *A*. ut nec *D E*. Suessionis *m. pr. f*, Suessones *Flodoardus*. fratres et consanguineos suos *b*. 10 eodem] eorum *D E*. iure et isdem *A B C D Vaticanus* 3864: iure, isdem *E et litura interiecta suprascriptoque* et *a*; iure, eisdem *e f Vaticanus* 3324 *Flodoardus*. utuntur *C ? et m. sec. B*. et unum imperium unumque magistratum *f*; unumque magistratum *Flodoardus*; unum magistratum *Vaticanus* 3324 *et, qui uu.* imperium unumque *int. uers. habet, a*. 11 cum illis *a b c f Vaticanus* 3324 *Flodoardus*. 12 quin] qui *D E et m. pr. Vaticanus* 3864. cum iis *Vaticanus* 3324 *et m. pr. ? C et m. sec. B*. ab hiis *E*. quaererent *m. pr. a*. quaene *f*. 14 repperiebat *A B C D E f Vaticanus* 3324. Belgos *E*. ab *A* (*B*) *C D* (*E*), a *a f Vaticanus* 3324. Renumque *f*. 15 transductos *f et m. pr. a*. 16 qui in ea loca *e*. expulissent *ante corr. A B*.

nostrorum memoria omni Gallia uexata Teutonos Cimbrosque
intra fines suos ingredi prohibuerint; qua ex re fieri, uti earum 3
rerum memoria magnam sibi auctoritatem magnosque spiritus in
re militari sumerent. De numero eorum omnia se habere explo- 4
rata Remi dicebant, propterea quod propinquitatibus adfinitati-
busque coniuncti, quantam quisque multitudinem in communi Bel-
garum concilio ad id bellum pollicitus sit, cognouerint. Plurimum 5
inter eos Bellouacos et uirtute et auctoritate et hominum numero
ualere; hos posse conficere armata milia centum, pollicitos ex eo
numero electa sexaginta totiusque belli imperium sibi postulare.
Suessiones suos esse finitimos; latissimos feracissimosque agros 6
possidere. Apud eos fuisse regem nostra etiam memoria Diuitia- 7
cum, totius Galliae potentissimum, qui cum magnae partis harum
regionum, tum etiam Britanniae imperium optinuerit: nunc esse
regem Galbam: ad hunc propter iustitiam prudentiamque suam to-
tius belli summam omnium uoluntate deferri; oppida habere nu-
mero XII, polliceri milia armata quinquaginta; totidem Neruios, 8
qui maxime feri inter ipsos habeantur longissimeque absint; quin- 9

1 Teutonos *cum* e *super* os *a*. 2 suos fines *a f Vaticanus* 3324. prohibuissent *f Vaticanus* 3324 *et ante corr. a*. 3 memoriam *B et m. pr. f*. 5 adfinitatibusque *B*. 6 quisque] quis *f*. 7 consilio *E*. sit *A* (*B*) *C D* (*E*), esset *a b f Vaticanus* 3324. cognouerunt *E*, cognouerant *a Vaticanus* 3324, cognoscerant *et corr.*— rent *f*. 8 Bellouagos *D E a b c f Vaticanus* 3324; *et* Bellouagi *Langobardicus Orosii VI*, 7, Bellouagui *semper Portensis*. 9 eos *f Vaticanus* 3324. mililia *ante corr. B*. centum] c *f*. pollicitus *C et secundum Oth. Iahnium B, ex quo Beyerlius* pollicitosque *notauit*. ex eo] etiam ex *d*. 10 lecta] *e f*, *iidemque et* (*a*) *et m. sec. int. uers. B* milia *addunt*. *Orosius:* Bellouagi, qui ceteris numero et uirtute praestare uiderentur, habuere lectissima sexaginta milia armatorum. sexaginta *A B C D E*, LX (*f*) *u*. totius belli *D E et addito* que *int. uers. a*. 11 Suessones *codd. Orosii*. finitimos; latissimos *B* (*D E*) *et A*, *qui* latissimos *int. uers. habet m. pr. secundum Plueschk., sec. m., ut Oudendorpio uisum est:* finitimos; fines latissimos *C ? a b e f*, *et* fines *in B m. sec. int. uers. posuit*. ferocissimosque *C*. agros *om. A*, *post* possidere *ponunt a f*. 12 Deuitiacum *C et deleta* e *a*, Deuiciacum *A et deleta* e *atque* t *m. sec. priori* c *suprasc. B*, Deuiacum *D E*, Diuidam *f*. 13 partis *in marg. f*. regionum harum *a* (*hic* regionem *cum* u *super* em) *f Vaticanus* 3324. 14 Brittanniae *D f*, Brittaniae *B C*. optinuerit *A B C D E a Vaticanus* 3324. 15 prudentiamque suam *A B E Vaticanus* 3864, prudentiamque *f u*. totius belli summam *'mss.' A B* (*E*) *Vaticanus* 3864, summam totius belli (*a*) *d e* (*hic* summa) *f*. 16 numero XII] milia *D E*. 17 quingenta *C*, L *a f*. tottidem *C*. 18 habebantur *b Vaticanus* 3324: *in f inter* e *et* a *litura est*. longissimoque *A D E et m. pr. B*. absunt *b*. quin-

decim milia Atrebates, Ambianos decem milia, Morinos XXV milia, Menapios VII milia, Caletos X milia, Velocasses et Vero-
10 manduos totidem, Aduatucos decem et nouem milia; Condrusos, Eburones, Caeroesos, Paemanos, qui uno nomine Germani appellantur, arbitrari ad XL milia.

5 Caesar Remos cohortatus liberaliterque oratione prosecutus omnem senatum ad se conuenire principumque liberos obsides ad se adduci iussit. Quae omnia ab his diligenter ad diem facta sunt.
2 Ipse Diuitiacum Haeduum magnopere cohortatus docet, quanto opere rei publicae communisque salutis intersit manus hostium distineri, ne cum tanta multitudine uno tempore confligendum sit.
3 Id fieri posse, si suas copias Haedui in fines Bellouacorum introduxerint et eorum agros populari coeperint. His mandatis eum
4 ab se dimittit. Postquam omnes Belgarum copias in unum locum coactas ad se uenire uidit neque iam longe abesse ab iis, quos mi-

decim *A B E*, xv (*f.*) *u.* 1 milia *ter om. d; in a f primo loco linea numero suprascripta significatur, item infra aliquoties in iisdem et Vaticano* 3324. Ambionos *m. pr. f.* decim *cum* e *super* i *B; Orosius:* Atrebates et Ambiani decem milia. Morenos *Vaticanus* 3864 *et ante corr. B.* uigintiquinque *E*, xxii *f.* 2 Menaptios *m. pr. a f.* vii *'mss. plerique' A B Vaticanus* 3864, septem *E;* viii *d e Vaticanus* 3324, viiii *a f Orosius.* decem *E.* Veloccasses *A*, Ceulocasses *D E.* Veremanduos *E;* Veromandi *Langobardicus et Portensis Orosii.* 3 Aduatucos *a d e* (*Vaticanus* 3324), Acuatucos *et corr.* — ticos *f;* Catuatos *A B E Vaticanus* 3864. *In B. m. sec. in marg.* Hatuatucos *posuit, in a* uel Catuatos *suprascriptum est.* Aduatici *Orosius Hauercampi*, Atuati *Portensis cum Freculpho.* decem et nouem *A E*, decem et viii *B Vaticanus* 3864, x et viiii *C*, x et ix *D;* xviiii *a f Vaticanus* 3324, xix *e;* octodecim *Orosius.* Condruosos *Vaticanus* 3864 *et cum puncto sub* o *penultimae B*, Condroosos *suprasc.* u *super* o *antepen. A*, Condruoses *D E;* Condureses *Langobardicus Orosii*, Condurses *Portensis.* 4 Eburones *ante* Condrusos *ponunt a, qui* et *interponit, et f, in quo* Eburrones *sunt.* Eborones *Portensis Orosii.* Caeroesos *A B D E Vaticanus* 3864, Ceroesos *C;* Caerosos *Vaticanus* 3324 *et Orosii Langobardicus*, Cerosos *a b d f et Portensis Orosii.* Caemanos *Vaticanus* 3324 *et Orosius*, Cemanos *a b d et, qui* Cemannos, *f;* Procmanos *E.* 5 arbritrari *ante corr. A;* arbitrati *E.* quadraginta *E.* milia *om. a.* 9 Diuiciacum *A et m. pr. B*, Diuiaticum *f.* Haeduum *praeter B etiam C Vaticanus* 3864, Heduum *A a.* magnopere *cum* o *super* o *B*, magno opere *C.* 10 reip. *et in marg. m. antiqua* popularis *C.* salutis *om. A.* manus omnium hostium *C.* detineri *C*, destinari *f.* 12 Bellobacorum *Vaticanus* 3864 *et m. pr. A B*, Bellouagorum *D E a f.* introduxerint] destineri *cum* a *super* ne *add. f.* 13 eum ad se *A*, eum a se *a f.* 14 omnis *cum* e *super* i *a.* 15 his, quos *codd.* (hiis *E*) *et Flodoardus.*

serat, exploratoribus et ab Remis cognouit, flumen Axonam, quod
est in extremis Remorum finibus, exercitum traducere maturauit
atque ibi castra posuit. Quae res et latus unum castrorum ripis 5
fluminis muniebat et, post eum quae essent, tuta ab hostibus red-
debat et, commeatus ab Remis reliquisque ciuitatibus ut sine peri-
culo ad eum portari posset, efficiebat. In eo flumine pons erat. 6
Ibi praesidium ponit et in altera parte fluminis Quintum Titurium
Sabinum legatum cum sex cohortibus relinquit; castra in altitudi-
nem pedum XII uallo fossaque duodeuiginti pedum munire iubet.
Ab his castris oppidum Remorum nomine Bibrax aberat milia 6
passuum octo. Id ex itinere magno impetu Belgae oppugnare coe-
perunt. Aegre eo die sustentatum est. Gallorum eadem atque 2
Belgarum oppugnatio est haec. Vbi circumiecta multitudine homi-
num totis moenibus undique in murum lapides iaci coepti sunt,
murusque defensoribus nudatus est, testudine facta portas succe-
dunt murumque subruunt. Quod tum facile fiebat. Nam cum tanta 3
multitudo lapides ac tela conicerent, in muro consistendi potestas
erat nulli. Cum finem obpugnandi nox fecisset, Iccius Re- 4
mus, summa nobilitate et gratia inter suos, qui tum oppido

1 et *om. D E.* Axona *d*, Anxonam *c*, Xxonam *m. pr. A.* 2 finibus Remorum *A.* 4 munitum *Flodoardus.* et post — reddebat *om. m. pr. A.* quae erant *a d e f Flodoardus*, quae erat *b.* 6 possent *(Aπ)? C ? a b c e f Flodoardus et m. sec. B.* efficiebant *m. pr. a.* fons erat *A.* 7 Quintum *A B E*, Q. *u*, *om. f Flodoardus et m. pr. a.* 8 sex *B E*, VI *a (f).* coortibus *f.* relinquit *A B* (*hic cum puncto sub* n) *D (E)*, reliquit (*a*) *e f* (*hic* reliquid) *Flodoardus.* altitudine *A B C D Vaticanus* 3864 *a.* 9 pedum XII fossamque pedum XVIII *Flodoardus Colueneri, cuius tamen codd. ea, quae supra leguntur, tenent.* duodecim *E.* duo de XX *A B.* muniri *A.* iussit *b.* 10 ab ipsis castris *b e Flodoardus.* Bibrax quod aberat *Flodoardus.* 11 octo] XVIII *Flodoardus Colueneri, sed codd. eius* octo *praebent.* id *om. Flodoardus; in B ei uoci* mta (*sic*) *m. sec. suprascriptum est.* opugnare *B.* 12 sustentata *Flodoardus.* estque Gallorum *f.* eadem *om. C Flodoardus.* 13 est *om. Flodoardus.* haec *C D E Flodoardus et deleta* e *B*, *deletum in f*; hac *a*, ac *A*, at *b c d e.* 14 moenibus] mentibus *b c et pro uar. lect. d.* in murum lapides *A B E f Flodoardus edd. ante u, quae tacite* lapides in murum. 15 portis *Flodoardus.* succedunt *duo dett. et Flodoardus*, succendunt *reliqui.* 16 quod tum] quod tam *A*, aditu *apud Flodoardum duo codd. Colueneri.* namque tanta *b e f Flodoardus.* 17 coicerent *B* n *super* o *sec. m. adiecta*; coniiciebant *e Flodoardus*, coiciebant *f*, coniiciebat *b.* *ante* in muro *add.* ut *b e f Flodoardus.* potestas esset *iidem.* 18 nulla *b.* obpugnandi *B.* Icius *D*, Iacius *b et suprascripto* Ictius *c.*

praefuerat, unus ex iis, qui legati de pace ad Caesarem uenerant, nun-
tium ad eum mittit, nisi subsidium sibi submittatur, sese diutius sus-
7 tinere non posse. Eo de media nocte Caesar isdem ducibus usus,
qui nuntii ab Iccio uenerant, Numidas et Cretas sagittarios et fun-
2 ditores Baleares subsidio oppidanis mittit; quorum aduentu et Re-
mis cum spe defensionis studium propugnandi accessit, et hosti-
3 bus eadem de causa spes potiundi oppidi discessit. Itaque paulisper
apud oppidum morati agrosque Remorum depopulati omnibus uicis
aedificiisque, quos adire potuerant, incensis ad castra Caesaris
omnibus copiis contenderunt et ab milibus passuum minus duobus
4 castra posuerunt; quae castra, ut fumo atque ignibus significaba-
8 tur, amplius milibus passuum octo in latitudinem patebant. Cae-
sar primo et propter multitudinem hostium et propter eximiam
2 opinionem uirtutis proelio supersedere statuit, cotidie tamen eque-
stribus proeliis, quid hostis uirtute posset et quid nostri auderent,
3 periclitabatur. Vbi nostros non esse inferiores intellexit, loco pro
castris ad aciem instruendam natura opportuno atque idoneo, quod
is collis, ubi castra posita erant, paululum ex planicie editus tan-
tum aduersus in latitudinem patebat, quantum loci acies instructa
occupare poterat, atque ex utraque parte lateris deiectus habebat
et in frontem leniter fastigatus paulatim ad planiciem redibat, ab
utroque latere eius collis transuersam fossam obduxit circiter pas-
4 suum quadringentorum et ad extremas fossas castella constituit
ibique tormenta conlocauit, ne, cum aciem instruxisset, hostes,

1 praeerat *DE.* unus *Flodoardus*, unum *codd. Caesaris.* ex his *A (B) C D e f Flodoardus*, ex hiis *E.* nuntium *codd. et Flodoardus*, nuntios *Aldus u.* 2 ad eum *om. b.* sibi mittatur *b c e Flodoardus.* 3 isdem *f*, hisdem *A D E*, ihisdem *deleta* h *B. Ex C in exempl. Fabr. et* isdem *et* hisdem *refertur.* 5 Balearesque *B* '*mss. 4*'. 7 potiundi *cum* e *super* u *sec. m. posita B*, potiendi *C et m. pr. A.* 9 aedificiisque] Remorum *add. m. pr. A.* quos *A (B) C D E*, quo *e f Flodoardus. Vid. Cic. Fam. V*, 21, 5 *et de nat. deor. II*, 62, 156. potuerant *A B D*, poterant *E e f Flodoardus.* 10 contenderent *C.* a *C Flodoardus.* 11 ut ex fumo igneque *b.* 12 latitudine *b.* 13 eximiam] nimiam *m. pr. A.* 15 uirtutis *d.* 16 periclitabatur] sollicitationibus exquirebat *C ? a b d e f et m. sec.*, *quae* periclitabatur *deleuit, B.* 17 oportuno *B.* 18 planitie *m. pr. B.* editos *cum* u *super* o *B.* 20 occupare] tenere *c d f.* deiectis *cum* u *super* tis *B.* 21 in frontem *A B C D E*, frontem (*omisso* in) *b c d e f. P.* 60. fastigatus *Aldus;* castigatus *codd.*, *cui A B D E add.* castratus, *quod in B deletum est.* rediebat *A D.* 24 conlocauit *B.*

quod tantum multitudine poterant, ab lateribus pugnantes suos cir-
cumuenire possent. Hoc facto duabus legionibus, quas proxime 5
conscripserat, in castris relictis, ut, si quo opus esset, subsidio
duci possent, reliquas sex legiones pro castris in acie constituit.
Hostes item suas copias ex castris eductas instruxerant. Palus 9
erat non magna inter nostrum atque hostium exercitum. Hanc si
nostri transirent, hostes expectabant; nostri autem, si ab illis ini-
tium transeundi fieret, ut impeditos adgrederentur, parati in armis
erant. Interim proelio equestri inter duas acies contendebatur. 2
Vbi neutri transeundi initium faciunt, secundiore equitum proelio
nostris Caesar suos in castra reduxit. Hostes protinus ex eo loco 3
ad flumen Axonam contenderunt, quod esse post nostra castra de-
monstratum est. Ibi uadis repertis partem suarum copiarum tradu- 4
cere conati sunt, eo consilio, ut, si possent, castellum, cui prae-
erat Quintus Titurius legatus, expugnarent pontemque interscin-
derent; si minus potuissent, agros Remorum popularentur, qui 5
magno nobis usui ad bellum gerendum erant, commeatuque nostros
prohiberent. *Caesar* certior factus ab Titurio omnem equitatum 10
et leuis armaturae Numidas, funditores sagittariosque pontem tra-
ducit atque ad eos contendit. Acriter in eo loco pugnatum est. 2
Hostes inpeditos nostri in flumine adgressi magnum eorum nume-
rum occiderunt: per eorum corpora reliquos audacissime transire 3
conantes multitudine telorum repulerunt; primos, qui transierant,
equitatu circumuentos interfecerunt. Hostes ubi et de expugnando 4
oppido et de flumine transeundo spem se fefellisse intellexerunt

1 ab, *non* a, *'mss. meliores' D E f et cum puncto sub* b *B.* 3 si quod *b*, si qua *cum uno Petau. u.* 5 adductas *D.* instrucserant *A.* paulus *cum puncto sub* u *B.* 6 nostrum] n *puncto supposito et* m *suprascripta m. pr. B.* 7 expectabant *B.* 8 adgrederentur *A B C f.* 10 nostris equitum proelio *b*, equitum nostrorum proelio *D. Codd. Achaintrii* equitum proelio nostri *habere dicuntur; sed in B* nostris *legi diserto Beyerlii testimonio constat.* 12 esse etiam post *Flodoardus.* 13 copiarum suarum *Flodoardus.* transducere *f Flodoardus.* 15 Quintus *B*, Q. *u.* intersiderent *D*, interciderent *Flodoardus Colueneri, sed* interscinderent *codd. eius.* 17 commeatusque nostros sustinebant *Aldus et Flodoardus.* 18 Caesar *post* certior *supra uers. add. f, post* Titurio *ponunt D E b, ubi in C* Ariouistus *legitur; om. reliqui, etiam Flodoardus, ut Vossius refert, sed apud Coluenerum scriptum est* Caesar certior. ab *A* (*B*) *C D*, a *edd. ante u.* omnem aequitatem *Flodoardus.* 21 inpeditos *B.* adgressi *A B f.* 23 telorum] et audacia *add. Flodoardus.* reppulerunt *B.* primosque qui *b.* 25 sese *b.*

neque nostros in locum iniquiorem progredi pugnandi causa uide-
runt, atque ipsos res frumentaria deficere coepit, concilio conuo-
cato constituerunt optimum esse domum suam quemque reuerti et,
quorum in fines primum Romani exercitum introduxissent, ad eos
defendendos undique conuenirent, ut potius in suis quam in alienis
finibus decertarent et domesticis copiis rei frumentariae uterentur.
5 Ad eam sententiam cum reliquis causis haec quoque ratio eos de-
duxit, quod Diuitiacum atque Haeduos finibus Bellouacorum adpro-
pinquare cognouerant. His persuaderi, ut diutius morarentur ne-
11 que suis auxilium ferrent, non poterat. Ea re constituta secunda
uigilia magno cum strepitu ac tumultu castris egressi nullo certo
ordine neque imperio, cum sibi quisque primum itineris locum pe-
teret et domum peruenire properaret, fecerunt, ut consimilis fu-
2 gae profectio uideretur. Hac re statim Caesar per speculatores
cognita insidias ueritus, quod, qua de causa discederent, nondum
3 perspexerat, exercitum equitatumque castris continuit. Prima luce
confirmata re ab exploratoribus omnem equitatum, qui nouissimum
agmen moraretur, praemisit. His Quintum Pedium et Lucium
Aurunculeium Cottam legatos praefecit. Titum Labienum legatum
4 cum legionibus tribus subsequi iussit. Hi nouissimos adorti et
multa milia passuum prosecuti magnam multitudinem eorum fu-
gientium conciderunt, cum ab extremo agmine, ad quos uentum
erat, consisterent fortiterque impetum nostrorum militum sustine-
5 rent, priores, quod abesse a periculo uiderentur neque ulla neces-
sitate neque imperio continerentur, exaudito clamore perturbatis
6 ordinibus omnes in fuga sibi praesidium ponerent. Ita sine ullo
periculo tantam eorum multitudinem nostri interfecerunt, quantum
fuit diei spatium, sub occasumque solis destiterunt seque in castra,
12 ut erat imperatum, receperunt. Postridie eius diei Caesar, prius-

2 ipsis *b.* concilio *Ef*, consilio *A B C D.* 3 et *circulo circumscriptum est in B*, *item* 5 ut. 8 Diuitiacum] quoque *add.* *'mss. 7' et m. sec. int. uers. B.* Bellouagorum *C D b c et m. sec. B.* adpropinquare *Af.* 10 ferre *bc.* 11 ac tumultu *in marg. b.* 14 ac re *m. pr. B.* 15 quod *om. C.* discederunt *m. pr. B.* 17 equitum *A.* 18 morarentur *m. pr. b.* his *A B D (E)*, eique *e f et m. sec. B.* Quintum *B*, Q. *u.* Lucium *B*, L. *u.* 19 Titum *B*, T. *u.* 20 tribus *om. D.* adorsi *b.* 22 ad quod *b.* uentum fuerat *b.* 24 a *om. b.* 26 po-nerent] posuerunt *D E b*, sumerent *e.* 28 sub occasu solis *b f.* *ante* destiterunt *add.* sequi *e f et m. sec. B.* 29 post tridie *D.*

quam se hostes ex terrore ac fuga reciperent, in fines Suessionum,
qui proximi Remis erant, exercitum duxit et magno itinere [con-
fecto] ad oppidum Nouiodunum contendit. Id ex itinere oppugnare 2
conatus, quod uacuum ab defensoribus esse audiebat, propter la-
titudinem fossae murique altitudinem paucis defendentibus ex-
pugnare non potuit. Castris munitis uineas agere quaeque ad 3
oppugnandum usui erant comparare coepit. Interim omnis ex fuga 4
Suessionum multitudo in oppidum proxima nocte conuenit. Cele- 5
riter uineis ad oppidum actis, aggere iacto turribusque constitutis
magnitudine operum, quae neque uiderant ante Galli neque audie-
rant, et celeritate Romanorum permoti legatos ad Caesarem de
deditione mittunt et petentibus Remis, ut conseruarentur, impetrant.
Caesar obsidibus acceptis primis ciuitatis atque ipsius Galbae re- **13**
gis duobus filiis armisque omnibus ex oppido traditis in deditionem
Suessiones accepit exercitumque in Bellouacos ducit. Qui cum se 2
suaque omnia in oppidum Bratuspantium contulissent, atque ab eo
oppido Caesar cum exercitu circiter milia passuum quinque abes-
set, omnes maiores natu ex oppido egressi manus ad Caesarem
tendere et uoce significare coeperunt sese in eius fidem ac potesta-
tem uenire neque contra populum Romanum armis contendere.
Item, cum ad oppidum accessisset castraque ibi poneret, pueri mu- 3
lieresque ex muro passis manibus suo more pacem ab Romanis
petierunt. Pro his Diuitiacus (nam post discessum Belgarum di- **14**
missis Haeduorum copiis ad eum reuerterat) facit uerba: Bello- 2
uacos omni tempore in fide atque amicitia ciuitatis Haeduae fuisse:
inpulsos ab suis principibus, qui dicerent Haeduos ab Caesare in 3
seruitutem redactos omnes indignitates contumeliasque perferre,
et ab Haeduis defecisse et populo Romano bellum intulisse. Qui 4
eius consilii principes fuissent, quod intellegerent, quantam cala-
mitatem ciuitati intulissent, in Britanniam profugisse. Petere non 5

1 hostes se *f.* ex pauore *ef.* 2 proxime remanserant exercitum *D.* [confecto] *P.* 60. 3 Nouodunum *b.* expugnare *b,* 4 cognatus *A.* 6 quae ad *b.* 7 omnes *A.* 8 Suessonum *m. pr. B.* proxima in nocte *A.* 12 detione *m. pr. B.* 13 ipsius Galliae *b.* 15 Suessones *m. pr. B.* Bellouagos *B C D b c.* 17 milia *om. A B D*, mit *int. uers. m. sec. B.* 21 accessisset] uenisset *b.* 22 sparsis manibus *C.* 24 reuersus erat *b.* Bellouagos *B.* 26 inpulsos *A B f.* ab suis (*B*) *C D E f*, a suis (*Aπφ*)? ab Caesare *Oudendorpius*, ad Caesarem *A B*, a Caesare *m. sec. B u.* 29 eius *A B D E*, huius *C ? f et m. sec. B.* 30 Brittaniam *m. pr. B.*

solum Bellouacos, sed etiam pro his Haeduos, ut sua clementia ac
6 mansuetudine in eos utatur. Quod si fecerit, Haeduorum aucto-
ritatem apud omnes Belgas amplificaturum; quorum auxiliis atque
15 opibus, si qua bella inciderint, sustentare consuerint. Caesar ho-
noris Diuitiaci atque Haeduorum causa sese eos in fidem receptu-
rum et conseruaturum dixit; quod erat ciuitas magna inter Belgas
auctoritate atque hominum multitudine praestabat, sexcentos ob-
2 sides poposcit. His traditis omnibusque armis ex oppido conlatis
ab eo loco in fines Ambianorum peruenit, qui se suaque omnia sine
3 mora dediderunt. Eorum fines Neruii attingebant; quorum de na-
4 tura moribusque Caesar cum quaereret, sic reperiebat: Nullum
aditum esse ad eos mercatoribus; nihil pati uini reliquarumque re-
rum inferri, quod iis rebus relanguescere animos [eorum] et re-
5 mitti uirtutem existimarent: esse homines feros magnaeque uirtu-
tis: increpitare atque incusare reliquos Belgas, qui se populo Ro-
6 mano dedidissent patriamque uirtutem proiecissent; confirmare
sese neque legatos missuros neque ullam condicionem pacis acce-
16 pturos. Cum per eorum fines triduum iter fecisset, inueniebat ex
captiuis Sabim flumen ab castris suis non amplius milia passuum
2 X abesse: trans id flumen omnes Neruios consedisse aduentumque
ibi Romanorum expectare una cum Atrebatis et Veromanduis, fini-
3 timis suis (nam his utrisque persuaserant, uti eandem belli fortu-
4 nam experirentur); expectari etiam ab his Aduatucorum copias
5 atque esse in itinere: mulieres quique per aetatem ad pugnam
inutiles uiderentur in eum locum coniecisse, quo propter paludes
17 exercitui aditus non esset. His rebus cognitis exploratores cen-
2 turionesque praemittit, qui locum idoneum castris deligant. Cum

1 Bellouagos *m. sec. B.* pro iis *B.* sua *om. b f.* 4 incident *D.* 6 dixit; quod *A B C D E*, dixit et quod *c e f.* 7 sescentos *B.* 8 conlatis *A B f.* 9 Ambionorum *A et m. pr. B.* 12 ad hos *b.* rerum in ferri *A B D E;* rerum ad luxuriam pertinentium inferri *a e f, et in B tria media uerba m. sec. in inferiore marg. posuit. P.* 61. 13 iis *A B (E)*, hiis *C;* his *e f.* languescere *b.* [eorum] *P.* 62. et remitti uirtutem *A (B) C D E*, uirtutemque remitti *e f.* 16 dedissent *A B C D E.* proiecissent] prae *m. sec. in marg. B.* 17 se *b.* condicionem *B.* 18 triduo *b e f.* 19 captiuis] eorum *add. C ? b d et m. sec. B.* Sabini *E f.* 21 expectare *B.* Atrebatis *A B D E*, Atrebatibus *sec. m. B u.* Viromanduis *b.* finitissimis *A.* 23 expectari *B.* Atuatucorum *c d*, Aduatinorum *D.* 25 inutiles] esse *add. C ? b 'duo alii' et sec. m. B.* paludis *m. pr. B.* 26 essent *b.* 27 castris idoneum *f.* cum *B E e f 'mss.* 13', cumque (*Aπ*) ? *u.*

ex dediticiis Belgis reliquisque Gallis conplures Caesarem secuti
una iter facerent, quidam ex his, ut postea ex captiuis cognitum
est, eorum dierum consuetudine itineris nostri exercitus perspecta
nocte ad Neruios peruenerunt atque his demonstrarunt inter sin-
gulas legiones inpedimentorum magnum numerum intercedere, ne-
que esse quicquam negotii, cum prima legio in castra uenisset,
reliquaeque legiones magnum spatium abessent, hanc sub sarcinis
adoriri; qua pulsa inpedimentisque direptis futurum, ut reliquae 3
contra consistere non auderent. Adiuuabat etiam eorum consilium, 4
qui rem deferebant, quod Neruii antiquitus, cum equitatu nihil
possent (neque enim ad hoc tempus ei rei student, sed, quidquid
possunt, pedestribus ualent copiis), quo facilius finitimorum equi-
tatum, si praedandi causa ad eos uenissent, inpedirent, teneris
arboribus incisis atque inflexis crebrisque in latitudinem ramis
enatis et rubis sentibusque interiectis effecerant, ut instar muri
hae sepes munimenta praeberent, quo non modo non intrari, sed
ne perspici quidem posset. His rebus cum iter agminis nostri im- 5
pediretur, non omittendum sibi consilium Neruii existimauerunt.
Loci natura erat haec, quem locum nostri castris delegerant. Col- 18
lis ab summo aequaliter decliuis ad flumen Sabim, quod supra no-
minauimus, uergebat. Ab eo flumine pari adcliuitate collis nasce- 2
batur aduersus huic et contrarius, passus circiter ducentos infimus
apertus, ab superiore parte siluestris, ut non facile introrsus per-
spici posset. Intra eas siluas hostes in occulto sese continebant; 3

1 conplures *B.* 4 his *Af,* iis (*B*) *C D E.* 5 inpedimentorum *B.* 6 quicquam *B.* 7 magno spatio *b*, magna spatia *c.* 8 inpedimentisque *B.* 9 adiuuabant *A D E et ante corr. B*, adiurabat *C.* etiam *om. b.* 10 differebant *A D*, differebat *B suprascripta* n *ante* t *rursusque deleta*; deferebat *C?*, *et in B sec. m.* e *deletis* if *suprascripsit.* cum *om. A D E et m. pr. B.* 11 quicquid *B.* 13 inpedirent *B C f.* 14 inflexis crebrisque *D? secundum exempl. Fabr.* (*b c*) *e f*, inflexis crebris *a*; *om. A B*, *in quo sec. m.* inflexis crebrisque *suprascripsit*, *E et secundum Oud. D.* 15 enatis *om. a b c e f.* intertextis *b.* effecerat *C*, effecerunt *D.* 16 munimenta *deteriores*; munimentis *A B C D E*; munimentum *b c*, monimentum *f. P.* 47. quo] quod *b.* non modo non *A B E e f*, non modo *b.* 17 posset *e f*, possit '*longe plurimi*' *D E et m. pr. B.* 18 obmittendum *A C.* sibi *om.* '*mss.* 8' *et m. pr. B.* extimauerunt *A B*, aestimauerunt *D E.* 20 decliuius *C.* Sabinum *f.* 21 (adcliuitate *A B C*) decliuitate *b d f.* 22 passibus '*mss.* 5' *et sec. m. B.* ducentos *cum* i *super* o *sec. m. posita B.* infimis *b.* 23 a *f*, *et in B punctum est sub* b. 24 possit *A D E.* inter *b.*

in aperto loco secundum flumen paucae stationes equitum uideban-
19 tur. Fluminis erat altitudo pedum circiter trium. Caesar equitatu
praemisso subsequebatur omnibus copiis; sed ratio ordoque agmi-
2 nis aliter se habebat, ac Belgae ad Neruios detulerant. Nam
quod ad hostis adpropinquabat, consuetudine sua Caesar sex le-
3 giones expeditas ducebat; post eas totius exercitus inpedimenta
conlocarat; inde duae legiones, quae proxume conscriptae erant,
4 totum agmen claudebant praesidioque inpedimentis erant. Equi-
tes nostri cum funditoribus sagittariisque flumen transgressi cum
5 hostium equitatu proelium commiserunt. Cum se illi identidem in
siluas ad suos reciperent ac rursus ex silua in nostros impetum fa-
cerent, neque nostri longius, quam quem ad finem porrecta loca
aperta pertinebant, cedentes insequi auderent, interim legiones
sex, quae primae uenerant, opere dimenso castra munire coepe-
6 runt. Vbi prima inpedimenta nostri exercitus ab iis, qui in siluis
abditi latebant, uisa sunt, quod tempus inter eos committendi proe-
lii conuenerat, ut intra siluas aciem ordinesque constituerant at-
que ipsi sese confirmauerant, subito omnibus copiis prouolauerunt
7 impetumque in nostros equites fecerunt. His facile pulsis ac pro-
turbatis incredibili celeritate ad flumen decucurrerunt, ut paene
uno tempore et ad siluas et in flumine et iam in manibus nostris
8 hostes uiderentur. Eadem autem celeritate aduerso colle ad nostra
20 castra atque eos, qui in opere occupati erant, contenderunt. Cae-
sari omnia uno tempore erant agenda: uexillum proponendum,
quod erat insigne, cum ad arma concurri oporteret, signum tuba
dandum, ab opere reuocandi milites, qui paulo longius aggeris pe-

2 circiter pedum trium *ef.* 3 subseq. cum omnibus *D.* 5 quod ad *m. pr. Co?;* quoad *d et m. pr.? itemque sec. Cφ*, quo ad *b e f;* quod *A E et B, in quo sec. m.* d *deleta* ad *suprascripsit.* hostis *A C* (*hic m. pr.*) *E b d f*, hostes (*B*) *e.* adpropinquabat *A f.* 6 tocius *m. pr. B.* inpedimenta *A f.* 7 conlocarat *B.* proxume *cum* i *super* u *B.* 8 inpedimentis *A f.* 9 transgressis *m. pr. C.* 10 itidem *b.* 12 porrecta loca aperta *Morus*, porrecta ac loca aperta *codd. P.* 63. 14 sex *om. b f.* primae] ante *b d f.* opere dimisso *a c.* 15 inpedimenta *B.* iis *B*, his *u.* in silua *C b*, in siluas *e.* 17 conuenerant *C et ante corr. B.* ut *B C;* ita ut *u, sed* ita *in A D E post* ordinesque *legitur, in B sec. m. int. uers. adiectum est.* 19 proturbatis *A* (*B*) *D et pro var. lect.? C,* turbatis *f*, perturbatis (*E*) *e reliqui.* 20 decucurrerunt *A* (*B*) *D b e f 'aliique', non* decurrerunt. 21 et iam *D E*, etiam *A B C*, et *b d f.* 23 Caesari autem omnia *A.* 25 signum tuba dandum *om. d.* 26 reuocari *b c.*

tendi causa processerant, arcessendi, acies instruenda, milites
cohortandi, signum dandum. Quarum rerum magnam partem 2
temporis breuitas et successus hostium inpediebat. His difficulta- 3
tibus duae res erant subsidio, scientia atque usus militum, quod
superioribus proeliis exercitati, quid fieri oporteret, non minus
commode ipsi sibi praescribere, quam ab aliis doceri poterant, et
quod ab opere singulisque legionibus singulos legatos Caesar dis-
cedere nisi munitis castris uetuerat. Hi propter propinquitatem 4
et celeritatem hostium nihil iam Caesaris imperium expectabant,
sed per se, quae uidebantur, administrabant. Caesar necessariis 21
rebus imperatis ad cohortandos milites, quam in partem fors optu-
lit, decucurrit et ad legionem decumam deuenit. Milites non lon- 2
giore oratione cohortatus, quam uti suae pristinae uirtutis memo-
riam retinerent neu perturbarentur animo hostiumque impetum
fortiter sustinerent, quod non longius hostes aberant, quam quo 3
telum adici posset, proelii committendi signum dedit. Atque in 4
alteram partem item cohortandi causa profectus pugnantibus oc-
currit. Temporis tanta fuit exiguitas hostiumque tam paratus ad 5
dimicandum animus, ut non modo ad insignia adcommodanda, sed
etiam ad galeas induendas scutisque tegimenta detrudenda tempus
defuerit. Quam quisque ab opere in partem casu deuenit quaeque 6
prima signa conspexit, ad haec constitit, ne in quaerendis suis
pugnandi tempus dimitteret. Instructo exercitu, magis ut loci na- 22
tura deiectusque collis et necessitas temporis, quam ut rei milita-
ris ratio atque ordo postulabat, cum diuersis legionibus aliae alia
in parte hostibus resisterent, sepibusque densissimis, ut ante de-

1 arcessiendi *D*. 2 signum] tuba *add. d*. 3 temporum *b*. successus *A* (*is m. pr.* subcessus) *BDE*, incursus *bef; in B sec. m.* et incursus *suprascripsit*. inpediebat *B*. 9 expectabant *BCD*, exspectabant (*AE*)*e*; spectabant *bf*. 10 necessariis *supra uers., sed m. pr., B*. 11 fors *A*(*B*) *CD*(*E*); sors *ef*. optulit *B*. 12 decucurrit *A*(*B*) *C*(*E*), decurrit *f*. decumam *D et m. pr. AB*. 13 cohortatus *ABD*(*E*) '*mss.* 14', est cohortatus *C? ef et m. sec. B*. 15 quam quod telum *d*. 16 (adici *praeter B* '*mss.* 9') adigi *d*, abici *b*. 17 causa] 'gratia *C suprasc.* causa'. occurrit *om. A*. 19 adcommodanda *m. pr. B*. 20 inducendas *ABCDEbef*. scutorumque *suprasc. in A*. detrudenda *AB* '9 *alii*', detrahenda (*Ef*) *reliqui plerique et m. sec. B*. 21 ab opere in partem *ABCDEef*, in partem ab opere *u*. quaque *b*. 22 signa prima *bc*. ne in quaerendo suos *c*, ne inquirendo suos *bef*. 24 delectusque *ABCDabc*. 25 diuersis legionibus *ABCDbe omnes Schneideri praeter unum det.*, diuersis locis legiones *u*. 26 sepibusque] sentibusque *C*.

monstrauimus, interiectis prospectus impediretur, neque certa sub-
sidia conlocari neque, quid in quaque parte opus esset, prouideri
2 neque ab uno omnia imperia administrari poterant. Itaque in tanta
23 rerum iniquitate fortunae quoque euentus uarii sequebantur. Le-
gionis nonae et decimae milites, ut in sinistra parte acie consti-
terant, pilis emissis cursu ac lassitudine exanimatos uulneribus-
que confectos Atrebates (nam his ea pars obuenerat) celeriter ex
loco superiore in flumen conpulerunt et transire conantes insecuti
2 gladiis magnam partem eorum impeditam interfecerunt. Ipsi trans-
ire flumen non dubitauerunt et in locum iniquum progressi rursus
3 resistentes hostes redintegrato proelio in fugam coniecerunt. Item
alia in parte diuersae duae legiones, undecima et octaua, profligatis
Veromanduis, quibuscum erant congressi, ex loco superiore in
4 ipsis fluminis ripis proeliabantur. At totis fere a fronte et ab si-
nistra parte nudatis castris, quom in dextro cornu legio duodeci-
ma et non magno ab ea interuallo septima constitisset, omnes Ner-
uii confertissimo agmine duce Boduognato, qui summam imperii
5 tenebat, ad eum locum contenderunt; quorum pars aperto latere
legiones circumuenire, pars summum castrorum locum petere coe-
24 pit. Eodem tempore equites nostri leuisque armaturae pedites,
qui cum iis una fuerant, quos primo hostium impetu pulsos dixe-
ram, cum se in castra reciperent, aduersis hostibus occurrebant ac
2 rursus aliam in partem fugam petebant, et calones, qui ab decu-
mana porta ac summo iugo collis nostros uictores flumen transisse
conspexerant, praedandi causa egressi, cum respexissent et hostes
in nostris castris uersari uidissent, praecipites fugae sese manda-
3 bant. Simul eorum, qui cum impedimentis ueniebant, clamor
fremitusque oriebatur, aliique aliam in partem perterriti fereban-
4 tur. Quibus omnibus rebus permoti equites Treueri, quorum inter

2 conlocari *B*. nec quid *b*. 5 acie *A* (*B*) *D E b c f*, aciei *e*. 6 lacessitudine *A*. 7 nam iis *B*. 8 conpulerunt *B*. 10 rursus resistentes *A B D E*; rursus regressos ac resistentes *e f*, *et in B sec. m.* regressos ac *suprascripsit*; rursus regressi ac resistentes *C ?* 11 (coiecerunt *A*) dederunt *b c d e f*. 13 Viromanduis *A B C D b*. ex eo loco *C*. 14 at totis *a e f*, a totis *sec. m. in marg. B*; adtonitis *B C*, attonitis *reliqui*. ab sinistra *A B D E*, a sinistra (*f*). 15 quom] quo *A B C D E*, cum (*f*). 17 Boduogmato *D*. 19 coeperunt *b*. 21 quique cum *C ? D ? f et m. sec. B*. 22 castris *b*. 23 ab *C ? b c e f et sec. m. B*, *om. A B D E*. decuma *e*, decima *b*, decimana *suprasc. A*. 24 et summo *e*; ac de summo, *sed deleto* de, *A*. transisse *A* (*B*) *C D* (*E*), transire *e f*. 29 Treueri *B* '*mss*'.

Gallos uirtutis opinio est singularis, qui auxilii causa ab ciuitate ad Caesarem missi uenerant, cum multitudine hostium castra compleri, legiones premi et paene circumuentas teneri, calones, equites, funditores, Numidas diuersos dissipatosque in omnes partes fugere uidissent, desperatis nostris rebus domum contenderunt;
Romanos pulsos superatosque, castris impedimentisque eorum ho- 5
stes potitos ciuitati renuntiauerunt. Caesar ab decimae legionis 25
cohortatione ad dextrum cornu profectus, ubi suos urgeri signisque in unum locum conlatis duodecimae legionis confertos milites sibi ipsos ad pugnam esse impedimento uidit, quartae cohortis omnibus centurionibus occisis signiferoque interfecto, signo amisso, reliquarum cohortium omnibus fere centurionibus aut uulneratis aut occisis, in his primipilo P. Sextio Baculo, fortissimo uiro, multis grauibusque uulneribus confecto, ut iam se sustinere non posset, reliquos esse tardiores et nonnullos ab nouissimis deserto proelio excedere ac tela uitare, hostis neque a fronte ex inferiore loco subeuntes intermittere et ab utroque latere instare et rem esse in angusto uidit neque ullum esse subsidium, quod summitti
posset, scuto ab nouissimis uni militi detracto, quod ipse eo sine 2
scuto uenerat, in primam aciem processit centurionibusque nominatim appellatis reliquos cohortatus milites signa inferre et mani-
pulos laxare iussit, quo facilius gladiis uti possent. Cuius aduentu 3
spe inlata militibus ac redintegrato animo, cum pro se quisque in conspectu imperatoris etiam in extremis suis rebus operam nauare
cuperet, paulum hostium impetus tardatus est. Caesar, cum septi- 26

2 ad Caesarem missi *A B C D E*, missi ad Caesarem *f u*. castra compleri *B E*; castra compleri nostra *D ?*; castra nostra compleri *e (f) u*, *et in B sec. m.* nostra *suprascripsit.* 3 legiones *e f u*, nostras legiones *A B C D E. P.* 64. 8 cohortamine *C.* a dextro *D.* 9 conlatis *m. pr. B.* 10 ipsis *in codd. Achaintrii legi dicitur, quod de B falsum est, neque de a credo, cum* ipsos *ex omnibus suis reduxerit Oud., idque etiam in e scriptum sit.* uidit *codd. omnes, om. u.* 11 signifero interfecto *b f.* 13 primipilo *A B E 'mss. plerique'*; primopilo *b c*, primo pilo *e f.* Baculo] Baccio, *sed correctum ead. m.* Baculo, *C ? et sec. m. in marg. B*, Pactio *a.* fortissimo uiro *om. f.* 14 grauioribus *b.* se *om. c.* 15 esse traditores *A.* deserto *A*, desertos *reliqui.* 16 tela uidere *m. pr. B.* hostis *A D E.* a *om. b c.* 18 ullum subsidium *b c.* summitti *B.* 22 huius aduentu *e.* 23 inlata *A D et m. pr. B.* 24 in extremis *Aφ ? d e f*, extremis *Aοπ B C E.* nouare *D b.* 25 cuperent *b e f*, cuperam *E.* paululum *b.*

mam legionem, quae iuxta constiterat, item urgeri ab hoste uidis-
set, tribunos militum monuit, ut paulatim sese legiones coniunge-
2 rent et conuersa signa in hostes inferrent. Quo facto cum alius
alii subsidium ferret, neque timerent, ne auersi ab hoste circum-
3 uenirentur, audacius resistere ac fortius pugnare coeperunt. In-
terim milites legionum duarum, quae in nouissimo agmine prae-
sidio impedimentis fuerant, proelio nuntiato cursu incitato in sum-
4 mo colle ab hostibus conspiciebantur, et Titus Labienus castris
hostium potitus et ex loco superiore, quae res in nostris castris
gererentur, conspicatus decimam legionem subsidio nostris misit.
5 Qui, cum ex equitum et calonum fuga, quo in loco res esset, quan-
toque in periculo et castra et legiones et imperator uersaretur,
27 cognouissent, nihil ad celeritatem sibi reliqui fecerunt. Horum
aduentu tanta rerum commutatio est facta, ut nostri etiam qui
uulneribus confecti procubuissent, scutis innixi proelium redinte-
grarent, tum calones perterritos hostes conspicati etiam inermes
2 armatis occurrerent, equites uero, ut turpitudinem fugae uirtute
delerent, omnibus in locis [pugnant quo] se legionariis militibus
3 praeferrent. At hostes etiam in extrema spe salutis tantam uirtu-
tem praestiterunt, ut, cum primi eorum cecidissent, proximi ia-
4 centibus insisterent atque ex eorum corporibus pugnarent; his de-
iectis et coaceruatis cadaueribus, qui superessent, ut ex tumulo
5 tela in nostros conicerent et pila intercepta remitterent: ut non
nequiquam tantae uirtutis homines iudicari deberet ausos esse
transire latissimum flumen, ascendere altissimas ripas, subire ini-
quissimum locum; quae facilia ex difficillimis animi magnitudo red-

1 iuxta] uix *D b c.* urgueri *D E et ante corr. B.* hostibus *b.* 3 inferret *m. pr. B.* cum] in *D E.* alius *A* (*hic* i *suprasc.*) *B C*, aliis *D E e f.* 4 alii *om. D E.* ferret *A B C*, ferrent *D E e f.* 5 audicius *m. pr. B.* repugnare *b.* 7 incitata *A.* 8 Titus *B*, T. *u.* 9 potius *m. pr. B.* ex eo loco *b.* superiore *om. m. pr. b.* 11 cum equitatu *b.* essent *D.* 12 impericulo *B.* imperator uexaretur *b.* 14 commutatione facta *ante corr. A*, commutatio facta est *tacite contra codd. u.* 15 procubuerant *f.* 16 tum *om. d f.* 17 occurrerent *e f*, occurrerunt *A B E 'mss. plerique'.* 18 pugnant quo *A B C D E*, pugnae *e f. P.* 65. 19 at *om. D.* 22 coacerbatis *A et m. pr. B.* ex eo tumulo *b.* 23 nostris *D et m. pr. B.* conicerent *praeter B 'mss.'*, coicerent *b.* 24 nequiquam *A C et corr. B*, nequicquam *E f et ante corr. B.* deberet (*B*)? *Aldus*, deberent *codd. omnes.* ausos esse] ausi quod essent *e f.* 25 ascendere *B.* 26 rede-

egerat. Hoc proelio facto et prope ad internecionem gente ac 28
nomine Neruiorum redacto maiores natu, quos una cum pueris
mulieribusque in aestuaria ac paludes coniectos dixeramus, hac
pugna nuntiata, cum uictoribus nihil impeditum, uictis nihil tutum
arbitrarentur, omnium, qui supererant, consensu legatos ad Cae- 2
sarem miserunt seque ei dediderunt et in commemoranda ciuitatis
calamitate ex sexcentis ad tres senatores, ex hominum milibus LX
uix ad quingentos, qui arma ferre possent, sese redactos esse
dixerunt. Quos Caesar, ut in miseros ac supplices usus miseri- 3
cordia uideretur, diligentissime conseruauit suisque finibus atque
oppidis uti iussit et finitimis imperauit, ut ab iniuria et maleficio
se suosque prohiberent.

Aduatuci, de quibus supra scripsimus, cum omnibus copiis 29
auxilio Neruiis uenirent, hac pugna nuntiata ex itinere domum
reuerterunt; cunctis oppidis castellisque desertis sua omnia in 2
unum oppidum egregie natura munitum contulerunt. Quod cum 3
ex omnibus in circuitu partibus altissimas rupes despectusque ha-
beret, una ex parte leniter adcliuis aditus in latitudinem non am-
plius ducentorum pedum relinquebatur; quem locum duplici altis-
simo muro munierant: tum magni ponderis saxa et praeacutas tra-
bes in muro conlocabant. Ipsi erant ex Cimbris Teutonisque pro- 4
gnati, qui, cum iter in prouinciam nostram atque Italiam facerent,
iis impedimentis, quae secum agere ac portare non poterant, citra
flumen Rhenum depositis custodiam ex suis ac praesidium sex mi-

gerant *C et m. sec. B.* 1 internecionem (*AB*), internicionem *Ef*, internitionem *D.* gente agnomine *B C.* 3 coniectos *Glandorpius;* conlectos (*A*), collectos *reliqui codd. Vid. c.* 16, 5. hac] ac *A B C et m. pr. b.* 5 superarent *cum* a *super* e *ultimae sec. m. posita B*, superarant *C.* 7 DC (*B*). III (*B*). 8 D (*B*). sese *om. m. pr. b.* 11 iniuriis *b.* 13 Aduatuci '*mss. meliores*', Atuatuci *B.* de quibus supra scripsimus *om. m. pr. b*, de q. s. diximus *f.* 14 hac] ac *AB C.* ex itere *A*, ex inere *suprasc.* ti *C.* 15 reuersi sunt *b.* oppidis et castellis des. *b.* 18 adcliuis *B.* latitudine *C*, altitudinem *A*, altitudine *D idque in B sec. m. suprascripsit.* 19 ducentorum mit pedum *B*, cc milium pedum *C.* 20 munierunt *D E e f.* 21 conlocabant *B*, collocabant *A C D E et m. sec. B;* collocarant *f*, collocarunt *e*, collocauerant *b.* 22 iter per prouinciam *b et pro uar. lect. C.* 23 iis (*B*) *C D*, is *E*, his *A f.* circa flumen *C.* 24 depositus *B.* custodiam ex suis ac praesidium *A D E*, custodiae ex suis ac praesidio *B* (*diserto testim.*) *C e f*, custodiam ex suis ac praesidio *b c.*

5 lia hominum una reliquerunt. Hi post eorum obitum multos annos
a finitimis exagitati, cum alias bellum inferrent, alias inlatum de-
fenderent, consensu eorum omnium pace facta hunc sibi domicilio
30 locum delegerunt. Ac primo aduentu exercitus nostri crebras ex
oppido excursiones faciebant paruulisque proeliis cum nostris con-
2 tendebant; postea uallo pedum XII in circuitu quindecim milium
3 crebrisque castellis circummuniti oppido sese continebant. Vbi
uineis actis aggere extructo turrim procul constitui uiderunt, pri-
mum inridere ex muro atque increpitare uocibus, quod tanta ma-
4 chinatio ab tanto spatio instrueretur: quibusnam manibus aut qui-
bus uiribus praesertim homines tantulae staturae (nam plerumque
hominibus Gallis prae magnitudine corporum suorum breuitas no-
stra contemptui est) tanti oneris turrim in muro sese conlocare
31 confiderent? Vbi uero moueri et adpropinquare moenibus uide-
runt, noua atque inusitata specie commoti legatos ad Caesarem de
2 pace miserunt, qui ad hunc modum locuti: non existimare Roma-
nos sine ope diuina bellum gerere, qui tantae altitudinis machina-
3 tiones tanta celeritate promouere possent, se suaque omnia eorum
4 potestati permittere dixerunt. Vnum petere ac deprecari: si forte
pro sua clementia ac mansuetudine, quam ipsi ab aliis audirent,
statuisset Aduatucos esse conseruandos, ne se armis despoliaret.
5 Sibi omnes fere finitimos esse inimicos ac suae uirtuti inuidere; a
6 quibus se defendere traditis armis non possent. Sibi praestare, si
in eum casum deducerentur, quamuis fortunam a populo Romano
pati, quam ab his per cruciatum interfici, inter quos dominari con-
32 suessent. Ad haec Caesar respondit: Se magis consuetudine sua

1 hii *B.* 2 inlatum *m. pr. B.* 6 XII (*B*) *C, om. ADEbf.* XV (*B*) *df.* milium *om. df.* 7 se *A.* 8 (extructo, *non* exstructo, *B*) constructo *b.* 9 inridere *m. pr. B.* crepitare *b.* quo tanta *contra omnes codd. Scaliger et u.* 10 institueretur *bcdef. Vid. Sen. uit. beat. c.* 26. 11 plerumque hominibus *tres deteriores;* plerisque omnibus *c, et* plerisque *post* Gallis *Cφ habere dicitur;* plerumque omnibus *reliqui codd. P.* 54. 13 contemtui (*B*). in muro *bcf,* in muros *reliqui.* conlocare *B.* 14 adpropinquare *ABf.* moenibus] muris *bcf.* 15 atque] et *C.* 16 non existimare *ABDE,* non se existimare (*f*) *u et m. sec. B.* 17 diuina] deorum *bcef.* 18 promouere possent *ABDE;* promouere et ex propinquitate pugnare possent *ae* (*f*), *et in B quattuor media uerba sec. m. in inferiore marg. posuit.* 19 precari *b.* 20 audirent *A* (*B*) *CD* (*E*) *be,* audissent *f.* 21 statuissent *cum puncto sub* n *B.* desporiaret *cum* l *super priore* r *A.* 25 his] aliis *b.* cruciatus *bf.* 26 *ante* ad haec *add.* quibus *C ? bf* (*is habet* ad hoc) *et sec. m. B.*

quam merito eorum ciuitatem conseruaturum, si prius, quam mu-
rum aries attigisset, se dedidissent: sed deditionis nullam esse 2
condicionem nisi armis traditis. Se id, quod in Neruiis fecisset, fa-
cturum finitumisque imperaturum, ne quam dediticiis populi Romani
iniuriam inferrent. Re nuntiata ad suos, quae imperarentur, fa- 3
cere dixerunt. Armorum magna multitudine de muro in fossam, 4
quae erat ante oppidum, iacta, sic ut prope summam muri aggeris-
que altitudinem acerui armorum adaequarent, et tamen circiter
parte tertia, ut postea perspectum est, celata atque in oppido re-
tenta portis patefactis eo die pace sunt usi. Sub uesperum Caesar 33
portas claudi militesque ex oppido exire iussit, ne quam noctu
oppidani ab militibus iniuriam acciperent. Illi ante inito, ut intel- 2
lectum est, consilio, quod deditione facta nostros praesidia dedu-
cturos aut denique indiligentius seruaturos crediderant, partim cum
iis, quae retinuerant et celauerant, armis, partim scutis ex cortice
factis aut uiminibus intextis, quae subito, ut temporis exiguitas
postulabat, pellibus induxerant, tertia uigilia, qua minime arduus
ad nostras munitiones ascensus uidebatur, omnibus copiis repen-
tino ex oppido eruptionem fecerunt. Celeriter, ut ante Caesar 3
imperarat, ignibus significatione facta ex proximis castellis eo
concursum est, pugnatumque ab hostibus ita acriter est, ut a uiris 4
fortibus in extrema spe salutis iniquo loco contra eos, qui ex uallo
turribusque tela iacerent, pugnari debuit, cum in una uirtute omnis
spes salutis consisteret. Occisis ad hominum milibus quattuor 5
reliqui in oppidum reiecti sunt. Postridie eius diei refractis por- 6
tis, cum iam defenderet nemo, atque intromissis militibus nostris
sectionem eius oppidi uniuersam Caesar uendidit. Ab iis, qui eme- 7

2 dedissent *B* '*mss.* 7'. 3 condicionem *B*. Neruios *ef*. 4 finitumisque *A et m. pr. B*. populo Romano *sec. m. B*. 5 nunciata *m. pr. B*. suos] illi se *add. bcef*. dixerunt facere *e*. 8 adaequarentur *D*; coaequarent, *sed suprasc. ead m.* ad, *C*. 9 perspectum] co *super* per *sec. m. B*, compertum *bf*. 10 pace] parte *c*. sub uespere *bcf*. 12 ab (*AB*) *CD* (*E*), a *f*. 13 deducturos *ABD* (*E*), *in B sec. m.* in *super* de *scripsit*; non inducturos *bcdef*, non indulturos *C*? 14 indulgentius *bc et int. uers. C et sec. m. in marg. B*. cum his *codd. et u*. 18 ascensus *B*. repentino *ABDE*; repente *e* (*f*) *atque, ut arbitror, a, quem Achaintrius de B tacens* repentino *exhibere narrat, item sec. m. B et reliqui plerique*. 21 acriter est *ABCDEf* '*undecim*', acriter *u*. 23 in *om. A*. 24 salutis *om. f*. milia *DEf*. quattuor *AB*, quatuor (*Ef*). 26 cum nemo defenderet *f*. atque ultro inmissis *bc*. 27 ab his *codd. et u*.

rant, capitum numerus ad eum relatus est milium quinquaginta
trium.
34 Eodem tempore a Publio Crasso, quem cum legione una
miserat ad Venetos, Vnellos, Osismos, Curiosolitas, Esuuios,
Aulercos, Redones, quae sunt maritumae ciuitates Oceanumque
attingunt, certior factus est omnes eas ciuitates in dicionem pote-
35 statemque populi Romani esse redactas. His rebus gestis omni
Gallia pacata tanta huius belli ad barbaros opinio perlata est, uti
ab iis nationibus, quae trans Rhenum incolerent, mitterentur le-
gati ad Caesarem, qui se obsides daturas, imperata facturas polli-
2 cerentur. Quas legationes Caesar, quod in Italiam Illyricumque
3 properabat, inita proxima aestate ad se reuerti iussit. Ipse in
Carnutes, Andes Turonesque, quae ciuitates propinquae his locis
erant, ubi bellum gesserat, legionibus in hibernacula deductis in
4 Italiam profectus est. Ob easque res ex litteris Caesaris dies
quindecim supplicatio decreta est, quod ante id tempus accidit nulli.

3 Publio *B*, P. *u*. 4 Osismos *A B C f*, Osimos *D E*, Osismios *u*. Coriosolitas *A*, Coriosolitos *f*. Esuuios *Whittius*, Esbios *c*, Sesuuios *reliqui boni omnes. Vid. III*, 7 *extr. V*, 24, 2. 5 Redones *f*, Rhedones (*A*) *B* (*E*) *u*. *Vid. VII*, 75, 4. maritumae *m. pr. B*. 6 in ditionem *e*, in deditionem *reliqui*. 8 oppinio *B*. prolata est *A*, uenit *D*. 9 ab his *codd. et u*. 10 qui se *A E*, quae nationes se *b*, quae se (*B*) *e et reliqui*. 11 quod] eo quod *sec. m. pro uar. lect. A*. 12 initio proximae aestatis *b d f*. 13 Carnotes *A*. Turones quaeque *A e*. 14 hibernacula *A B D E*; hiberna *e* (*f*) *plerique*, *et in B* cula, *nescio an sec. m.*, *deletum est*. Iulius Celsus Constantinus u. c. legi. Flauius Licerius Firminus Lupicinus legi *A B C D E c*. Belli Gallici liber secundus explicit *B*.

C. IVLII CAESARIS

DE BELLO GALLICO

COMMENTARIVS TERTIVS.

Cum in Italiam proficisceretur Caesar, Seruium Galbam cum
legione XII et parte equitatus in Nantuatis, Veragros Sedunosque
misit, qui ab finibus Allobrogum et lacu Lemanno et flumine Rho-
dano ad summas Alpes pertinent. Causa mittendi fuit, quod iter 2
per Alpes, quo magno cum periculo magnisque cum portoriis mer-
catores ire consuerant, patefieri uolebat. Huic permisit, si opus 3
esse arbitraretur, uti in his locis legionem hiemandi causa conlo-
caret. Galba secundis aliquot proeliis factis castellisque conplu- 4
ribus eorum expugnatis missis ad eum undique legatis obsidibus-
que datis et pace facta constituit cohortes duas in Nantuatibus
conlocare et ipse cum reliquis eius legionis cohortibus in uico
Veragrorum, qui appellatur Octodurus, hiemare; qui uicus positus 5
in ualle non magna adiecta planicie altissimis montibus undique
continetur. Cum hic in duas partes flumine diuideretur, alteram 6
partem eius uici Gallis ad hiemandum concessit, alteram uacuam

Incipit liber III feliciter *B*. 1 Seruium *A* (*B*) *C D E f*, Seru. *u*. 2 et] ac *D*. in Nantuatis *B*, in ^{n}antuatis *C*, inantuatis *A* ('is *accus. est etiam in b c*'); in mantuates *D E*, in antuates *sec. m. in marg. B*, in atuates *f*. 3 ab (*B*) *D E et tacite u*, a (*f*). 4 Alpis *C*. 5 magnisque cum port. (*B*) *C D* (*E*) '*mss. omnes*'; magnisque port. *e*, magnis port. *f*. 6 consuerant *A* (*B*) *C D* (*E*), consueuerant *f*. 7 esset *cum puncto sub* t *B*. his *A B C f*, hiis *E*, iis *D d*; eis *ex uno det. u*. conlocaret *B*. 8 aliquod *B*. conpluribus *B*. 9 undique *int. uers. C*. 10 cohortes *cum* i *super* e *B*, cohortis *C*. in mantuatibus *D E*, in antuatibus *A B C*, in atuatibus *f*. 11 conlocare *B*. 12 Octodurus *A et Orosius VI*, 8; Octodorus *B C D reliqui*. 13 abiecta *b*. planiciae *A*, planitie *B f*. 14 hinc *A B* (*is ante corr.*) *D E b c*. flumen *A D et m. pr. B*. diuideretur *ante* flumine *ponit f*. alteram — concessit *om. C*; altam partem *c*. 15 ad gemandum *m. pr. B*; ad hiemandum *p*. 312, 1 *post* cohortibus *de Hotomanni coni. posita habet u*.

ab his relictam cohortibus adtribuit. Eum locum uallo fossaque
2 muniuit. Cum dies hibernorum conplures transissent, frumen-
tumque eo conportari iussisset, subito per exploratores certior
factus est ex ea parte uici, quam Gallis concesserat, omnes noctu
discessisse, montesque, qui inpenderent, a maxima multitudine
2 Sedunorum et Veragrorum teneri. Id aliquot de causis acciderat,
ut subito Galli belli renouandi legionisque opprimendae consilium
3 caperent: primum, quod legionem neque eam plenissimam detra-
ctis cohortibus duabus et compluribus singillatim, qui commeatus
4 petendi causa missi erant, propter paucitatem despiciebant; tum
etiam, quod propter iniquitatem loci, cum ipsi ex montibus in ual-
lem decurrerent et tela conicerent, ne primum quidem posse im-
5 petum suum sustineri existimabant. Accedebat, quod suos ab se
liberos abstractos obsidum nomine dolebant et Romanos non so-
lum itinerum causa, sed etiam perpetuae possessionis culmina Al-
pium occupare conari et ea loca finitimae prouinciae adiungere
3 sibi persuasum habebant. His nuntiis acceptis Galba, cum neque
opus hibernorum munitionesque plene essent perfectae, neque de
frumento reliquoque commeatu satis esset prouisum, quod deditio-
ne facta obsidibusque acceptis nihil de bello timendum existima-
uerat, consilio celeriter conuocato sententias exquirere coepit.
2 Quo in consilio, cum tantum repentini periculi praeter opinionem
accidisset, ac iam omnia fere superiora loca multitudine armatorum
completa conspicerentur, neque subsidio ueniri neque commeatus
3 subportari interclusis itineribus possent, prope iam desperata sa-
lute nonnullae huiusmodi sententiae dicebantur, ut impedimentis

1 ab his *B*, 'ab iis *et* ab his *mss. et edd. qdd.*'; ab illis *sec. m. B u et Schneiderus, qui tacet.* adtribuit *B.* 2 conplures *B.* frumentumque] et frumentum *b f.* 3 conportari *B.* 5 montes, qui *C.* (inpenderent *A f*) impedirent *D b.* 6 aliquid *B.* 8 eam *e f*, tam *A B C D E.* detractis cohortis cohortibus *C.* 9 singillatim *A D et m. sec. B*, singilatim *m. pr. B*, singulatim *C.* 10 amissi *m. pr. A.* erant] absentibus *add. u*, *quod om. A B D E*, *in B sec. m. int. uers. posuit.* 11 quod *om. b c d f*, cum *m. pr. C.* 12 decucurrerent *A.* impetum suum posse *f.* 13 sustineri *A D* (*E*) *b c*, sustinere *B C f.* 16 finitima *Vossius propter inferiora* sibi persuasum habebant. *Sed cf. b. Hisp.* 22, 8 'neque sibi ullam spem uictoriae propositam habere'. 18 opus] tempus *f et sec. m. in marg. B et pro uar. lect. item in marg. C.* plenae *A C.* 20 timendo *A.* 21 *et* 22 consilio *A B D* (*E*) *e*, concilio *f et m. sec. B.* 22 cum in tantum *C D c.* opinationem *m. pr. A.* 25 subportari *B C f.* 26 eiusmodi dicebantur sententiae *b.*

relictis eruptione facta isdem itineribus, quibus eo peruenissent,
ad salutem contenderent. Maiori tamen parti placuit hoc reser- 4
uato ad extremum consilio interim rei euentum experiri et castra
defendere. Breui spatio interiecto, uix ut iis rebus, quas consti- 4
tuissent, conlocandis atque administrandis tempus daretur, hostes
ex omnibus partibus signo dato decurrere, lapides gaesaque in
uallum conicere. Nostri primo integris uiribus fortiter repugnare 2
neque ullum frustra telum ex loco superiore mittere, ut quaeque
pars castrorum nudata defensoribus premi uidebatur, eo occurrere
et auxilium ferre, sed hoc superari, quod diuturnitate pugnae ho- 3
stes defessi proelio excedebant, alii integris uiribus succedebant;
quarum rerum a nostris propter paucitatem fieri nihil poterat, ac 4
non modo defesso ex pugna excedendi, sed ne saucio quidem eius
loci, ubi constiterat, relinquendi ac sui recipiendi facultas dabatur.
Cum iam amplius horis sex continenter pugnaretur, ac non solum 5
uires, sed etiam tela nostros deficerent, atque hostes acrius insta-
rent languidioribusque nostris uallum scindere et fossas complere
coepissent, resque esset iam ad extremum perducta casum, Pu- 2
blius Sextius Baculus, primi pili centurio, quem Neruico proelio
compluribus confectum uulneribus diximus, et item Gaius Voluse-
nus, tribunus militum, uir et consilii magni et uirtutis, ad Galbam
adcurrunt atque unam esse spem salutis docent, si eruptione facta
extremum auxilium experirentur. Itaque conuocatis centurioni- 3
bus celeriter milites certiores facit, paulisper intermitterent proe-
lium ac tantummodo tela missa exciperent seque ex labore refi-

1 isdem *DEf*, hisdem *ABC*. 3 et *om. A.* 4 iis *C? et sec. m. B, om. ABDE*, his *u.* 5 (conlocandis *B*) conloqundis *cum puncto sub* u *A.* 6 decurrere] in pedes *add. C? et sec. m. B.* caesaque *AB* (*is* g *sec. m. in marg.*) *C*; telaque *DE*, tela *f*, hastas tela *b. Orosius:* raros per uallum propugnatores saxis telisque onerant. 7 uallem *b.* coicere *B.* propugnare *f.* 8 ut quaque *DE*, et quaecumque *bcdf.* 9 concurrere *b.* 10 ostes *m. pr. B.* 11 proelio] cum proel. *int. uers. C.* succebant *m. pr. B.* 13 eius] et *b*, eo *c.* 14 recipiendi] parciendi *b.* 15 sex *A*(*B*)*E*; VI (*f*), *qui ante* horis *ponit.* 16 nostros *Heinsius*, nostris *codd. Vid. II*, 10, 4. *V*, 33, 1. *b. ciu. II*, 41, 7: *apud Val. Max. V*, 1 *ext.* 3 *scribendum est* nisi uinum nobis defuisset. 17 et] ac *f.* fossam *A.* 18 *ante* perducta *add.* deducta, *sed duobus punctis suppositis*, *E.* Publius *B*, P. *u.* 19 Baculus *Orosio appellatur* Pacuuius. 20 Gaius *ABCDE*, C. (*f*) *u.* 21 uiri *c.* 22 (adcurrunt *ABC*) occurrunt *b.* docerent *cum punctis sub* re *B.* 24 facti *C.*

cerent, post dato signo ex castris erumperent atque omnem spem
6 salutis in uirtute ponerent. Quod iussi sunt, faciunt ac subito
omnibus portis eruptione facta neque cognoscendi, quid fieret, ne-
2 que sui colligendi hostibus facultatem relinquunt. Ita commutata
fortuna eos, qui in spem potiundorum castrorum uenerant, undi-
que circumuentos interficiunt et ex hominum milibus amplius XXX,
quem numerum barbarorum ad castra uenisse constabat, plus ter-
tia parte interfecta reliquos perterritos in fugam coniciunt ac ne
3 in locis quidem superioribus consistere patiuntur. Sic omnibus
hostium copiis fusis armisque exutis se in castra munitionesque
4 suas recipiunt. Quo proelio facto, quod saepius fortunam temptare
Galba nolebat atque alio se in hiberna consilio uenisse meminerat,
aliis occurrisse rebus uiderat, maxime frumenti commeatusque
inopia permotus postero die omnibus eius uici aedificiis incensis in
5 prouinciam reuerti contendit ac nullo hoste prohibente aut iter de-
morante incolumem legionem in Nantuatis, inde in Allobroges per-
duxit ibique hiemauit.

7 His rebus gestis cum omnibus de causis Caesar pacatam Gal-
liam existimaret, superatis Belgis, expulsis Germanis, uictis in
Alpibus Sedunis, atque ita inita hieme in Illyricum profectus esset,
quod eas quoque nationes adire et regiones cognoscere uolebat,
2 subitum bellum in Gallia coortum est. Eius belli haec fuit causa.
Publius Crassus adulescens cum legione septima proximus mare
3 Oceanum in Andibus hiemarat. Is, quod in his locis inopia fru-
menti erat, praefectos tribunosque militum conplures in finitimas
4 ciuitates frumenti causa dimisit; quo in numero erat Titus Terra-

1 ex (*AB*) *CDE*, *ef*. 3 quid facerent *b*. 4 itaque *Cb*. 5 potiundorum *AD* '6 *alii' et m. pr. B*. 7 plus tertia parte] amplius triginta milia barbarorum tunc caesa referuntur *Orosius*. 10 exustis *C*. in castra munitionesque] intra munitiones *f*. 11 suas *om. C*. receperunt *m. pr. C*. 12 alio sese *f et sec. m. B*, alio quam *b*. 15 prouincia *C*. 16 in antuatis *B et coniunctim A* ('*per i etiam b et* 4 *alii*'); in mantuates *DE*, in atuates *f*, in antuatos *C ? et sec. m. B*. inde *om. C*. Allobroges *ABCEf* '*mss. plerique*', Allobrogas *u*. 18 Caesar *om. m. pr. b*. 20 ita '*om. bd*': *sed uide seq. discrep.* inita] in *f*. in *om. Abef*. 21 et *om. f*. 23 Publius *B*, P. *u*. adulescens *ABDE*: *in A et B* o *est super* u, *sed in hoc sec. m.* 24 in Andibus] qui in Andibus *C ? b et sec. m. B*, qui andibis *f*: apud Andegauos *Orosius*. hiemarat *ABcef*, hiemauerat *CDE*. *P*. 21. 25 conplures *B*. 26 frumenti commeatusque petendi causa *bcdef*. erat] et *CD*, est *Ef*, *qui addit* in Sesuuios. Titus *B*, T. *fu*.

sidius missus in Esuuios, Marcus Trebius Gallus in Curiosolitas,
Quintus Velanius cum Tito Silio in Venetos. Huius est ciuitatis 8
longe amplissima auctoritas omnis orae maritimae regionum earum, quod et naues habent Veneti plurimas, quibus in Britanniam nauigare consuerunt, et scientia atque usu nauticarum rerum reliquos antecedunt et in magno impetu maris atque aperto paucis portibus interiectis, quos tenent ipsi, omnes fere, qui eo mari uti
consuerunt, habent uectigales. Ab his fit initium retinendi Silii 2
atque Velanii, quod per eos suos se obsides, quos Crasso dedissent, reciperaturos existimabant. Horum auctoritate finitimi ad- 3
ducti (ut sunt Gallorum subita et repentina consilia) eadem de causa Trebium Terrasidiumque retinent, et celeriter missis legatis per suos principes inter se coniurant nihil nisi communi consilio
acturos eundemque omnis fortunae exitum esse laturos, reliquas- 4
que ciuitates sollicitant, ut in ea libertate, quam a maioribus acceperant, permanere quam Romanorum seruitutem perferre mal-
lent. Omni ora maritima celeriter ad suam sententiam perducta 5
communem legationem ad Publium Crassum mittunt, si uelit suos
recipere, obsides sibi remittat. Quibus de rebus Caesar ab Cras- 9
so certior factus, quod ipse aberat longius, naues interim longas aedificari in flumine Ligere, quod influit in Oceanum, remiges ex
prouincia institui, nautas gubernatoresque comparari iubet. His 2
rebus celeriter administratis ipse, cum primum per anni tempus

1 in Esubios (*A*) *B C D E* '*optimi*', numellos sesuiuos *e*, in Vnellos *f*. M. Trebius (*B*) *u*, Trebius *omisso praenomine f*, intreuiris *e*. Coriosolitas *f*. 2 Quintus *B*, Q. *u*. Velonius *A*. Tito *B*, T. *u*. Sillio *A B C f* '*plurimi*', filio *D*. 3 maritimae *om. f*. 4 habeant *m. pr. b*. Venetii *b*, Naneti *suprasc. rec. m. A semper*. Brittaniam *B D*, Brittanniam *C et fere ubique f*, Britaniam *E*. 5 consuerint *m. pr. C*. nauticarum *om. f*, nautarum *D E*. rerum *b c f*, *om. A B C D E*. reliquos] ceteros *b e f*. 7 eo] eodem *b f*; *idemque de D tradit Oud., sed falso, ut exempl. Fabr. docet.* uti *om. m. pr. b*. 8 his *A B C D E f*, iis *u*. Sillii *A B C D E f*. 9 Velanii *altera* i *postea ead. m. adiecta f*, Velanii *an* Velonii *dubie A*π, Vellanii *B C D E*, Vellani *b*: *atque hic cum a d e f add.* et si quos intercipere potuerunt. 10 reciperaturos *A B e*, *omnes cum* u *super* i, *sed in B sec. m. scripta.* 11 de *om. b*. 14 eundemque — laturos *om. f*. 15 acceperint *e f*. 16 malint *e f*. 18 Publium *B*, P. *u*. 19 recipere (*B*) *C D* (*E*), *om. A*; recuperare *b d e f*. sibi *om. b d f*. ab *B C D*(*E*) '*mss.*', a *f*. 21 Ligere *A B D E*; Ligeri *f et sec. m. B*, Ligeris *b c*. influit Oceanum *b c e f* '*Parisienses*' *Schneid., sed non B*. 22 instituit *b f*. comparare *suprasc.* i *C*.

3 potuit, ad exercitum contendit. Veneti reliquaeque item ciuitates
cognito Caesaris aduentu [certiores facti], simul quod, quantum in
se facinus admisissent, intellegebant, legatos, quod nomen ad
omnes nationes sanctum inuiolatumque semper fuisset, retentos ab
se et in uincla coniectos, pro magnitudine periculi bellum parare
et maxime ea, quae ad usum nauium pertinent, prouidere institu-
4 unt, hoc maiore spe, quod multum natura loci confidebant. Pede-
stria esse itinera concisa aestuariis, nauigationem inpeditam pro-
5 pter inscientiam locorum paucitatemque portuum sciebant, neque
nostros exercitus propter frumenti inopiam diutius apud se morari
6 posse confidebant: ac iam ut omnia contra opinionem acciderent,
tamen se plurimum nauibus posse, Romanos neque ullam faculta-
tem habere nauium neque eorum locorum, ubi bellum gesturi es-
7 sent, uada, portus, insulas nouisse; ac longe aliam esse nauiga-
tionem in concluso mari atque in uastissimo atque apertissimo
8 Oceano perspiciebant. His initis consiliis oppida muniunt, fru-
9 menta ex agris in oppida conportant, naues in Venetiam, ubi Cae-
sarem primum esse bellum gesturum constabat, quam plurimas
10 possunt, cogunt. Socios sibi ad id bellum Osismos, Lexouios,
Namnetes, Ambiliatos, Morinos, Diablintres, Menapios adsciscunt;
auxilia ex Britannia, quae contra eas regiones posita est, arces-
10 sunt. Erant hae difficultates belli gerendi, quas supra ostendimus,
2 sed multa Caesarem tamen ad id bellum incitabant: iniuriae re-

1 contendit] peruenit, *sed illo ead. m. suprascripto, C.* 2 [certiores facti] *P.* 66. 3 intelligebant *sec. m. B.* ad *A B C D E*, apud *e f.* 4 ab se (*A B*) *E e*, a se *f.* 5 uincla *B C D.* 6 instituere *D.* 8 inpeditam *B.* 11 acciderant *A B C.* 12 tamen *om. f.* posse quam Romanos *codd. omnes.* ullam *om. m. pr. A.* 14 nosse *b e.* 15 in concluso uastissimo mari *b c* (*hi* cluso) *f.* atque in uastissimo atque apertissimo (*B C D E*); atque in uastissimo *A;* atque in apertissimo *e* (*in cuius marg. ead. m.* iustissimo *posuit*) *et omisso* in *f*, atque in aperto *b*, atque in paratissimo *c.* 16 perspiciebant] respiciunt *b.* 17 conportant *B.* 18 primum esse bellum *A B C D E*, primum bellum *b d f.* constabant conplurimas *ante corr. B.* 19 Osismos *A f et Orosii Langobardicus*, Ossismos *B E d et Portensis Orosii;* Osismios *u.* Lexouios *b d*, Lexobios *B.* 20 Namnetes *B et Orosii Langobardicus atque Portensis*, Nannetes *u.* Ambiliatos *d?*, Ambianos *a b c e f et pro uar. lect.? d* (*contra*, *puto*); Ambiuaritos *Orosius.* Diablintres *A B E*, Dialintres *C;* Diablindes *b c*, Diablintes *f u et apud Orosium Langobardicus et Portensis.* 21 Brittania *B.* arcessiunt *b.* 22 hae] hecce *B*, heae *C*, ee *D; unde* eae *Whittius.* belligerandi *b.* 23 sed tamen Caesarem multa *C D*, sed multa tamen Caesarem *E*, sit tamen multa Caesarem *f.* iniuria *f.*

tentorum equitum Romanorum, rebellio facta post deditionem, de-
fectio datis obsidibus, tot ciuitatum coniuratio, inprimis, ne hac
parte neglecta reliquae nationes sibi idem licere arbitrarentur.
Itaque cum intellegeret omnes fere Gallos nouis rebus studere et 3
ad bellum mobiliter celeriterque excitari, omnes autem homines
natura libertati studere et condicionem seruitutis odisse, priusquam
plures ciuitates conspirarent, partiendum sibi ac latius distribuen-
dum exercitum putauit. Itaque Titum Labienum legatum in Tre- **11**
ueros, qui proximi flumini Rheno sunt, cum equitatu mittit. Huic 2
mandat, Remos reliquosque Belgas adeat atque in officio contineat
Germanosque, qui auxilio a Belgis arcessiti dicebantur, si per uim
nauibus flumen transire conentur, prohibeat. Publium Crassum 3
cum cohortibus legionariis XII et magno numero equitatus in Aqui-
taniam proficisci iubet, ne ex his nationibus auxilia in Galliam
mittantur, ac tantae nationes coniungantur. Quintum Titurium 4
Sabinum legatum cum legionibus tribus in Vnellos, Curiosolites
Lexouiosque mittit, qui eam manum distinendam curet. Decimum 5
Brutum adulescentem classi Gallicisque nauibus, quas ex Pictoni-
bus et Santonis reliquisque pacatis regionibus conuenire iusserat,
praeficit et, cum primum posset, in Venetos proficisci iubet. Ipse
eo pedestribus copiis contendit. Erant eiusmodi fere situs oppi- **12**
dorum, ut posita in extremis lingulis promunturiisque neque pedi-
bus aditum haberent, cum ex alto se aestus incitauisset, quod
[bis] accidit semper horarum XII spatio, neque nauibus, quod rur-

2 tot ciuium coniuratio *f*. 3 licere *om. C*. 4 intelligeret *sec. m. B*. 6 libertati studere] 'libertatis studiose incitari *uel* studio inc. *b c d' e f*, *quorum* studiose *f*, studio se *d e*. conditionem (*B*). 8 Titum *B*, T. *u.*, *om. Flodoardus p.* 507 *a.* in] inter *b*. Treueros *B*, Treuiros *Flodoardus*. 9 flumini *om. f*. Rhono *m. pr. A*, Reno *Flodoardus*. sunt *om. b*. aequitatu *B*. misit *C*. 11 ab Belgis *B et* b *uel* ab *int. uers. posito C*, abbellis *A* ('ab *ante* b *Caesar nusquam uidetur posuisse' Schneid.*); Gallis *omisso* a *f*. 12 Publium *B*, P. *u*. 13 duodecim (*B*). 15 Quintum *B*, Q. *u*. 16 Curiosolites *A*, Coriosolites *B C D*, Curiosolitos *E*, Coriosolitas *f*. 17 Lexouiosque *b*, Lexobiosque *B*. Decimum *A B E*, D. *u et adiecto sec. m. int. uers.* ecium *f*. 18 adulescentem *B D E et cum* o *super* u *A*. 19 Sanctonis *C*, Santoniis *f*. conuenire fecerat, praefecit *f*. 21 eo] cum *f*. obpidorum *A*. 22 linguris *et in marg.* Lingurum *e*. promunturiisque *B C*, promunturiisquae *cum* o *super* mu *A*, promuntoriisque '*plerique*', promunctoriisque *D E f*. *Vid. insc. Orell.* 3671. 24 bis *om. Oxon.*, bis *e*. *P.* 67. accedit *A B C D E*. duodecim *E*.

2 sus minuente aestu naues in uadis adflictarentur. Ita utraque re
3 oppidorum oppugnatio inpediebatur; ac si quando magnitudine
operis forte superati, extruso mari aggere ac molibus atque his
oppidi moenibus adaequatis, suis fortunis desperare coeperant,
magno numero nauium adpulso, cuius rei summam facultatem ha-
bebant, sua deportabant omnia seque in proxima oppida reci-
4 piebant: ibi se rursus isdem opportunitatibus loci defendebant.
5 Haec eo facilius magnam partem aestatis faciebant, quod nostrae
naues tempestatibus detinebantur, summaque erat uasto atque
aperto mari, magnis aestibus, raris ac prope nullis portibus, diffi-
13 cultas nauigandi. Namque ipsorum naues ad hunc modum factae
armataeque erant: carinae aliquanto planiores quam nostrarum
nauium, quo facilius uada ac decessum aestus excipere possent;
2 prorae admodum erectae atque item puppes ad magnitudinem
3 fluctuum tempestatumque adcommodatae; naues totae factae ex
4 robore ad quamuis uim et contumeliam perferendam; transtra pe-
dalibus in altitudinem trabibus confixa clauis ferreis digiti pollicis
5 crassitudine; ancorae pro funibus ferreis catenis reuinctae;
6 pelles pro uelis alutaeque tenuiter confectae, hae siue propter lini
inopiam atque eius usus inscientiam, siue eo, quod est magis ue-
risimile, quod tantas tempestates Oceani tantosque impetus uen-
torum sustineri ac tanta onera nauium regi uelis non satis com-
7 mode posse arbitrabantur. Cum his nauibus nostrae classi eius-
modi congressus erat, ut una celeritate et pulsu remorum praesta-
ret, reliqua pro loci natura, pro ui tempestatum illis essent aptiora

1 imminuente *b.* adflictarentur *B.* 2 (inpediebatur *B*) impedibatur *m. pr. A.* at si *b.* 3 fortue *ante corr. B.* extruso pro mari aggere *c et, qui corr.* exstructo, *f;* extruso mari pro aggere *b* (excluso *uar. lect. A*). his] hisdem *e et m. sec. f et secundum exempl. Fabr. d*, isdem *b et pr. m. f et secundum Oud. d;* his ferme *contra codd. u.* 4 moenibus oppidi *b d.* 5 adpulso *B.* 7 isdem *A B C et m. pr. f, qui* hisdem *sec. m.;* id est *D E.* oportunitatibus *B.* 8 magna parte satisfaciebant *D E.* 9 detenebantur *pr. m. A B.* 10 magno *D.* portubus *corr. f.* 12 erant *om. b.* 13 uada *om. f.* a decessum *addita* c *int. uers. C,* ac cessum *interiecta litura f.* 15 adcommodatae *B.* 16 robor *m. pr. B.* quasuis — perferendas *D.* transtra ex pedalibus *e*, transtra sexpedalibus *corr. f.* 17 in latitudinem *contra codd. u.* 18 grossitudine *sec. m. B.* ancorae *A B 'mss. plerique'*, anchorae *D E f.* 20 eo *om. e f.* 22 sustinere *A B C D.* 23 posse *om. c d e f et m. pr. a b.* 24 ut in una *b.* caeleritate *B.* pulsu remorum] incitationem *add. b*, incitatione *add. d.*

et accommodatiora. Neque enim his nostrae rostro nocere pote- 8
rant (tanta in iis erat firmitudo), neque propter altitudinem facile
telum adiciebatur, et eadem de causa minus commode copulis con-
tinebantur. Accedebat, ut, cum saeuire uentus coepisset et se 9
uento dedissent, et tempestatem ferrent facilius et in uadis consi-
sterent tutius et ab aestu relictae nihil saxa et cautes timerent;
quarum rerum omnium nostris nauibus casus erat extimescendus.
Conpluribus expugnatis oppidis Caesar, ubi intellexit frustra tan- 14
tum laborem sumi neque hostium fugam captis oppidis reprimi ne-
que iis noceri posse, statuit expectandam classem. Quae ubi con- 2
uenit ac primum ab hostibus uisa est, circiter CCXX naues eorum
paratissimae atque omni genere armorum ornatissimae profectae
ex portu nostris aduersae constiterunt; neque satis Bruto, qui 3
classi praeerat, uel tribunis militum centurionibusque, quibus sin-
gulae naues erant adtributae, constabat, quid agerent aut quam
rationem pugnae insisterent. Rostro enim noceri non posse co- 4
gnouerant; turribus autem excitatis tamen has altitudo puppium ex
barbaris nauibus superabat, ut neque ex inferiore loco satis com-
mode tela adici possent et missa ab Gallis grauius acciderent.
Vna erat magno usui res praeparata a nostris, falces praeacutae 5
insertae adfixaeque longuriis, non absimili forma muralium fal-
cium. His cum funes, qui antemnas ad malos destinabant, con- 6
prehensi adductique erant, nauigio remis incitato praerumpeban-
tur. Quibus abscisis antemnae necessario concidebant, ut, cum 7

1 accommodaciora *m. pr. B*, commodatiora *b*. 2 in eis *b u*, in his *reliqui codd. et edd.* 3 copulis *Palatinus;* scopolis *cum* u *super* po *B*, scopulis *reliqui.* 4 cum] cum se *C*. saeuire uentus coepisset *om. e f.* et se, *ita ut* se *int. uers. legatur, sed ead., ut Beyerlio uidetur, m. scriptum*, *B*; se, *omisso* et, *C ? D ? e f; utrumque om. A E.* 5 uento se dedissent *D E*. et *ante* tempestatem *om. b.* 6 totius *m. pr. B.* relictae *f*, rei relictae *A B C D E b*, derelictae *u*. nil *b*. cotes *b c f*. 7 erant extimescendi *b c f*. 8 conpluribus *B*. expugnatis] oppugnatis *add. C*. 10 iis *A B E*, his *u*. expectandam *B*. 11 ab *om. b*. ducentas xx *A B C*, ducentas uiginti *D E*. 12 profecta ex portu *A*, e portu profectae *f*. 14 tribunus *m. pr. B*. 15 adtributae *B*. quam rationem *A* (*B*) *C D E f*, qua ratione '*mss. plerique*'. 16 non posse *om. C*. 19 ab (*B*) *C D* (*E*) '*mss.*', a *f*. 21 insertae *om. f*. (adfixaeque *A B C*) affixae *f*. moralium *B C D*, ruralium *c*. faccium *C*. 22 antemnas '*mss. uetustissimi et hic et ubique*', amtemnas *hic B*. ad malos *om. f*. destinabant *a b c*, destinebant *E f*, distinebant *A e et corr. m. sec. B*, detinebant *C et ante corr., ut uidetur, B*. conprehensi *B*. 23 prorumpebantur *b f*. 24 quibus praecisis *b e f*.

omnis Gallicis nauibus spes in uelis armamentisque consisteret,
8 his ereptis omnis usus nauium uno tempore eriperetur. Reliquum
erat certamen positum in uirtute, qua nostri milites facile supera-
bant, atque eo magis, quod in conspectu Caesaris atque omnis ex-
ercitus res gerebatur, ut nullum paulo fortius factum latere pos-
9 set; omnes enim colles ac loca superiora, unde erat propinquus
15 despectus in mare, ab exercitu tenebantur. Disiectis, ut diximus,
antemnis, cum singulas binae ac ternae naues circumsteterant,
milites summa ui transcendere in hostium naues contendebant.
2 Quod postquam barbari fieri animaduerterunt, expugnatis conplu-
ribus nauibus, cum ei rei nullum reperiretur auxilium, fuga salu-
3 tem petere contenderunt. Ac iam conuersis in eam partem naui-
bus, quo uentus ferebat, tanta subito malacia ac tranquillitas ex-
4 titit, ut se ex loco commouere non possent. Quae quidem res ad
5 negotium conficiendum maxime fuit opportuna: nam singulas no-
stri consectati expugnauerunt, ut perpaucae ex omni numero no-
ctis interuentu ad terram peruenerint, cum ab hora fere quarta
16 usque ad solis occasum pugnaretur. Quo proelio bellum Veneto-
2 rum totiusque orae maritumae confectum est. Nam cum omnis
iuuentus, omnes etiam grauioris aetatis, in quibus aliquid consilii
aut dignitatis fuit, eo conuenerant, tum nauium quod ubique fuerat
3 in unum locum coëgerant; quibus amissis reliqui neque quo se re-
ciperent, neque quemadmodum oppida defenderent, habebant.
4 Itaque se suaque omnia Caesari dediderunt. In quos eo grauius
Caesar uindicandum statuit, quo diligentius in reliquum tempus a

3 nostri] nisi *pr. m. B.* 5 gerebantur *cum puncto sub* n *B.* paullo (*B*). 7 deiectis *a*; igitur *add. C.* 8 ac (*B*) *C* e (*f*) '*omnes*'; et *D*, aut *E.* circumsisterent *b c e f*, circumsisterant, *ut Achaintrius refert*, *B*, *pro quo a appellandum fuisse et Beyerlii silentium et scriptura b c e f docet.* 10 fieri *om. b.* animaduerterant *D.* conpluribus *B.* 11 repperiretur *B.* 12 contendebant *b c f.* 13 quo] in quam *c f et sec. m. b.* malacia *B* (*diserto testim.*), malatia *A*, malicia *C D E*; mollities *b et corr. f.* extitit *B.* 14 mouere *b c d et*, *qui ante* ex loco *ponit*, *f.* 15 maximae *b c d* (*de quo Oudendorpio refragatur exempl. Fabr.*) *e f et m. pr. B.* opportunitati *b c d e f*, *sed hic* oportunitati, *ut* oportuna *A B D.* 16 sectati *D.* 17 peruenirent *b f.* quarta *A E*, IIII *suprasc.* a *f*, IV (*B*). 18 quod proelio *pr. m. B.* 19 totius *ante* totiusque *add. pr. m. B.* maritumae *B D.* 20 inuentus *m. pr. B.* grauiores *et sec. m.* etate *super* aetatis *B.* 22 unum in locum *f.* 24 dedirunt *m. pr. B.* 25 quo] quod *D b.*

barbaris ius legatorum conseruaretur. Itaque omni senatu necato reliquos sub corona uendidit.

Dum haec in Venetis geruntur, Quintus Titurius Sabinus 17
cum iis copiis, quas a Caesare acceperat, in fines Vnellorum per-
uenit. His praeerat Viridouix ac summam imperii tenebat earum 2
omnium ciuitatum, quae defecerant, ex quibus exercitum magnas-
que copias coëgerat; atque his paucis diebus Aulerci Eburouices 3
Lexouiique senatu suo interfecto, quod auctores belli esse nole-
bant, portas clauserunt seque cum Viridouice coniunxerunt;
magnaque praeterea multitudo undique ex Gallia perditorum ho- 4
minum latronumque conuenerat, quos spes praedandi studiumque
bellandi ab agricultura et cotidiano labore reuocabat. Sabinus 5
idoneo omnibus rebus loco castris sese tenebat, cum Viridouix con-
tra eum duum milium spatio consedisset cotidieque productis co-
piis pugnandi potestatem faceret, ut iam non solum hostibus in
contemptionem Sabinus ueniret, sed etiam nostrorum militum uo-
cibus nonnihil carperetur; tantamque opinionem timoris praebuit, 6
ut iam ad uallum castrorum hostes accedere auderent. Id ea de 7
causa faciebat, quod cum tanta multitudine hostium praesertim eo
absente, qui summam imperii teneret, nisi aequo loco aut oppor-
tunitate aliqua data legato dimicandum non existimabat. Hac con- 18
firmata opinione timoris idoneum quendam hominem et callidum
delegit, Gallum, ex iis, quos auxilii causa secum habebat. Huic 2
magnis praemiis pollicitationibusque persuadet, uti ad hostes trans-
eat, et, quid fieri uelit, edocet. Qui ubi pro perfuga ad eos uenit, 3
timorem Romanorum proponit, quibus angustiis ipse Caesar a Ve-
netis prematur, docet, neque longius abesse, quin proxima nocte 4
Sabinus clam ex castris exercitum educat et ad Caesarem auxilii
ferendi causa proficiscatur. Quod ubi auditum est, conclamant 5
omnes occasionem negotii bene gerendi amittendam non esse, ad

1 obseruaretur *b*. 3 Quintus *ABDE*, Q. (*f*) *u*. 4 iis (*B*) *D*, is *C*, hiis *E*, his *f*. 5 is *B*, iis *AE*. Vridouix *d*, Viriduouix '*D et deinceps*'. 7 iis *ABDE*. Aulurci *ABCDE*, Aurelici *bc*. 8 Lexobiique *D*. 9 seque Viridouici *b*. 13 se retinebat *A*, se tenebat *b f*. 14 duorum *b*. 16 contemptum *b f* (*Ceterum* contemptionem, *non* contemtionem, *ACDE et ubique B et hoc et similia, nisi aliud monuero*). 18 de *om. f*. 21 legato *P*. 127. hac] ac *B* '*mss. multi*'. 23 dilegit *m. pr. B*, deligit *b*. ex his *codd. edd. ante Ald. et u*. 25 et *om. e*. uellet *m. pr. C*. ubi profuga *b*. 27 premebatur *b*. 30 occassionem *B*.

6 castra iri oportere. Multae res ad hoc consilium Gallos hortabantur: superiorum dierum Sabini cunctatio, perfugae confirmatio, inopia cibariorum, cui rei parum diligenter ab iis erat prouisum, spes Venetici belli et quod fere libenter homines id, quod uolunt,
7 credunt. His rebus adducti non prius Viridouicem reliquosque duces ex concilio dimittunt, quam ab his sit concessum, arma uti ca-
8 piant et ad castra contendant. Qua re concessa laeti ut explorata uictoria sarmentis uirgultisque collectis, quibus fossas Romanorum
19 compleant, ad castra pergunt. Locus erat castrorum editus et paulatim ab imo adcliuis circiter passus mille. Huc magno cursu contenderunt, ut quam minimum spatii ad se colligendos arman-
2 dosque Romanis daretur, exanimatique peruenerunt. Sabinus suos hortatus cupientibus signum dat. Impeditis hostibus propter ea, quae ferebant, onera subito duabus portis eruptionem fieri iu-
3 bet. Factum est opportunitate loci, hostium inscientia ac defetigatione, uirtute militum et superiorum pugnarum exercitatione, ut ne unum quidem nostrorum impetum ferrent ac statim terga
4 uerterent. Quos inpeditos integris uiribus milites nostri consecuti magnum numerum eorum occiderunt; reliquos equites consectati
5 paucos, qui ex fuga euaserant, reliquerunt. Sic uno tempore et de nauali pugna Sabinus et de Sabini uictoria Caesar certior fa-
6 ctus *est*, ciuitatesque omnes se statim Titurio dediderunt. Nam ut ad bella suscipienda Gallorum alacer ac promptus est animus, sic mollis ac minime resistens ad calamitates perferendas mens eorum est.

20 Eodem fere tempore Publius Crassus, cum in Aquitaniam peruenisset, quae pars, ut ante dictum est, et regionum latitudine et multitudine hominum ex tertia parte Galliae est aestimanda,

2 percunctatio *b.* 3 ab his *A B f*, ab hiis *E.* 6 consilio *b.* arma uti capiant] ut copiam faciant *f.* 8 sarmentis] sacramentis *A.* 10 adcliuis *B.* 11 spatium *b.* 13 hortatur *C.* 14 ea *om. b.* 15 oportunitate *B.* defetigatione *Ao D E et cum* a *super* fe *sec. m. posita B et cum puncto sub* e *et* a *suprasc. f*, defatigatione (*Aπ*) *u.* 16 et superiorum *A B C D E f*, superiorum *inuito Oud. u.* 18 uerterunt *D.* inpeditos *B*, *om. f.* nostri] nisi *m. pr. B.* 19 equites] eorum *add. b c.* 21 certior factus est *deleto sec. m.* est *D*; est certior factus *e*, certior factus *A* (*B*) *C* (*E f*). 22 ciuitates, *omisso* que, *E.* omnes fe *m. pr. B.* dederunt *b.* 24 ferendas *b.* 26 Publius *B*, P. *u.* 28 Gallia *A et m. pr. B.* estimanda *A.*

cum intellegeret in iis locis sibi bellum gerendum, ubi paucis ante
annis Lucius Valerius Praeconinus legatus exercitu pulso inter-
fectus esset, atque unde Lucius Mallius proconsul impedimentis
amissis profugisset, non mediocrem sibi diligentiam adhibendam
intellegebat. Itaque re frumentaria prouisa, auxiliis equitatuque 2
conparato, multis praeterea uiris fortibus Tolosa et Narbone, quae
sunt ciuitates Galliae prouinciae finitimae his regionibus, nomina-
tim euocatis in Sontiatum fines exercitum introduxit. Cuius ad- 3
uentu cognito Sontiates magnis copiis coactis equitatuque, quo plu-
rimum ualebant, in itinere agmen nostrum adorti primum equestre
proelium commiserunt, deinde equitatu suo pulso atque insequen- 4
tibus nostris subito pedestres copias, quas in conualle in insidiis
conlocauerant, ostenderunt. Hi nostros disiectos adorti proelium
renouarunt. Pugnatum est diu atque acriter, cum Sontiates su- 21
perioribus uictoriis freti in sua uirtute totius Aquitaniae salutem
positam putarent, nostri autem, quid sine imperatore et sine reli-
quis legionibus adulescentulo duce efficere possent, perspici cu-
perent: tandem confecti uulneribus hostes terga uertere. Quorum 2
magno numero interfecto Crassus ex itinere oppidum Sontiatum
oppugnare coepit. Quibus fortiter resistentibus uineas turresque
egit. Illi alias eruptione temptata, alias cuniculis ad aggerem ui- 3
neasque actis, cuius rei sunt longe peritissimi Aquitani, propterea
quod multis locis apud eos aerariae † secturaeque sunt, ubi dili-

1 in illis locis *e f*, in his locis *reliqui codd. et u.* 2 Lucius *A B D E*, L. (*f*) *u.* Varius *c.* Praeconinus *A* (*B*) *D E*; P. coninus *c f*, P. communis *b.* legatus] legionum *b.* 3 Lucius *A B D E*, L. *f* (*is post nomen ponit suprasc. litt.* b a) *u.* Mallius *A B C D E*; Manlius *a f*, Manilius *e.* proconsul (*B*) *f*, praeconsul *E*, procons. *A C.* 4 ammissis *B.* 5 equitatumque *m. pr. B.* 6 conparato *B.* Tolose *A*: Carcasone *add. b c d f* (*hic* Circasone). *P.* 67. Narbonae *A B*, Narbona *b f*. *In marg. B sec. m. scripsit* Tolosa, Narbona, quorum ciuitat. 7 finitimae Galliae prou. *f.* his regionibus *Ciacconius*, ex his regionibus *codd. P.* 70. 8 Sontiatum *A B C D E*; Sontiatium *f*, Sotiatium *e.* Sotiates *Orosii Langobardicus*, Sociates *suprasc.* t *Portensis.* 9 Sonciates *D E.* 10 in *om. b.* nostrum *sup. uers. sec. m. B.* 11 commisserunt *B.* 12 pedestris *f.* 13 conlocauerant *B.* ii nostros *B.* 14 Sonciates *E*, Sociates *D*, Sotiares *corr. in* tiares *f.* 16 nostri] n *supraposita* i *m. pr. B.* 17 adulescentulo duce *om. f* (adulescentulo *B D E et cum* o *super* u *A*). 18 tandem *f*, tamen *reliqui.* uerterunt *b e f.* 19 Sonciatum *E*. Sontiatium (*sed prius* ti *int. uers.*) *f.* 22 Equitani *m. pr. B.* 23 aerarii *f.* secturaeque *A B C e et plerique*, securaeque *D E*, aesecuraeque *f*: secturae *u. Mihi scribendum uidetur* ferrariaeque.

gentia nostrorum nihil his rebus profici posse intellexerunt, lega-
tos ad Crassum mittunt seque in deditionem ut recipiat, petunt.
22 Qua re impetrata arma tradere iussi faciunt. Atque in ea re omni-
um nostrorum intentis animis alia ex parte oppidi Adiatunnus, qui
summam imperii tenebat, cum DC deuotis, quos illi soldurios ap-
2 pellant, quorum haec est condicio, ut omnibus in uita commodis
una cum iis fruantur, quorum se amicitiae dediderint, si quid his
per uim accidat, aut eundem casum una ferant aut sibi mortem
3 consciscant; neque adhuc hominum memoria repertus est quisquam,
qui eo interfecto, cuius se amicitiae deuouisset, mori recusaret:
4 cum his Adiatunnus eruptionem facere conatus clamore ab ea parte
munitionis sublato, cum ad arma milites concurrissent, uehemen-
terque ibi pugnatum esset, repulsus in oppidum tamen, uti eadem
23 deditionis condicione uteretur, ab Crasso impetrauit. Armis ob-
sidibusque acceptis Crassus in fines Vocatium et Tarusatium pro-
2 fectus est. Tum uero barbari commoti, quod oppidum et natura
loci et manu munitum paucis diebus, quibus eo uentum erat, expu-
gnatum cognouerant, legatos quoque uersum dimittere, coniurare,
3 obsides inter se dare, copias parare coeperunt. Mittuntur etiam
ad eas ciuitates legati, quae sunt citerioris Hispaniae finitumae
4 Aquitaniae: inde auxilia ducesque arcessuntur. Quorum aduentu
magna cum auctoritate et magna cum hominum multitudine bellum
5 gerere conantur. Duces uero ii deliguntur, qui una cum Quinto

4 intenti animi *C.* alias *b.* Adiatunnus *A B D E*, Adiatonnus *C*; Adcatuannus *e f et secundum exempl. Fabr. d*, Adcantuannus *b et secundum Oud. d idemque uel* Adiatumnus *c. Nicolaus Damascenus ap. Athen. VI, 249 b Ἀδιάτομον τὸν τῶν Σωτιανῶν βασιλέα appellat.*
5 cum *sec. m. sup. uers. B.* sexcentis (*B*). *ante* deuotis *add.* conductis *D.* soldarios *f*: *σιλοδούρους editur ap. Athenaeum ex epitome et Eustathio, qui eam sequitur; antea erat σιλοδούνους.* 6 conditio (*B*). ut *A B E*, uti *f u.* 7 cum his *codd. et edd.* perfruantur *b.* quid his *f*; quid is *E*, quid dns *cum duobus punctis sub* n *A*, quid iis (*B*) *u.* 8 una *om. b.* 9 consciscant] aduocent uel inferant *pro uar. lect. sec. m. A.* 10 mortem recusaret *b e f.*
11 his *A D E f*, hiis *C*, iis (*B*) *u.* Adiatunnus *hic etiam C*; *Schneideriani et B ut supra.* 12 munitionis] eruptionis *b d.* 14 conditione (*B*). ab Crasso *A* (*B*) *C D E*; a Crasso *f*, *qui haec post* impetrauit *ponit.* 15 Vocatium *d et syllaba* ca *suprasc. f*; Vocatirum *A B C D*, Vocatuarum *E.* 18 quoque *A B D E e*, quoquo *C? f et sec. m. B. P.* 71. uersum *A B C D E*, uersus *e f.* 20 legati *suprasc. in A.* finitumae *A B.* 21 arcessiuntur *b.* 22 auctoritate] maturitate *D.* 23 uero hi *B.* diliguntur *m. pr. B.* Quinto *B*, Q. *u.*

Sertorio omnes annos fuerant summamque scientiam rei militaris
habere existimabantur. Hi consuetudine populi Romani loca ca- 6
pere, castra munire, commeatibus nostros intercludere instituunt.
Quod ubi Crassus animaduertit, suas copias propter exiguitatem 7
non facile diduci, hostem et uagari et uias obsidere et castris satis praesidii relinquere, ob eam causam minus commode frumentum commeatumque sibi supportari, in dies hostium numerum augeri,
non cunctandum existimauit, quin pugna decertaret. Hac re ad 8
consilium delata, ubi omnes idem sentire intellexit, posterum diem
pugnae constituit. Prima luce productis omnibus copiis duplici 24
acie instituta, auxiliis in mediam aciem coniectis, quid hostes consilii caperent, expectabat. Illi, etsi propter multitudinem et uete- 2
rem belli gloriam paucitatemque nostrorum se tuto dimicaturos existimabant, tamen tutius esse arbitrabantur obsessis uiis com-
meatu intercluso sine ullo uulnere uictoria potiri et, si propter 3
inopiam rei frumentariae Romani sese recipere coepissent, impeditos in agmine et sub sarcinis infirmiore animo adoriri cogitabant. Hoc consilio probato ab ducibus productis Romanorum co- 4
piis sese castris tenebant. Hac re perspecta Crassus cum sua 5
cunctatione atque opinione timoris hostes nostros milites alacriores ad pugnandum effecissent, atque omnium uoces audirentur, expectari diutius non oportere, quin ad castra iretur, cohortatus
suos omnibus cupientibus ad hostium castra contendit. Ibi cum 25
alii fossas conplerent, alii multis telis coniectis defensores uallo munitionibusque depellerent, auxiliaresque, quibus ad pugnam non multum Crassus confidebat, lapidibus telisque subministrandis et ad aggerem cespitibus conportandis speciem atque opinionem pugnantium praeberent, cum item ab hostibus constanter ac non timide pugnaretur, telaque ex loco superiore missa non frustra

2 exestimabantur hii *cum* ∼ *super* h *B*. 3 insistunt *b c f*. 5 deduci *A B C D*, *'plerique'*, *omnes Schneideri praeter unum det.* hostem euagari *D*. 8 exestimauit *B*, putauit *b*. ac re *B*. ad *sec. m. sup. uers. B*. 10 duplici aciae *B*. 11 coniectis *C c d*, collectis *A B D E e f*. 12 expectabat *B*. et ueterum *C*, et propter ueterem *b*. 13 toto *et* 14 totius *m. pr. B*. 15 ullo *om. b f*. 17 infirmiore *A B E 'plurimi uetustissimique'*; inferiore *b c d e*, inferiori *f*. 20 atque *om. f*. oppinione *A*. timoris *Stephanus*, timidiores *codd. P.* 72. 21 ad pugnam *f*. effecissent *A B* (*sed hic effi-*) *C D E*; effecisset *e*, fecisset *f*. 22 expectari *B*. 23 ubi cum fossas *b f*. 24 conplerent *B*. 26 lapidibusque et telis *C*. 27 conportandis *B*.

2 acciderent, equites circumitis hostium castris Crasso renuntiauerunt
non eadem esse diligentia ab decumana porta castra munita faci-
26 lemque aditum habere. Crassus equitum praefectos cohortatus,
ut magnis praemiis pollicitationibusque suos excitarent, quid fieri
2 uelit, ostendit. Illi, ut erat imperatum, eductis iis cohortibus,
quae praesidio castris relictae intritae ab labore erant, et longiore
itinere circumductis, ne ex hostium castris conspici possent, omni-
um oculis mentibusque ad pugnam intentis celeriter ad eas, quas
3 diximus, munitiones peruenerunt atque his prorutis prius in hosti-
um castris constiterunt, quam plane ab his uideri aut, quid rei ge-
4 reretur, cognosci posset. Tum uero clamore ab ea parte audito
nostri redintegratis uiribus, quod plerumque in spe uictoriae acci-
5 dere consueuit, acrius inpugnare coeperunt. Hostes undique cir-
cumuenti desperatis omnibus rebus se per munitiones deicere et
6 fuga salutem petere intenderunt. Quos equitatus apertissimis
campis consectatus ex milium L numero, quae ex Aquitania Can-
tabrisque conuenisse constabat, uix quarta parte relicta multa
27 nocte se in castra recipit. Hac audita pugna maxima pars Aquita-
niae sese Crasso dedidit obsidesque ultro misit; quo in numero
fuerunt Tarbelli, Bigerriones, Ptianii, Vocates, Tarusates, Elu-
2 sates, Gates, Ausci, Garumni, Sibuzates, Cocosates: paucae ul-
timae nationes anni tempore confisae, quod hiems suberat, hoc fa-
cere neglexerunt.

28 Eodem fere tempore Caesar, etsi prope exacta iam aestas

1 accederent *D E*, accedere *A B C*. *ante* equites *add.* sisubates *f.* renunciauerunt (*B*). 2 diligentia esse *b*. 5 uelit (*Aπ*), uellit *cum puncto sub priore* l *B*; uellet *D E f* '*mei* 10'. iis *A et cum puncto sub priore* i *B*, is *C*; inde *D E*; III *a b c d e f*. cohortibus] legionibus *a*. 6 interitae *E e*, interritae *A B C* (*hic int. uers.*) *D d*, integrae *f*. 7 circumspici possent *b*. 8 celeriter *om. f*. 9 peruenerant *A*. prorutis *Faërnus*; proruptis *A B E e* '*omnes*', praeruptis *f*. 10 his *A f*, hiis *E*, *iis* (*B*) *u*. 12 nostri] nihil *m. pr. B*. 13 inpugnare *B*. 15 contenderunt *f*. 16 quinquaginta (*B*). 18 recipit *A B C D*, recepit *u*. hac] ac *B*. 19 dedit *A*. misit] obtulit *b*, detulit *f*. 20 Ptianii *A B D E*, Ptiani *C d*, Pthiciani *f*; Preciani *u*. Elusates *d*, Elustates *dubie Aπ*, Flustates *B E f et* '*ceteri uel* Frustates'. 21 Gates *A D E d f*, Gaiites *cum puncto sub priore* i *B*, Gartes *C*; Garites *u*. Garunni *B*. Sibuzates *A b c*, Sibutzates *B E*: Liberones. Saniua. Catesta. rusates. auscisi. bulates *f* '*h. e.* Liberones, Sani, Vacates, Tarusates, Ausci, Sibulates' *Schneid.* 22 nationes] ciuitates *c*. hiemps *B*. hoc] id *e*.

erat, tamen, quod omni Gallia pacata Morini Menapiique supere-
rant, qui in armis essent neque ad eum umquam legatos de pace
misissent, arbitratus id bellum celeriter confici posse eo exercitum
adduxit; qui longe alia ratione ac reliqui Galli bellum gerere coe-
perunt Nam quod intellegebant maximas nationes, quae proelio 2
contendissent, pulsas superatasque esse continentesque siluas ac
paludes habebant, eo se suaque omnia contulerunt. Ad quarum 3
initium siluarum cum Caesar peruenisset castraque munire insti-
tuisset, neque hostis interim uisus esset, dispersis in opere nostris
subito ex omnibus partibus siluae euolauerunt et in nostros impe-
tum fecerunt. Nostri celeriter arma ceperunt eosque in siluas re- 4
pulerunt et conpluribus interfectis longius inpeditioribus locis se-
cuti paucos ex suis deperdiderunt. Reliquis deinceps diebus Cae- **29**
sar siluas caedere instituit, et ne quis inermibus inprudentibusque
militibus ab latere impetus fieri posset, omnem eam materiam,
quae erat caesa, conuersam ad hostem conlocabat et pro uallo ad
utrumque latus extruebat. Incredibili celeritate magno spatio pau- 2
cis diebus confecto, cum iam pecus atque extrema inpedimenta ab
nostris tenerentur, ipsi densiores siluas peterent, eiusmodi sunt
tempestates consecutae, uti opus necessario intermitteretur et con-
tinuatione imbrium diutius sub pellibus milites contineri non pos-
sent. Itaque uastatis omnibus eorum agris, uicis aedificiisque in- 3
census Caesar exercitum reduxit et in Aulercis Lexouiisque, reliquis
item ciuitatibus, quae proxime bellum fecerant, in hibernis conlocauit.

1 Menapique *A*, Menapii *E*. 2 essent] erant *A*. ad eum *post* pace *ponit f*. umquam *A B C f*. 3 missisent *B*. caeleriter confici *B*, confici celeriter *f*. 4 adducit *cum* x *super* c *C*, duxit *f*. . natione *m. pr. B*. bellum agere instituerunt *a b c e f et secundum Oud. d, in quo exempl. Fabr.* bellum gerere instituerunt *legi refert*. 5 nam *om. b c d f*. 6 continentes siluas *b*. 7 paludes quas habebant *b c d f*. 8 Caesar cum peruenisset *e f*. 10 silua euolauerunt *m. pr. B*. 11 nostri] nihil *m. pr. B*. coeperunt *B*. silua *A*, siluam *e f*. reppulerunt *B*. 12 conpluribus *B*. inpeditioribus *B initio* in *sec. m. suprasc*. 13 ex] de *D secundum Oud., qui errauit*. deperdiderunt *A B C D E d e*, disperdiderunt *b f*. 14 instituit] coepit *b*. inprudentibusque *A* (*is* que *m. pr. om.*) *B C D f*. 16 conlocabat *B*. 17 extruebat *B*. 18 inpedimenta *A B f*. a nostris *b f*. 19 tempestate sunt *f*, tempestates sunt *Aldus et seqq. ante u*. 23 Caesar *om. b f*. reduxit *f*, perduxit *A B C D E*. Lexobiisque *B 'mss. plurimi'*. 24 item in ciuitatibus *b c*. proxime (*d*) *e et*, *qui* proximae, *f*; maxime *A B* (*is* maximae) *C D E 'omnes mei'*. conlocauit *B*. Iulius Celsus Constantinus u. c. legi belli Gallici liber tertius explicit *B*.

C. IVLII CAESARIS

DE BELLO GALLICO

COMMENTARIVS QVARTVS.

Ea, quae secuta est, hieme, qui fuit annus Gneo Pompeio,
Marco Crasso consulibus Vsipetes Germani et item Tencteri magna
cum multitudine hominum flumen Rhenum transierunt, non longe
2 a mari, quo Rhenus influit. Causa transeundi fuit, quod ab Sue-
uis conplures annos exagitati bello premebantur et agricultura
prohibebantur.

3 Sueuorum gens est longe maxima et bellicosissima Germa-
4 norum omnium. Hi centum pagos habere dicuntur, ex quibus
quotannis singula milia armatorum bellandi causa ex finibus edu-
5 cunt. Reliqui, qui domi manserunt, se atque illos alunt. Hi rur-
6 sus in uicem anno post in armis sunt, illi domi remanent. Sic ne-
7 que agricultura nec ratio atque usus belli intermittitur. Sed pri-
uati ac separati agri apud eos nihil est, neque longius anno rema-
8 nere uno in loco incolendi causa licet. Neque multum frumento,
sed maximam partem lacte atque pecore uiuunt multumque sunt in

Incipit liber IIII lege feliciter *B*. 1 qui fuit] quieuit *C*. Gneo *A B C D E*, Gneio *f*; Cn. *u*. 2 Marco Crasso *A B C D E*, M. Crasso *u*; et M. Crasso *b*, et Crasso *f*. consule *b*. Tenctheri *A*, Tanctheri *D*, Tanetheri *E*, Tonctheri *C*, Tunctheri *B*, eptencheri *omissis* et item *et corr. in* ept *et* ri *f*; Tenchtheri *Aldus et u*. 4 quo] cui *f*. a Sueuis *e f* 'mss. qdd.' 5 conplures *B*. exagitata *m. pr. B*. praemebantur *B*. -et ab agricultura *b*. 8 hii *E*. 9 quodannis *m. pr. B*, singulis annis *f*. bellandi ex causa *B et sec. m. C et*, *qui pr. m.* causa *om.*, *A*. ex finibus *A (B) C*; ex finibus suis *D E*, suis ex finibus *e* (*is* e *ut* 'mss. qdd.') *f*. producunt *m. pr. b*. 10 manserunt *A B C D E*; remanserunt *e*, remanserint *a f*; manserint *u*. ollos *ante corr. B*. 11 in uicem *om. C E*. 12 nec *A (B) C D E e*, neque *f*. atque] neque *C*. 14 colendi *e f*. 15 maxima parte *D b*.

uenationibus; quae res et cibi genere et cotidiana exercitatione et 9
libertate uitae, quom a pueris nullo officio aut disciplina adsuefacti
nihil omnino contra uoluntatem faciant, et uires alit et inmani
corporum magnitudine homines efficit. Atque in eam se consue- 10
tudinem adduxerunt, ut locis frigidissimis neque uestitus praeter
pellis haberent quicquam, quarum propter exiguitatem magna est
corporis pars aperta, et lauarentur in fluminibus. Mercatoribus 2
est aditus magis eo, ut, quae bello ceperint, quibus uendant, ha-
beant, quam quo ullam rem ad se inportari desiderent. Quin etiam 2
iumentis, quibus maxime Galli delectantur quaeque inpenso parant
pretio, Germani inportatis non utuntur, sed quae sunt apud eos
nata, parua atque deformia, haec cotidiana exercitatione summi ut
sint laboris efficiunt. Equestribus proeliis saepe ex equis desiliunt 3
ac pedibus proeliantur, equosque eodem remanere uestigio adsue-
fecerunt, ad quos se celeriter, cum usus est, recipiunt; neque eo- 4
rum moribus turpius quicquam aut inertius habetur, quam ephip-
piis uti. Itaque ad quemuis numerum ephippiatorum equitum quam- 5
uis pauci adire audent. Vinum ad se omnino inportari non sinunt, 6
quod ea re ad laborem ferendum remollescere homines atque effe-
minari arbitrantur. Publice maximam putant esse laudem, quam 3
latissime a suis finibus uacare agros: hac re significari magnum
numerum ciuitatium suam uim sustinere non posse. Itaque una ex 2
parte a Sueuis circiter milia passuum sexcenta agri uacare dicun-
tur. Ad alteram partem succedunt Vbii, quorum fuit ciuitas am- 3

2 quod a pueris *codd. P.* 25. adsuefacti *B.* 3 inmani *A B C D.* 5 abduxerunt *B C D.* neque] non *D E.* 6 pellis, *non* pelles, *A B C b 'alii'.* haberent *A B C* (*hic ante* praeter) *f 'fere omnes'*, habent *b*; habeant *D E.* quicquam *B.* 7 lauantur *codd. omnes. P.* 73. 8 est aditus *A B C D E c b e f*, est ad eos aditus *u.* eo magis *b c f.* 9 ulla ad se *b.* inportari *A B C D.* desiderant *A.* 10 Gallia delectatur *e f.* (inpenso *B*) immenso *b d f.* 11 importatis *e f*; importatis his *reliqui* (*sed* inportatis *A B C D E*); importaticiis *Oudendorpius.* 12 parua *a b c d e f*; paua *cum* r *super* pa *et* p *punctis circumscripta A*, praua (*B*) *C D E.* 14 adsuefecerunt *A B C D E*; assuefaciunt *b c d et*, *qui* asuef., *f.* 15 est] poscit *b c d e f.* 16 quicquam *B.* etphiapiis *B*, ephiapiis *'mss. nonnulli' et sec. m. B.* 17 ephiapiatorum *B 'mss. nonnulli'.* 18 inportari *A B C D.* sinunt] patiuntur *f.* 21 ab suis *b.* uacare] uagari *B C D.* 22 ciuitatium *A*; ciuitatem *f*, ciuitatum *reliqui.* non potuisse *e f.* ita una *C.* 23 sexcenta *A*, sescenta *B*, DC *D*, sexcenti *E*; centum *d*, c *f*, e *e.* 24 Vbii] ubi hi *C*, ubi et *D E.*

pla atque florens, ut est captus Germanorum, et paulo [quam] sunt
eiusdem generis [et] ceteris humaniores, propterea quod Rhenum
attingunt, multumque ad eos mercatores uentitant, et ipsi propter
4 propinquitatem [quod] Gallicis sunt moribus adsuefacti. Hos cum
Sueui multis saepe bellis experti propter amplitudinem grauitatemque
ciuitatis finibus expellere non potuissent, tamen uectigales sibi
4 fecerunt ac multo humiliores infirmioresque redegerunt. In eadem
causa fuerunt Vsipetes et Tencteri, quos supra diximus, qui com-
2 plures annos Sueuorum uim sustinuerunt; ad extremum tamen
agris expulsi et multis locis Germaniae triennium uagati ad Rhenum
peruenerunt; quas regiones Menapii incolebant et ad utram-
3 que ripam fluminis agros, aedificia uicosque habebant, sed tantae
multitudinis aditu perterriti ex iis aedificiis, quae trans flumen habuerant,
demigrauerunt et cis Rhenum dispositis praesidiis Ger-
4 manos transire prohibebant. Illi omnia experti, cum neque ui contendere
propter inopiam nauium neque clam transire propter custodias
Menapiorum possent, reuerti se in suas sedes regionesque
5 simulauerunt et tridui uiam progressi rursus reuerterunt atque
omni hoc itinere una nocte equitatu confecto inscios inopinantes-
6 que Menapios oppresserunt, qui de Germanorum discessu per exploratores
certiores facti sine metu trans Rhenum in suos uicos
7 remigrauerant. His interfectis nauibusque eorum occupatis, priusquam
ea pars Menapiorum, quae citra Rhenum erat, certior
fieret, flumen transierunt atque omnibus eorum aedificiis occupatis
reliquam partem hiemis se eorum copiis aluerunt.

5 His de rebus Caesar certior factus et infirmitatem Gallorum
ueritus, quod sunt in consiliis capiendis mobiles et nouis plerum-

1 quan sunt *C. P. 74 et addend.* 2 et] sunt *b.* 3 multique *e, quod Oud. secundum 'longe plurimos' mutauit.* uenditant *sec. m. B.* 4 Gallicis *om. f.* adsuefacti *B.* 5 grauitatem ciuitatis *praemisso int. uers.* et *f*, ciuitatis et grauitatem *b.* 8 Tenctheri *A*, Tenchteri *B C D E*, Eptencheri *f.* cumplures *A B C D.* 10 locis Germaniae *A B E et, qui* Germani, *f;* Germaniae locis *neglegentia u.* triennio *b.* 11 et] hi *b c d f.* 13 aditu *A (B) C*, aduentu *e et edd. ante u, om. b.* ex his *codd. et edd., nisi quod b* his *om.* 14 demigrarunt *f*, demigrare *e.* et] eo *D.* 20 oppresserunt] percusserunt *C.* 22 remigrauerunt *sec. m. f* (remigauerunt *pr.*), transmigrauerant *C.* 23 quae *om. f.* cithra *B*, circa *b.* Rhenum qui in suis sedibus erat *e f, qui sec. m.* quae *pro* qui *habet;* Rhenum quieta in suis sedibus erat *c.* 24 eorum *om. b.* 25 reliqua parte *b c.*

que rebus student, nihil his committendum existimauit. Est enim 2
hoc Gallicae consuetudinis, uti et uiatores etiam inuitos consistere
cogant et, quid quisque eorum de quaque re audierit aut cogno-
uerit, quaerant, et mercatores in oppidis uulgus circumsistat qui-
busque ex regionibus ueniant quasque ibi res cognouerint, pro-
nuntiare cogant. His rebus atque auditionibus permoti de summis 3
saepe rebus consilia ineunt, quorum eos in uestigio poenitere ne-
cesse est, cum incertis rumoribus seruiant, et plerique ad uolun-
tatem eorum ficta respondeant. Qua consuetudine cognita Cae- 6
sar, ne grauiori bello occurreret, maturius, quam consuerat, ad
exercitum proficiscitur. Eo cum uenisset, ea, quae fore suspica- 2
tus erat, facta cognouit: missas legationes ab nonnullis ciuitatibus 3
ad Germanos inuitatosque eos, uti ab Rheno discederent, omnia-
que, quae postulassent, ab se fore parata. Qua spe adducti Ger- 4
mani latius uagabantur et in fines Eburonum et Condrusorum,
qui sunt Treuerorum clientes, peruenerant. Principibus Galliae 5
euocatis Caesar ea, quae cognouerat, dissimulanda sibi existima-
uit eorumque animis permulsis et confirmatis equitatuque imperato
bellum cum Germanis gerere constituit. Re frumentaria compa- 7
rata equitibusque delectis iter in ea loca facere coepit, quibus in
locis esse Germanos audiebat. A quibus cum paucorum dierum 2
iter abesset, legati ab iis uenerunt, quorum haec fuit oratio:
Germanos neque priores populo Romano bellum inferre neque ta- 3
men recusare, si lacessantur, quin armis contendant, quod Germa-
norum consuetudo haec sit a maioribus tradita, quicumque bellum

1 est enim hoc *A B C D E;* est autem hoc *u*, est hoc inquam *Aimoinus praef. c.* 8. 3 quid *Aimoinus*, quod *codd. Caesaris.* de qua re *b*, de quacunque re *Aimoinus.* 6 cogat *b e f.* rebus (*A*)*B C D E Aimoinus,* rumoribus *b c d e f.* 7 in uestigio *A B C D E b e f*, e uestigio *Aimoinus u. Vid. Liu. XXII*, 49. *Tac. hist. IV*, 60. *Verus ad Front. p.* 187 *ed. Rom.* 8 incertis moribus *A B C D E codd. Aimoini* (motibus *Bouquetus*). 10 ni grauiori *m. pr. B.* consueuerat *f.* 11 suspicatus fuerat *b.* 12 a nonnullis *e f.* 13 a Rheno *f.* omnia quaeque *B C D E e f 'mss.'* 14 a se *f.* abducti *C.* 15 latius uagabantur *A B C D E;* latius iam uagabantur *e f*, iam latius uagabantur *b.* in finibus *b f.* *inter* Eburonum *et* clientes *posita om. f.* Condrusorum *b 'alii'*, Condrusonum *A B E 'plerique'*. 16 Treuerorum *B 'mss.'* peruenerunt *f.* 17 euocatis *e f*, uocatis *A B C D E.* 19 gerere] agere *E.* 20 equitatibusque *b.* facere coepit *post* audiebat *ponit b.* 21 locis *om. b.* 22 ab his *codd.* 25 haec *om. A.* tradita] ut *add. D b.* quicum bellum *B.*

inferant, resistere neque deprecari. Haec tamen dicere, uenisse
4 inuitos, eiectos domo; si suam gratiam Romani uelint, posse iis
utiles esse amicos; uel sibi agros adtribuant uel patiantur eos te-
5 nere, quos armis possederint: sese unis Sueuis concedere, quibus
ne dii quidem inmortales pares esse possint; reliquum quidem in
8 terris esse neminem, quem non superare possint. Ad haec quae
uisum est Caesar respondit; sed exitus fuit orationis: Sibi nullam
2 cum his amicitiam esse posse, si in Gallia remanerent; neque
uerum esse, qui suos fines tueri non potuerint, alienos occupare;
neque ullos in Gallia uacare agros, qui dari tantae praesertim mul-
3 titudini sine iniuria possint; sed licere, si uelint, in Vbiorum fini-
bus considere, quorum sint legati apud se et de Sueuorum iniuriis
9 querantur et a se auxilium petant: hoc se Vbiis inperaturum. Le-
gati haec se ad suos relaturos dixerunt et re deliberata post diem
2 tertium ad Caesarem reuersuros: interea ne propius se castra mo-
ueret, petierunt. Ne id quidem Caesar ab se impetrari posse dixit.
3 Cognouerat enim magnam partem equitatus ab iis aliquot diebus
ante praedandi frumentandique causa ad Ambiuaritos trans Mo-
sam missam: hos expectari equites atque eius rei causa moram
interponi arbitrabatur.

10 Mosa profluit ex monte Vosego, qui est in finibus Lingonum,
et parte quadam ex Rheno recepta, quae appellatur Vacalus † in-
2 sulamque efficit Batauorum, in Oceanum influit neque longius ab

2 eiectos de domo *e f*. iis *A D E*, is *C*; eis (*B*) *f u*. 3 adtribuant *A B C D E f*. 5 inmortales *A C D*. possent *A*, p͡nt *E*, possunt *b*. reliquum — possint *om. D*. 6 quae uisum est Caesar *A B C D E*, Caesar quae uisum est *corr. in* ae *f Ald. u*. 8 cum hiis *E*. 10 multitudine *ante corr. B*. 11 uellint *cum puncto sub priore* l *B*. 13 quaerantur *B*. hoc se Vbiis imperaturum *b*; hoc suebis imperaturum *A* (*is cum* ii *super* bis) *B C et, qui* sueuiis, *D E*; hoc se ab Vbiis impetraturum *e f et, qui* hoc se idem ab, *a*; hoc se ab iis impetraturum *Morus* (inper. *B*). 15 proprius *B*. mouerent *b*. 16 petiuerunt *b f*. ab se imperare *ante corr. B*. 17 ab his *A B E f*. 19 (expectari *B*) spectari *D*. 21 Linguonum *b*. 22 et] ex *E*. Vacalus *A B D E e f et sec. m. C*; Vaculus *m. pr. C et Aimoinus praef. c. 4, qui addit* uulgo autem dicitur Walis; Walis *d*, Vualis *margo C*. insulamque *D E b e f*, insulamquae *A C*, insulaquae *B*, insulaque *a*; insulam *c Aimoinus. P.* 75. 23 efficiens *litt.* ens *altera scriptione ead. m. additis f*. Batauorum *f et Aimoinus, qui additis uerbis* quae rustico sermone uocatur Battua *desinit*; Vatauorum *A C D E et, in quo sup. uers. sec. m. add.* uulgo dicitur batua, *B*. in Oceanum influit *om. c*.

Oceano milibus passuum LXXX in Rhenum influit. Rhenus autem 3
oritur ex Lepontiis, qui Alpes incolunt, et longo spatio per fines
Nantuatium, Heluetiorum, Sequanorum, Mediomatricum, Tribo-
corum, Treuerorum citatus fertur et, ubi Oceano adpropinquauit, 4
in plures defluit partes multis ingentibusque insulis effectis, qua-
rum pars magna a feris barbarisque nationibus incolitur, ex quibus 5
sunt, qui piscibus atque ouis auium uiuere existimantur, multisque
capitibus in Oceanum influit.

Caesar cum ab hoste non amplius passuum XII milibus abes- 11
set, ut erat constitutum, ad eum legati reuertuntur; qui in itinere
congressi magnopere, ne longius progrederetur, orabant. Cum id 2
non inpetrassent, petebant, uti ad eos equites, qui agmen anteces-
sissent, praemitteret eosque pugna prohiberet, sibique ut potesta-
tem faceret in Vbios legatos mittendi; quorum si principes ac se- 3
natus sibi iureiurando fidem fecisset, ea condicione, quae a Cae-
sare ferretur, se usuros ostendebant: ad has res conficiendas sibi
tridui spatium daret. Haec omnia Caesar eodem illo pertinere 4
arbitrabatur, ut tridui mora interposita equites eorum, qui abes-
sent, reuerterentur; tamen sese non longius milibus passuum quat-
tuor aquationis causa processurum eo die dixit: huc postero die 5
quam frequentissimi conuenirent, ut de eorum postulatis cognosce-
ret. Interim ad praefectos, qui cum omni equitatu antecesserant, 6
mittit qui nuntiarent, ne hostes proelio lacesserent et, si ipsi la-
cesserentur, sustinerent, quoad ipse cum exercitu propius acces-
sisset. At hostes, ubi primum nostros equites conspexerunt, quo- 12
rum erat V milium numerus, cum ipsi non amplius octingentos

1 influit] transit *contra codd. notos u.* 3 Nantuantium *B C*, Natuatium *D*, Natuancium *E*; Namnetum *e*, Nemetum *f*; *om. Aimoinus praef. c.* 1. Sequanorum *om. Aimoinus.* Mediomatricum *A B E* '*mss. qdd.*' *Aimoinus*, Mediomatricorum *f u.* Tribucorum *codd.*, *om. f Aimoinus.* 4 Treuerorum, *non* Treuir., *B*; 'Treuerorumque *mss. nonnulli*', atque Treuerorum *Aimoinus.* Oceanum *f.* adpropinquauit *A B C D f et*, *qui* appr., *E e*; appropinquat *b c Aimoinus*, *idemque de D falso refert Oud.* 5 defluit *A B C D E Aimoinus*, diffluit *f u.* 'multisque ing. *b*'. 7 qui solis piscibus *Aimoinus.* atque qui ouis *b.* 8 fluit *Aimoinus.* 11 longius] ulterius *b.* 12 inpetrassent *B.* 13 ut *A C D E*, uti (*B*)? *f u.* 14 mitendi *m. pr. B.* 15 fecisset *A B C D E a b e f*, fecissent *u.* conditione (*B*). 16 hostendebant *ante corr. B.* 19 quattuor *A B*, quatuor *E*, IIII *f.* 20 hunc *C.* 21 frequentissime *D b.* 25 at *om. D.* 26 v, *omisso* milium, *A*; duorum milium *D E.* octingentos *A B E*, cccc *suprasc.* tos *f.*

equites haberent, quod ii, qui frumentandi causa ierant trans Mo-
sam, nondum redierant, nihil timentibus nostris, quod legati eo-
rum paulo ante a Caesare discesserant atque is dies indutiis erat
2 ab his petitus, impetu facto celeriter nostros perturbauerunt; rur-
sus resistentibus consuetudine sua ad pedes desiluerunt, subfossis
equis conpluribusque nostris deiectis reliquos in fugam coniecerunt
atque ita perterritos egerunt, ut non prius fuga desisterent, quam
3 in conspectum agminis nostri uenissent. In eo proelio ex equiti-
4 bus nostris interficiuntur quattuor et septuaginta, in his uir for-
tissimus Piso Aquitanus, amplissimo genere natus, cuius auus in
ciuitate sua regnum obtinuerat amicus ab senatu nostro appellatus.
5 Hic cum fratri intercluso ab hostibus auxilium ferret, illum ex
periculo eripuit, ipse equo uulnerato deiectus, quoad potuit, fortis-
6 sime restitit: cum circumuentus multis uulneribus acceptis cecidis-
set, atque id frater, qui iam proelio excesserat, procul animaduer-
13 tisset, incitato equo se hostibus optulit atque interfectus est. Hoc
facto proelio Caesar neque iam sibi legatos audiendos neque con-
diciones accipiendas arbitrabatur ab iis, qui per dolum atque insi-
2 dias petita pace ultro bellum intulissent: expectare uero, dum ho-
stium copiae augerentur equitatusque reuerteretur, summae demen-
3 tiae esse iudicabat, et cognita Gallorum infirmitate, quantum iam
apud eos hostes uno proelio auctoritatis essent consecuti, sentie-
bat; quibus ad consilia capienda nihil spatii dandum existimabat.
4 His constitutis rebus et consilio cum legatis et quaestore commu-
nicato, ne quem diem pugnae praetermitteret, opportunissima res
accidit, quod postridie eius diei mane eadem et perfidia et simula-

1 quod hii *corr. in* ii *f*, quod reliqui *D E*. trans Mosam ierant *C D*, erant trans Mosam profecti *b f*. 3 inditiis *B*, inditus *C*, indutus *cum* l *super* du *f*; induciis *u. Gell. I*, 25. 4 ab his *A B C f*, ab eis *E u*. turbauerunt *A*. rursus resistentibus *A B C D E*; rursus his resistentibus *b e f*, rursus resistentibus nostris *u*. 5 desiluerunt *A* (*B*) *C D*, desilierunt *E et corr. f*. subfossis '*ceteri*' *B C D et, qui suff.*, *E*; suffossisque (*Aπ*)? *b c f u*. 6 (conpluribusque *B*) compluribus *b*. coniecerunt] coëgerunt *b c*. 8 in conspectu *E a b e f*. nostri *sec. m. int. uers. B*, ni *C*. 9 quattuor *A B C D*, quatuor *E*, IIII *f*. septuaginta (*B*) *D E*, LXX *cum rasura post alteram* x *f*. in iis *A B*, in is *E*. uir] fuit *add. b*. 11 a senatu *f*. nostro] non *m. pr. B*. 12 ex *om. b e*. 14 decidisset *b*. 15 at id *m. pr. B*. procul *om. b*. animum aduertisset *f*. 16 optulit *B*. 17 conditiones (*B*). 18 ab iis *B*, ab his *u*. 19 expectare *B*. 25 opportunissima res (*Aπ*)? *e f*, opportunissime res *B C D E*. An res *delenda est?* 26 *prius* et *om. b*. simula-

tione usi Germani frequentes omnibus principibus maioribusque
natu adhibitis ad eum in castra uenerunt, simul, ut dicebatur, sui 5
purgandi causa, quod contra, atque esset dictum et ipsi petissent,
proelium pridie commisissent, simul ut, si quid possent, de indu-
tiis fallendo impetrarent. Quos sibi Caesar oblatos gauisus illos 6
retineri iussit; ipse omnes copias castris eduxit equitatumque,
quod recenti proelio perterritum esse existimabat, agmen subse-
qui iussit. Acie triplici instituta et celeriter octo milium itinere **14**
confecto prius ad hostium castra peruenit, quam, quid ageretur,
Germani sentire possent. Qui omnibus rebus subito perterriti, et 2
celeritate aduentus nostri et discessu suorum, neque consilii ha-
bendi neque arma capiendi spatio dato perturbantur, copiasne ad-
uersus hostem ducere, an castra defendere, an fuga salutem petere
praestaret. Quorum timor cum fremitu et concursu significaretur, 3
milites nostri pristini diei perfidia incitati in castra inruperunt.
Quo loco, qui celeriter arma capere potuerunt, paulisper nostris 4
restiterunt atque inter carros impedimentaque proelium commise-
runt: at reliqua multitudo puerorum mulierumque (nam cum omni- 5
bus suis domo excesserant Rhenumque transierant) passim fugere
coepit; ad quos consectandos Caesar equitatum misit. Germani **15**
post tergum clamore audito, cum suos interfici uiderent, armis ab-
iectis signisque militaribus relictis se ex castris eiecerunt, et cum 2
ad confluentem Mosae et Rheni peruenissent, reliqua fuga despe-
rata magno numero interfecto reliqui se in flumen praecipitauerunt
atque ibi timore, lassitudine, ui fluminis oppressi perierunt. No- 3
stri ad unum omnes incolumes perpaucis uulneratis ex tanti belli
timore, cum hostium numerus capitum CCCCXXX milium fuisset,
se in castra receperunt. Caesar iis, quos in castris retinuerat, 4
discedendi potestatem fecit. Illi supplicia cruciatusque Gallorum 5

tione et perfidia Germani usi *f*. 2 purgandi sui *f*. 4 induciis (*B*) *u*. 5 gauisus *e f*, gauis *a*; grauius *A B C D E b c et sec. m. a*. 6 iubet *b*. 11 consilium *b*. 13 ducere *A B C D E*; educere *e f*, castris educere *b*. 15 pristine *b*. inruperunt *A B E f*. 16 quo loco *A B C D E*; quorum *a b d e f et*, '*ut uidetur*', *c*. 21 terga *f*. 22 e castris *f*. 24 reliquis se *ante corr. B*. in flumen *ante* se *ponit E*; in flumine *b c*. 25 ui fluminis *A b c e f*; *om. C*, in fluminis *B*, in fluminis alueo *D E*, flumine *sec. m. B C*. 27 cum et hostium *b*. ccccxxx *A et suprasc.* torum *et* ta *B f*, quadringentorum triginta *D E*. *Orosius:* ad quadringenta quadraginta milia. 28 iis *Aldus*, his *codd.*

ueriti, quorum agros uexauerant, remanere se apud eum uelle
dixerunt. His Caesar libertatem concessit.
16 Germanico bello confecto multis de causis Caesar statuit sibi
Rhenum esse transeundum; quarum illa fuit iustissima, quod, cum
uideret Germanos tam facile impelli, ut in Galliam uenirent, suis
quoque rebus eos timere uoluit, cum intellegerent et posse et au-
2 dere populi Romani exercitum Rhenum transire. Accessit etiam,
quod illa pars equitatus Vsipetum et Tencterorum, quam supra
commemoraui praedandi frumentandique causa Mosam transisse
neque proelio interfuisse, post fugam suorum se trans Rhenum in
3 fines Sugambrorum receperat seque cum iis coniunxerat. Ad quos
cum Caesar nuntios misisset, qui postularent, eos, qui sibi Gal-
4 liaeque bellum intulissent, sibi dederent, responderunt: Populi
Romani imperium Rhenum finire: si se inuito Germanos in Gal-
liam transire non aequum existimaret, cur sui quicquam esse im-
5 perii aut potestatis trans Rhenum postularet? Vbii autem, qui uni
ex Transrhenanis ad Caesarem legatos miserant, amicitiam fece-
rant, obsides dederant, magnopere orabant, ut sibi auxilium fer-
6 ret, quod grauiter ab Sueuis premerentur; uel, si id facere occu-
pationibus reipublicae prohiberetur, exercitum modo Rhenum
transportaret: id sibi *ad* auxilium spemque reliqui temporis satis
7 futurum. Tantum esse nomen atque opinionem eius exercitus
Ariouisto pulso et hoc nouissimo proelio facto etiam ad ultimas
Germanorum nationes, uti opinione et amicitia populi Romani tuti
8 esse possint. Nauium magnam copiam ad transportandum exerci-
17 tum pollicebantur. Caesar his de causis, quas commemoraui, Rhe-
num transire decreuerat; sed nauibus transire neque satis tutum
esse arbitrabatur, neque suae neque populi Romani dignitatis esse
2 statuebat. Itaque, etsi summa difficultas faciendi pontis propone-

2 hiis *f.* 4 esse *om. m. pr. b.* 5 in *om. D.* 8 Tencterorum *B C D;* Tenctherorum *A E,* Tenetherorum *f.* 9 memoraui *A.* 11 Sugambrorum *A B C D E f et ap. Orosium VI, 9 plerique Hauercampi et Portensis,* Sigambrorum *u.* iis] populis *f.* 12 cum *om. a.* 15 quicquam *B.* 16 Vbi *B.* 17 legatos *om. e f, ante* ad Caesarem *ponit b.* 19 a Sueuis *D E.* 20 reipublicae *a b c d e f,* populi Romani *A B C E 'ceteri'.* 21 ad *suppleuit Aldus, om. A B C D E f 'plerique'.* 22 nomen] apud eos *add. a b c d e.* eius exercitus] exercitus Romani *a b c d e.* 23 Ariouixto *m. pr. B.* 25 ad transportandum Rhenum exercitum *b.* 27 *ante* neque *add.* se *b.* 28 *prius* esse *om. E b.* arbitrabantur *ante corr. B.* 29 faciendi *A (B) C D E f 'mss.',* faciundi *u.*

batur propter latitudinem, rapiditatem altitudinemque fluminis, ta-
men id sibi contendendum aut aliter non traducendum exercitum
existimabat. Rationem pontis hanc instituit. Tigna bina sesqui- 3
pedalia paulum ab imo praeacuta dimensa ad altitudinem flumi-
nis interuallo pedum duorum inter se iungebat. Haec cum ma- 4
chinationibus inmissa in flumen defixerat fistucisque adegerat, non
sublicae modo directe ad perpendiculum, sed prone ac fastigate, ut
secundum naturam fluminis procumberent, his item contraria duo 5
ad eundem modum iuncta interuallo pedum quadragenum ab in-
feriore parte contra uim atque impetum fluminis conuersa statue-
bat. Haec utraque insuper bipedalibus trabibus inmissis, quantum 6
eorum tignorum iunctura distabat, binis utrimque fibulis ab extre-
ma parte distinebantur; quibus disclusis atque in contrariam par- 7
tem reuinctis tanta erat operis firmitudo atque ea rerum natura,
ut, quo maior uis aquae se incitauisset, hoc artius inligata tene-
rentur. Haec directa materia iniecta contexebantur ac longuriis 8
cratibusque consternebantur; ac nihilo secius sublicae et ad in- 9
feriorem partem fluminis oblique agebantur, quae pro ariete sub-
iectae et cum omni opere coniunctae uim fluminis exciperent, et 10
aliae item supra pontem mediocri spatio, ut, si arborum trunci
siue naues deiciendi operis essent a barbaris missae, his defensori-
bus earum rerum uis minueretur, neu ponti nocerent. Diebus de- 18
cem, quibus materia coepta erat conportari, omni opere effecto
exercitus traducitur. Caesar ad utramque partem pontis firmo 2

2 aut] haud *C et sec. m. B*. 3 sequipedalia *A*. 4 paulu-lum *b*. dimersa *in marg. A*. 5 iungebant *b*. cum achinationibus *m. pr. B*. 6 inmissa *A C D f*. in flumine *b*. difixerat *B*. fusticisque *D E*, festuculisque *b c d f*. 7 directe *E d f*; derecte *e et cum* i *super* de *A*, derectae *B*, directae *C D et sec. m. B*; derecta *u*. prone *A C D E d e et sec. m. f* (*fuerat* proni), pronae *B*; prona *u*. fastigate *A E e f*, fastigatae *B*, fatigatae *b*, fastigiate *C? D? d?*; fastigata *u*. 8 his *B E f*, iis *A u*. duo *codd.*, *non* u. 9 disiuncta *a b e*. inferiori *C*. 11 (inmissis *A B f*) immissa *b*. 12 utrimque *A* (*B*) *D f*, *non* utrinque. 13 destinebantur *f*, detinebantur *C et sec. m. B*, destinabantur *E*. 14 operis fortitudo *b*. 15 (inligata *A B C D E*) ligata *f*. 16 directa (*B*) *et sec. m. C* (*fuerat* iniecta '*uel tale*' *Ex. Fabr.*), derecta '*mss.*' *D E e f et cum* i *super* de *A*. materie *b d f*, materiae *e*. ac] et (*B*)? *f et tacite u*. 17 subliquae *b*. et *A* (*B*) *C D E e*, *om. f*. 18 obliquae *C f*: oblique — 19 fluminis *om. D E*. pro pariete *cum tribus dett. u*. 20 super *b*. 21 operis *A* (*B*) *C D E*, operis causa *e f*. 22 neu] nec *b*. 23 conportari *B*. opere] ponte *b*. 24 transducitur *f*.

3 praesidio relicto in fines Sugambrorum contendit. Interim a com-
pluribus ciuitatibus ad eum legati ueniunt; quibus pacem atque
amicitiam petentibus liberaliter respondit obsidesque ad se adduci
4 iubet. Sugambri ex eo tempore, quo pons institui coeptus est,
fuga comparata hortantibus iis, quos ex Tenceteris atque Vsipetibus
apud se habebant, finibus suis excesserant suaque omnia exporta-
19 uerant seque in solitudinem ac siluas abdiderant. Caesar paucos
dies in eorum finibus moratus omnibus uicis aedificiisque incensis
frumentisque succisis se in fines Vbiorum recepit atque iis auxili-
um suum pollicitus, si ab Sueuis premerentur, haec ab iis cogno-
2 uit: Sueuos, posteaquam per exploratores pontem fieri comperis-
sent, more suo concilio habito nuntios in omnes partes dimisisse,
uti de oppidis demigrarent, liberos, uxores suaque omnia in siluis
deponerent, atque omnes, qui arma ferre possent, unum in locum
3 conuenirent: hunc esse delectum medium fere regionum earum,
quas Sueui optinerent: hic Romanorum aduentum expectare atque
4 ibi decertare constituisse. Quod ubi Caesar comperit, omnibus
rebus iis confectis, quarum rerum causa traducere exercitum con-
stituerat, ut Germanis metum iniceret, ut Sugambros ulcisceretur,
ut Vbios obsidione liberaret, diebus omnino decem et octo trans
Rhenum consumptis satis et ad laudem et ad utilitatem profectum
arbitratus se in Galliam recepit pontemque rescidit.

20 Exigua parte aestatis reliqua Caesar, etsi in his locis, quod
omnis Gallia ad septentriones uergit, maturae sunt hiemes, tamen
in Britanniam proficisci contendit, quod omnibus fere Gallicis bel-

1 Sugambrorum *f*; Sygambrorum *B C*, Sigambrorum *A D E*. intendit *b d f*. 3 liberaliter respondit *om. f*. obsides ad *f*. 4 Sugambri *e f*, Sigambri *A*(*B*) *C D E*: *ante* Sugambri *add.* at *b c f*, ut *e*. quod pons *C*. 5 his *f*. Tenceteris *A*, Teneteris *f*; Thencteris *B C D E*. 9 frumentis, *omisso* que, *D*. succisis *pauci dett.*, succensis *reliqui* (succenssis *e*). atque his *f*. 10 pollicitus est si *b*. Suebis *et deinde* Suebos *A 'aliique' et m. pr. B*. *ante* haec *add.* et *C*. ab his *f*, habis *C*; omnia *b*. congnouit *b*. 12 consilio *e* misisse *C ? b et sec. m. B* (*fuerat* dimisse). 13 in siluis *A B C D E c e*, *om. f*; in siluas *u*. 15 medio *m. pr. C*. 16 optinerent *B*. (expectare *B*) spectare *e*. 18 rebus his *A B C D E*, his rebus *f u*. exercitum traducere *f*. 19 Sugambros *B C D E et cum* i *super* u *A*, Sugrambros *f*. 20 decem et octo *A* (*B*) *D E*, x et octo *C*; xviii *f*, xvii *b c*. 21 profectum *B C D E*; pfectum *a*, perfectum *A b c f*. 24 septentriones *A b c e et corr. f* (*erat* septentrionis), septentrionem *B E*. maturae sunt] matuesunt *et in marg.* mansuescunt *A*. 25 Britaniam *B*, Brittaniam *A*, Brittanniam *C D f*.

lis hostibus nostris inde sumministrata auxilia intellegebat et, si 2
tempus anni ad bellum gerendum deficeret, tamen magno sibi usui
fore arbitrabatur, si modo insulam adisset et genus hominum per-
spexisset, loca, portus, aditus cognouisset; quae omnia fere Gallis
erant incognita. Neque enim temere praeter mercatores illo adit 3
quisquam, neque iis ipsis quicquam praeter oram maritimam atque
eas regiones, quae sunt contra Gallias, notum est. Itaque uocatis 4
ad se undique mercatoribus neque quanta esset insulae magnitudo,
neque quae aut quantae nationes incolerent, neque quem usum
belli haberent aut quibus institutis uterentur, neque qui essent ad
maiorum nauium multitudinem idonei portus, reperire poterat.
Ad haec cognoscenda, priusquam periclum faceret, idoneum esse 21
arbitratus Gaium Volusenum cum naui longa praemittit. Huic 2
mandat, ut exploratis omnibus rebus ad se quam primum reuerta-
tur. Ipse cum omnibus copiis in Morinos proficiscitur, quod inde 3
erat breuissimus in Britanniam traiectus. Huc naues undique ex 4
finitimis regionibus et quam superiore aestate ad Veneticum bel-
lum effecerat classem iubet conuenire. Interim consilio eius co- 5
gnito et per mercatores perlato ad Britannos a conpluribus insulae
ciuitatibus ad eum legati ueniunt, qui polliceantur obsides dare at-
que imperio populi Romani obtemperare. Quibus auditis liberali- 6
ter pollicitus hortatusque, ut in ea sententia permanerent, eos do-
mum remittit et cum iis una Commium, quem ipse Atrebatibus su- 7
peratis regem ibi constituerat, cuius et uirtutem et consilium pro-
babat et quem sibi fidelem esse arbitrabatur, cuiusque auctoritas
in his regionibus magni habebatur, mittit. Huic imperat, quas 8

1 sumministrata *B.* 2 defecerat *b c.* 3 et genus *A B E* '*plerique*'; genus, *omisso* et, *e f u.* 5 illo adit *pauci dett.*, illo adiit *A B C D E;* 'adit illos *uel* illos adit *b*', adit ad illos *e f et* '*forsan d*'. 6 neque is *E*, neque his *f.* 7 Gallias *A B C D E e f*, Galliam *a.* uocatis *A B C D E*, euocatis *a b e f.* 8 undique *om. C.* 10 ad maiorem *E*, ad maioris *b c.* 11 nauigium *b c*, nauigiorum *f.* multitudinis *b c e et, qui corr. sec. m.* multitudines, *f.* repperiri *A*, reperiri *b c.* 12 periclum *A et m. pr. B.* 13 Gaium *A B C D E*, C. *f u.* naue *b.* 14 ut *B E edd. ante u*, uti (*Aπ*)? *b f u.* rebus *om. D.* 16 Britaniam *B.* 18 fecerat *e f et*, '*ut puto, b c d*'. 19 Britanos *B.* conpluribus *B.* insulae *B C D E* '*plerique*', eius insulae (*Aπ*)? *f u.* 20 pollicerentur *b c e* 22 policetur *b.* eos *om. m. pr. C.* 23 cum iis *A B C D E*, cum his *f u.* 25 esse *om. E u.* 26 his *A f*, hiis *E*, is *B C.* magni *A B C E a b c e*, magna *f.*

possit, adeat ciuitates horteturque, ut populi Romani fidem sequan-
9 tur, seque celeriter eo uenturum nuntiet. Volusenus perspectis
regionibus omnibus, quantum ei facultatis dari potuit, qui naui
egredi ac se barbaris committere non auderet, quinto die ad Cae-
22 sarem reuertitur quaeque ibi perspexisset renuntiat. Dum in his
locis Caesar nauium parandarum causa moratur, ex magna parte
Morinorum ad eum legati uenerunt, qui se de superioris temporis
consilio excusarent, quod homines barbari et nostrae consuetudi-
nis imperiti bellum populo Romano fecissent, seque ea, quae im-
2 perasset, facturos pollicerentur. Hoc sibi Caesar satis opportune
accidisse arbitratus, quod neque post tergum hostem relinquere
uolebat neque belli gerendi propter anni tempus facultatem
habebat neque has tantularum rerum occupationes Britanniae
anteponendas iudicabat, magnum iis numerum obsidum imperat.
3 Quibus adductis eos in fidem recepit. Nauibus circiter LXXX
onerariis coactis contractisque, quot satis esse ad duas trans-
portandas legiones existimabat, quod praeterea nauium longarum
4 habebat, quaestori, legatis praefectisque distribuit. Huc accede-
bant XVIII onerariae naues, quae ex eo loco ab milibus passuum
octo uento tenebantur, quo minus in eundem portum uenire pos-
5 sent: has equitibus distribuit. Reliquum exercitum Quinto Titu-
rio Sabino et Lucio Aurunculeio Cottae legatis in Menapios atque
in eos pagos Morinorum, ab quibus ad eum legati non uenerant,
6 ducendum dedit; Publium Sulpicium Rufum legatum cum eo prae-

1 hortaturque *m. pr. B.* ut *A a b e f; om. C D E et secundum Achaintrium B, de quo Beyerlius minus recte tacere uidetur.* 2 sedque *A.* 3 regionibus omnibus *Ao B C (E) 'multi alii'*; regionibus, *omisso* omnibus, *(Aπ)? b c e f.* ei] et *B C D E.* facultatis *(B) C D E f,* facultas *A.* qui ex naue *b.* 4 diem *D.* 5 in iis *B.* 7 ueniunt *b.* 9 seque] sed quae *A.* 10 pollicerentur *e f,* pollicentur *A B E 'multi'*; pollicebantur *b.* haec *b f.* Caesar satis opportune *A B C E 'mss. fere',* satis opportune Caesar *f u.* 13 tantularum *e f,* tantarum *A B C D E.* occupationes] sibi *add. b c e f.* Britaniae *B.* 14 iis *A B C D E,* his *f.* obsidum numerum *ex uno b u.* 15 recipit *f.* LXXX *a b c e f Orosius,* octingentis octoginta *B C D E et cum punctis sub* octoginta *A.* 16 quod satis *A B C D E e f. P.* 76. legiones transportandas, *sed prius int. uers., f.* 17 quod praeterea *A B C,* quot praeterea *D E;* quicquid praeterea *f u.* 18 habebat] id *add. b c.* quaestoribus *c d f. P.* 81. 19 XVIII] VIII *A,* octodecim *(B).* ab *A (B) C D E b,* a *e f.* 20 uenire *B E e f 'plurimi',* peruenire *(Aπ)? u.* 21 tribuit *f.* Quinto *B,* Q. *u.* 22 Lucio *B,* L. *u.* 23 a quibus *f.* 24 ducendum *A B E,* deducendum *a b c d e f.* Publium *B,* P. *u.*

sidio, quod satis esse arbitrabatur, portum tenere iussit. His con- 23
stitutis rebus nactus idoneam ad nauigandum tempestatem tertia
fere uigilia soluit equitesque in ulteriorem portum progredi et na-
ues conscendere et se sequi iussit. A quibus cum paulo tardius 2
esset administratum, ipse hora circiter diei quarta cum primis na-
uibus Britanniam attigit atque ibi in omnibus collibus expositas
hostium copias armatas conspexit. Cuius loci haec erat natura, 3
atque ita montibus angustis mare continebatur, uti ex locis supe-
rioribus in litus telum adigi posset. Hunc ad egrediendum nequa- 4
quam idoneum locum arbitratus, dum reliquae naues eo conueni-
rent, ad horam nonam in ancoris expectauit. Interim legatis tri- 5
bunisque militum conuocatis et quae ex Voluseno cognosset, et
quae fieri uellet, ostendit monuitque, ut rei militaris ratio, maxi-
me ut maritumae res postularent, ut quae celerem atque instabi-
lem motum haberent, ad nutum et ad tempus omnes res ab iis ad-
ministrarentur. His dimissis et uentum et aestum uno tempore 6
nactus secundum dato signo et sublatis ancoris circiter milia pas-
suum septem ab eo loco progressus aperto ac plano litore naues
constituit. At barbari consilio Romanorum cognito praemisso 24
equitatu et essedariis, quo plerumque genere in proeliis uti con-
suerunt, reliquis copiis subsecuti nostros nauibus egredi prohibe-
bant. Erat ob has causas summa difficultas, quod naues propter 2
magnitudinem nisi in alto constitui non poterant, militibus autem
ignotis locis, impeditis manibus magno et graui onere armorum
oppressis simul et de nauibus desiliendum et in fluctibus consisten-

3 uigilia naues soluit *f*, uigilia noctis naues soluit *b*. equites quos in *D*, equites in *b*. progredi nauesque *b*. 4 cum paulo *A B E a e f*, cum id paulo *b c*. 5 hora circiter diei quarta *A B E edd. ante u*, hora diei circiter quarta *f u*. 6 Britaniam *B*. 7 armatas *om. m. pr. b*. erat *om. m. pr. b*. 8 atque ita *A B C D E e*; adeo *b c d*, adeo eo *f*. montium angustiis *f*. ut *f*. 9 adigi *A B C D E a b e f*, adiici ('*uel* adici') '*forsan c*' *u*. hunc adgrediendum *d*, hunc adgrediendi *b*. nequaquam idoneum locum arbitratus *A B C D E*; locum nequaq. idon. arb. *f et omisso* idoneum *b*, nequaq. idon. arb. locum *u*. 11 ancoris *B*, anchoris *u*. (expectauit *B*) spectauit *D*. 12 cognosset *B* '*uetustiores*', cognouisset *e et sec. m. B*. 13 maximeque ut *b c d*. 14 maritumae *A* (*B*). ut quae *Lipsius*, ut quam *codd.* 15 ab iis *A* (*B*) *C*, ab his *E f*. 16 et aestatem *b*. 17 secundum] simul *b*. ancoris *A B*, anchoris *u*. mille passus *e*. 18 aperto *om. A B C* '8 *alii*'. 24 onore armorum *m. pr. B*; armorum onere *cum uno b u*. 25 expressis *m. pr. C*, pressis *e f*. et de] et *a c e*, e *f*, et cum *b*.

3 dum et cum hostibus erat pugnandum, cum illi aut ex arido aut
paulum in aquam progressi omnibus membris expeditis, notissimis
locis audacter tela conicerent et equos insuefactos incitarent.
4 Quibus rebus nostri perterriti atque huius omnino generis pugnae
imperiti non eadem alacritate ac studio, quo in pedestribus uti
25 proeliis consuerant, nitebantur. Quod ubi Caesar animaduertit,
naues longas, quarum et species erat barbaris inusitatior et motus
ad usum expeditior, paulum remoueri ab onerariis nauibus et re-
mis incitari et ad latus apertum hostium constitui atque inde fun-
dis, sagittis, tormentis hostes propelli ac summoueri iussit; quae
2 res magno usui nostris fuit. Nam et nauium figura et remorum
motu et inusitato genere tormentorum permoti barbari constiterunt
3 ac paulum modo pedem retulerunt. Atque nostris militibus cun-
ctantibus, maxime propter altitudinem maris, qui decimae legionis
aquilam ferebat, contestatus deos, ut ea res legioni feliciter eue-
niret, 'desilite', inquit, 'milites, nisi uultis aquilam hostibus pro-
dere: ego certe meum reipublicae atque imperatori officium prae-
4 stitero'. Hoc cum uoce magna dixisset, se ex naui proiecit atque
5 in hostes aquilam ferre coepit. Tum nostri cohortati inter se, ne
6 tantum dedecus admitteretur, uniuersi ex naui disiluerunt. Hos
item ex proximis [primis] nauibus cum conspexissent, subsecuti
26 hostibus adpropinquarunt. Pugnatum est ab utrisque acriter. No-
stri tamen, quod neque ordines seruare neque firmiter insistere
neque signa subsequi poterant, atque alius alia ex naui, quibuscum-
que signis occurrerat, se adgregabat, magnopere perturbabantur;

1 *prius* cum *om. m. pr. b.* aut — aut] uel — uel *b.* 2 paulum *A B C D E e 'longe plurimi et uetustiores'*, paululum *f u.* expeditis *A e f*, expediti *reliqui.* 3 factos, *suprasc. sec. m.* insue, *C.* 5 non eadem (*A*) *B* (*hic ante corr.* eandem) *C D E f*; omnes eadem *e*, non omnes eadem *'forsan c d' u.* 6 cosuerant *f*, consueuerant *'C solus'.* nitebantur *Oxon.*, uitebantur *A*; utebantur *reliqui.* animum aduertit *f.* 7 erat *om. A B C D E.* 8 paulo *e*, paululum *f.* 10 hostis *A.* summoueri *A B C D E, non* submoueri. 13 rettulerunt *cum puncto sub altera* t *B.* atque] at *b c d e f.* 15 obtestatus *b d f.* 16 milites *A B C D E*, commilitones *a b c d e f* (*Achaintrium codd. permutasse mea collatio codicis B docet*). *Vid. Liu. III*, 27. nisi si uultis *f.* 18 uoce magna *A B C D E f*, magna uoce *u.* se ex naui proiecit *A B E edd. ante u*, ex naui se proiecit *f u.* 19 hortati *A.* 20 ex] de *b.* desiluerunt *A* (*B*) *C D f*, desilierunt *E et sec. m. C D.* 21 primis *eiciendum dixit Hotomannus.* 22 adpropinquarent *B C*, adpropinquauerunt *b* (*Ceterum* adpr., *non* appr., *A B C D f*). 24 quibuscumque (*B*). 25 adgregabat *A B C f.* magno opere *ante corr., ut uidetur, f u.* perturbantur *A B C D E.*

hostes uero notis omnibus uadis, ubi ex litore aliquos singu- 2
lares ex naui egredientes conspexerant, incitatis equis impeditos
adoriebantur, plures paucos circumsistebant, alii ab latere aperto 3
in uniuersos tela coniciebant. Quod cum animaduertisset Caesar, 4
scaphas longarum nauium, item speculatoria nauigia militibus
compleri iussit et, quos laborantes conspexerat, his subsidia sub-
mittebat. Nostri, simul in arido constiterunt, suis omnibus con- 5
secutis in hostes impetum fecerunt atque eos in fugam dederunt
neque longius prosequi potuerunt, quod equites cursum tenere at-
que insulam capere non potuerant. Hoc unum ad pristinam fortu-
nam Caesari defuit. Hostes proelio superati, simul atque se ex 27
fuga receperunt, statim ad Caesarem legatos de pace miserunt,
obsides daturos quaeque imperasset facturos esse polliciti sunt.
Vna cum his legatis Commius Atrebas uenit, quem supra demon- 2
straueram a Caesare in Britanniam praemissum. Hunc illi e naui 3
egressum, cum ad eos oratoris modo Caesaris mandata deferret,
conprehenderant atque in uincula coniecerant: tum proelio facto 4
remiserunt et in petenda pace eius rei culpam in multitudinem con-
iecerunt et propter inprudentiam ut ignosceretur, petiuerunt. Cae- 5
sar questus, quod, cum ultro in continentem legatis missis pacem
ab se petissent, bellum sine causa intulissent, ignoscere inpruden-
tiae dixit obsidesque imperauit; quorum illi partem statim dede- 6
runt, partem ex longinquioribus locis arcessitam paucis diebus sese
daturos dixerunt. Interea suos remigrare in agros iusserunt, prin- 7
cipesque undique conuenire et se ciuitatesque suas Caesari com-
mendare coeperunt. His rebus pace confirmata post diem quar- 28
tum, quam est in Britanniam uentum, naues XVIII, de quibus su-
pra demonstratum est, quae equites sustulerant, ex superiore por-
tu leni uento soluerunt. Quae cum adpropinquarent Britanniae et 2

2 naue *b.* 4 animum aduertisset *fu.* 6 his *ABCDEf*, iis *u.* 10 non potuerant *Lipsius*, non potuerunt *codd.* 12 de pace legatos *C.* 13 facturos esse *BCDE*, facturos sese *A*; sese facturos *bcdef.* 15 Britaniam *B.* 16 oratoris modo Caesaris] imperatoris *Andin. Oxon. u.* deferret *ABCDE*, perferret *bcdef.* 17 conprehenderant *B.* 18 et *om. ABCD.* impetenda *B.* coniecerunt] contulerunt *bdef.* 19 inprudentiam *Af.* 21 inprudentiae *ABCDf.* 23 paucis post diebus *bdf.* se daturos esse dixerunt *bf.* 25 conuenire *ABCDE*; conuenere *ef*, conuenerunt *c.* commendare coeperunt *ABCDE*; commendare *e*, commendauerunt *f.* 26 quartam (*B*)? 27 Britaniam *B.* octodecim (*B*), x et VIII *D.* supra *om. A.* 29 adpropinquarent *ABCDf.* Britaniae *B.*

ex castris uiderentur, tanta tempestas subito coorta est, ut nulla
earum cursum tenere posset, sed aliae eodem, unde erant profe-
ctae, referrentur, aliae ad inferiorem partem insulae, quae est pro-
3 pius solis occasum, magno sui cum periculo deicerentur; quae ta-
men ancoris iactis cum fluctibus complerentur, necessario aduersa
29 nocte in altum prouectae continentem petierunt. Eadem nocte ac-
cidit, ut esset luna plena, qui dies maritimos aestus maximos in
2 Oceano efficere consueuit, nostrisque id erat incognitum. Ita uno
tempore et longas naues, quibus Caesar exercitum transportandum
curauerat quasque in aridum subduxerat, aestus compleuerat, et
onerarias, quae ad ancoras erant deligatae, tempestas adflictabat,
neque ulla nostris facultas aut administrandi aut auxiliandi daba-
3 tur. Compluribus nauibus fractis reliquae cum essent funibus, an-
coris reliquisque armamentis amissis ad nauigandum inutiles, ma-
gna, id quod necesse erat accidere, totius exercitus perturbatio
4 facta est. Neque enim naues erant aliae, quibus reportari possent,
et omnia deerant, quae ad reficiendas naues erant usui, et, quod
omnibus constabat hiemari in Gallia oportere, frumentum his in
30 locis in hiemem prouisum non erat. Quibus rebus cognitis prin-
cipes Britanniae, qui post proelium ad Caesarem conuenerant, in-
ter se conlocuti, cum equites et naues et frumentum Romanis de-
esse intellegerent et paucitatem militum ex castrorum exiguitate
cognoscerent, quae hoc erant etiam angustiora, quod sine impedi-
2 mentis Caesar legiones transportauerat, optimum factu esse du-
xerunt rebellione facta frumento commeatuque nostros prohibere
et rem in hiemem producere, quod his superatis aut reditu inter-
clusis neminem postea belli inferendi causa in Britanniam transi-
turum confidebant. Itaque rursus coniuratione facta paulatim ex

1 subito tempestas *b*. quohorta *deletis* qu *et* c *suprasc. B*, orta *b*. 3 referentur *B*. propie, *suprasc.* prope, *A*. 4 cum periculo sui *f*. (deicerentur *A D E f*) deiecerentur *B C*. 5 ancoris *A B*, anchoris *u*. 6 petiuerunt *f*. 10 compleuerat *Aπ* (*qui secundum Oud. pr. m. om.*) *B C D E*, complebat *b c d e f*. 11 ancoras *A B*. adflictabat *A B C D f*. 12 nequa ulla *B*. 13 cum pluribus *A B C e f*. cum *om. e f*. ancoris *A B*. 14 reliquisque *om. b*. 15 id *om. f*. 17 naues erant usui] eas usui sunt *b c d e f*. 18 hiemari *a b c e f*, hiemare *reliqui*. 19 in hieme *C b*. 20 post proelium factum ad ea, quae iusserat Caesar, facienda conuenerant *b c d e f*. 21 conlocuti *A B C f*. cum et equites *f*. 23 quae hoc] quia haec *f*. inpedimentis *f*. 24 factum *B C D b*. 26 his *E f*; hiis *D*, iis (*A B*) *C*. 27 Britaniam *B*. 28 confitebant *m. pr. B*. rursum *C*.

castris discedere ac suos clam ex agris deducere coeperunt. At **31**
Caesar, etsi nondum eorum consilia cognouerat, tamen et ex
euentu nauium suarum et ex eo, quod obsides dare intermiserant,
fore id, quod accidit, suspicabatur. Itaque ad omnes casus subsi- 2
dia conparabat. Nam et frumentum ex agris cotidie in castra
conferebat et quae grauissume adflictae erant naues, earum mate-
ria atque aere ad reliquas reficiendas utebatur et quae ad eas res
erant usui ex continenti conportari iubebat. Itaque, cum summo 3
studio a militibus administraretur, XII nauibus amissis, reliquis ut
nauigari commode posset, effecit. Dum ea geruntur, legione ex **32**
consuetudine una frumentatum missa, quae appellabatur septima,
neque ulla ad id tempus belli suspicione interposita, cum pars ho-
minum in agris remaneret, pars etiam in castra uentitaret, ii, qui
pro portis castrorum in statione erant, Caesari nuntiauerunt pul-
uerem maiorem, quam consuetudo ferret, in ea parte uideri, quam
in partem legio iter fecisset. Caesar id, quod erat, suspicatus, 2
aliquid noui a barbaris initum consilii, cohortes, quae in stationi-
bus erant, secum in eam partem proficisci, ex reliquis duas in sta-
tionem cohortes succedere, reliquas armari et confestim sese sub-
sequi iussit. Cum paulo longius a castris processisset, suos ab 3
hostibus premi atque aegre sustinere et conferta legione ex omni-
bus partibus tela conici animaduertit. Nam quod omni ex reliquis 4
partibus demesso frumento pars una erat reliqua, suspicati hostes
huc nostros esse uenturos noctu in siluis delituerant; tum disper- 5
sos depositis armis in metendo occupatos subito adorti paucis in-
terfectis reliquos incertis ordinibus perturbauerant, simul equitatu
atque essedis circumdederant. Genus hoc est ex essedis pugnae. **33**
Primo per omnes partes perequitant et tela coniciunt atque ipso

1 ac] aut *A B C D E*, et *b c f*. ad Caesar *B*. 2 ex *om*. *D*. 5 conparabat *B*. 6 grauissume *B*. adflictae *A B C D*. 8 ex] in *b*. (conportari *B*) comparari *b d e f*. cum summo *A B C D E f* '*mss*. 12', cum id summo *u*. 9 duodecim (*B*). 10 possit, efficit *b*. 11 una *om*. *b*. apellabatur *f*, appellatur *b*. 13 in castris *E*. ii *A D E*, i *B*; hi *f*. qui por portis *m. pr. B*. 14 nuntiauerunt *B C D E* '*plerique*', renuntiauerunt ($A\pi$)? *f u* (— ciauerunt (*B*)). 16 inter fecisset *ante corr. B*. 17 aliquidque *D*. nouum *b*. 18 ex reliquis duas *A B E*, duas ex reliquis *C? c f u*: '*mss. omnes* duas ex reliquis *uel* ex reliquis duas'. 19 cohortes *A B C D E*, *om*. *b c f*. se subsequi *f*. 21 conserta *b*. 22 animum aduertit *f*. 23 una pars *f*. 26 perturbauerunt *E b f*. 27 atque] ex *add*. *b*. circumdederunt *b*, circumdauerant *A*. 28 equitant *b*.

terrore equorum et strepitu rotarum ordines plerumque pertur-
bant, et cum se inter equitum turmas insinuauerunt, ex essedis
2 desiliunt et pedibus proeliantur. Aurigae interim paulatim ex
proelio excedunt atque ita currus conlocant, ut, si illi a multitu-
dine hostium premantur, expeditum ad suos receptum habeant.
3 Ita mobilitatem equitum, stabilitatem peditum in proeliis praestant,
ac tantum usu cotidiano et exercitatione efficiunt, uti in decliui
ac praecipiti loco incitatos equos sustinere et breui moderari ac
flectere et per temonem percurrere et in iugo insistere et se inde
34 in currus citissime recipere consuerint. Quibus rebus perturbatis
nostris nouitate pugnae tempore opportunissimo Caesar auxilium
tulit: namque eius aduentu hostes constiterunt, nostri se ex timo-
2 re receperunt. Quo facto ad lacessendum et ad committendum
proelium alienum esse tempus arbitratus suo se loco continuit et
3 breui tempore intermisso in castra legiones reduxit. Dum haec
geruntur, nostris omnibus occupatis qui erant in agris reliqui dis-
4 cesserunt. Secutae sunt continuos conplures dies tempestates,
quae et nostros in castris continerent et hostem a pugna prohibe-
5 rent. Interim barbari nuntios in omnes partes dimiserunt pauci-
tatemque nostrorum militum suis praedicauerunt et, quanta prae-
dae faciendae atque in perpetuum sui liberandi facultas daretur, si
Romanos castris expulissent, demonstrauerunt. His rebus celeri-
ter magna multitudine peditatus equitatusque coacta ad castra ue-
35 nerunt. Caesar, etsi idem, quod superioribus diebus acciderat,
fore uidebat, ut, si essent hostes pulsi, celeritate periculum effu-
gerent, tamen nactus equites circiter XXX, quos Commius Atre-
bas, de quo ante dictum est, secum transportauerat, legiones in
2 acie pro castris constituit. Commisso proelio diutius nostrorum
militum impetum hostes ferre non potuerunt ac terga uerterunt.

2 insinuauerunt *A D f*, insinuauerint (*B*) *C E e et sec. m. f.* ex] et ex *e f.* 3 pedites *b e f.* paulatim *A B C D E 'omnes'*; paulum *a e*, paululum *f.* 4 cursus *b c*, se *a e f.* conlocant *A B C D f.* 7 uti *A B C D E*, ut *f.* 9 se inde *A B C D E*, inde se *f u.* 10 tetissime *m. pr. B.* 11 opportunissime *m. pr. B.* 12 se *om. c*, *post* timore *ponit Aldus et int. uers. f.* 13 ad lacessendum *A* (*B*) *C E b*, ad lacessendum hostem *e f.* et committendum *e f.* 15 legiones conduxit *C.* 16 inter agros *D.* discerunt *m. pr. B.* 17 dies complures *f* (conplures *A B C*). 18 hostes *b.* 22 demonstrauerant *C D.* rebus] diebus *b d f.* 23 multitudo *A.* 25 ut si *e f*, et si *A B C D E.* 26 triginta (*B*).

Quos tanto spatio secuti, quantum cursu et uiribus efficere potue- 3
runt, conplures ex iis occiderunt, deinde omnibus longe lateque
aedificiis incensis se in castra receperunt. Eodem die legati ab 36
hostibus missi ad Caesarem de pace uenerunt. His Caesar nume- 2
rum obsidum, quem ante imperauerat, duplicauit eosque in conti-
nentem adduci iussit, quod propinqua die aequinoctii infirmis na-
uibus hiemi nauigationem subiciendam non existimabat. Ipse ido- 3
neam tempestatem nanctus paulo post mediam noctem naues sol-
uit; quae omnes incolumes ad continentem peruenerunt, sed ex 4
iis onerariae duae eosdem, quos reliqui, portus capere non potue-
runt et paulo infra delatae sunt. Quibus ex nauibus cum essent 37
expositi milites circiter trecenti atque in castra contenderent, Mo-
rini, quos Caesar in Britanniam proficiscens pacatos reliquerat,
spe praedae adducti primo non ita magno suorum numero circum-
steterunt ac, si sese interfici nollent, arma ponere iusserunt. Cum 2
illi orbe facto sese defenderent, celeriter ad clamorem hominum
circiter milia sex conuenerunt. Qua re nuntiata Caesar omnem
ex castris equitatum suis auxilio misit. Interim nostri milites in- 3
petum hostium sustinuerunt atque amplius horis quattuor fortis-
sime pugnauerunt et paucis uulneribus acceptis conplures ex his
occiderunt. Postea uero quam equitatus noster in conspectum ue- 4
nit, hostes abiectis armis terga uerterunt magnusque eorum nu-
merus est occisus. Caesar postero die Titum Labienum legatum 38
cum iis legionibus, quas ex Britannia reduxerat, in Morinos, qui
rebellionem fecerant, misit. Qui cum propter siccitates paludum, 2

1 quanto cursu *e f*. 2 conplures *B*. iis *A* (*B*) *C D E*, his *f*. lateque afflictis incensisque se *cum solis And. Oxon. u*. 5 ante *A B C D E*, antea *f u*. 7 hiemi *A B D a b c d e f*, hiemis *C E et sec. m. B*. subiciendam *A E f et, de quibus*, subic. *an* subiic. *habeant, non constat, b c d e*; subicienda *B*, subitienda *C*. 8 nanctus *Ao*, nantus *Aπ*; nactus *u*. 9 in continentem *b*. sed *om. e f*. 10 iis *A B C D E*, his *f u*. eosdem] duos *add. A*. quos reliqui, portus *A B C D E*; portus, quos reliquae *e* (*hic* relique) *f*. 11 quum (*B*)? 12 trecenti *A* (*B*) *C D E*, ccc *suprasc.* ti *f*. 13 Britaniam *B*. pacato, *sed* s *ab ead. m. supra ascripta*, *B*. 16 sese deferent *m. pr. B*. 17 sex *A* (*B*) *E*, VI (*f*). 18 auxilium *A*. inpetum *B*. 19 quattuor *A B*, quatuor *E*; IIII *suprasc.* or *f*. 20 conplures *B*. his *A f et sec. m. B*, is *B*, hiis *E*; iis *u*. 21 in conspectu *A*. 23 Titum *B*, T. *u*. 24 iis (*B*) *E*, is *C*, his *A*; *om. b f*. Britania *B*. 25 siccitatem *b f*. paludis *f*.

quo se reciperent, non haberent, quo superiore anno perfugio fue-
3 rant usi, omnes fere in potestatem Labieni peruenerunt. At Q. Titurius et L. Cotta legati, qui in Menapiorum fines legiones duxerant, omnibus eorum agris uastatis, frumentis succisis, aedificiis incensis, quod Menapii se omnes in densissimas siluas abdiderant,
4 se ad Caesarem receperunt. Caesar in Belgis omnium legionum hiberna constituit. Eo duae omnino ciuitates ex Britannia obsides
5 miserunt, reliquae neglexerunt. His rebus gestis ex litteris Caesaris dierum uiginti supplicatio a senatu decreta est.

C. IVLII CAESARIS

DE BELLO GALLICO

COMMENTARIVS QVINTVS.

L. Domitio, Ap. Claudio consulibus discedens ab hibernis Caesar in Italiam, ut quotannis facere consuerat, legatis imperat, quos legionibus praefecerat, uti, quam plurimas possent, hieme
2 naues aedificandas ueteresque reficiendas curarent. Earum modum

1 habebant *b*. quo superiore anno perfugio fuerant usi *Weissenbornius;* quo superiore anno perfuerant usi *A B et quattuor litteris post* quo *erasis et* d *super* ue *posita rursusque deleta C,* quo superiore anno fuerant usi *D E;* quo perfugio superiore anno erant usi *a b d e f. P.* 77. 2 omnes fere *om. b c d f;* fere *om. m. pr. C.* uenerunt *b c d f.* at quem Titurius *B.* 3 Lucius *B.* 4 aedificiisque incensis *b c e f.* 6 ad Caesarem se *f.* 7 Britania *B.* 8 reliqui *b.* Iulius Celsus Constantinus u. c. legi belli Gallici liber IIII explicit *B.*

Incipit liber v lege feliciter in Domino *B.* 1 Lucio *u, om. B 'plerique'.* Ap., *suprasc. sec. m.* io, *B.* 2 consuerat, *non* consueuerat, (*B*)*e 'mei quindecim';* instituerat, *ascripto pro uar. lect.* consueuerat, *c.* 4 modum] rerum *C.*

formamque demonstrat. Ad celeritatem onerandi subductiones-
que paulo facit humiliores, quam quibus in nostro mari uti con-
sueuimus, atque id eo magis, quod propter crebras commutationes
aestuum minus magnos ibi fluctus fieri cognouerat, ad onera, ad
multitudinem iumentorum transportandam paulo latiores, quam
quibus in reliquis utimur maribus. Has omnes actuarias imperat 3
fieri, quam ad rem multum humilitas adiuuat. Ea, quae sunt usui 4
ad armandas naues, ex Hispania adportari iubet. Ipse conuentibus 5
Galliae citerioris peractis in Illyricum proficiscitur, quod a Pirustis
finitumam partem prouinciae incursionibus uastari audiebat. Eo 6
cum uenisset, ciuitatibus milites imperat certumque in locum con-
uenire iubet. Qua re nuntiata Pirustae legatos ad eum mittunt, 7
qui doceant nihil earum rerum publico factum consilio, seseque
paratos esse demonstrant omnibus rationibus de iniuriis satisfa-
cere. Percepta oratione eorum Caesar obsides imperat eosque ad 8
certam diem adduci iubet; nisi ita fecerint, sese bello ciuitatem
persecuturum demonstrat. Iis ad diem adductis, ut imperauerat, 9
arbitros inter ciuitates dat, qui litem aestument poenamque con-
stituant. His confectis rebus conuentibusque peractis in citerio- 2
rem Galliam reuertitur atque inde ad exercitum proficiscitur. Eo 2
cum uenisset, circuitis omnibus hibernis singulari militum studio
in summa omnium rerum inopia circiter sexcentas eius generis,
cuius supra demonstrauimus, naues et longas XXVIII inuenit in-
structas neque multum abesse ab eo, quin paucis diebus deduci
possint. Conlaudatis militibus atque iis, qui negotio praefuerant, 3
quid fieri uelit, ostendit atque omnes ad portum Itium conuenire

1 demonstrant *c*, demonstrauit *b*. 4 ad onera, ad multitudinem *B;* ad onera et ad multitudinem *u, sed 'mss. carent* et, *alii* ad, *in b* ac'. 5 paulo altiores *b e* (paulo latiores *etiam Priscian. p.* 770 *P.*). quam quibus in reliquis utimur maribus *Priscian.* (*B*) *'mss. mei quindecim'*, quam quibus in reliquis maribus uti adsueuerant *b c d e*. 7 adiuuabat *b*. 8 adportari *B*. 9 a piratis *d et pro uar. lect. c*. 10 finitumam *A D*. eo conuenisset *m. pr. B*. 12 ad eum legatos *b*. 13 nihil eorum publico *D*. facto *b*. seque *b*. 14 rationibus *om. e*. 15 percepta *A B C D*, accepta *b c d e. Vid. VI*, 8, 7. ratione eorum *b c e*. 17 iis *B Aldus*, his *edd. ante Ald. Steph. u*. 18 ciuitatem *A*. aestument *A B D*. 19 iis conf. *B*. conuentisque *A D*. peractis] paratis *b*. 21 cum peruenisset *b*. circumitis *b*. 22 sescentas *m. pr. B*. 23 cuius] quas *b*. longas duodetriginta *b c*. 24 qui *m. pr. B*. 25 possint *A B C D e 'plerique'*, possent *u* conlaudatis *B*.

iubet, quo ex portu commodissimum in Britanniam traiectum esse
cognouerat, circiter milium passuum XXX [transmissum] a conti-
4 nenti: huic rei quod satis esse uisum est militum reliquit. Ipse
cum legionibus expeditis IIII et equitibus DCCC in fines Treuero-
rum proficiscitur, quod hi neque ad concilia ueniebant neque im-
perio parebant Germanosque Transrhenanos sollicitare dicebantur.
3 Haec ciuitas longe plurimum totius Galliae equitatu ualet magnas-
que habet copias peditum Rhenumque, ut supra demonstrauimus,
2 tangit. In ea ciuitate duo de principatu inter se contendebant,
3 Idutiomarus et Cingetorix; e quibus alter, simulatque de Caesaris
legionumque aduentu cognitum est, ad eum uenit, se suosque
omnes in officio futuros neque ab amicitia populi Romani defectu-
4 ros confirmauit quaeque in Treueris gererentur ostendit. At In-
dutiomarus equitatum peditatumque cogere iisque, qui per aetatem
in armis esse non poterant, in siluam Arduennam abditis, quae
ingenti magnitudine per medios fines Treuerorum a flumine Rhe-
5 no ad initium Remorum pertinet, bellum parare instituit. Sed
posteaquam nonnulli principes ex ea ciuitate et familiaritate Cin-
getorigis adducti et aduentu nostri exercitus perterriti ad Caesa-
rem uenerunt et de suis priuatim rebus ab eo petere coeperunt,
quoniam ciuitati consulere non possent, ueritus, ne ab omnibus
6 desereretur, Indutiomarus legatos ad Caesarem mittit: Sese id-
circo ab suis discedere atque ad eum uenire noluisse, quo facilius
ciuitatem in officio contineret, ne omnis nobilitatis discessu plebs
7 propter inprudentiam laberetur: itaque esse ciuitatem in sua po-
testate, seseque, si Caesar permitteret, ad eum in castra

1 Britaniam *B.* 2 mille passus *e.* triginta (*B*). transmissum *delendum uidit Faërnus* (tramissum *e*). 3 huic regi *ante corr. B.* reliquit *A C b e,* relinquit *B.* 4 IV (*B*). Treuerorum *B 'mss. plerique'.* 10 Induciomarus *B e 'mss. plurimi et uetustiores' u; atque ita legitur apud Cic. p. Font.* 8, 17. 12, 26. 17, 36 *et, de cuius codd. non satis constat, Flor. III,* 10, 7. *At Caesaris codd. sibi non constare B demonstrat, et* Indutiomarum *tuetur Cass. Dio XL,* 11. 31 *et Oros. VI,* 10. e quibus *A B C D,* ex quibus *u.* 13 Treueris *B.* Indutiomarus (*B*), Induciomarus *u.* 15 Arduemnam *A D.* 16 Treuerorum *B.* 18 familiaritate] auctoritate *b c d e.* Cingetoriis *m. pr. B.* 20 priuatis *b d e.* ab eo] habeo *B,* ad eum *b.* 21 possent *b d,* posset *B e 'ceteri omnes'.* ueritus, ne ab omnibus desereretur, Indutiomarus *B et reliqui praeter b d, qui* Indutiomarus *ante* ueritus *ponunt* (Indutiomarus *hic diserto testim. B,* Induciomarus *u*). 25 inprudentiam *B.* 26 seseque *B,* 'sese *uel* seseque *mss. nonnulli*'; seque *u.*

uenturum, suas ciuitatisque fortunas eius fidei permissurum. Caesar, 4
etsi intellegebat, qua de causa ea dicerentur, quaeque eum res ab
instituto consilio deterreret, tamen, ne aestatem in Treueris con-
sumere cogeretur omnibus ad Britannicum bellum rebus conpara-
tis, Indutiomarum ad se cum CC obsidibus uenire iussit. His ad- 2
ductis, in iis filio propinquisque eius omnibus, quos nominatim
euocauerat, consolatus Indutiomarum hortatusque est, uti in offi-
cio maneret; nihilo tamen secius principibus Treuerorum ad se 3
conuocatis hos singillatim Cingetorigi conciliauit, quod cum merito
eius a se fieri intellegebat, tum magni interesse arbitrabatur eius
auctoritatem inter suos quam plurimum ualere, cuius tam egregiam
in se uoluntatem perspexisset. Id tulit factum grauiter Indutioma- 4
rus, suam gratiam inter suos minui, et, qui iam ante inimico in
nos animo fuisset, multo grauius hoc dolore exarsit.

His rebus constitutis Caesar ad portum Itium cum legionibus 5
peruenit. Ibi cognoscit LX naues, quae in Meldis factae erant, 2
tempestate reiectas cursum tenere non potuisse atque eodem, un-
de erant profectae, reuertisse; reliquas paratas ad nauigandum
atque omnibus rebus instructas inuenit. Eodem equitatus totius 3
Galliae conuenit numero milium quattuor principesque ex omnibus
ciuitatibus; ex quibus perpaucos, quorum in se fidem perspexerat, 4
relinquere in Gallia, reliquos obsidum loco secum ducere decre-
uerat, quod, cum ipse abesset, motum Galliae uerebatur. Erat 6
una cum ceteris Dumnorix Haeduus, de quo ante ab nobis dictum
est. Hunc secum habere in primis constituerat, quod eum cupi-
dum rerum nouarum, cupidum imperii, magni animi, magnae inter

1 uenturum, suas *B 'mss. longe plurimi'*; uenturum et suas *u.* fide *b.* 2 qua de causa haec dicebantur *b.* quaeue eum *b*, quaecumque eum *B C D.* 3 Treueris *B.* 4 Britanicum *B* conparatis *B.* 5 Induciomarum *B u.* ducentis (*B*). iis adductis *m. pr. B.* 6 in his *e.* filiis *a b c d e.* 7 Indutiomarum (*B*), Induciomarum *u.* est *om. b.* 8 maneret *A B C e 'aliique 4'*, permaneret *u.* Treuerorum *B.* 9 uocatis *b.* 10 a se *B et reliqui*, ab se *b c u.* tum] tamen *b.* 11 quam plurimum] multum *C.* tam *om. d.* 12 id tulit factum grauiter *B 'mss. aliorum et mei 11'*, id factum grauiter tulit *e u.* Indutiomarus (*B*), Induciomarus *u.* 16 sexaginta *D.* 19 equitatus totius Galliae *B edd. reliquae*, totius Galliae equitatus *Stephanus et sine annotatione u.* 20 peruenit *D.* quattuor *B*, *non* quatuor. omnibus ex *cum uno pessimo u.* 21 paucos *A.* 24 ante ab nobis *A B 'plerique' et*, *de quibus*, ab *an* a *habeant*, *non constat*, *C D*; ab nobis antea *u.* 25 habere *A B b c et in marg. d*; habire *sec. m. B*, abire *C D c d.*

2 Gallos auctoritatis cognouerat. Accedebat huc, quod in concilio
Haeduorum Dumnorix dixerat sibi a Caesare regnum ciuitatis de-
ferri; quod dictum Haedui grauiter ferebant neque recusandi aut
deprecandi causa legatos ad Caesarem mittere audebant. Id factum
3 ex suis hospitibus Caesar cognouerat. Ille omnibus primo preci-
bus petere contendit, ut in Gallia relinqueretur, partim, quod in-
suetus nauigandi mare timeret, partim, quod religionibus impediri
4 sese diceret. Posteaquam id obstinate sibi negari uidit, omni spe
inpetrandi adempta principes Galliae sollicitare, seuocare singulos
5 hortarique coepit, uti in continenti remanerent; metu territare:
non sine causa fieri, ut Gallia omni nobilitate spoliaretur, id esse
consilium Caesaris, ut, quos in conspectu Galliae interficere ue-
6 reretur, hos omnes in Britanniam traductos necaret; fidem reli-
quis interponere, iusiurandum poscere, ut, quod esse ex usu Gal-
liae intellexissent, communi consilio administrarent. Haec a com-
7 pluribus ad Caesarem deferebantur. Qua re cognita Caesar, quod
tantum ciuitati Haeduae dignitatis tribuebat, coërcendum atque
deterrendum, quibuscumque rebus posset, Dumnorigem statuebat;
2 quod longius eius amentiam progredi uidebat, prospiciendum, ne
3 quid sibi ac reipublicae nocere posset. Itaque dies circiter XXV
in eo loco commoratus, quod Corus uentus nauigationem impe-
diebat, qui magnam partem omnis temporis in his locis flare con-
sueuit, dabat operam, ut in officio Dumnorigem contineret, nihilo
4 tamen secius omnia eius consilia cognosceret: tandem idoneam
nactus tempestatem milites equitesque conscendere in naues iubet.
5 At omnium inpeditis animis Dumnorix cum equitibus Haeduorum
6 a castris insciente Caesare domum discedere coepit. Qua re nun-
tiata Caesar intermissa profectione atque omnibus rebus postposi-
tis magnam partem equitatus ad eum insequendum mittit retrahi-

1 quod in *B et ceteri*, quod iam in *b e*. 3 graue *m. pr. C*. 5 ex suis hostibus *A*. 6 relinqueretur] remitteretur *b et pro uar. lect. c*. 7 quod legionibus *b*. impediri sese diceret *A B D 'mss. plerique'*, sese diceret impediri *u*. 9 inpetrandi *B*. ademta (*B*). 12 in conspectum *c*. 14 ut, quid esset *b*. exsu Galliae *m. pr. B*. 17 tribuebat *B et reliqui*, tribuerat *b c e*. 18 quibuscumque, *non* — cunque, (*B*). 19 perspiciendum *A B C D 'mss. quidam'*. 20 noceri *c*. dies *om. B C;* circiter xxv diebus *D*. 21 Chorus *B 'mss. plerique'*. 22 in is *B*. locis *a e*, *om. A B C*. 25 in naues *A* (*B*) *C b c*, naues *e*. 26 omnibus *A*. inpeditis *B*. 27 nesciente *D*. 29 misit *b c e*.

que imperat; si uim faciat neque pareat, interfici iubet nihil hunc 7
se absente pro sano facturum arbitratus, qui praesentis imperium
neglexisset. Ille enim reuocatus resistere ac se manu defendere suo- 8
rumque fidem implorare coepit saepe clamitans liberum se liberaeque
esse ciuitatis. Illi, ut erat imperatum, circumsistunt hominem atque 9
interficiunt: at equites Haedui ad Caesarem omnes reuertuntur.

His rebus gestis Labieno in continente cum tribus legio- 8
nibus et equitum milibus duobus relicto, ut portus tueretur et rem
frumentariam prouideret quaeque in Gallia gererentur cogno-
sceret consiliumque pro tempore et pro re caperet, ipse cum quin- 2
que legionibus et pari numero equitum, quem in continenti reli-
querat, ad solis occasum naues soluit et leni Africo prouectus me-
dia circiter nocte uento intermisso cursum non tenuit et longius
delatus aestu orta luce sub sinistra Britanniam relictam conspexit.
Tum rursus aestus commutationem secutus remis contendit, ut 3
eam partem insulae caperet, qua optimum esse egressum superiore
aestate cognouerat. Qua in re admodum fuit militum uirtus lau- 4
danda, qui uectoriis grauibusque nauigiis non intermisso remigandi
labore longarum nauium cursum adaequarunt. Accessum est ad 5
Britanniam omnibus nauibus meridiano fere tempore, neque in eo
loco hostis est uisus; sed, ut postea Caesar ex captiuis cognouit, 6
cum magnae manus eo conuenissent, multitudine nauium perterri-
tae, quae cum annotinis priuatisque, quas sui quisque commodi
fecerat, amplius octingentae uno erant uisae tempore, a litore dis-
cesserant ac se in superiora loca abdiderant. Caesar exposito ex- 9
ercitu et loco castris idoneo capto, ubi ex captiuis cognouit, quo
in loco hostium copiae consedissent, cohortibus decem ad mare
relictis et equitibus trecentis, qui praesidio nauibus essent, de ter-

1 imperauit *b c e*. hunc] eum *b c*. 2 facturum] futurum *b*. 5 esse ciuitatis *A B C D*, ciuitatis esse *u*. 6 equites Haedui *A B C D e*, Aedui equites *u* (Aedui (*B*)). 7 continenti *b c e*. 8 rem frumentariam *D*, re frumentaria *A B C*; rei frumentariae *a e*. 9 quaeque] ne quae *b*. gererentur] fierent *b d*. 11 reliquerat, ad solis occasum *B et ceteri*; relinquebat, solis occasu *a b c d e*. 14 Britaniam *B*. 15 consecutus *b*. 18 remigandi] nauigandi *b*. 20 Britaniam *B*. 21 cognouit *B 'mss. plurimi'*, comperit *u*. 22 magna *A*. multitudo *m. pr. B*. 23 sui quisque commodi *A* (*B*) *C D*, sui commodi quisque causa *e*. 24 dccc (*B*). uno erant uisae tempore *B* (*diserto testim.*) *'mss. mei omnes'*; una erant uisae, timore *a e et pro uar. lect. c*. disceserant *B*. 25 superiore loco *pro uar. lect. A*. 28 ccc (*B*). de *om. d*.

tia uigilia ad hostes contendit eo minus ueritus nauibus, quod in
litore molli atque aperto deligatas ad ancoram relinquebat, et prae-
2 sidio nauibus*que* Quintum Atrium praefecit. Ipse noctu progres-
3 sus milia passuum circiter XII hostium copias conspicatus est. Illi
equitatu atque essedis ad flumen progressi ex loco superiore no-
4 stros prohibere et proelium committere coeperunt. Repulsi ab
equitatu se in siluas abdiderunt locum nancti egregie et natura et
opere munitum, quem domestici belli, ut uidebantur, causa iam
5 ante praeparauerant: nam crebris arboribus succisis omnes introi-
6 tus erant praeclusi. Ipsi ex siluis rari propugnabant nostrosque
7 intra munitiones ingredi prohibebant. At milites legionis septimae
testudine facta et aggere ad munitiones adiecto locum ceperunt
8 eosque ex siluis expulerunt paucis uulneribus acceptis. Sed eos
fugientes longius Caesar prosequi uetuit, et quod loci naturam
ignorabat, et quod magna parte diei consumpta munitioni castro-
10 rum tempus relinqui uolebat. Postridie eius diei mane tripertito
milites equitesque in expeditionem misit, ut eos, qui fugerant, per-
2 sequerentur. His aliquantum itineris progressis, cum iam extremi
essent in prospectu, equites a Quinto Atrio ad Caesarem uenerunt,
qui nuntiarent superiore nocte maxuma coorta tempestate prope
omnes naues adflictas atque in litore eiectas esse, quod neque an-
corae funesque subsisterent, neque nautae gubernatoresque uim
3 tempestatis pati possent: itaque ex eo concursu nauium magnum
11 esse incommodum acceptum. His rebus cognitis Caesar legiones
equitatumque reuocari atque in itinere resistere iubet, ipse ad na-
2 ues reuertitur; eadem fere, quae ex nuntiis litterisque cognouerat,
coram perspicit, sic ut amissis circiter XL nauibus reliquae tamen
3 refici posse magno negotio uiderentur. Itaque ex legionibus fa-
4 bros deligit et ex continenti alios arcessi iubet; Labieno scribit,

2 ancoram *B*, 'anchoram *mss. plurimi et meliores*'; ancoras *e*. 3 nauibus *codd. et edd. P.* 78. Quintum *B*, Q. *u*. 7 nancti *C*, nacti *u*. 8 uidebantur *B* '*mss.* 5', uidebatur *u*. 12 et *om. b c*. monitiones *B*. 16 tripertito *A C*, *non* tripartito. 17 milite *A B C*. 18 iis aliquantum *B*. 19 Quinto *B*, Q. *u*. Atrio] Titurio *b*. 20 maxuma *B*. cohorta *B*. 21 adflictas *B*. in litus *b c d e*. ancorae *B*, *non* anchorae. 22 funesque] neque funes *b*. uim tempestatis pati *B e edd. ante u*, uim pati tempestatis *u*. 24 'equit. reu. et leg. *b*': reuocare *A*. 25 in itinere resistere *B* '*mss. plerique*', itinere desistere *b c d e*. 26 litteris cognouerat *b*. 27 prespicit *B*, praespicit *D*. 29 deligi *e*, delegit *ex b et aliquot dett. u*. arcessi *B e* '*plerique*', arcessiri *b c d*.

ut, quam plurimas posset, iis legionibus, quae sunt apud eum, na-
ues instituat. Ipse, etsi res erat multae operae ac laboris, tamen 5
commodissimum esse statuit omnes naues subduci et cum castris
una munitione coniungi. In his rebus circiter dies X consumit ne 6
nocturnis quidem temporibus ad laborem militum intermissis. Sub- 7
ductis nauibus castrisque egregie munitis easdem copias, quas an-
te, praesidio nauibus reliquit, ipse eodem, unde redierat, profici-
scitur. Eo cum uenisset, maiores iam undique in eum locum co- 8
piae Britannorum conuenerant summa imperii bellique admini-
strandi communi consilio permissa Cassiuellauno; cuius fines a
maritimis ciuitatibus flumen diuidit, quod appellatur Tamesis, a
mari circiter milia passuum LXXX. Huic superiore tempore cum 9
reliquis ciuitatibus continentia bella intercesserant; sed nostro ad-
uentu permoti Britanni hunc toti bello imperioque praefecerant.

Britanniae pars interior ab iis incolitur, quos natos in insula 12
ipsi memoria proditum dicunt, marituma pars ab iis, qui praedae 2
ac belli inferendi causa ex Belgio transierunt (qui omnes fere iis
nominibus ciuitatum appellantur, quibus orti ex ciuitatibus eo per-
uenerunt) et bello inlato ibi permanserunt atque agros colere coe-
perunt. Hominum est infinita multitudo creberrimaque aedificia 3
fere Gallicis consimilia, pecorum magnus numerus. Vtuntur aut 4
aere [aut nummo aereo] aut taleis ferreis ad certum pondus exa-
minatis pro nummo. Nascitur ibi plumbum album in mediterra- 5
neis regionibus, in maritumis ferrum, sed eius exigua est copia;
aere utuntur importato. Materia cuiusque generis ut in Gallia est
praeter fagum atque abietem. Leporem et gallinam et anserem 6
gustare fas non putant; haec tamen alunt animi uoluptatisque causa.

1 quam] quas *b*. possit *c e*. *Addend. ad p.* 85. 4 subiungi *A*. rebus *om. C*. decem (*B*). 6 quas ante, praesidio nauibus] quae ante praesidio nauibus fuerant *b c d e*. 7 relinquit *c e*. redierat] uenerat *b*. 9 Britanorum *B*. 10 'Casibellano *uel* Casiuellano *mss. quidam*': Cassouellauno *Langobardicus Orosii VI*, 9. 11 diuit *m. pr. B*. 14 praefecerunt *D*. 15 interior *om. A*, inferior *a b c*. 16 ipsi *B e 'ceteri'*, ipsa *b c d*. *P*. 78. marituma *A*, mari tum *B C*; maritimi *D*. 17 Belgis *cum paucis dett. u. P*. 79. transieruut '*mss. qdd.*', transierant *B u*. 19 inlato *B*. *P*. 79 *extr*. permanserunt *B 'ceteri'*, remanseruut *b c d e*. 21 pecorum (*B*) '*cuncti*', pecoris *e*. magnus] ingens *b c d et*, *qui post* numerus *ponit*, *e*. 22 'aut nummo aereo *uel* aureo *multi codd.*': aut nummo aereo *a e*, aut nummo aureo *B*. aut taleis *a b c*, aut aliis *A B C D e*. 23 pro nummo *om. e*. 24 maritumis *A*. eius *om. b*.

Loca sunt temperatiora quam in Gallia remissioribus frigoribus.
13 Insula natura triquetra, cuius unum latus est contra Galliam. Hu-
ius lateris alter angulus, qui est ad Cantium, quo fere omnes ex
Gallia naues appelluntur, ad orientem solem, inferior ad meridiem
2 spectat. Hoc pertinet circiter milia passuum quingenta. Alterum
uergit ad Hispaniam atque occidentem solem; qua ex parte est
Hibernia, dimidio minor, ut aestimatur, quam Britannia, sed pari
3 spatio transmissus atque ex Gallia est in Britanniam. In hoc me-
dio cursu est insula, quae appellatur Mona: conplures praeterea
minores subiectae insulae existimantur; de quibus insulis nonnulli
4 scripserunt dies continuos triginta sub bruma esse noctem. Nos
nihil de eo percontationibus reperiebamus, nisi certis ex aqua men-
5 suris breuiores esse quam in continenti noctes uidebamus. Huius
est longitudo lateris, ut fert illorum opinio, septingentorum mili-
6 um. Tertium est contra septentriones; cui parti nulla est obiecta
terra, sed eius angulus lateris maxime ad Germaniam spectat.
Hoc milia passuum octingenta in longitudinem esse existimatur.
7 Ita omnis insula est in circuitu uicies centum milium passuum.
14 Ex his omnibus longe sunt humanissimi, qui Cantium incolunt,
quae regio est marituma omnis, neque multum a Gallica differunt
2 consuetudine. Interiores plerique frumenta non serunt, sed lacte
et carne uiuunt pellibusque sunt uestiti. Omnes uero se Britanni
uitro inficiunt, quod caeruleum efficit colorem, atque hoc horridiores

1 remissior et frigoribus *e*, rem. etiam frig. *b*. 2 insulae *D*. triquatra *e*, triquadra *a b c*; utrique *B*: '*mss. plerique* utrique, utriusque, utrisque, utique'. 3 omnes Galliae naues *b*. 5 expectat *B C D*. hoc pertinet *A B C D*. hoc latus tenet *b c d e*. D (*B*). 7 Hibernia] insula *add. b c d e*. aestimatur (*B*) '*mss. nouem, in quibus b*'; existimatur *e*. Britania *B*. 8 transmissus] transitus *b*. Britaniam *B*. 9 cursu *om. b*. conplures *B*. 10 subiectae *B et reliqui*, obiectae *b c d e*. insulis *om. m. pr. C*. 11 xxx (*B*). 12 percontationibus, *non* percunct., *B, et* 'percunctationibus *siue potius* percontationibus *mss. omnes*'. repperiebamus *B*. 13 uidebamus *om. e*. 14 ut eorum fert opinio *b c e*. DCC (*B*). 16 expectat *B C D*. 17 hoc *B* '*mei sedecim*', huic *b c d e*. DCCC (*B*). in latitudinem *D*. existimatur] arbitrantur *b c e*. 18 centum milium (*B*) *atque ita* '*uel* c milium' *A C D b*, c mill. *e*. 19 ex iis *B*. 20 marituma *A B*. a Gallica *b c e*, Gallica *A B C D*. 21 frumenta conserunt *D*. 22 Britani *B*. 23 uitro *an* nitro *in e legeretur, Elberlingius discernere non potuit*; ultro *B* '*mss. 14*'. horridiores *B* '*ceteri omnes*'; horribiliores *b e*, horribiliore *c*; horridiore *u*.

sunt in pugna aspectu; capilloque sunt promisso atque omni 3
parte corporis rasa praeter caput et labrum superius. Vxores ha- 4
bent deni duodenique inter se communes et maxime fratres cum
fratribus parentesque cum liberis; sed qui sunt ex his nati, eorum 5
habentur liberi, quo primum uirgo quaeque deducta est.

Equites hostium essedariique acriter proelio cum equitatu 15
nostro in itinere conflixerunt, tamen ut nostri omnibus partibus
superiores fuerint atque eos in siluas collesque conpulerint; sed 2
conpluribus interfectis cupidius insecuti nonnullos ex suis amise-
runt. At illi intermisso spatio inprudentibus nostris atque occu- 3
patis in munitione castrorum subito se ex siluis eiecerunt inpetu-
que in eos facto, qui erant in statione pro castris collocati, acriter
pugnauerunt duabusque missis subsidio cohortibus a Caesare atque 4
his primis legionum duarum, cum hae perexiguo intermisso [loci]
spatio inter se constitissent, nouo genere pugnae perterritis no-
stris per medios audacissime perruperunt seque inde incolumes re-
ceperunt. Eo die Quintus Laberius Durus, tribunus militum, in- 5
terficitur. Illi pluribus submissis cohortibus repelluntur. Toto **16**
hoc in genere pugnae, cum sub oculis omnium ac pro castris di-
micaretur, intellectum est nostros propter grauitatem armorum,
quod neque insequi cedentes possent neque ab signis discedere au-
derent, minus aptos esse ad huius generis hostem, equites autem 2
magno cum periculo proelio dimicare, propterea quod illi etiam
consulto plerumque cederent et, cum paulum ab legionibus nostros
remouissent, ex essedis desilirent et pedibus dispari proelio con-
tenderent. Equestris autem proelii ratio et cedentibus et insequen- 3

1 adspectu capillorum sunt promiscuo *b* (aspectu (*B*), *non* adspectu). atque] et *b c*. 3 deni duas denique *D*. 4 parentes cum *D*. sed qui *A b c e*, sed si qui (*B*) *u*. ex iis *B*. 5 quo *A* (*B*) *C D*, quibus *b e*. primo *e*. uirgines quaeque ductae sunt *c e et*, *qui* deductae, *b*. 6 essedarii acriter *b*. proelium *C*. 7 nostro] non *m. pr. B* tamen *A* (*B*) *C D*, ita tamen *b c e*. ut nostri] utrum *B C D*. 8 eos] omnes *B C D*. conpulerint *B*. 9 conpluribus *B*. 10 inprudentibus *B*. 11 munitiones *D*. inpetuque *B*. 12 in nostros facto *D*. 13 atque iis *B*. 14 'cum haec *uel* hec *A b*'. [loci] *P*. 80. 15 pertemptis nostris *A B C*, pertemptatis nostris *sec. m. A*. 16 perruperunt (*B*) *e* '*ceteri*', proruperunt *b u*. 17 Quintus *B*, Q. *u*. Laberius] Labienus *b d e Orosius*. *P*. 44 *extr*. 18 immissis *b c d e*. 19 dimicarentur *A*. 20 armorum] armaturae *b c d e*. 23 proelio *A B C D*, *om*. *a b c d e*. 24 ab *om*. *b c*. 25 desilerent *B*.

4 tibus par atque idem periculum inferebat. Accedebat huc, ut num-
quam conferti, sed rari magnisque interuallis proeliarentur statio-
nesque dispositas haberent, atque alios alii deinceps exciperent,
17 integrique et recentes defetigatis succederent. Postero die procul
a castris hostes in collibus constiterunt rarique se ostendere et le-
2 nius quam pridie nostros equites proelio lacessere coeperunt. Sed
meridie, cum Caesar pabulandi causa tres legiones atque omnem
equitatum cum Gaio Trebonio legato misisset, repente ex omnibus
partibus ad pabulatores aduolauerunt, sic uti ab signis legionibus-
3 que non absisterent. Nostri acriter in eos impetu facto repulerunt
neque finem sequendi fecerunt, quoad subsidio confisi equites, cum
4 post se legiones uiderent, praecipites hostes egerunt magnoque
eorum numero interfecto neque sui colligendi neque consistendi
5 aut ex essedis desiliendi facultatem dederunt. Ex hac fuga proti-
nus, quae undique conuenerant, auxilia discesserunt, neque post
id tempus umquam summis nobiscum copiis hostes contenderunt.
18 Caesar cognito consilio eorum ad flumen Tamesim in fines Cas-
siuellauni exercitum duxit; quod flumen uno omnino loco pe-
2 dibus, atque hoc aegre, transiri potest. Eo cum uenisset, animum
aduertit ad alteram fluminis ripam magnas esse copias hostium in-
3 structas. Ripa autem erat acutis sudibus praefixis munita, eius-
4 demque generis sub aqua defixae sudes flumine tegebantur. His
rebus cognitis a captiuis perfugisque Caesar praemisso equitatu
5 confestim legiones subsequi iussit. Sed ea celeritate atque eo im-
petu milites ierunt, cum capite solo ex aqua extarent, ut hostes
impetum legionum atque equitum sustinere non possent ripasque
19 dimitterent ac se fugae mandarent. Cassiuellaunus, ut supra de-
monstrauimus, omni deposita spe contentionis dimissis amplioribus
copiis milibus circiter quattuor essedariorum relictis itinera nostra

1 nunquam (*B*). 2 conserti *b*. 3 alii *om. b e*. 4 defetigatis *A* (*is cum puncto sub* fe *et* a *suprasc.*) *B et, qui* pro *praemittit, D*. 5 lenius *A B C D*; lentius *e*, latius *b*. 6 lacescere *B*. 8 Gaio *B*, C. *u*; Q. *b c*. 9 partibus *e*, *om. B 'mss. 13'*. 10 reppulerunt *B*. 11 quoad *d*, quod *A e*; quo *reliqui*. 12 post se (*B*)? *b c d e*; post, *omisso* se, *'mss. 15'*. magno eorum *b*. 14 *prius* ex *om. b*. ex ac *B*. 15 undique *om. b*. 16 umquam *B*. 17 Tamesim *B*, 'Thamesim *mss. plerique*' *Orosius* (*sed in eius codd. praeter alia* Tamensim *legitur*); Tamesin *u*. Casiuellauni *B*. 21 praefixisque *A b c e*. 22 iis rebus *B*. 24 atque eo impetu *A B C D a*, atque impetu *e*. 25 extarent *B*. 27 Casuuellaunus *B*. 29 quatuor (*B*). relictis] retentis (*c*).

seruabat paulumque ex uia excedebat locisque impeditis ac silue-
stribus sese occultabat atque iis regionibus, quibus nos iter factu-
ros cognouerat, pecora atque homines ex agris in siluas compelle-
bat et, cum equitatus noster liberius praedandi uastandique causa 2
se in agros eiecerat, omnibus uiis semitisque essedarios ex siluis
emittebat et magno cum periculo nostrorum equitum cum iis con-
fligebat atque hoc metu latius uagari prohibebat. Relinquebatur, 3
ut neque longius ab agmine legionum discedi Caesar pateretur, et
tantum in agris uastandis incendiisque faciendis hostibus nocere-
tur, quantum labore atque itinere legionarii milites efficere pote-
rant. Interim Trinobantes, prope firmissima earum regionum ci- **20**
uitas, ex qua Mandubracius adulescens Caesaris fidem secutus ad
eum in continentem Galliam uenerat, cuius pater in ea ciuitate
regnum obtinuerat interfectusque erat a Cassiuellauno, ipse fuga
mortem uitauerat, legatos ad Caesarem mittunt pollicenturque se- 2
se ei dedituros atque imperata facturos; petunt, ut Mandubracium 3
ab iniuria Cassiuellauni defendat atque in ciuitatem mittat, qui
praesit imperiumque optineat. His Caesar imperat obsides qua- 4
draginta frumentumque exercitui Mandubraciumque ad eos mittit.
Illi imperata celeriter fecerunt, obsides ad numerum frumentumque
miserunt. Trinobantibus defensis adque ab omni militum iniuria **21**
prohibitis Iceni, Cangi, Segontiaci, Ancalites, Bibroci, Cassi le-
gationibus missis sese Caesari dedunt. Ab his cognoscit non longe 2
ex eo loco oppidum Cassiuellauni abesse siluis paludibusque muni-
tum, quo satis magnus hominum pecorisque numerus conuenerit.
Oppidum autem Britanni uocant, cum siluas impeditas uallo atque 3
fossa munierunt, quo incursionis hostium uitandae causa conuenire

1 paulumque *B e 'ceteri'*, paululumque *C*. 2 se *b c*. 5 eiecerat *A B C D*, effunderet *b c d e*. uiis] notis *add. e And. Oxon.* 11 Trinouantes *b*. 12 Mandubracius *B 'plerique'*, Mandubratius *ubique u. Orosius VI*, 9, *apud quem editur* Trinobantum firmissima ciuitas cum Androgorio duce, *sed* cum Androgio *est in Langobardico, uidetur* cum Mandubragio *scripsisse, quod ap. Caes. c.* 22 *extr. in B legitur; certe* M *initio adicienda est.* adulescens *B*. 13 pater] Imanuentius *add. edd. et* Imannuetitius *e*. 14 interfectus a Cass. *m. pr. A*. 16 Mandubracium *B*. 18 optineat *B*. iis Caesar *A B D*. xl (*B*). 19 Mandubraciumque *B*. 20 frumentaque *b e*. 21 Trinouantibus *A B C b*. adque *B*, *non* atque. 22 Iceni, Cangi *Lipsius ad Tac. ann. XII*, 32; Cenomagni *et in marg.* Cenomanni *D*, Cenimagni *reliqui codd. et edd.* 23 ab iis *B*. 27 munierint *b c*. incursiones hostium uitandi *b c*, *non e*.

4 consuerunt. Eo proficiscitur cum legionibus: locum reperit egre-
gie natura atque opere munitum; tamen hunc duabus ex partibus
5 oppugnare contendit. Hostes paulisper morati militum nostrorum
impetum non tulerunt seseque alia ex parte oppidi eiecerunt.
6 Magnus ibi numerus pecoris repertus, multique in fuga sunt con-
22 prehensi atque interfecti. Dum haec in his locis geruntur, Cassi-
uellaunus ad Cantium, quod esse ad mare supra demonstrauimus,
quibus regionibus quattuor reges praeerant, Cingetorix, Caruilius,
Taximagulus, Segouax, nuntios mittit atque his imperat, uti co-
actis omnibus copiis castra naualia de improuiso adoriantur atque
2 oppugnent. Ii cum ad castra uenissent, nostri eruptione facta mul-
tis eorum interfectis, capto etiam nobili duce Lugotorige suos in-
3 columes reduxerunt. Cassiuellaunus hoc proelio nuntiato tot de-
trimentis acceptis, uastatis finibus, maxime etiam permotus de-
fectione ciuitatum, legatos per Atrebatem Commium de deditione
4 ad Caesarem mittit. Caesar, cum constituisset hiemare in conti-
nenti propter repentinos Galliae motus, neque multum aestatis su-
peresset, atque id facile extrahi posse intellegeret, obsides imperat
et, quid in annos singulos uectigalis populo Romano Britannia pen-
5 deret, constituit; interdicit atque imperat Cassiuellauno, ne Man-
23 dubracio neu Trinobantibus noceat. Obsidibus acceptis exercitum
2 reducit ad mare, naues inuenit refectas. His deductis, quod et
captiuorum magnum numerum habebat, et nonnullae tempestate
deperierant naues, duobus commeatibus exercitum reportare in-
3 stituit. Ac sic accidit, uti ex tanto nauium numero tot nauigatio-
nibus neque hoc neque superiore anno ulla omnino nauis, quae
4 milites portaret, desideraretur; at ex iis, quae inanes ex conti-
nenti ad eum remitterentur et prioris commeatus expositis militi-
bus et quas postea Labienus faciendas curauerat numero LX, per-

1 repperit *B*. 5 conprehensi *B*. 6 cum haec *B* '*mss.* 11'. in iis *B*. 8 quattuor *B*, *non* quatuor. Cartuilius *b*. 9 Segonax *A B C D b e*, Segonax *u*. atque iis *B*. 12 Lugotorige *A* (*B*) *C D*, Legotorige *a*; Cingetorige *e* '*mss. quidam*'. 15 ciuitatium *c*. 16 constituisset hiemare *B et reliqui*; statuisset hiemem, *adiecto* agere *post* motus, *b c d e*. 19 quid *e*; quod *m. pr. et* quot *sec. B*, 'quod *uel* quot *mss. plerique, sed* quod *uetustiores*'. Britania *B*. 20 Casuuellauno *B*. Mandubragio, *deleta* g *et* c *sec. m. suprasc.*, *B*. 21 Trenouantibus *B*. noceat *B reliqui et sec. m. a*, bellum faciat *a d e*. 22 iis deductis *B*. 23 captiuorum in magnum *A*. 24 deportare *b d e*. constituit *e*. 25 ac si *m. pr. B*. 26 nulla *A b d e*. 27 atque ex iis *b*. 29 Lauienus *A C*.

paucae locum caperent, reliquae fere omnes reicerentur. Quas 5
cum aliquamdiu Caesar frustra expectasset, ne anni tempore a na-
uigatione excluderetur, quod aequinoctium suberat, necessario
angustius milites conlocauit ac summa tranquillitate consecuta, se- 6
cunda inita cum soluisset uigilia, prima luce terram attigit omnes-
que incolumes naues perduxit.

Subductis nauibus concilioque Gallorum Samarobriuae per- 24
acto, quod eo anno frumentum in Gallia propter siccitates angu-
stius prouenerat, coactus est aliter ac superioribus annis exercitum
in hibernis conlocare legionesque in plures ciuitates distribuere.
Ex quibus unam in Morinos ducendam Gaio Fabio legato dedit, 2
alteram in Neruios Quinto Ciceroni, tertiam in Esuuios Lucio
Roscio; quartam in Remis cum Tito Labieno in confinio Treue-
rorum hiemare iussit; tres in Belgis conlocauit: his Marcum Cras- 3
sum quaestorem et Lucium Munatium Plancum et Gaium Trebo-
nium legatos praefecit. Vnam legionem, quam proxime trans Pa- 4
dum conscripserat, et cohortes V in Eburones, quorum pars ma-
xima est inter Mosam ac Rhenum, qui sub imperio Ambiorigis et
Catuuolci erant, misit. His militibus Quintum Titurium Sabinum 5
et Lucium Aurunculeium Cottam legatos praeesse iussit. Ad hunc 6
modum distributis legionibus facillume inopiae frumentariae sese
mederi posse existimauit. Atque harum tamen omnium legionum 7
hiberna praeter eam, quam Lucio Roscio in pacatissimam et quie-
tissimam partem ducendam dederat, milibus passuum centum con-
tinebantur. Ipse interea, quoad legiones conlocatas munitaque 8
hiberna cognouisset, in Gallia morari constituit. Erat in Carnu- 25

1 reicerentur *e*, reficerentur *B* '*mss. fere omnes*'. 2 expectasset *B*. a *om. b e*, et *c*. 4 conlocauit *B*. summam tranquillitatem consecutus *e et 'forsan d'*. 5 inita *om. d e f*. attingit *D*. 7 Samarobriue *corr. B*, Samorobrinae *b*. 8 quo anno *Flodoardus*. in Gallia *om. idem*. 9 ac] a *b*. 10 conlocare *B*. 11 quibus] his *Flodoardus*. Gaio *B*, C. *u*. 12 Quinto *B*, Q. *u*. Esuuios *Whittius*, Essuos *codd. et Flodoardus*. Lucio *B*, L. *u*. 13 Tito *B*, T. *u*. Treberorum *cum* u *super* b *B*, Treuirorum *Flodoardus*. 14 in Belgio *d e. P.* 79. conlocauit *B*. Marcum *B*, M. *u*. 15 quaestorem '*forsan d*'; *om. e*, Quintum *reliqui. P.* 81. et L. (*B*) *u*. Municium *B*: 'Municium, Minutium, Minucium, Munacium *mss*'. Gaium *B*, C. *u*. 19 Catuolci *B* '*mss.* 14', Catiuolci *u*. *Vid. c.* 26, 1. *VI*, 31, 5. Quintum *B*, Q. *u*. 20 Lucium *B*, L. *u*. praeesse] esse *b c*. 21 facillume *A*. 23 Lucio *B*, L. *u*. Ruscio *B*. 24 mililibus *ante corr. B*. 25 (conlocatas *B*) collocasset *b e*. 26 in Galliam *e*. Carno-

tibus summo loco natus Tasgetius, cuius maiores in sua ciuitate
2 regnum obtinuerant. Huic Caesar pro eius uirtute atque in se bene-
uolentia, quod in omnibus bellis singulari eius opera fuerat usus,
3 maiorum locum restituerat. Tertium iam hunc annum regnantem
inimicis multis palam ex ciuitate et iis auctoribus eum interfece-
4 runt. Defertur ea res ad Caesarem. Ille ueritus, quod ad plures
pertinebat, ne ciuitas eorum inpulsu deficeret, Lucium Plancum
cum legione ex Belgio celeriter in Carnutes proficisci iubet ibique
hiemare quorumque opera cognouerat Tasgetium interfectum, hos
5 conprehensos ad se mittere. Interim ab omnibus legatis quaesto-
reque, quibus legiones tradiderat, certior factus est in hiberna per-
26 uentum locumque hibernis esse munitum. Diebus circiter XV,
quibus in hiberna uentum est, initium repentini tumultus ac de-
2 fectionis ortum est ab Ambiorige et Catuuolco; qui, cum ad fines
regni sui Sabino Cottaeque praesto fuissent frumentumque in hi-
berna conportauissent, Indutiomari Treueri nuntiis inpulsi suos
concitauerunt subitoque oppressis lignatoribus magna manu ad ca-
3 stra oppugnatum uenerunt. Cum celeriter nostri arma cepissent
uallumque adscendissent atque una ex parte Hispanis equitibus
emissis equestri proelio superiores fuissent, desperata re hostes
4 suos ab oppugnatione reduxerunt. Tum suo more conclamauerunt,
uti aliqui ex nostris ad conloquium prodiret: habere sese, quae de
re communi dicere uellent, quibus rebus controuersias minui posse
27 sperarent. Mittitur ad eos conloquendi causa Gaius Arpineius,
eques Romanus, familiaris Quinti Titurii, et Quintus Iunius ex

tibus *b c*. 1 Tasgecius *'mss. multi'*. huius maiores *B 'plerique'*. 2 pro sua uirtute *b*. beniuolentia *B e 'mss.'* 5 inimicis iam multis palam *A B C D c*; inimici palam multis *e*, *et* inimici *etiam b*. *P*. 80. et iis *B et*, *de quibus*, iis *an* his *habeant*, *non constat*, *A C D*; *om. b c e*. eum *A B C D*, *om. a b c e*. 7 inpulsu *B*. Lucium *B*, L. *u*. 8 cum religione *A*. Carnotes *b c*. 9 cognouerat *B 'mss. plerique'*, cognouerit *e u*. 10 conprehensos *B*. mittere] uenire *b*. quaestoreque *Ciacconius*, quaestoribusque *codd. P*. 81. 14 Catuuulco *B 'mss. plerique'*, Catiuolco *u*. 16 conportauissent *B*. Indutiomari (*B*), Induciomari *u*. Treueri *B*. inpulsi *B*. 17 ad castra oppugnatum *B et reliqui*; ad castra oppugnanda *a b c e*, castra oppugnatum *u*. 20 missis *b c e*. hostes suos ab oppugnatione *B edd. ante u*, *quae tacite* hostes ab oppugnatione suos. 22 aliquis *a b*, *non B*. conloquium *B*. prodiret *A B C D a b*, prodirent *e u*. 23 posse *om. b*. 24 conloquendi causa *om. e* (conloquendi *B*). Gaius Carpineius *B*, 'C. *uel* G. Carpineius *ceteri*'; Gaius Arpinius *b*, C. Arpinius *e*. 25 quinque ti Titurii, *deleto* que, *B*; Q. Titurii *u*. Quintus *B*, Q. *u*.

Hispania quidam, qui iam ante missu Caesaris ad Ambiorigem
uentitare consuerat; apud quos Ambiorix ad hunc modum locutus
est: Sese pro Caesaris in se beneficiis plurimum ei confiteri de- 2
bere, quod eius opera stipendio liberatus esset, quod Aduatucis,
finitumis suis, pendere consuesset, quodque ei et filius et fratris
filius ab Caesare remissi essent, quos Aduatuci obsidum numero
missos apud se in seruitute et catenis tenuissent; neque id, quod 3
fecerit de oppugnatione castrorum, aut iudicio aut uoluntate sua
fecisse, sed coactu ciuitatis, suaque esse eiusmodi imperia, ut non
minus haberet iuris in se multitudo, quam ipse in multitudinem.
Ciuitati porro hanc fuisse belli causam, quod repentinae Gallorum 4
coniurationi resistere non potuerit. Id se facile ex humilitate sua
probare posse, quod non adeo sit imperitus rerum, ut suis copiis
populum Romanum superari posse confidat. Sed esse Galliae com- 5
mune consilium: omnibus hibernis Caesaris oppugnandis hunc esse
dictum diem, ne qua legio alterae legioni subsidio uenire posset.
Non facile Gallos Gallis negare potuisse, praesertim cum de recu- 6
peranda communi libertate consilium initum uideretur. Quibus 7
quoniam pro pietate satisfecerit, habere nunc se rationem officii
pro beneficiis Caesaris: monere, orare Titurium pro hospitio, ut
suae ac militum saluti consulat. Magnam manum Germanorum 8
conductam Rhenum transisse; hanc adfore biduo. Ipsorum esse 9
consilium, uelintne prius, quam finitumi sentiant, eductos ex hi-
bernis milites aut ad Ciceronem aut ad Labienum deducere, quo-
rum alter milia passuum circiter quinquaginta, alter paulo amplius
ab iis absit. Illud se polliceri et iureiurando confirmare tutum iter 10
per fines daturum. Quod cum faciat, et ciuitati sese consulere, 11

1 missi *A*, iussu *corr. e* (*fuerat* missu, *ut uidetur*). 2 consuerat *B C D*, consuerant *A*; consueuerant *b e*, consueuerat *u*. ad hunc modum (*B*) '*ceteri*', in hunc modum *b c d e*. 3 se *post* in *om. m. pr. B*. 5 finitumis *A B C D*. 7 missi *A*. id] hii *b c*. 8 fecerint *b c e*. de impugnatione *b*. 10 haberent *C*. 13 quod non — posse *om. e*. 14 superari posse *B et reliqui*, se superare posse *b c d*. 16 alterae *A B et*, *qui* altere, *C D*; alteri *a e*. possent *C*. 17 reciperanda *ante corr. e*. 18 initium *ante corr. B*. 19 quoniam proprietate *B* '*mss.* 8'. 20 hospicio *B*. 21 manum] magnum *B*. 23 finitumi *A B D*. 24 milites ad Cic. *b c e*. aut Labienum *b*. 26 ab iis *B*; ab his '*mei mss.*', *idemque codd. Achaintrii agnoscere dicuntur*; *om. e*. tutum iter *A* (*B*) *C D*, tutum se iter *e*. 27 per fines *A B C D*; per suos fines *e*, *et* 'suos *seruant b c*'; per fines suos *u*.

quod hibernis leuetur, et Caesari pro eius meritis gratiam referre.
28 Hac oratione habita discedit Ambiorix. Arpineius et Iunius, quae
audierunt, ad legatos deferunt. Illi repentina re perturbati, etsi
ab hoste ea dicebantur, tamen non neglegenda existimabant maxi-
meque hac re permouebantur, quod ciuitatem ignobilem atque hu-
milem Eburonum sua sponte populo Romano bellum facere ausam
2 uix erat credendum. Itaque ad consilium rem deferunt, magnaque
3 inter eos exsistit controuersia. Lucius Aurunculeius conpluresque
tribuni militum et primorum ordinum centuriones nihil temere
agendum neque ex hibernis iniussu Caesaris discedendum existu-
4 mabant: quantasuis, magnas etiam, copias Germanorum sustineri
posse munitis hibernis docebant rem esse testimonio, quod primum
hostium impetum multis ultro uulneribus inlatis fortissime susti-
5 nuerint: re frumentaria non premi; interea et ex proxumis hiber-
6 nis et a Caesare conuentura subsidia: postremo quid esse leuius
aut turpius, quam auctore hoste de summis rebus capere consili-
29 um? Contra ea Titurius sero facturos clamitabat, cum maiores
manus hostium adiunctis Germanis conuenissent, aut cum aliquid
calamitatis in proximis hibernis esset acceptum. Breuem consu-
2 lendi esse occasionem. Caesarem arbitrari profectum in Italiam;
neque aliter Carnutes interficiundi Tasgetii consilium fuisse captu-
ros, neque Eburones, si ille adesset, tanta contemptione nostri ad
3 castra uenturos esse. Non hostem auctorem, sed rem spectare:
subesse Rhenum; magno esse Germanis dolori Ariouisti mortem
4 et superiores nostras uictorias; ardere Galliam tot contumeliis ac-
ceptis sub populi Romani imperium redactam superiore gloria rei

2 discessit *b*. Arpineus *A B C D b c* (*de suis codd. Oud. recte ad* 27, 1, *hic minus accurate tradidit* Arpineius *in iis legi*), Arpinius *e*. 3 audierunt *B* '*mss. plerique*'; audierant *e et edd. ante Cellarium*, *quocum* audierint *u*. 4 tamen non *A B C e*, non tamen *u*. neglegenda *A C D et semper B*, *non* negligenda. 8 extitit controuersia *b*, controuersia orta est *a*, ex iis tot causis controuersia orta est *d*. Lucius *B*, L. *u*. conpluresque *B*. 10 existumabant *B D*. 11 sustinere *b*. 13 iulatis *B*. 14 proxumis *A B*. 15 quid esse *b c d e*, quid esset *B* '*ceteri*'. 16 capare *m. pr. B*. 18 manus hostium *B et edd. ante u*, *quae tacite* hostium manus. aut] ut *B C D*. 21 interficiundi *A B D b*, *non* interficiendi. 22 tanta *A B C D b*, tanta cum *u*. contentione '*mss. plurimi*' *et cum puncto sub secunda* n *et* p *sec. m. suprasc. B*. 23 spectare *e*, expectare *B* '*ex meis mss.* 9'. 24 magnum *A*. Germanos *b*. doloris *D*. Ariouisti sortem *Cluuerius*. 26 populo Romano *e*. imperio *b*. superiorem gloriam *d e*.

militaris extincta. Postremo quis hoc sibi persuaderet, sine certa 5
re Ambiorigem ad eiusmodi consilium descendisse? Suam senten- 6
tiam in utramque partem esse tutam: si nihil esset durius, nullo
cum periculo ad proximam legionem peruenturos; si Gallia omnis
cum Germanis consentiret, unam esse in celeritate positam salu-
tem. Cottae quidem atque eorum, qui dissentirent, consilium quem 7
habere exitum? in quo si non praesens periculum, at certe lon-
ginqua obsidione fames esset timenda. Hac in utramque partem 30
disputatione habita, cum a Cotta primisque ordinibus acriter resi-
steretur, 'uincite', inquit, 'si ita uultis', Sabinus, et id clariore
uoce, ut magna pars militum exaudiret; 'neque is sum', inquit, 2
'qui grauissime ex uobis mortis periculo terrear: hi sapient; si
grauius quid acciderit, abs te rationem reposcent; qui, si per te 3
liceat, perendino die cum proximis hibernis coniuncti communem
cum reliquis belli casum sustineant, non reiecti et relegati longe
ab ceteris aut ferro aut fame intereant'. Consurgitur ex consilio; 31
conprehendunt utrumque et orant, ne sua dissensione et pertina-
cia rem in summum periculum deducant: facilem esse rem, seu 2
maneant, seu proficiscantur, si modo unum omnes sentiant ac pro-
bent; contra in dissensione nullam se salutem perspicere. Res 3
disputatione ad mediam noctem perducitur. Tandem dat Cotta
permotus manus: superat sententia Sabini. Pronuntiatur prima 4
luce ituros. Consumitur uigiliis reliqua pars noctis, cum sua
quisque miles circumspiceret, quid secum portare posset, quid ex
instrumento hibernorum relinquere cogeretur. Omnia excogitan- 5
tur, quare nec sine periculo maneatur, et languore militum et ui-
giliis periculum augeatur. Prima luce sic ex castris proficiscuntur, 6
ut quibus esset persuasum non ab hoste, sed ab homine amicissimo

1 exstinctam *de* (extincta *B*). 2 re] spe *de*. descedisse *ante corr. B*. 3 in utramque partem *bcde*, in utraque parte *B 'ceteri'*. si nihil esset *B 'ceteri'*, si nil sit *bcd*. 4 cum *om. Graeuius u.* 5 consentiret *B 'ceteri'*, consentiat *bcd*. 7 habere *Stephanus*, haberet *codd.* non *post* periculum *ponunt B 'mss. multi'*. longa *e*. 8 timenda *B 'ceteri'*, pertimescenda *bde*. hac] ac *B*. in utramque partem *e*, in utraque parte *B 'mss. multi'*. 10 inquid *B*. 12 mortis in periculo *bc*. sapient; si *ABCDe*: sapient et, si *u*. 14 *super* perendino *ponit* adū biū temporis (*sic*) *B*. 15 non reiecti *Be 'mss. mei 13'*, nec reiecti *bd*. 16 consurgitur ex] cum se *b*. 17 conprehendunt *B*. 18 summam *m. pr. A*. 20 in discessione *b*. 22 manum *A*. 23 consummitur *B*. reliqua *om. b*. 24 milites *m. pr. C*. portari possit *b*. 26 ne sine *b*. langore *b*.

Ambiorige consilium datum, longissimo agmine maximisque inpe-
32 dimentis. At hostes, posteaquam ex nocturno fremitu uigiliisque
de profectione eorum senserunt, conlocatis insidiis bipertito in sil-
uis opportuno atque occulto loco a milibus passuum circiter duo-
2 bus Romanorum aduentum expectabant, et cum se maior pars
agminis in magnam conuallem demisisset, ex utraque parte eius
uallis subito se ostenderunt nouissimosque premere et primos pro-
hibere ascensu atque iniquissimo nostris loco proelium committere
33 coeperunt. Tum demum Titurius, qui nihil ante prouidisset, tre-
pidare et concursare cohortesque disponere, haec tamen ipsa ti-
mide atque ut eum omnia deficere uiderentur; quod plerumque iis
accidere consueuit, qui in ipso negotio consilium capere coguntur.
2 At Cotta, qui cogitasset haec posse in itinere accidere atque ob
eam causam profectionis auctor non fuisset, nulla in re communi
saluti deerat et in appellandis cohortandisque militibus imperatoris
3 et in pugna militis officia praestabat. Cum propter longitudinem
agminis minus facile omnia per se obire et, quid quoque loco fa-
ciendum esset, prouidere possent, iusserunt pronuntiare, ut im-
4 pedimenta relinquerent atque in orbem consisterent. Quod con-
silium etsi in eiusmodi casu reprehendendum non est, tamen in-
5 commode accidit: nam et nostris militibus spem minuit et hostes
ad pugnam alacriores effecit, quod non sine summo timore et de-
6 speratione id factum uidebatur. Praeterea accidit, quod fieri ne-
cesse erat, ut uulgo milites ab signis discederent, quae quisque
eorum carissima haberet, ab impedimentis petere atque arripere

1 inpedimentis *B*. 2 ex] de *b*. 3 eorum] eius *b*. (conlocatis *B*) conlatis *m. pr. C*. bipertito *B*, *non* bipartito. 5 expectabant *B*. et *om. b c e*. maior *om. b c e*. 6 demisisset *B*, dimisisset *'mss. plerique'*. 7 nouissimoque *C*. 8 ascensu *B*, *non* adscensu. nostris *b c d e*, nostrorum *B 'ceteri'*. 9 Titurius, qui *B 'ceteri'*; Titurius, ut qui *b c e*. 10 et *cum uno det. om. u*. 11 ut ei *b e*. dificere *B*. 12 accedere *B C D*. 13 cogitasse uideretur haec *d e*. 16 cum *B 'mss. fere omnes'*; quod cum *b*, cumque *u*. 17 minus facile *e*, non facile *b*; minus facere *B 'mss. plurimi'*. omnia per se *A B C D*, per se omnia *Aldus u*. obire] obedire *D*. 18 prouidere] scire *a e*. iusserunt] tamen *add. b*. pronuntiare *A B C D a b*, pronuntiari *e*. 20 reprehendum *m. pr. B*. incomode *B*. 21 hostem *b*. 22 ad pugnam *A b e*, ad pugnandum *B et reliqui*. alacriorem *b*. fecit *b d e*. 23 propterea *b*. 24 ut *om. b*. quae quisque *A*, quaeque quisque *reliqui*. 25 abripere *cum quattuor dett. u*.

properaret, clamore et fletu omnia complerentur. At barbaris 34
consilium non defuit. Nam duces eorum tota acie pronuntiare
iusserunt, ne quis ab loco discederet: illorum esse praedam atque
illis reseruari, quaecumque Romani reliquissent: proinde omnia
in uictoria posita existumarent. Erant et uirtute et numero pu- 2
gnando pares nostri; tametsi ab duce et a fortuna deserebantur,
tamen omnem spem salutis in uirtute ponebant, et quotiens quae-
que cohors procurrerat, ab ea parte magnus numerus hostium ca-
debat. Qua re animaduersa Ambiorix pronuntiari iubet, ut pro- 3
cul tela coniciant neu propius accedant et, quam in partem Ro-
mani impetum fecerint, cedant (leuitate armorum et cotidiana ex- 4
ercitatione nihil iis noceri posse), rursus se ad signa recipientes
insequantur. Quo praecepto ab iis diligentissime obseruato, cum 35
quaepiam cohors ex orbe excesserat atque impetum fecerat, ho-
stes uelocissime refugiebant. Interim eam partem nudari necesse 2
erat et ab latere aperto tela recipi. Rursus, cum in eum locum, 3
unde erant egressi, reuerti coeperant, et ab iis, qui cesserant, et
ab iis, qui proximi steterant, circumueniebantur; sin autem locum 4
tenere uellent, nec uirtuti locus relinquebatur, neque ab tanta
multitudine coniecta tela conferti uitare poterant. Tamen tot in- 5
commodis conflictati, multis uulneribus acceptis resistebant et
magna parte diei consumpta, cum a prima luce ad horam octauam
pugnaretur, nihil, quod ipsis esset indignum, committebant. Tum 6
Tito Baluentio, qui superiore anno primum pilum duxerat, uiro
forti et magnae auctoritatis, utrumque femur tragula traicitur;
Quintus Lucanius, eiusdem ordinis, fortissume pugnans, dum cir- 7

1 et fletu *B C D E*, ac fletu *u et 'sic mss. mei omnes uel* et fletu'. 2 pronuntiare *A B C D*, pronuntiari *e*. 4 reseruare *B*. quaecumque (*B*), *non* quaecunque. 5 posita] esse *add. b c*. existumarent *B D*. pugnando *b et aliquot dett.*, pugnandi *reliqui*. 6 tamen etsi *e*. 7 salutis spem *b*. quotienscumque cohors *b* (quotiens *B et 'semper mss.'*). 8 procurrerat *B et reliqui*, procurreret *a b c e*. numerus hostium *B*, hostium numerus *edd.* 10 neu] ne ut *C*, nec *b c*. 12 nihil his *B*, nihil ex his *e et sic 'uel* ex hiis' *b c*. 13 deligentissime *B*. 16 recipi *A* (*B*) *C D*, recipere *b c d e*. rursum *b*. 17 progressi *a b e*. ab his *C*. 18 ab his *C*. 19 nec uirtuti *A* (*B*) *C D* (*Oudendorpii nota: 'sic mss., non* nec' *ad proximum* neque *pertinet*). ab, *non* a, (*B*) *C D 'mss. meliores* 9'. 20 tela a confertis uitari *b e*. tot tamen *b*, tamen tam multis *e*. 21 conflictati] afflicti *b*. 24 Tito *A B C D*, T. *u*. deduxerat *b*. 25 actoritatis *C*. traicitur *praeter B etiam A C*, trahicitur *D*. 26 Quintus *B C D*, Q. *u*. Lucianus *b*. fortissume *A*.

8 cumuento filio subuenit, interficitur; Lucius Cotta legatus omnes
cohortes ordinesque adhortans in aduersum os funda uulneratur.
36 His rebus permotus Quintus Titurius, cum procul Ambiorigem
suos cohortantem conspexisset, interpretem suum Gneum Pompe-
2 ium ad eum mittit rogatum, ut sibi militibusque parcat. Ille ap-
pellatus respondit: si uelit secum conloqui, licere; sperare a mul-
titudine impetrari posse, quod ad militum salutem pertineat; ipsi
uero nihil nocitum iri, inque eam rem se suam fidem interponere.
3 Ille cum Cotta saucio communicat, si uideatur, pugna ut excedant
et cum Ambiorige una conloquantur: sperare ab eo de sua ac mi-
4 litum salute impetrari posse. Cotta se ad armatum hostem iturum
37 negat atque in eo perseuerat. Sabinus quos in praesentia tribu-
nos militum circum se habebat et primorum ordinum centuriones
se sequi iubet et, cum propius Ambiorigem accessisset, iussus ar-
ma abicere imperatum facit suisque, ut idem faciant, imperat.
2 Interim, dum de condicionibus inter se agunt, longiorque consulto
ab Ambiorige instituitur sermo, paulatim circumuentus interfici-
3 tur. Tum uero suo more uictoriam conclamant atque ululatum
4 tollunt impetuque in nostros facto ordines perturbant. Ibi Lucius
Cotta pugnans interficitur cum maxima parte militum. Reliqui se
5 in castra recipiunt, unde erant egressi. Ex quibus Lucius Petro-
sidius aquilifer, cum magna multitudine hostium premeretur, aqui-
lam intra uallum proiecit, ipse pro castris fortissime pugnans oc-
6 ciditur. Illi aegre ad noctem oppugnationem sustinent; noctu ad
7 unum omnes desperata salute se ipsi interficiunt. Pauci ex proe-
lio lapsi incertis itineribus per siluas ad Titum Labienum legatum
in hiberna perueniunt atque eum de rebus gestis certiorem faciunt.

1 Lucius *B C D*, L. *u*. 2 in aduersum os *A* (*B*) *C D*; aduersus os *d et*, *qui* hos, *e et*, *de quibus*, os *an* hos *habeant*, *incertum est*, *b c*. 3 Quintus *B C D*. Q. *u*. 4 Gneum *A B C D*; Gn. *d*, Cn. *u*. 5 appelatus *B*. 6 conloqui *B*. 8 nihil nocitum iri *A* (*B*) *C D*; non nocitum iri *e et secundum exempl. Fabr. d*, non nociturum *b et secundum Oud. d*. in quam rem *b c e*. se suam *A* (*B*) *C D*, se suamque '*mss*. 8'. 10 (conloquantur *B D*) conlocantur *C*. sperare *A* (*B*) *C D*, sperare se *e*. ab eo] habeo *C*. 11 impetrari *B e et reliqui*, impetrare *A b*. 12 perseuerat] constitit *c d e*. 15 abicere *praeter B etiam A C D*. ut] id ut *b*, is ut *c*. imperant *D*. 16 conditionibus (*B*). 19 facito *C*. Lucius *B*, L. *u*. 20 reliquis se *ante corr. B*. 21 unde fuerant *b*. Lucius *B C D*, L. *u*. 24 aegre ea nocte *D*. 25 e proelio *b*. 26 lapsi *A B C D*, elapsi *b c d e*. Titum *B C D*, T. *u*. 27 hibernia *C*.

Hac uictoria sublatus Ambiorix statim cum equitatu in Adua- 38
tucos, qui erant eius regno finitumi, proficiscitur; neque noctem
neque diem intermittit peditatumque subsequi iubet. Re demon- 2
strata Aduatucisque concitatis postero die in Neruios peruenit
hortaturque, ne sui in perpetuum liberandi atque ulciscendi Roma-
nos pro iis, quas acceperint, iniuriis occasionem dimittant: inter- 3
fectos esse legatos duos magnamque partem exercitus interisse de-
monstrat; nihil esse negotii subito oppressam legionem, quae cum 4
Cicerone hiemet, interfici; se ad eam rem profitetur adiutorem.
Facile hac oratione Neruiis persuadet. Itaque confestim dimissis 39
nuntiis ad Ceutrones, Grudios, Leuacos, Pleumoxios, Geidunnos,
qui omnes sub eorum imperio sunt, quam maximas manus possunt
cogunt et de inprouiso ad Ciceronis hiberna aduolant nondum ad
eum fama de Titurii morte perlata. Huic quoque accidit, quod fuit 2
necesse, ut nonnulli milites, qui lignationis munitionisque causa
in siluas discessissent, repentino equitum aduentu interciperentur.
His circumuentis magna manu Eburones, Neruii, Aduatuci atque 3
horum omnium socii et clientes legionem oppugnare incipiunt. No-
stri celeriter ad arma concurrunt, uallum conscendunt. Aegre is 4
dies sustentatur, quod omnem spem hostes in celeritate ponebant
atque hanc adepti uictoriam in perpetuum se fore uictores confide-
bant. Mittuntur ad Caesarem confestim ab Cicerone litterae ma- 40
gnis propositis praemiis, si pertulissent: obsessis omnibus uiis
missi intercipiuntur. Noctu ex materia, quam munitionis causa 2
conportauerant, turres admodum CXX excitantur incredibili cele-
ritate; quae deesse operi uidebantur, perficiuntur. Hostes postero 3
die multo maioribus coactis copiis castra oppugnant, fossam com-

1 hac] ac *B*. Atuaticos *D d*, Antuaticos *A B C*. 2 regni *C*. finitumi *A*. 3 peditatum *omissa copula b*. subsequi *A b*; sese subsequi *B Cφ D 'alii'*, sese sequi *Co 'alii'*, se subsequi *u*. 6 pro his *B*. 7 duo *cum solo Andino u*. interisse] interipere *C*. 9 interfici sed eam *A et* a *inter* se *et* d *suprasc. B*; interfici posse ad eam *b d*. rem] se *add. b*. 10 ac oratione *B*. 11 Pleumoxios *A d*, Pleumoximos *B C b c*. Geidunnos *A Co d*, Geidumnos *B Cφ D*, Geudunnos *b c*; Geidunos *u*. 12 sunt] continebantur *b c d e*. *P*. 8. 13 cogant *b*. inprouiso *B*. aduolent *b*. 14 fama] forma *C*. 15 qui de lignationis *b*. 17 iis *B D*, is *C*. Atuatuci *d*. atque orum *B*. 18 socii clientesque *b*. 22 ab, *non* a, *A* (*B*) *C*. 23 pertullissent *B*. 24 missi *om. b*. ex materia *B 'mss.* 15'; ea materia *b e*, ex ea materia *u*. 25 conportauerant *B*. 27 coactis copiis *A B C D e*, copiis coactis *u*.

4 plent. Eadem ratione, qua pridie, ab nostris resistitur. Hoc idem
5 reliquis deinceps fit diebus. Nulla pars nocturni temporis ad laborem intermittitur; non aegris, non uulneratis facultas quietis datur. Quaecumque ad proximi diei oppugnationem opus sunt, no-
6 ctu comparantur; multae praeustae sudes, magnus muralium pilorum numerus instituitur; turres contabulantur, pinnae loricaeque
7 ex cratibus attexuntur. Ipse Cicero, cum tenuissima ualetudine esset, ne nocturnum quidem sibi tempus ad quietem relinquebat,
41 ut ultro militum concursu ac uocibus sibi parcere cogeretur. Tunc duces principesque Neruiorum, qui aliquem sermonis aditum causamque amicitiae cum Cicerone habebant, conloqui sese uelle di-
2 cunt. Facta potestate eadem, quae Ambiorix cum Titurio egerat,
3 commemorant: omnem esse in armis Galliam; Germanos Rhenum
4 transisse; Caesaris reliquorumque hiberna oppugnari. Addunt etiam de Sabini morte: Ambiorigem ostentant fidei faciundae
5 causa. Errare eos dicunt, si quicquam ab his praesidii sperent, qui suis rebus diffidant; sese tamen hoc esse in Ciceronem populumque Romanum animo, ut nihil nisi hiberna recusent atque hanc
6 inueterascere consuetudinem nolint: licere illis incolumibus per se ex hibernis discedere et, quascumque in partes uelint, sine metu
7 proficisci. Cicero ad haec unum modo respondit: non esse consuetudinem populi Romani accipere ab hoste armato condicionem:
8 si ab armis discedere uelint, se adiutore utantur legatosque ad Caesarem mittant; sperare pro eius iustitia, quae petierint, im-
42 petraturos. Ab hac spe repulsi Neruii uallo pedum IX et

1 eadem ratione, qua pridie, ab nostris *B et edd. ante Aldum*; a nostris eadem ratione, qua pridie *Aldus et u*, *nisi quod haec cum A C* ab *habet.* 2 reliquis deinceps *B Stephanus*, deinceps reliquis *ceterae edd.*: '*in mss. sedes uocis* deinceps *ita uariatur, ut in his sit* reliquis deinceps, *in illis* reliquis fit deinceps, *in aliis, ut uulgo; atque in C non comparet, nisi sec. m. ad marg.*' 3 datur] non aegris *add. B*, *sed punctis infra et supra positis.* 4 quaecumque (*B*), *non* quaecunque. opus sunt] oppossunt *B C*, oppossent *D*; *sed in C D Oudendorpius* oppugnationem *desiderari significare uidetur.* 6 luricaeque *A B C D b.* 7 contexuntur *b.* ualitudine *B* '*mss.*' 9 incursu *c.* tum *b e.* 11 conloqui *B.* 13 omnes esse in armis Gallos *D.* 16 quidquam (*B*). praesidiis *D b.* 17 in Cicerone *b.* populique (*et sequens uocabulum per notam, ut arbitror*) *b c.* 19 inueterescere *A B C D.* 20 quascumque (*B*). in *b c*, *om. B* '*mss.* 13'. 22 accipere *B* '*ceteri*', ullam accipere *b c d e.* conditionem (*B*). 23 legatos ad Caesarem *C.* 24 sperare] se *add. b c d e.* 25 IX, *supra ascripto* MO, *B et* 'nouem *uel* IX *A C D*'; X *e Orosius VI*, 10; XI *u*: XII, *omisso* et, *Whittius. Vid. II*, 5, 6. 30, 2. *VII*, 72, 4. *VIII*, 9, 3. *b. ciu. I*, 61 *extr. et hic* §. 2.

fossa pedum XV hiberna cingunt. Haec et superiorum annorum con- 2
suetudine ab nobis cognouerant et quosdam de exercitu habebant ca-
ptiuos, ab his docebantur; sed nulla ferramentorum copia, quae 3
esset ad hunc usum idonea, gladiis cespites circumcidere, manibus
sagulisque terram exhaurire nitebantur. Qua quidem ex re homi- 4
num multitudo cognosci potuit: nam minus horis tribus milium
passuum XV in circuitu munitionem perfecerunt reliquisque diebus 5
turres ad altitudinem ualli, falces testudinesque, quas idem captiui
docuerant, parare ac facere coeperunt. Septimo oppugnationis die 43
maximo coorto uento feruentes fusili ex argilla glandes fundis et
feruefacta iacula in casas, quae more Gallico stramentis erant te-
ctae, iacere coeperunt. Hae celeriter ignem comprehenderunt et 2
uenti magnitudine in omnem locum castrorum distulerunt. Hostes 3
maximo clamore sicuti parta iam atque explorata uictoria turres
testudinesque agere et scalis uallum ascendere coeperunt. At tanta 4
militum uirtus atque ea praesentia animi fuit, ut, cum undique
flamma torrerentur maximaque telorum multitudine premerentur
suaque omnia impedimenta atque omnes fortunas conflagrare in-
tellegerent, non modo demigrandi causa de uallo decederet nemo,
sed paene ne respiceret quidem quisquam, ac tum omnes acerru-
me fortissimeque pugnarent. Hic dies nostris longe grauissimus 5
fuit; sed tamen hunc habuit euentum, ut eo die maximus numerus
hostium uulneraretur atque interficeretur, ut se sub ipso uallo

1 fossa p̃., *suprasc. sec. m.* pedum, *B.* quindecim (*B*). 2 ab nobis *B et sic 'uel* a nobis, *quod est in recentioribus, ceteri'*; a nostris *b c d e.* excitu *m. pr. B.* habebant *B 'ceteri'*, nacti *a b c d e.* 3 ab iis *B.* nulla (*B*) *'mss.* 19', nulla his *e.* quae esset *B et reliqui*, quae sunt *b c e.* 4 cespites *'mss. plerique'*, caepites *B*; cespitem *e u.* 5 haurire *D.* nitebantur *aliquot dett.*, uidebantur *A B C D*; cogebantur *b c d e.* 6 milium p̃. xv in circuitu munitionem perfecerunt *A B C D* (*sed* in circuitum *A B D*; pedum *sec. m. super* p̃. *B*); decem milium in circuitu munitionem pedum xv perfecerunt *b c d e. Orosius:* uallum pedum x et fossam pedum xv per milia passuum xv in circuitu perfecerunt. 8 ad latitudinem *b.* idem *B 'mss. plerique'*, *non* iidem. 10 cohorto *B.* fundas *b.* 11 casa *C.* nstramentis *ante corr. B.* 13 locum castrorum *B*, castrorum locum *Aldus et u.* 14 sicuti *B 'ceteri'*, insecuti quasi *a b c d e.* peracta iam et explorata *b.* 15 ascendere *B.* 16 undique *e*, ubique *B 'mss.* 10'. 17 telorum] tuorum *m. pr. B.* 20 ne *om. b.* acerrume *A B D.* 22 maximus] magnus *m. pr. b.* numerus hostium *B e edd. reliquae*, hostium numerus *Stephanus u.*

6 constipauerant recessumque primis ultimi non dabant. Paulum qui-
dem intermissa flamma et quodam loco turri adacta et contingente
uallum tertiae cohortis centuriones ex eo, quo stabant, loco reces-
serunt suosque omnes remouerunt, nutu uocibusque hostes, si in-
troire uellent, uocare coeperunt; quorum progredi ausus est ne-
7 mo. Tum ex omni parte lapidibus coniectis deturbati, turrisque
44 succisa est. Erant in ea legione fortissumi uiri, centuriones, qui
primis ordinibus adpropinquarent, Titus Pulio et Lucius Vorenus.
2 Hi perpetuas inter se controuersias habebant, quinam anteferretur,
3 omnibusque annis de locis summis simultatibus contendebant. Ex
his Pulio, cum acerrume ad munitiones pugnaretur, 'quid dubitas',
inquit, 'Vorene? aut quem locum tuae probandae uirtutis expe-
4 ctas? hic dies de nostris controuersiis iudicabit'. Haec cum dixis-
set, procedit extra munitiones quaque pars hostium confertissima
5 est uisa inrumpit. Ne Vorenus quidem tum sese uallo continet,
6 sed omnium ueritus existimationem subsequitur. Mediocri spatio
relicto Pulio pilum in hostes inmittit atque unum ex multitudine
procurrentem traicit; quo percusso et exanimato hunc scutis

1 constiparant *b.* pallum *punctis notata priore* l *et ante eam* u *sec. m. suprasc. B.* 2 contingentes *b c.* 3 centuriomnes *ante corr. B.* 4 suos omnes, *addito* que *int. uers., C.* 7 succisa *ego*, succensa *codd. et edd. P.* 81. fortissumi *B D.* qui primis *B 'mss. plerique'*, qui iam primis *e u.* 8 adpropinquarent *B.* Titus *B*, T. *u.* Pullo *codd.*, Pulfio *Aldus u. Vid. b. ciu. III*, 67, 5. Lucius *B*, L. *u.* Vorenus *B e et sic 'uel* Norenus *mss.'*, Varenus *Aldus u.* 9 ii *e Aldus.* quinam *A B C D*, quisnam *b;* uter alteri *a e.* 10 de locis *A B C D b*, de loco *c e 'forsan et d'.* ex his *B*, ex iis *Aldus u.* 11 Pullo *B.* acerrume *B.* munitionem *b.*

12 Vorene *B: 'mss. uariant et multi tum quoque dant* Verenus'. tuae pro laude uirtutis *A B C D;* pro laude uirtutis tuae *a e*, probandae uirtutis tuae *u: 'mss. habent* tuae pro laude uirtutis *uel* pro tuae l. uirt. *uel* pro laude tuae u. *uel* pro laude uirtutis tuae; probandae *seruat d'.* expectas *e*, spectas *A (B) C D.* 13 hic dies *A C a b c e;* hic dies dies, *sed altero* dies *punctis notato, B:* hic dies, hic dies *u.* haec dum *B 'mss. et edd. qdd'.* 14 procedit ex castris munitionesque qua parte hostium *A*, procedit ex castris munitiones quaeque parti hostium *B 'mss.* 11' *et, qui* munitionemque quaeque, *D;* procedit extra munitiones quaeque hostium pars *a e* (*hic* queque) *et, qui* pars hostium *tenere dicitur, b et, qui* et quae pars hostium, *c d* (quaque *Oud. inuenit*). 15 est uisa *B a e*, uisa est *u.* irrumpit *B* (*et is quidem* inr.) *et reliqui:* eam irrumpit *a e;* in eam irrumpit *c d et, qui* irrupit, *b.* Vorenus *B.* quidem tum sese *c d*, tum quidem se *b*, quidem sese cum *e;* quidem sese (*B*) *et reliqui.*

16 mediocri spatio *d e*, tum mediocri spatio (*B*) *et reliqui.* 17 Pullo *B.* immittit *A B C D*, mittit *e u* (inm. *B*). 18 percusso exanimatoque *b c.*

protegunt, in hostem tela uniuersi coniciunt neque dant regrediendi
facultatem. Transfigitur scutum Pulioni et uerutum in balteo de- 7
figitur. Auertit hic casus uaginam et gladium educere conanti 8
dextram moratur manum, impeditumque hostes circumsistunt. Suc- 9
currit inimicus illi Vorenus et laboranti subuenit. Ad hunc se 10
confestim a Pulione omnis multitudo conuertit: illum ueruto arbi-
trantur occisum. Gladio comminus rem gerit Vorenus atque uno 11
interfecto reliquos paulum propellit; dum cupidius instat, in locum 12
deiectus inferiorem concidit. Huic rursus circumuento fert subsi- 13
dium Pulio, atque ambo incolumes compluribus interfectis summa
cum laude sese intra munitiones recipiunt. Sic fortuna in conten- 14
tione et certamine utrumque uersauit, ut alter alteri inimicus au-
xilio salutique esset, neque diiudicari posset, uter utri uirtute an-
teferendus uideretur.

Quanto erat in dies grauior atque asperior oppugnatio, et **45**
maxime quod magna parte militum confecta uulneribus res ad pau-
citatem defensorum peruenerat, tanto crebriores litterae nuntiique
ad Caesarem mittebantur; quorum pars deprehensa in conspectu
nostrorum militum cum cruciatu necabatur. Erat unus intus Ner- 2
uius nomine Vertico, loco natus honesto, qui a prima obsidione ad
Ciceronem perfugerat suamque ei fidem praestiterat. Hic seruo 3
spe libertatis magnisque persuadet praemiis, ut litteras ad Caesa-

1 protegunt, in hostem *B 'mss. aliorum et mei* 5' (*puto* 15); protegunt hostes, in illum *b c d e*. tela uniuersi *A* (*B*) *C 'mss.'*, tela uniuersa *D*; uniuersi tela (*e*) *'alii'*. progrediendi *b c e*, progrediundi *d*, *unde* regrediundi *u*. 2 tran gitur, *suprasc. sec. m.* sfi, *B*; transigitur *'mss. 7'*. Pulloni *B*, Pullonis *C b et sec. m. A*. uerrutum *B*, ueruto *D*. 3 hic *e*, huic *B 'mss. 13'*. adducere *D*. conanti *A* (*B*) *b e et u*, *cum fuisset* conantis. 4 impeditumque *B et reliqui*, impeditum *c d e*. 5 illic *b*. Vorenus *B*. 6 Pullone *B*. *Post* conuertit *incipit lacuna in B*. illum ueruto arbitrantur occisum *partim pr. m.* (occisum, *sec.* transfixum) *partim sec.* (ueruto, *fuerat* uero) *Gottorpiensis:* illum uero obscurantur occisum *A C D*; illum ueruto transfixum arbitrantur *a e et pars codd. Oud.* 7 gladio comminus rem gerit Vorenus *A C D*; Vorenus gladio rem comminus gerit *a et, qui* gladiatorem comminus, *e itemque, sed* comminus rem, *pars codd. Oud.* (Vorenus *a*).

8 in locum deiectus inferiorem *edd. ante Aldum et rursus tacite u*, in locum inferiorem deiectus *a Aldus*. 9 hinc rursus *a*. subsidium fert *a*. 10 Pullo *a*. incolomes *cum* u *super* lo *a*. 11 se *b et, qui post* munitiones *ponit, a*. 12 utrumque seruauit *C*. 13 utri *om. b*. 15 et maxime quidem quod *b*. 19 necabantur *b*. unus inter Neruios *D*. 21 hinc seruo *A*, huic seruo *b d e*.

4 rem deferat. Has ille in iaculo inligatas effert et Gallus inter Gal-
5 los sine ulla suspicione uersatus ad Caesarem peruenit. Ab eo de
46 periculis Ciceronis legionisque cognoscitur. Caesar acceptis lit-
teris hora circiter XI diei statim nuntium in Bellouacos ad M.
Crassum quaestorem mittit, cuius hiberna aberant ab eo milia pas-
2 suum XXV; iubet media nocte legionem proficisci celeriterque ad
3 se uenire. Exit cum nuntio Crassus. Alterum ad Gaium Fabium
legatum mittit, ut in Atrebatium fines legionem adducat, qua sibi
4 iter faciendum sciebat. Scribit Labieno, si reipublicae commodo
facere posset, cum legione ad fines Neruiorum ueniat. Reliquam
partem exercitus, quod paulo aberat longius, non putat expectan-
dam; equites circiter quadringentos ex proximis hibernis colligit.
47 Hora circiter tertia ab antecursoribus de Crassi aduentu certior
2 factus eo die milia passuum XX procedit. Crassum Samarobriuae
praeficit legionemque attribuit, quod ibi impedimenta exercitus,
obsides ciuitatum, litteras publicas frumentumque omne, quod eo
3 tolerandae hiemis causa deuexerat, relinquebat. Fabius, ut impe-
ratum erat, non ita multum moratus in itinere cum legione occur-
4 rit. Labienus interitu Sabini et caede cohortium cognita, cum
omnes ad eum Treuerorum copiae uenissent, ueritus, si ex hiber-
nis fugae similem profectionem fecisset, ut hostium impetum su-
stinere posset, praesertim quos recenti uictoria efferri sciret, lit-
5 teras Caesari remittit, quanto cum periculo legionem ex hibernis
educturus esset, rem gestam in Eburonibus perscribit, docet omnes

1 perferat *b*. in *om. a b c d e*. inligatas *a*. effert *A* '*plerique*' *et sec. m. C* (*pr.* infert), affert *a* (*is* adf.) *b d e*. 3 periculis *A C D* '*aliique plures*' (*a*) *e et u*, *cum fuisset* periculo. cognoscit *b e*. 4 Bellouagos *a*. 5 misit *C*. hyberna *a*. 7 exit cum *A C D e* '7 *alii*' *et sec. m. a*, excitus *a et pro uar. lect. e*. Gaium *a*, C. *u*. 8 abducat *D*. 9 faciundum *ex uno det. u*. sciebat *a b c d e*, *om reliqui*. 10 possit *b et*, *qui ante* facere *ponit*, *a*. *Addend. ad p.* 85. 11 expectandam] exercendam *b c d e et suprasc.* expectandam *a*. 12 ex] set *A*. colligit '*uel* collegit *ceteri omnes*', cogit *b c d e et* lli *inter* o *et* g *suprasc. a*. 13 aduentu] Caesar *add. b et sup. uers. a*. certior est factus *b d e*. 14 uiginti (*a*). procedit '*reliqui omnes*', progreditur *a b c d e*. 15 attribuit '*mss. plerique*', ei attribuit (*a*) *e u*. 16 ciuitatum *om. b*. omne *om. b*. 18 in *om. D*. 20 Treuirorum (*a*). conuenissent *a*. ueritus, si ex *a e;* ueritus, ne ex *A C D;* ueritus, ne, si ex *Oud. coni. u. Vid. script. discr. VI,* 39, 3. 21 ut *om.* (*a*) *b e u*. sustinere posset *Lambinus*, sustinere non posset *codd. et u*. 23 remittit *a c e*, mittit *b et m. pr. C;* dimittit '*mss. plerique*'.

equitatus peditatusque copias Treuerorum tria milia passuum longe
ab suis castris consedisse. Caesar consilio eius probato, etsi opi- 48
nione trium legionum deiectus ad duas redierat, tamen unum com-
munis salutis auxilium in celeritate ponebat. Venit magnis itine- 2
ribus in Neruiorum fines. Ibi ex captiuis cognoscit, quae apud
Ciceronem gerantur, quantoque in periculo res sit. Tum cuidam 3
ex equitibus Gallis magnis praemiis persuadet, uti ad Ciceronem
epistolam deferat. Hanc Graecis conscriptam litteris mittit, ne in- 4
tercepta epistola nostra ab hostibus consilia cognoscantur. Si adi- 5
re non possit, monet, ut tragulam cum epistola ad amentum deli-
gata intra munitionem castrorum abiciat. In litteris scribit se cum 6
legionibus profectum celeriter adfore; hortatur, ut pristinam uir-
tutem retineat. Gallus periculum ueritus, ut erat praeceptum, 7
tragulam mittit. Haec casu ad turrim adhaesit neque ab nostris 8
biduo animaduersa tertio die a quodam milite conspicitur, dempta
ad Ciceronem defertur. Ille perlectam in conuentu militum recitat 9
maximaque omnes laetitia adficit. Tum fumi incendiorum procul 10
uidebantur; quae res omnem dubitationem aduentus legionum
expulit. Galli re cognita per exploratores obsidionem relinquunt, 49
ad Caesarem omnibus copiis contendunt. Hae erant armata circi-
ter milia LX. Cicero data facultate Gallum ab eodem Verticone, 2
quem supra demonstrauimus, repetit, qui litteras ad Caesarem de-
ferat; hunc admonet, iter caute diligenterque faciat: perscribit in 3
litteris hostes ab se discessisse omnemque ad eum multitudinem
conuertisse. Quibus litteris circiter media nocte Caesar adlatis 4
suos facit certiores eosque ad dimicandum animo confirmat. Po- 5
stero die luce prima mouet castra et circiter milia passuum quat-
tuor progressus trans uallem et riuum multitudinem hostium con-

1 Treuirorum (*a*). III *suprasc.* a *a*. 3 communius salutis *A*, communi salute *a* (*is* comuni) *b e*. 10 deligatam *C D*. 11 munitionem '*mss. plerique*', munitiones (*a*) *e u*. obiiciat *b* (abiciat *e*, abiiciat (*a*)). cum legione esse profectum *a b*. 13 *a uoce* periculum *rursus incipit B*, *sed alia manu*. 14 turrem *b*. adhesit *B*. 15 dempta] tollitur *cum punctis sub* t *et* tur *b*. 16 perlecta *b*. 17 adficit *B*. 20 hae *B C D*, he *e*, haec *A*; eae *u*. armata *ego*, armatae *A B C b e* '*et alii* 5'; armatorum *u*. *P.* 82. 21 sexaginta (*B*). Gallum eundem Verticonem *b d e*. 22 reperit '*mss.*' *praeter duos dett.*, repperit *B*. deferat *B et reliqui*, referat *b d e*. 24 discesse *b*. 25 mediam noctem *e*. Caesar *post* litteris *ponit b*. adlatis *B*. 26 postera *B* '*mss.* 7'. 27 mouit *b*. quattuor, *non* quatuor, *B*. 28 uallem *B et ceteri*, uallem magnam *b c d e*.

6 spicatur. Erat magni periculi res tantulis copiis iniquo loco dimi-
care; tum, quoniam obsidione liberatum Ciceronem sciebat, aequo
animo remittendum de celeritate existumabat: consedit et, quam
7 aequissimo loco potest, castra communit atque haec, etsi erant
exigua per se, uix hominum milium septem praesertim nullis cum
inpedimentis, tamen angustiis uiarum, quam maxime potest, con-
trahit, eo consilio, ut in summam contemptionem hostibus ueniat.
8 Interim speculatoribus in omnes partes dimissis explorat, quo
50 commodissime itinere uallem transire possit. Eo die paruulis eque-
stribus proeliis ad aquam factis utrique sese suo loco continent:
2 Galli, quod ampliores copias, quae nondum conuenerant, expecta-
3 bant; Caesar, si forte timoris simulatione hostes in suum locum
elicere posset, ut citra uallem pro castris proelio contenderet, si
id efficere non posset, ut exploratis itineribus minore cum peri-
4 culo uallem riuumque transiret. Prima luce hostium equitatus ad
5 castra accedit proeliumque cum nostris equitibus committit. Cae-
sar consulto equites cedere seque in castra recipere iubet, simul
ex omnibus partibus castra altiore uallo muniri portasque obstrui
atque in his administrandis rebus quam maxime concursari et cum
51 simulatione agi timoris iubet. Quibus omnibus rebus hostes inui-
2 tati copias traducunt aciemque iniquo loco constituunt, nostris ue-
ro etiam de uallo deductis propius accedunt et tela intra munitio-
3 nem ex omnibus partibus coniciunt praeconibusque circummissis
pronuntiari iubent, seu quis Gallus seu Romanus uelit ante horam
tertiam ad se transire, sine periculo licere; post id tempus non
4 fore potestatem: ac sic nostros contempserunt, ut obstructis in
speciem portis singulis ordinibus cespitum, quod ea non posse in-

1 tantulis copiis *A B C 'ceterique'*, cum tantis copiis *b c d e.* 2 tum *A* (*B*) *C D*, tunc *b c e.* aequo animo *B e* (*hic* equo) *edd. ante Scalig. praeter Stephan. omnes*, eoque omnino *Steph. Scal. et u cum hac annotatione: 'pro* eoque *in mss. plurimis est* aequoque *uel* equoque. Animo *etiam legas in Louan. Duker. Oxon. et aliis'; quae quin erroris et neglegentiae plena sint, mihi dubium non est. Ne ante* consedit *desideres* itaque, *cf. hor. comm. I*, 23, 1. 3 existumabat *A.* 4 potest loco *ex b u.* 6 inpedimentis *B.* tamen in angustiis *D.* 9 commodissimo *b e.* ualles *B 'mss.* 12'. possit *A* (*B*) *C c 'mss. longe plurimi et optimi'*, posset *e.* 10 se in suo loco *b.* 11 expectabant *B.* 14 efficere] fieri *b c d e.* cum *om. b e.* 15 aequitatus *et* 16 aequitibus *et* 17 aequites *B.* 18 munire *b.* 20 agi timoris *B edd. ante Graeu.*, timoris agi *Graeu. u.* 24 seu quis Romanus *e.* 27 ea *b c d e*, eas *B et reliqui.*

trorumpere uidebantur, alii uallum manu scindere, alii fossas com-
plere inciperent. Tum Caesar omnibus portis eruptione facta equi- 5
tatuque emisso celeriter hostes in fugam dat, sic uti omnino pu-
gnandi causa resisteret nemo, magnumque ex eis numerum occi-
dit atque omnes armis exuit. Longius prosequi ueritus, quod sil- 52
uae paludesque intercedebant neque etiam paruulo detrimento illo-
rum locum relinqui uidebat, omnibus suis incolumibus copiis eo-
dem die ad Ciceronem peruenit. Institutas turres, testudines mu- 2
nitionesque hostium admiratur; legione producta cognoscit non de-
cimum quemque esse reliquum militem sine uulnere: ex his omni- 3
bus iudicat rebus, quanto cum periculo et quanta cum uirtute res
sint administratae. Ciceronem pro eius merito legionemque con- 4
laudat; centuriones singillatim tribunosque militum appellat, quo-
rum egregiam fuisse uirtutem testimonio Ciceronis cognouerat.
De casu Sabini et Cottae certius ex captiuis cognoscit. Postero 5
die contione habita rem gestam proponit, milites consolatur et con-
firmat: quod detrimentum culpa et temeritate legati sit acceptum, 6
hoc aequiore animo ferundum docet, quod beneficio deorum im-
mortalium et uirtute eorum expiato incommodo neque hostibus
diutina laetatio neque ipsis longior dolor relinquatur. Interim ad 53
Labienum per Remos incredibili celeritate de uictoria Caesaris fa-
ma perfertur, ut, cum ab hibernis Ciceronis milia passuum abes-
set circiter LX, eoque post horam nonam diei Caesar peruenisset,
ante mediam noctem ad portas castrorum clamor oreretur, quo
clamore significatio uictoriae gratulatioque ab Remis Labieno fie-
ret. Hac fama ad Treueros perlata Indutiomarus, qui postero die 2
castra Labieni oppugnare decreuerat, noctu profugit copiasque
omnes in Treueros reducit. Caesar Fabium cum sua legione re- 3

1 manu *om. m. pr. b.* 2 aequitatuque *B.* 3 in fugam dat *B edd. ante Ald.*, dat in fugam *Aldus u.* sic] set *ante corr. B.* 4 eis (*B*) *C D 'aliique' u*, his *edd. ante u.* 5 prosequi noluit ueritus *b c e.* 6 neque etiam *P.* 145. 7 locum eos relinqui *b e.* copiis *om. b c e.* 9 legione producta *B edd. ante u, quae tacite* producta legione. 10 quemquam *b c.* reliquum *B 'ceteri'*, relictum *b c d e.* ex iis *B.* 11 quanta uirtute *b c e.* 12 conlaudat *B.* 14 egregie *D.* 16 concione (*B*). 18 ferundum *A C D.* 20 laetatio *A B C D*, laetitia *e 'alii'.* 22 milia passuum abesset circiter LX *A* (*B*) *C b*; milia passuum XL abesset *e*, *et* 'circiter *om. quoque c d*' (sexaginta (*B*)). 24 ad] ante *b.* oreretur *A B C.* 26 ac fama *B.* Treueros *B.* Indutiomarus (*B*), Induciomarus *u.* postera *b.* 28 Treueros *B.* cum sua legione remittit in hiber-

mittit in hiberna, ipse cum tribus legionibus circum Samarobriuam
trinis hibernis hiemare constituit et, quod tanti motus Galliae exti-
4 terant, totam hiemem ipse ad exercitum manere decreuit. Nam
illo incommodo de Sabini morte perlato omnes fere Galliae ciuita-
tes de bello consultabant, nuntios legationesque in omnes partes
dimittebant et, quid reliqui consilii caperent, atque unde initium
belli fieret, explorabant nocturnaque in locis desertis concilia ha-
5 bebant. Neque ullum fere totius hiemis tempus sine sollicitudine
Caesaris intercessit, quin aliquem de consiliis ac motu Gallorum
6 nuntium acciperet. In his ab Lucio Roscio [quaestore], quem le-
gioni tertiaedecimae praefecerat, certior factus est magnas Gallo-
rum copias earum ciuitatum, quae Armoricae appellantur, oppu-
7 gnandi sui causa conuenisse neque longius milia passuum octo ab
hibernis suis afuisse, sed nuntio allato de uictoria Caesaris disces-
54 sisse, adeo ut fugae similis discessus uideretur. At Caesar prin-
cipibus cuiusque ciuitatis ad se euocatis alias territando, cum se
scire, quae fierent, denuntiaret, alias cohortando magnam partem
2 Galliae in officio tenuit. Tamen Senones, quae est ciuitas inprimis
firma et magnae inter Gallos auctoritatis, Cauarinum, quem Cae-
sar apud eos regem constituerat, cuius frater Moritasgus aduentu
in Galliam Caesaris cuiusque maiores regnum obtinuerant, inter-
ficere publico consilio conati, cum ille praesensisset ac profugisset,
3 usque ad fines insecuti regno domoque expulerunt et missis ad
Caesarem satisfaciundi causa legatis, cum is omnem ad se sena-
4 tum uenire iussisset, dicto audientes non fuerunt. Tantum apud
homines barbaros ualuit esse aliquos repertos principes inferendi

na *A B C*, cum legione in sua remittit hiberna *b c e*. (*Falso Oud. suos omnes praeter* *b c* cum legione sua remittit in hiberna *exhibere narrat*).
1 Samarobrium *B* '*mss. uetustiores multi*'. 2 extiterant *B*.
9 consiliis *B e et reliqui*, conciliis *b c*. 10 Lucio *B*, L. *u*.
quaestore *B* '*ceteri omnes*', *quod delendum suspicatus est Oud.*; legato *e And. Oxon. u. P.* 81. 11 factus est *A B C e* '*mss. plerique*', est factus *u*. 12 Armonicae *b*. 13 milium *B* '*mss.* 8'. 14 fuisse *e* (afuisse *A B C D*, *non* abfuisse). 16 euocatis *A*(*B*) *C D*; conuocatis *b*, uocatis *e*. alios territando *sec. m. e*. cum sciret *d e*.
17 quae fierent] deficere *d e*. denuntiaret *post* cohortando *ponunt B* '*mss. omnes fere*', *om. d e* (denunciaret (*B*)). alios cohortando *sec. m. e*. 18 in primis (*B*). 20 Moritasgus ante, cuius mai. regn. obt. ante aduentum Caes. in Gall. *b c*. 22 ac profugisset *om. b*.
23 usque in fines *A*. prosecuti *m. pr. C*, et secuti *A*. 24 satisfaciundi *B*, satisfaciendi '*mss. plerique*'. 26 esse aliquos repertos *B* '*mss.*'; aliquos esse repertos *e*, esse repertos aliquos *u*. inferendi

belli tantamque omnibus uoluntatum commutationem attulit, ut
praeter Haeduos et Remos, quos praecipuo semper honore Caesar
habuit, alteros pro uetere ac perpetua erga populum Romanum
fide, alteros pro recentibus Gallici belli officiis, nulla fere ciuitas
fuerit non suspecta nobis. Idque adeo haud scio mirandumne sit, 5
cum compluribus aliis de causis, tum maxime, quod ei, qui uirtute
belli omnibus gentibus praeferebantur, tantum se eius opinionis
deperdidisse, ut a populo Romano imperia perferrent, grauissime
dolebant. Treueri uero atque Indutiomarus totius hiemis nullum 55
tempus intermiserunt, quin trans Rhenum legatos mitterent, ciui-
tates sollicitarent, pecunias pollicerentur, magna parte exercitus
nostri interfecta multo minorem superesse dicerent partem. Ne- 2
que tamen ulli ciuitati Germanorum persuaderi potuit, ut Rhenum
transiret, cum se bis expertos dicerent, Ariouisti bello et Tencte-
rorum transitu: non esse amplius fortunam temptaturos. Hac spe 3
lapsus Indutiomarus nihilo minus copias cogere, exercere, a fini-
tumis equos parare, exules damnatosque tota Gallia magnis prae-
miis ad se allicere coepit. Ac tantam sibi iam his rebus in Gallia 4
auctoritatem comparauerat, ut undique ad eum legationes concur-
rerent, gratiam atque amicitiam publice priuatimque peterent.
Vbi intellexit ultro ad se ueniri, altera ex parte Senones Carnu- 56
tesque conscientia facinoris instigari, altera Neruios Aduatucosque
bellum Romanis parare, neque sibi uoluntariorum copias defore,
si ex finibus suis progredi coepisset, armatum concilium indicit.
Hoc more Gallorum est initium belli: quo lege communi omnes 2
puberes armati conuenire consuerunt; qui ex iis nouissimus con-

belli *B 'mss. plerique'*, belli inferendi (*e*) *u.* 1 tantamque] tanquam *b.* omnibus uoluntatum *A* (*B*) *C* (uoluntatem *et* uoluptatem *in aliis inuenit Oud.*), omnium uoluntatis *a b c e Flodoardus.* commutationum *A*, commutationemque *D.* 2 Heduos *Flodoardus.* 4 Gallici belli (*B*) *'mss. omnes'*, belli Gallici *Flodoardus.* 6 quod ei, qui *B et sic 'uel* hi *uel* ii, qui *reliqui'*; quod qui *b c d e.* 8 a populo Romano *A B D et, qui* ea *pro* a, *C*; populi Romani *e Aldus.* 9 Treueri *B.* uero *om. b.* Indutiomarus (*B*), Induciomarus *u.* 10 Renum *B.* 11 magna ex parte *C.* 14 Thinctherorum *B et sic aut* 'Tencatherorum *cett. mss.*' 15 temptaturos *B et sic uel* tentaturos *e et reliqui*, tentandam *a b c.* ac spe *B.* 16 Indutiomarus (*B*), Induciomarus *u.* exercere] exarare *D.* finitumis *A D.* 18 his *B edd. priores*, iis *P. Manutius u.* 22 instigare *A c.* 24 indixit *b e.* 25 initum bellum *D.* quod lege *b e.* 26 puberes armati *e*, puberes et armati *B 'mss. 12'.* consuerunt] coguntur *e.* conuenit *A B C '9 alii'*,

uenit, in conspectu multitudinis omnibus cruciatibus affectus ne-
3 catur. In eo concilio Cingetorigem, alterius principem factionis,
generum suum, quem supra demonstrauimus Caesaris secutum
fidem ab eo non discessisse, hostem iudicat bonaque eius publicat.
4 His rebus confectis in concilio pronuntiat arcessitum se a Senoni-
5 bus et Carnutibus aliisque conpluribus Galliae ciuitatibus; huc itu-
rum per fines Remorum eorumque agros populaturum ac, prius-
quam id faciat, castra Labieni obpugnaturum. Quae fieri uelit,
57 praecipit. Labienus, cum et loci natura et manu munitissumis
castris sese teneret, de suo ac legionis periculo nihil timebat; ne
2 quam occasionem rei bene gerendae dimitteret, cogitabat. Itaque
a Cingetorige atque eius propinquis oratione Indutiomari cognita,
quam in concilio habuerat, nuntios mittit ad finitumas ciuitates
equitesque undique euocat: his certum diem conueniendi dicit.
3 Interim prope cotidie cum omni equitatu Indutiomarus sub castris
eius uagabatur, alias ut situm castrorum cognosceret, alias con-
loquendi aut territandi causa: equites plerumque omnes tela intra
4 uallum coniciebant. Labienus suos intra munitionem continebat
58 timorisque opinionem, quibuscumque poterat rebus, augebat. Cum
maiore in dies contemptione Indutiomarus ad castra accederet,
nocte una intromissis equitibus omnium finitimarum ciuitatum,
quos arcessendos curauerat, tanta diligentia omnes suos custodiis
intra castra continuit, ut nulla ratione ea res enuntiari aut ad
2 Treueros perferri posset. Interim ex consuetudine cotidiana In-
dutiomarus ad castra accedit atque ibi magnam partem diei consu-
mit; equites tela coniciunt et magna cum contumelia uerborum
3 nostros ad pugnam euocant. Nullo ab nostris dato responso, ubi
4 uisum est, sub uesperum dispersi ac dissipati discedunt. Subito

uenit *e u*. *Vid. VI*, 37, 6 *et* conuocare *ap. Cic. de leg. agr. III extr.* 4 iudicat] iudicandum curat *c d e*. bona eius *d e*. 6 conpluribus *B*. hunc *b*. iturum *B et reliqui*, iter facturum *b c e*. 7 per finibus *m. pr. B*. 8 castra Labieni *B edd. ante Graeu.*, Labieni castra *Graeuius u*. obpugnaturum *B*. 9 munitissumis *A B C*. 10 ne quam] nec quicquam *c*. 12 Cingetorige eiusque prop. *b*. Indutiomari *B*, Induciomari *u*. 13 finitumas *B et*, *qui* finitumos, *A*. 14 his *A B C D e*, iis *u*. certam *e Aldus et praeter Steph. seqq. usque ad u 'contra mss.'* 15 Indutiomarus (*B*), Induciomarus *u*. 16 conloquendi *B*. 18 munitionem *B 'reliqui'*, munitiones *e 'mss. 5'*. 19 quibuscumque (*B*), *non* — cunque. 20 Indutiomarus (*B*), Induciomarus *u*. 22 accersendos *B*, arcessiendos *b*. 24 Treueros *B*. Indutiomarus (*B*), Induciomarus *u*.

Labienus duabus portis omnem equitatum emittit; praecipit atque
interdicit, proterritis hostibus atque in fugam coniectis (quod fore,
sicut accidit, uidebat) unum omnes peterent Indutiomarum, neu
quis quem prius uulneret, quam illum interfectum uiderit, quod
mora reliquorum spatium nactum illum effugere nolebat; magna 5
proponit iis, qui occiderint, praemia; summittit cohortes equitibus
subsidio. Comprobat hominis consilium fortuna, et cum unum 6
omnes peterent, in ipso fluminis uado deprehensus Indutiomarus
interficitur, caputque eius refertur in castra: redeuntes equites,
quos possunt, consectantur atque occidunt. Hac re cognita omnes 7
Eburonum et Neruiorum, quae conuenerant, copiae discedunt,
pauloque habuit post id factum Caesar quietiorem Galliam.

C. IVLII CAESARIS

DE BELLO GALLICO

COMMENTARIVS SEXTVS.

Multis de causis Caesar maiorem Galliae motum expectans per Marcum Silanum, Gaium Antistium Reginum, Titum Sextium

1 dimittit *b*. 2 proterritis *A B C D et, ut uidetur, e*; perterritis *edd. ante u.* 3 accedit *m. pr. B.* peterent *B et reliqui,* petant *b c e. P.* 82 *extr.* Indutiomarum (*B*), Induciomarum *u.* neu] nec *b*. 4 quis quem *A* (*B*) *C D*, quisquam alium *b e.* quam] prius *C.* uiderit *A* (*B*) *c*, uideret *e et reliqui.* 6 his *B.* qui ceciderunt *c.* summittit *B*, *non* submittit. 8 Indutiomarus (*B*), Induciomarus *u.* 10 ac re *B.* Iulius Celsus Constantinus u. c. legi. C. Cesari (*sic*) belli Gallici liber v explicit *B.*

Incipit liber III (*sic*) *B.* 1 multum Caesar *b.* expectans *B.* 2 Marcum *B*, M. *u.* Siluanum *b.* Gaium *B*, C. *u.* Titum *B*, T. *u.*

2 legatos delectum habere instituit; simul ab Gneo Pompeio procon-
sule petit, quoniam ipse ad urbem cum imperio reipublicae causa
remaneret, quos ex Cisalpina Gallia consulis sacramento rogauis-
3 set, ad signa conuenire et ad se proficisci iuberet, magni interesse
etiam in reliquum tempus ad opinionem Galliae existumans tantas
uideri Italiae facultates, ut, si quid esset in bello detrimenti ac-
ceptum, non modo id breui tempore resarciri, sed etiam maioribus
4 augeri copiis posset. Quod cum Pompeius et reipublicae et ami-
citiae tribuisset, celeriter confecto per suos delectu tribus ante
exactam hiemem et constitutis et adductis legionibus duplicatoque
earum cohortium numero, quas cum Q. Titurio amiserat, et cele-
ritate et copiis docuit, quid populi Romani disciplina atque opes
possent.

2 Interfecto Indutiomaro, ut docuimus, ad eius propinquos a
Treueris imperium defertur. Illi finitimos Germanos sollicitare et
2 pecuniam polliceri non desistunt. Cum ab proximis impetrare non
possent, ulteriores temptant. Inuentis nonnullis ciuitatibus iure-
iurando inter se confirmant obsidibusque de pecunia cauent: Am-
3 biorigem sibi societate et foedere adiungunt. Quibus rebus cogni-
tis Caesar, cum undique bellum parari uideret, Neruios, Aduatu-
cos ac Menapios adiunctis Cisrhenanis omnibus Germanis esse in
armis, Senones ad imperatum non uenire et cum Carnutibus fini-
tumisque ciuitatibus consilia communicare, a Treueris Germanos
crebris legationibus sollicitari, maturius sibi de bello cogitandum
3 putauit. Itaque nondum hieme confecta proximis quattuor coactis
2 legionibus de inprouiso in fines Neruiorum contendit et, priusquam
illi aut conuenire aut profugere possent, magno pecoris atque ho-
minum numero capto atque ea praeda militibus concessa uastatis-
3 que agris in deditionem uenire atque obsides sibi dare coëgit. Eo

1 dilectum *A* (*B*) *CD*, delatum *a*. ab negeo *B*, ab Cn. *u*. 3 remaneret (*B*) '*mss.* 15'; remanebat *b d e*, manebat *c*. quod ex *b*. consules *b*. rogasset *b*. 5 existumans *A B*. 7 resarciri *B et reliqui*, sarciri *e Oxon*. 8 augeri *B* '*plerique*', adaugeri *b c d e*. 9 dilectu *A* (*B*) *C D*. 10 duplicato earum *b*. 11 numerum *C et ante corr. B*. 14 Indutiomaro (*B*), Induciomaro *u*. 15 Treueris *B*. imperium] regnum *m. pr. b*. 18 obsidibusque et de *b*. 19 coniungunt *b*. 20 uiderat *A*, uideretur *C*. Atuatucos *B*. 21 ac *B et reliqui*, *om. b c e. P.* 69. Cisrenanis *B*. 22 finitumisque *A B D*. 23 ab Treuiris *b*, ad Treuiros *A* (Treueris *B*). 25 quattuor *B*, *non* quatuor. 26 inprouiso *B*.

celeriter confecto negotio rursus in hiberna legiones reduxit.
Concilio Galliae primo uere, ut instituerat, indicto, cum reliqui 4
praeter Senones, Carnutes Treuerosque uenissent, initium belli
ac defectionis hoc esse arbitratus, ut omnia postponere uideretur,
concilium Lutetiam Parisiorum transfert. Confines erant hi Se- 5
nonibus ciuitatemque patrum memoria coniunxerant, sed ab hoc
consilio afuisse existimabantur. Hac re pro suggestu pronuntiata 6
eodem die cum legionibus in Senones proficiscitur magnisque iti-
neribus eo peruenit. Cognito eius aduentu Acco, qui princeps eius 4
consilii fuerat, iubet in oppida multitudinem conuenire. Conanti-
bus, priusquam id effici posset, adesse Romanos nuntiatur. Ne- 2
cessario sententia desistunt legatosque deprecandi causa ad Cae-
sarem mittunt: adeunt per Haeduos, quorum antiquitus erat in fide
ciuitas. Libenter Caesar petentibus Haeduis dat ueniam excusa- 3
tionemque accipit, quod aestiuum tempus instantis belli, non quae-
stionis esse arbitrabatur. Obsidibus imperatis centum hos Haeduis 4
custodiendos tradit. Eodem Carnutes legatos obsidesque mittunt 5
usi deprecatoribus Remis, quorum erant in clientela: eadem ferunt
responsa. Peragit concilium Caesar equitesque imperat ciuitati- 6
bus. Hac parte Galliae pacata totus et mente et animo in bellum 5
Treuerorum et Ambiorigis insistit. Cauarinum cum equitatu Se- 2
nonum secum proficisci iubet, ne quis aut ex huius iracundia aut
ex eo, quod meruerat, odio ciuitatis motus existat. His rebus 3
constitutis, quod pro explorato habebat Ambiorigem proelio non
esse concertaturum, reliqua eius consilia animo circumspiciebat.
Erant Menapii propinqui Eburonum finibus, perpetuis paludibus 4
siluisque muniti, qui uni ex Gallia de pace ad Caesarem legatos
numquam miserant. Cum his esse hospitium Ambiorigi sciebat;

2 Gallia *b*. ut *B et reliqui*, uti *b c*. 3 Treuerosque *B*. 5 Parisaeorum *B*, Pariseorum *C*. hii *B*. 6 sed] et *b*. 7 afuisse, *non* abfuisse, *A* (*B*) *C D*; affuisse *e*. ac re *B*. 9 Acico *A B C D b c*, Accho *e*. 10 *ante* conantibus *add.* et *b*. 13 adeunt] ad eum *B 'mss. 7'*. Heduos *B*. 14 Heduis *B*. 15 accepit *b*. 16 arbitratur *A B C D*. Heduis *B*. 17 tradidit *b*. 18 depraecatoribus *B*, deprecationibus *Flodoardus*. Remis, in quorum erant clientela *Flodoardus*. 20 ac parte *B*. in bello *A*. 21 Treuerorum *B*. Amborigis *B*. 22 aud — aud *B*; *prius om. b*. 23 odii *b c*. existat *B*. 24 pro *om. c*. exprorato *A*. 25 concertaturum *reliqui;* concertaturum tenturum *B C*, concertaturum temptaturum *D*; contenturum *a e. P.* 45. 26 Eburorum *B*. 28 nunquam (*B*). his *B edd. ante Aldum*, iis *Aldus u.*

item per Treueros uenisse Germanis in amicitiam cognouerat.
5 Haec prius illi detrahenda auxilia existimabat, quam ipsum bello
lacesseret, ne desperata salute aut se in Menapios abderet aut cum
6 Transrhenanis congredi cogeretur. Hoc inito consilio totius exer-
citus impedimenta ad Labienum in Treueros mittit duasque legio-
nes ad eum proficisci iubet; ipse cum legionibus expeditis quinque
7 in Menapios proficiscitur. Illi nulla coacta manu loci praesidio
freti in siluas paludesque confugiunt suaque eodem conferunt.
6 Caesar partitis copiis cum Gaio Fabio legato et Marco Crasso
quaestore celeriterque effectis pontibus adit tripertito, aedificia
uicosque incendit, magno pecoris atque hominum numero potitur.
2 Quibus rebus coacti Menapii legatos ad eum pacis petendae causa
3 mittunt. Ille obsidibus acceptis hostium se habiturum numero con-
firmat, si aut Ambiorigem aut eius legatos finibus suis recepissent.
4 His confirmatis rebus Commium Atrebatem cum equitatu custodis
loco in Menapiis relinquit; ipse in Treueros proficiscitur.

7 Dum haec a Caesare geruntur, Treueri magnis coactis pedi-
tatus equitatusque copiis Labienum cum una legione, quae in eo-
2 rum finibus hiemauerat, adoriri parabant, iamque ab eo non lon-
gius bidui uia aberant, cum duas uenisse legiones missu Caesaris
3 cognoscunt. Positis castris a milibus passuum XV auxilia Germa-
4 norum expectare constituunt. Labienus hostium cognito consilio
sperans temeritate eorum fore aliquam dimicandi facultatem prae-
sidio quinque cohortium impedimentis relicto cum uiginti quinque
cohortibus magnoque equitatu contra hostem proficiscitur et mille
5 passuum intermisso spatio castra communit. Erat inter Labie-
num atque hostem difficili transitu flumen ripisque praeruptis. Hoc
neque ipse transire habebat in animo neque hostes transituros

1 Treueros *B.* Germanis *b c e*, Germanos *B 'reliqui'*. 2 bellom *A*, bellum *C D.* 3 Menapiis *b e.* 4 Transrenanis *B.* 5 Treueros *B.* 9 Gaio *B*, C. *u.* legato *om. e.* M. *superducta linea B.* 10 adit (*B*) *c e*, adiit *reliqui.* tripertito *B 'mss. plerique', non* tripartito. 11 succendit *m. pr. C.* 12 quibus ex rebus *b c.* 13 se habiturum in numero *b c*, se numero habiturum *e.* 14 legatos in finibus *b.* 16 reliquit *b.* Treueros *B.* 17 geruntur] aguntur *C.* Treueri *B.* 19 hiemauerat *B et reliqui*, hiemabat *b c e.* 21 quindecim (*B*). 22 expectare *B.* 23 temeritatem *b c, non e.* praesidio quinque cohortium *B C D;* quinque cohortium praesidio *e Aldus 'contra mss.'*, praesidio cohortium quinque *edd. ante Ald. u.* 24 xxv (*B*). 27 difficile *D.* 28 habebat in animo *B et reliqui*, in animo habebat *b c* (*e*).

existimabat. Augebatur auxiliorum cotidie spes. Loquitur in 6
concilio palam, quoniam Germani adpropinquare dicantur, sese
suas exercitusque fortunas in dubium non deuocaturum et postero
die prima luce castra moturum. Celeriter haec ad hostes deferun- 7
tur, ut ex magno Gallorum equitum numero nonnullos Gallicis
rebus fauere natura cogebat. Labienus noctu tribunis militum 8
primisque ordinibus conuocatis, quid sui sit consilii, proponit et,
quo facilius hostibus timoris det suspicionem, maiore strepitu et
tumultu, quam populi Romani fert consuetudo, castra moueri iu-
bet. His rebus fugae similem profectionem effecit. Haec quoque 9
per exploratores ante lucem in tanta propinquitate castrorum ad
hostes deferuntur. Vix agmen nouissimum extra munitiones pro- 8
cesserat, cum Galli cohortati inter se, ne speratam praedam ex
manibus dimitterent; longum esse perterritis Romanis Germano-
rum auxilium expectare, neque suam pati dignitatem, ut tantis
copiis tam exiguam manum praesertim fugientem atque impeditam
adoriri non audeant, flumen transire et iniquo loco committere
proelium non dubitant. Quae fore suspicatus Labienus, ut omnes 2
citra flumen eliceret, eadem usus simulatione itineris placide pro-
grediebatur. Tum praemissis paulum impedimentis atque in tu- 3
mulo quodam collocatis 'habetis', inquit, 'milites, quam petistis,
facultatem: hostem impedito atque iniquo loco tenetis: praestate 4
eandem nobis ducibus uirtutem, quam saepenumero imperatori
praestitistis, atque illum adesse et haec coram cernere existimate'.
Simul signa ad hostem conuerti aciemque dirigi iubet et paucis 5
turmis praesidio ad impedimenta dimissis reliquos equites ad latera
disponit. Celeriter nostri clamore sublato pila in hostes immittunt. 6
Illi, ubi praeter spem quos fugere credebant infestis signis ad se
ire uiderunt, impetum modo ferre non potuerunt ac primo concursu
in fugam coniecti proxumas siluas petierunt. Quos Labienus equi- 7

1 quotidie (*B*). 2 concilio *Aldus,* consilio (*B*) *e 'mss. mei* 14, *in quibus optimi quique'*. adpropinquare *B*. dicebantur *b*. 4 prima luce *om. b*. celeriterque haec *C*. 5 equitum *B et reliqui,* equitatus *b c e*. nonnullos Gallicis *b c e,* nonnullos Gallos Gallicis *B et reliqui*. 7 conuocatis *B et reliqui,* coactis *e And. Oxon*. 8 suspectionem *A*. et tumultu] multo *D*. 10 effecit *B 'mss.* 8', efficit *u*. 13 intra se *C*. 15 auxilio *et in marg*. auxilia *A*. expectare *B*. 17 committere proelium *B,* proelium committere *u*. 19 citra] extra *C*. 22 in impedito *D*. 24 atque illum adesse *B 'reliqui'*, adesse eum *b c*. 29 uidere *b*. 30 proxumas *A D*. petierunt *A b c e,* petiuerunt *B et reliqui*.

tatu consectatus magno numero interfecto, conpluribus captis pau-
cis post diebus ciuitatem recepit. Nam Germani, qui auxilio ue-
8 niebant, percepta Treuerorum fuga sese domum receperunt. Cum
his propinqui Indutiomari, qui defectionis auctores fuerant, comi-
9 tati eos ex ciuitate excesserunt. Cingetorigi, quem ab initio per-
mansisse in officio demonstrauimus, principatus atque imperium
est traditum.

9 Caesar, postquam ex Menapiis in Treueros uenit, duabus de
2 causis Rhenum transire constituit; quarum una erat, quod auxilia
contra se Treueris miserant, altera, ne ad eos Ambiorix receptum
3 haberet. His constitutis rebus paulum supra eum locum, quo ante
4 exercitum traduxerat, facere pontem instituit. Nota atque insti-
tuta ratione magno militum studio paucis diebus opus efficitur.
5 Firmo in Treueris ad pontem praesidio relicto, ne quis ab his su-
6 bito motus oreretur, reliquas copias equitatumque traducit. Vbii,
qui ante obsides dederant atque in deditionem uenerant, purgandi
sui causa ad eum legatos mittunt, qui doceant neque auxilia ex
7 sua ciuitate in Treueros missa, neque ab se fidem laesam: petunt
atque orant, ut sibi parcat, ne communi odio Germanorum inno-
centes pro nocentibus poenas pendant; si amplius obsidum uellet,
8 dare pollicentur. Cognita Caesar causa reperit ab Sueuis auxilia
missa esse; Vbiorum satisfactionem accipit, aditus uiasque in
10 Sueuos perquirit. Interim paucis post diebus fit ab Vbiis certior
Sueuos omnes in unum locum copias cogere atque iis nationibus,

1 conpluribus *B.* 3 Treuerorum *B.* domo *b.* rece-perunt *B 'plerique'*, contulerunt *ce.* 4 his *B edd. ante Ald.*, iis *Aldus u.* Indutiomari (*B*), Induciomari *u.* actores *D.* fue-runt *b.* 5 excesserunt *e et sic 'uel* excesserant *mss. plerique'*, exces-serant *B edd. ante Ald.*; excessere *Aldus u.* 8 Treueros *B.* 9 Renum *B.* una erat *B 'ceteri omnes'*, erat altera *e And. Oxon.* 10 Treueris *B.* ad eos Ambiorix receptum *B C D;* Ambiorix re-ceptum ad eos *e*, Ambiorix ad eos receptum *u et 'sic mss.'?* 11 paulo *e.* 12 exercitum *om. b.* 14 Treueris *B.* ad pontem praesidio *B 'mss. plurimi'*, praesidio ad pontem (*e*) *u.* his *B Aldus*, iis *P. Manutius u.* 15 oreretur *A et m. pr. B atque, ut uidetur, e.* ubi i *B*, ubi *'mss. plerique'.* 17 auxilia ex sua ciuitate *B 'plerique'*, ex sua ciuitate auxilia (*e*) *u.* 18 Treueros *B.* 20 penas *m. pr. B.* obsidium *A e.* uellet *B 'reliqui'*, uelit *b c e. P.* 83. 21 dari *b c e.* repperit *B.* 22 Vbiorum *And. Oxon.*, ubi horum *reliqui.* accipit *cod. Vrsini*, accepit *reliqui. P.* 59. 23 Suebos *B.* inquirit *D.* 24 Suebos *B.* unum in locum *b* (*e*) *u.* copias agere *b.* atque his *B.*

quae sub eorum sint imperio, denuntiare, ut auxilia peditatus
equitatusque mittant. His cognitis rebus rem frumentariam pro- 2
uidet, castris idoneum locum deligit; Vbiis imperat, ut pecora de-
ducant suaque omnia ex agris in oppida conferant, sperans barba-
ros atque imperitos homines inopia cibariorum adductos ad iniquam
pugnandi condicionem posse deduci, mandat, ut crebros explora- 3
tores in Sueuos mittant quaeque apud eos gerantur cognoscant.
Illi imperata faciunt et paucis diebus intermissis referunt: Sueuos 4
omnes, posteaquam certiores nuntii de exercitu Romanorum uene-
rint, cum omnibus suis sociorumque copiis, quas coëgissent, peni-
tus ad extremos fines se recepisse: siluam esse ibi infinita magni- 5
tudine, quae appellatur Bacenis; hanc longe introrsus pertinere
et pro natiuo muro obiectam Cheruscos ab Sueuis Sueuosque ab
Cheruscis iniuriis incursionibusque prohibere: ad eius initium sil-
uae Sueuos aduentum Romanorum expectare constituisse.

Quoniam ad hunc locum peruentum est, non alienum esse ui- 11
detur de Galliae Germaniaeque moribus et, quo differant hae na-
tiones inter sese, proponere. In Gallia non solum in omnibus ci- 2
uitatibus atque in omnibus pagis [partibusque], sed paene etiam
singulis domibus factiones sunt, earumque factionum principes 3
sunt qui summam auctoritatem eorum iudicio habere existuman-
tur, quorum ad arbitrium iudiciumque summa omnium rerum con-
siliorumque redeat. Itaque eius rei causa antiquitus institutum ui- 4
detur, ne quis ex plebe contra potentiorem auxilii egeret: suos
enim quisque opprimi et circumueniri non patitur, neque, aliter si
faciat, ullam inter suos habet auctoritatem. Haec eadem ratio est 5
in summa totius Galliae: namque omnes ciuitates in partes diuisae
sunt duas. Cum Caesar in Galliam uenit, alterius factionis prin- 12

1 sint *A* (*B*) *C D*, sunt *e*. uti *cum uno Oxon. u.* 4 ex] de *b*. 5 adductos] afflictos *b*. ad iniquam] ad aliquam *d*, in aliquam *c e*. 6 conditionem *cum* c *super* t *sec. m. posita B.* adduci *b*. 7 Suebos *B*. 8 Suebos *B*. 11 se *B e 'mss. omnes fere'*, sese *inuito Oud. u.* 12 Bacinis *b c*. hanc *b c e*, ac *B 'ceteri'*. 13 Cheruscos ab *A* (*B*) *C D*, *non* Cheruscos a. Suebis Suebosque *B*. 15 Suebos *B*. expectare *B*. 17 quo] quod *C*; modo *int. uers. add. A.* 19 plagis *c*. partibusque *delendum uidebatur Dauisio*, partibus *omissa copula C. P.* 85. pene *B*. etiam singulis *B et reliqui*, etiam in singulis *b c e. P.* 57. 21 existumantur *A B D*. 22 consiliumque *b c*. 23 itaque *B 'reliqui'*; idque *b d e*, id *c*. *Post* antiquitus *defectus est in B.* 25 et] ac *b*. 26 faciant (*a*) *b e u*. inter suos ullam *a*. habent *coni. Oud. u.*

2 cipes erant Haedui, alterius Sequani. Hi cum per se minus uale-
rent, quod summa auctoritas antiquitus erat in Haeduis magnae-
que eorum erant clientelae, Germanos atque Ariouistum sibi ad-
iunxerant eosque ad se magnis iacturis pollicitationibusque perdu-
3 xerant. Proeliis uero compluribus factis secundis atque omni no-
bilitate Haeduorum interfecta tantum potentia antecesserant, ut
4 magnam partem clientium ab Haeduis ad se traducerent obsides-
que ab iis principum filios acciperent et publice iurare cogerent
nihil se contra Sequanos consilii inituros et partem finitumi agri
per uim occupatam possiderent Galliaeque totius principatum ob-
5 tinerent. Qua necessitate adductus Diuitiacus auxilii petendi cau-
6 sa Romam ad senatum profectus infecta re redierat. Aduentu
Caesaris facta commutatione rerum, obsidibus Haeduis redditis,
ueteribus clientelis restitutis, nouis per Caesarem comparatis,
quod hi, qui se ad eorum amicitiam adgregauerant, meliore condi-
cione atque aequiore imperio se uti uidebant, reliquis rebus eorum
gratia dignitateque amplificata Sequani principatum dimiserant.
7 In eorum locum Remi successerant: quos quod adaequare apud
Caesarem gratia intellegebatur, ii, qui propter ueteres inimicitias
nullo modo cum Haeduis coniungi poterant, se Remis in clientelam
8 dicabant. Hos illi diligenter tuebantur: ita et nouam et repente
9 collectam auctoritatem tenebant. Eo tum statu res erat, ut longe
principes haberentur Haedui, secundum locum dignitatis Remi ob-
13 tinerent. In omni Gallia eorum hominum, qui aliquo sunt numero
atque honore, genera sunt duo. Nam plebes paene seruorum ha-
2 betur loco, quae nihil audet per se, nullo adhibetur consilio. Ple-
rique, cum aut aere alieno aut magnitudine tributorum aut iniuria
3 potentiorum premuntur, sese in seruitutem dicant nobilibus. In

1 Haedui *hic et deinceps etiam a.* 2 erat *om. D.* 3 erant *om. a b c d e.* Ariobixtum *C et* Ariobistum *cum* x *super* s *a.* 6 tanta *b.* 8 ab his *a.* 9 finitumi *A C.* 12 infecta *e And. Oxon. et* per *inter* n *et* f *suprascripto a,* imperfecta *reliqui.* 14 clientelis ueteribus *a.* 15 hii *a.* adgregauerant *a.* conditione (*a*). 17 dignitateque *reliqui,* dignitate (*a*) *b e.* 19 hi, qui *a.* 21 dicabant *A* (*a*) *b d e;* dicebant *C,* ducebant *D.* 22 eo cum statu *a,* eo tum in statu *D.* erant *b.* 23 Haedui haberentur *a.* 24 qui in aliquo *a b e.* 25 plebes *A C D* (*a*) *b c e,* plebs *Aimoinus praef. c.* 5. habentur *b.* 26 quae] qui *b.* nihil habet per se '*mss.* 11' *Aimoinus,* per se nihil audet (*a*) *u.* nullo *A C D Aimoinus,* nulli *a e:* et nullo *u, sed* et *om.* '*mss.* 11' *a e Aimoinus.* concilio *b.* 27 cum aere *b e.* 28 potentium *b.* in seruitutem sese *a.* dicant] addicunt *Aimoinus.*

hos eadem omnia sunt iura, quae dominis in seruos. Sed de his
duobus generibus alterum est druidum, alterum equitum. Illi re- 4
bus diuinis intersunt, sacrificia publica ac priuata procurant, reli-
giones interpretantur: ad eos magnus adolescentium numerus di-
sciplinae causa concurrit, magnoque hi sunt apud eos honore.
Nam fere de omnibus controuersiis publicis priuatisque constitu- 5
unt, et, si quod est admissum facinus, si caedes facta, si de here-
ditate, de finibus controuersia est, idem decernunt, praemia poe-
nasque constituunt; si qui aut priuatus aut populus eorum decreto 6
non stetit, sacrificiis interdicunt. Haec poena apud eos est gra-
uissima. Quibus ita est interdictum, hi numero impiorum ac sce- 7
leratorum habentur, his omnes decedunt, aditum sermonemque de-
fugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant, neque his pe-
tentibus ius redditur neque honos ullus communicatur. His autem 8
omnibus druidibus praeest unus, qui summam inter eos habet au-
ctoritatem. Hoc mortuo aut, si qui ex reliquis excellit dignitate, 9
succedit, aut, si sunt plures pares, suffragio druidum, nonnumquam
etiam armis de principatu contendunt. Hi certo anni tempore in 10
finibus Carnutum, quae regio totius Galliae media habetur, consi-
dunt in loco consecrato. Huc omnes undique, qui controuersias

1 sunt omnia *Aimoinus*. 4 ad eos *ego*, ad hos *codd. Aimoinus. Addend. ad P.* 105. 5 hi *a Aimoinus edd. ante Ald.*, ii *Aldus u.* 7 facinus admissum *a.* si de hereditate, de finibus *a e Aimoinus omnesque Oud. praeter D;* si de hereditate, si de finibus *D u.* 8 idem *a 'mss. uetustiores', non* iidem. decernunt (*a*) *b c*, discernunt *A C D e Aimoinus.* 9 si qui *D* (*a*) *b e 'quinque alii'*, si quia *suprasc.* autem *A;* si quis *Aimoinus edd. ante u.* priuati *a b e.* populus *A C a b c e Aimoinus Hotomani*, publicus *u Aimoinus Bouqueti.* 10 steterit *b c Aimoinus, non* (*a*) *neque e.* 11 ita *om. e.* hi *a Aimoinus edd. ante Ald*, ii *Aldus u.* 12 his *Aimoinus edd. ante Ald.*, iis *u;* ab his *a e*, ab iis *b c Aldus.* discedunt *b c e, non* (*a*). aditum *reliqui et Aimoinus*, aditum eorum *a b e.* sermonemque] atque sermonem *a.* diffugiunt *Aimoinus.* 13 incomodi *a.* his *a Aimoinus edd. ante Ald.*, iis *Aldus u.* 14 onos *A.* 16 hoc mortuo aut si *reliqui* ('*D ulterius interpolauit* si mortuo succedit eius heres, aut si'); hoc mortuo si (*a*) *b c d e Aimoinus.* qui *C D* (*a*) *b e et m. pr. A,* quis *Aimoinus edd. ante u.* dignitati succedit *Aimoinus.* 17 aut si *e reliqui Aimoinus,* at si (*a*) *And. Oxon.* pares plures *a.* suffragio druidum, nonnumquam *reliqui et Aimoinus;* suffragio druidum adlegitur, nonnumquam *a c d et m. pr., ut Elberlingio uisum est, e* (*Whittius* alligitur *legit*) *et, qui* adligitur *b : in A sec. m.* deligitur, *in e item sec. m.* eligitur *suprascripsit. P.* 86. (nonnunquam (*a*)). 18 tempore anni *a.* 19 qua regio *b.*

11 habent, conueniunt eorumque decretis iudiciisque parent. Disci-
plina in Britannia reperta atque inde in Galliam translata esse exi-
12 stimatur, et nunc, qui diligentius eam rem cognoscere uolunt,
14 plerumque illo discendi causa proficiscuntur. Druides a bello ab-
esse consuerunt neque tributa una cum reliquis pendunt, militiae
2 uacationem omniumque rerum habent inmunitatem. Tantis exci-
tati praemiis et sua sponte multi in disciplinam conueniunt et a
3 parentibus propinquisque mittuntur. Magnum ibi numerum uer-
suum ediscere dicuntur. Itaque annos nonnulli uicenos in disci-
plina permanent. Neque fas esse existimant ea litteris mandare,
cum in reliquis fere rebus, publicis priuatisque rationibus Graecis
4 litteris utantur. Id mihi duabus de causis instituisse uidentur,
quod neque in uulgum disciplinam efferri uelint neque eos, qui
discunt, litteris confisos minus memoriae studere; quod fere ple-
risque accidit, ut praesidio litterarum diligentiam in perdiscendo
5 ac memoriam remittant. Inprimis hoc uolunt persuadere, non in-
terire animas, sed ab aliis post mortem transire ad alios, atque
hoc maxime ad uirtutem excitari putant metu mortis neglecto.
6 Multa praeterea de sideribus atque eorum motu, de mundi ac ter-
rarum magnitudine, de rerum natura, de deorum inmortalium ui
15 ac potestate disputant et iuuentuti tradunt. Alterum genus est
equitum. Hi, cum est usus atque aliquod bellum incidit (quod fere
ante Caesaris aduentum quotannis accidere solebat, uti aut ipsi
iniurias inferrent aut inlatas propulsarent), omnes in bello uersan-
2 tur, atque eorum ut quisque est genere copiisque amplissimus, ita
plurimos circum se ambactos clientesque habet. Hanc unam gra-
16 tiam potentiamque nouerunt. Natio est omnis Gallorum admodum

1 decretis iudiciisque *a e 'mss.' Stephanus*, iudiciis decretisque *reliquae edd. ante u Aimoinus.* *Verbo* parent *incipit rursus B.* 2 Brittania *m. pr. B.* existumatur *D.* 5 consueuerunt *Aimoinus.* una] umquam *b e.* 6 inmunitatem *B.* 11 in *om. A.* publicis et priuatis rat. *b.* 12 litteris utantur *B reliqui Aimoinus,* utantur litteris *b c.* 14 discunt *B reliqui Aimoinus,* discant *b e.* 16 in primis (*B*). 18 maxime *om. b e.* 19 multi *b.* ac eorum *Aimoinus.* 20 inmortalium *B.* uia *m. pr. A.* 22 quod fere ante Caesaris aduentum *B* (*is* Cesaris) *Aimoinus edd. ante Ald.*; 'quod fere ante aduentum Caesaris *mss. plerique*'?, quod ante Caesaris aduentum fere *Aldus u.* 23 quod annis *m. pr. B.* accedere *B C D.* ut *Aimoinus.* 24 inlatas *B.* 25 est *om. Aimoinus.* copiis amplissimus *e, et eadem post* copiisque amplissimus *add. b.* 26 habet *B reliqui Aimoinus*, habent *b e.* 27 omnis *b d e*, omnium *A* (*B*) *C D Aimoinus.*

dedita religionibus, atque ob eam causam, qui sunt adfecti grauio- 2
ribus morbis quique in proeliis periculisque uersantur, aut pro ui-
ctimis homines immolant aut se immolaturos uouent administrisque
ad ea sacrificia druidibus utuntur, quod, pro uita hominis nisi ho- 3
minis uita reddatur, non posse deorum immortalium numen pla-
cari arbitrantur, publiceque eiusdem generis habent instituta sa-
crificia. Alii inmani magnitudine simulacra habent, quorum con- 4
texta uiminibus membra uiuis hominibus complent; quibus succen-
sis circumuenti flamma exanimantur homines. Supplicia eorum, 5
qui in furto aut in latrocinio aut aliqua noxia sint conprehensi,
gratiora dis immortalibus esse arbitrantur; sed, cum eius generis
copia defecit, etiam ad innocentium supplicia descendunt. Deum 17
maxime Mercurium colunt: huius sunt plurima simulacra. Hunc
omnium inuentorem artium ferunt, hunc uiarum atque itinerum
ducem, hunc ad quaestus pecuniae mercaturasque habere uim ma-
ximam arbitrantur. Post hunc Apollinem et Martem et Iouem et 2
Mineruam. De his eandem fere, quam reliquae gentes, habent
opinionem: Apollinem morbos depellere, Mineruam operum atque
artificiorum initia tradere, Iouem imperium caelestium tenere,
Martem bella regere. Huic, cum proelio dimicare constituerunt, 3
ea, quae bello ceperint, plerumque deuouent: quom superauerunt,
animalia capta immolant reliquasque res in unum locum conferunt.
Multis in ciuitatibus harum rerum exstructos tumulos locis conse- 4
cratis conspicari licet; neque saepe accidit, ut neglecta quispiam 5
religione aut capta apud se occultare aut posita tollere auderet,
grauissimumque ei rei supplicium cum cruciatu constitutum est.

1 adfecti *B.* 4 nisi *e Aimoinus,* non nisi *A B C D b c.* hominis uita *A e,* uita hominis *reliqui Aimoinus.* 5 non posse *B* '*reliqui*' *Aimoinus,* non posse aliter *b c e et m. sec. A.* 7 alii magnitudine limnani *b et, qui* humani, *c* (inmani *B*). habent *om. c.* 9 examinantur *B.* 10 aut in latrocinio *A* (*B*) *C D Aimoinus,* aut latrocinio *e.* noxia *A c,* noxa (*B*) *e reliqui Aimoinus.* sunt *Aimoinus.* conprehensi *B.* 11 dis *A B D, non* diis. 12 defecit *B* '*mss.* 8', deficit (*e*) *Aimoinus u.* 'innocentium *D*' (*puto* nocentium). 13 plura *A.* 19 initium *A.* caeleste *Aimoinus* (coelestium (*B*)). 21 ceperint *B* (*is* coeperint) '*mei omnes*' *Aimoinus,* ceperunt *e.* quom superauerunt *Clarkius,* quae superauerint *codd. et Aimoinus.* 22 reliquasque res *B* '*ceteri*' *Aimoinus,* reliquas res *b c d.* 23 instructos *D.* consecratis locis *b.* 24 namque saepe sicut accidit *b.* 25 relegione *A.* apud se *om. e.* aud posita *B.* 26 grauissimumque ibi supplicium ('*uel* suppl. ibi') horum delictorum cum cruciatu *a b d e.*

18 Galli se omnes ab Dite patre prognatos praedicant idque ab drui-
2 dibus proditum dicunt. Ob eam causam spatia omnis temporis non
numero dierum, sed noctium finiunt; dies natales et mensium et
3 annorum initia sic obseruant, ut noctem dies subsequatur. In re-
liquis uitae institutis hoc fere ab reliquis differunt, quod suos li-
beros, nisi cum adoleuerunt, ut munus militiae sustinere possint,
palam ad se adire non patiuntur filiumque puerili aetate in publico
19 in conspectu patris adsistere turpe ducunt. Viri, quantas pecunias
ab uxoribus dotis nomine acceperunt, tantas ex suis bonis aesti-
2 matione facta cum dotibus communicant. Huius omnis pecuniae
coniunctim ratio habetur fructusque seruantur: uter eorum uita
superarit, ad eum pars utriusque cum fructibus superiorum tem-
3 porum peruenit. Viri in uxores, sicuti in liberos, uitae necisque
habent potestatem; et cum paterfamiliae inlustriore loco natus de-
cessit, eius propinqui conueniunt et, de morte si res in suspicio-
nem uenit, de uxoribus in seruilem modum quaestionem habent
et, si conpertum est, igni atque omnibus tormentis excruciatas
4 interficiunt. Funera sunt pro cultu Gallorum magnifica et sum-
ptuosa; omniaque, quae uiuis cordi fuisse arbitrantur, in ignem
inferunt, etiam animalia, ac paulo supra hanc memoriam serui et
clientes, quos ab iis dilectos esse constabat, iustis funeribus con-
20 fectis una cremabantur. Quae ciuitates commodius suam rempu-
blicam administrare existimantur, habent legibus sanctum, si quis
quid de republica a finitimis rumore aut fama acceperit, uti ad ma-
2 gistratum deferat neue cum quo alio communicet, quod saepe ho-
mines temerarios atque imperitos falsis rumoribus terreri et ad
facinus inpelli et de summis rebus consilium capere cognitum est.

1 pronatos *b*. idque ex druidibus *b c e*. 2 ob hanc causam *Aimoinus*. spatium *b e*. 3 finiunt ut dies *b e*. mensuum *m. pr. B*. 5 a *Aimoinus*. 6 adoleuerunt *A B C e*, adoleuerint *Aimoinus u*. 7 ad se ire *b*. filiumque in puerili *b*. 8 adsistere (*B*). uirique quantas *b*. 9 'acceperunt *D*' (acceperint *puto*). 11 *ante* uter *addunt* ut *b*, et *Aimoinus*. 12 superauerit *Aimoinus*. cum fructu *b e*. 13 perueniat *b*. 14 ut cum *b*. paterfamilias *Aimoinus*. inlustriore *B*. 15 suspitionem *m. pr. B*. 17 conpertum *B*. igne *b*. tormentis] suppliciis *b*. 19 omnia quaeque *B e* '*plurimi*', omnia quae *D*, et omnia quae *Aimoinus*. 20 conferunt *b*. 21 ab his *B Aimoinus*. 23 quis *om. b e*. 24 aut *B* (*is m. pr.* aud) *reliqui Aimoinus*, ac *b e*. acceperint — deferant *b e*. 25 quo *om. b*. communicent *b, non e*. 26 imperitos *a e*, impeditos *A B C D Aimoinus*. 27 inpelli *B*.

Magistratus quae uisa sunt occultant quaeque esse ex usu iu- 3
dicauerunt multitudini produnt. De republica nisi per concilium
loqui non conceditur. Germani multum ab hac consuetudine diffe- 21
runt. Nam neque druides habent, qui rebus diuinis praesint, ne-
que sacrificiis student. Deorum numero eos solos ducunt, quos 2
cernunt et quorum aperte opibus iuuantur, Solem et Vulcanum et
Lunam, reliquos ne fama quidem acceperunt. Vita omnis in ue- 3
nationibus atque in studiis rei militaris consistit: ab paruulis la-
bori ac duritiae student. Qui diutissime impuberes permanserunt, 4
maximam inter suos ferunt laudem: hoc ali staturam, ali uires
neruosque confirmari putant. Intra annum uero uicesimum femi- 5
nae notitiam habuisse in turpissimis habent rebus; cuius rei nulla
est occultatio, quod et promiscue in fluminibus perluuntur et pelli-
bus aut paruis rhenonum tegimentis utuntur magna corporis parte
nuda. Agriculturae non student, maiorque pars eorum uictus in 22
lacte, caseo, carne consistit. Neque quisquam agri modum cer- 2
tum aut fines habet proprios; sed magistratus ac principes in an-
nos singulos gentibus cognationibusque hominum, qui una coierunt,
quantum et quo loco uisum est agri adtribuunt atque anno post
alio transire cogunt. Eius rei multas adferunt causas: ne adsidua 3
consuetudine capti studium belli gerendi agricultura commutent;
ne latos fines parare studeant, potentioresque humiliores posses-
sionibus expellant; ne accuratius ad frigora atque aestus uitandos

1 quae uero ex usu *b*. iudicauerunt *A B C e*, iudicauerint *u Aimoinus*. 2 re populi *b*. 3 multum a consuetudine Gallorum differunt *Aimoinus praef. c.* 2. 5 *ante* deorum *add.* de *Aimoinus*. 6 iubantur *m. pr. B*. Solem] scilicet *add. Aimoinus*. 7 nec fama acceperunt *Aimoinus*. omnis inuentionibus *m. pr. B*. 8 a paruis *b*. 9 impubes *b*. 10 maxime *A*. suos] Sueuos *b*. laudem ferunt *Aimoinus*. ali uires *B reliqui Aimoinus,* ali hoc uires *b d e* (*sed* alii *hic et antea B e* '*mss. plurimi*' *Aimoinus*). 11 feminam notitiae *A*. 14 rhenonum (*B*) *C e Aimoinus;* 'rhenorum *uel* renorum *ceteri uetustiores,* renonum, rerum *uel* renum *alii*'. tegimentis *A b*, '*non per* u'; tegumentis *B Aimoinus*. 15 eorum uictus *B e reliqui Aimoinus*, uictus eorum *b* '*aliique*' *u*. in lacte, caseo, carne (*B*) *C D reliqui;* in lacte, caseo carneque *Aimoinus;* in lacte et caseo et carne *b e*. 18 cognationesque *B C,* cognationique *D,* cognationibus *omissa copula b*. quicum una *B* '*mss.* 11', qui sua *D*, quique una *b c e*. coierunt *B* (*is* coirunt) *e reliqui Aimoinus,* coierint *b u*. 19 et quo *e Aimoinus,* ei quo *B* '*plerique*'. adtribuunt *B*. post annum *Aimoinus*. 20 adferunt *B*. ne] quod neque *b*. adsidua *B*. 21 belligerandi *Aimoinus,* belli gerundi *sine auctoritate u*.

aedificent; ne qua oriatur pecuniae cupiditas, qua ex re factiones
4 dissensionesque nascuntur; ut animi aequitate plebem contineant,
23 cum suas quisque opes cum potentissimis aequari uideat. Ciuita-
tibus maxima laus est quam latissime circum se uastatis finibus
2 solitudines habere. Hoc proprium uirtutis existimant, expulsos
agris finitumos cedere, neque quemquam prope audere consistere;
3 simul hoc se fore tutiores arbitrantur repentinae incursionis timore
4 sublato. Cum bellum ciuitas aut inlatum defendit aut infert, ma-
gistratus, qui ei bello praesint, ut uitae necisque habeant potesta-
5 tem, deliguntur. In pace nullus est communis magistratus, sed
principes regionum atque pagorum inter suos ius dicunt controuer-
6 siasque minuunt. Latrocinia nullam habent infamiam, quae extra
fines cuiusque ciuitatis fiunt, atque ea iuuentutis exercendae ac
7 desidiae minuendae causa fieri praedicant. Atque ubi quis ex prin-
cipibus in concilio dixit se ducem fore, qui sequi uelint, profitean-
tur, consurgunt ii, qui et causam et hominem probant suumque
8 auxilium pollicentur atque ab multitudine conlaudantur: qui ex his
secuti non sunt, in desertorum ac proditorum numero ducuntur,
omniumque his rerum postea fides derogatur. Hospitem uiolare
9 fas non putant; qui quacumque de causa ad eos uenerunt, ab in-
iuria prohibent, sanctos habent, hisque omnium domus patent ui-
24 ctusque communicatur. Ac fuit antea tempus, cum Germanos
Galli uirtute superarent, ultro bella inferrent, propter hominum
multitudinem agrique inopiam trans Rhenum colonias mitterent.
2 Itaque ea, quae fertilissima Germaniae sunt, loca circum Hercy-
niam siluam, quam Eratostheni et quibusdam Graecis fama notam

1 neque oriatur *'mss. 3' Aimoinus.* 4 latissime *B 'plerique' Aimoinus;* latissimis *a b e,* latissimas *u.* 5 expulsis *B C.* 6 finitumos *A.* prope se audere *b e.* 8 inlatum *B.* 9 praesunt *D b.* 10 nullis *A.* 12 latrocinium *D.* 14 desidiam *A.* ubi quisque ex *b.* 15 dixerit *Aimoinus.* 16 hi, qui *B Aimoinus edd. ante Aldum.* 17 a *b.* conlaudantur *B.* ex his *B Aimoinus edd. ante Ald.,* ex iis *Aldus u.* 18 dicuntur *ante corr. B.*
19 his *B Aimoinus edd. ante Ald.* (*sed hae post* rerum), iis *Aldus* (*is quoque post* rerum) *u.* hospitem *B 'plerique' Aimoinus,* hospites *e u.* uiolari *b e.* 20 quacumque *b c e,* quaque (*B*) *reliqui Aimoinus.* uenerunt *B e reliqui,* uenerint *b c Aimoinus.* ab *om. a b c e.*
21 sanctos habent *B 'plerique' Aimoinus,* sanctosque habent *e u.* hisque *B e Aimoinus et sic 'uel* iisque *plerique'* (iisque *edd. ante Ald.*), iis *Aldus u.* 23 inferrent ac propter *Aimoinus.* 25 itaque] atque *b.* Germaniae sunt *B C Aimoinus praef. c.* 1, sunt Germaniae *u.*
Hircaniam *b 'et dein',* Herciniam *Aimoinus.* 26 quae *b.* Eratosteni *B 'omnes'.* nota *b.*

esse uideo, quam illi Orcyniam appellant, Volcae Tectosages oc-
cupauerunt atque ibi consederunt; quae gens ad hoc tempus his 3
sedibus sese continet summamque habet iustitiae et bellicae laudis
opinionem. Nunc quidem in eadem inopia, egestate patientiaque 4
Germani permanent, eodem uictu et cultu corporis utuntur; Gal- 5
lis autem prouinciarum propinquitas et transmarinarum rerum no-
titia multa ad copiam atque usus largitur, paulatim adsuefacti su- 6
perari multisque uicti proeliis ne se quidem ipsi cum illis uirtute
comparant. Huius Hercyniae siluae, quae supra demonstrata est, **25**
latitudo nouem dierum iter expedito patet: non enim aliter finiri
potest, neque mensuras itinerum nouerunt. Oritur ab Heluetio- 2
rum et Nemetum et Rauracorum finibus rectaque fluminis Danu-
bii regione pertinet ad fines Dacorum et Anartium; hinc se flectit 3
sinistrorsus diuersis ab flumine regionibus multarumque gentium
fines propter magnitudinem adtingit; neque quisquam est huius 4
Germaniae, qui se [aut audisse] aut adisse ad initium eius siluae
dicat, cum dierum iter LX processerit, aut, quo ex loco oriatur, ac-
ceperit: multaque in ea genera ferarum nasci constat, quae reliquis 5
in locis uisa non sint; ex quibus quae maxime differant ab ceteris
et memoriae prodenda uideantur, haec sunt. Est bos cerui figura, **26**
cuius a media fronte inter aures unum cornu existit excelsius ma-

1 Orcyniam *A* (*B*) *C b* '*aliique multi*', Orciniam *Aimoinus.* Volgae *B C D* '*alii*' *Aimoinus,* uulgo *e* '*plerique*'. occupauerunt] nuncupauerunt *Aimoinus.* 2 ad] usque ad *Aimoinus.* his *B Aimoinus edd. priores,* iis *P. Manutius u.* 3 iustitiam *b.* 4 nunc quidem *Dukerianus et Aimoinus;* nunc quod *B* '*longe plurimi*' *Aldus,* nunc quoniam *b c e*, nuncque *edd. ante Ald. et* nunc quoque *ex Petauiano u haec superioribus uerbis coniungentes.* patientiaque *Aldus;* patientia, qua *codd. Aimoinus edd. ante Ald. u. Oudendorpii et primarum edd. ratio uerba uersus* 8 cum illis *contra sententiam scriptoris ad Volcas Tectosages referre cogit; Aldus apodosi* paulatim adsuefacti *cett. pronomen* hi *praemittere debebat.* (pacientia *B*). 6 prouinciarum *B e* '*reliqui*' *Aimoinus,* prouinciae *m. pr. Dukerianus u.* 7 usum *b c e.* *ante* paulatim *add.* qui *Aimoinus.* adsuefacti (*B*). 8 nec se quidem *Aimoinus.* 9 Herciniae *Aimoinus.* 10 expedito itinere *b.* 11 Heluitiorum *B* '*mss. uetustiores*'. 12 Rauracorum *e Aimoinus,* Rauacorum *b;* Rauriacorum *C*, Tauriacorum *B* '*plurimi*'. 13 regione et pertingit ad *Aimoinus.* huc *b.* 14 a flumine *Aimoinus.* 15 adtingit *B.* nec quisquam *b.* 16 aut audisse *om. And. Oxon.* ad *om. Aimoinus.* 17 sexaginta (*B*), LXIX *b c: in A* XL *suprascriptum est.* processerint *A.* 18 multaque *B e Aimoinus* '*mss. omnes*' *praeter unum det., quocum* multa *u.* 19 non sunt *Aimoinus.* ceteris] aliis *Aimoinus.* 20 memoria *b c e.* 21 unum cornu inter aures *b.* existit *B.*

2 gisque directum his, quae nobis nota sunt, cornibus: ab eius
3 summo sicut palmae ramique late diffunduntur. Eadem est femi-
27 nae marisque natura, eadem forma magnitudoque cornuum. Sunt
item, quae appellantur alces. Harum est consimilis capris figura
et uarietas pellium, sed magnitudine paulo antecedunt mutilaeque
sunt cornibus et crura sine nodis articlisque habent neque quietis
2 causa procumbunt neque, si quo adflictae casu conciderunt, erigere
3 sese aut subleuare possunt. His sunt arbores pro cubilibus: ad
eas se adplicant atque ita paulum modo reclinatae quietem capiunt.
4 Quarum ex uestigiis cum est animaduersum a uenatoribus, quo se
recipere consuerint, omnes eo loco aut ab radicibus subruunt aut
accidunt arbores, tantum ut summa species earum stantium relin-
5 quatur. Huc cum se consuetudine reclinauerunt, infirmas arbores
28 pondere adfligunt atque una ipsae concidunt. Tertium est genus
eorum, qui uri appellantur. Hi sunt magnitudine paulo infra ele-
2 phantos, specie et colore et figura tauri. Magna uis eorum est et
magna uelocitas, neque homini neque ferae, quam conspexerunt,
3 parcunt. Hos studiose foueis captos interficiunt. Hoc se labore
durant adulescentes atque hoc genere uenationis exercent, et qui
plurimos ex his interfecerunt, relatis in publicum cornibus, quae
4 sint testimonio, magnam ferunt laudem. Sed adsuescere ad homi-
5 nes et mansuefieri ne paruuli quidem excepti possunt. Amplitudo
cornuum et figura et species multum a nostrorum boum cornibus

1 ab] et *b*, et ab *Aimoinus*. 2 ramique late *B 'reliqui'*; rami quam late *b c d e*, rami late *Aimoinus*. *P*. 86. diffundunt *b c e*. 4 altes *B 'mss. longe plurimi'*. capreis *Oxon. et Salmasius exercitt. Plin. p.* 164 *ed. Traiect.* 1689. *Sed uid. Schreber. Saeugethiere V,* 1 *p.* 1324. 5 paellium *ante corr. B*. mutileque *B*. 6 articlisque *A B C D*. 7 sine quo *ante corr. B*. adflictae *B*. conciderunt *B e reliqui,* acciderunt *C*; conciderint *D b c Aimoinus*. 8 aut] ac *b*. 9 adplicant *B*. paulo *m. pr. B,* paululum *Aimoinus*. 11 consueuerint *Aimoinus*. 12 abscidunt *b d* (*non e*), abscindunt *Aimoinus*. 13 reclinauerunt *B C D e*, reclinauerint *u Aimoinus*. 14 adfligunt *B*. 15 earum, quae *Aimoinus*. elefantos *B 'plerique'*. 16 et figura *om. b*. uis eorum est *B 'plerique' Aimoinus*; uis est eorum *e*, est uis eorum *'alii'*: *in b* est *int. uers. legitur, om. cum aliquot dett. u*. 17 uelocitas et neque *b*. conspexerunt *B 'mss. et edd. qdd.'*, conspexerint *u Aimoinus*. 18 captos foueis *Aimoinus*. 19 durant adolescentes *B e reliqui Aimoinus,* durant homines adolescentes *b c* (adul. *B C*). uenationis se exercent *Aimoinus*. 20 interfecerint *c Aimoinus*. 21 adsuescere (*B*). 22 mansuefieri *A b c e*, mansueti fieri *B 'ceteri' Aimoinus*. 23 a *b c e Aimoinus, om. A B C D*.

differt. Haec studiose conquisita ab labris argento circumcludunt 6
atque in amplissimis epulis pro poculis utuntur.

Caesar, postquam per Vbios exploratores conperit Sueuos 29
sese in siluas recepisse, inopiam frumenti ueritus, quod, ut supra
demonstrauimus, minime omnes Germani agriculturae student,
constituit non progredi longius; sed, ne omnino metum reditus sui 2
barbaris tolleret atque ut eorum auxilia tardaret, reducto exerci-
tu partem ultimam pontis, quae ripas Vbiorum contingebat, in lon-
gitudinem pedum ducentorum rescindit atque in extremo ponte 3
turrim tabulatorum quattuor constituit praesidiumque cohortium
duodecim pontis tuendi causa ponit magnisque eum locum muni-
tionibus firmat. Ei loco praesidioque Gaium Volcatium Tullum
adulescentem praefecit. Ipse, cum maturescere frumenta incipe- 4
rent, ad bellum Ambiorigis profectus per Arduennam siluam, quae
est totius Galliae maxima atque ab ripis Rheni finibusque Treue-
rorum ad Neruios pertinet milibusque amplius quingentis in lon-
gitudinem patet, Lucium Minucium Basilum cum omni equitatu
praemittit, si quid celeritate itineris atque opportunitate temporis
proficere possit; monet, ut ignes in castris fieri prohibeat, ne qua 5
eius aduentus procul significatio fiat: sese confestim subsequi di-
cit. Basilus, ut imperatum est, facit. Celeriter contraque omnium **30**
opinionem confecto itinere multos in agris inopinantes deprehen-
dit: eorum indicio ad ipsum Ambiorigem contendit, quo in loco
cum paucis equitibus esse dicebatur. Multum cum in omnibus re- 2
bus tum in re militari potest fortuna. Nam *sicut* magno accidit

1 studiosae *B*. 3 conperit *B*. Suebos *B*. 4 se *b*. 5 demonstramus *C*, ostendimus *b*. 9 extrema parte *D*. 10 turrem *b*. quattuor *B*, *non* quatuor. 12 praesidio *omissa copula D*. Gaium *B*, C. *u*; Quintum *b c*. Vulcatium *'mss. omnes'*, Vulcacium *B*. 13 adulescentem *B C*. inciperent] cepissent *b*. 14 quae est *om. b*. 15 maximam *b*. a ripis *Aimoinus praef. c.* 4. Treuerorum *B Aimoinus*. 16 ad Neruios pertinet *om. Aimoinus*. milibus amplius *Aimoinus*. quingentis *codd. et Aimoinus*, quinquaginta *Orosius VI*, 10 (*Hauercampus tacite contra codd.* quingenta *posuit. Vid. Grubitz. emend. Oros. p.* 35). 17 Lucium *B*, L. *u*. 'Munitium, Minutium *mss*.' Basilium *B 'mss.'* 18 oportunitate *B*. 19 perficere *C*. possit *tres dett*., posset *B e 'reliqui'*. *Addend. ad P.* 85. ignes in castris fieri *B e 'mss. plerique'*; in castris ignes fieri *'alii'*, ignes fieri in castris *u*. 21 Basilius *B*. est] erat *b*. 23 ipsum *om. b*. 25 sicut *adiecit R. Stephanus, om. B. e 'mss. plerique'*.

casu, ut in ipsum incautum etiam atque inparatum incideret, pri-
usque eius aduentus ab omnibus uideretur, quam fama ac nuntius
adferretur, sic magnae fuit fortunae omni militari instrumento,
quod circum se habebat, erepto, redis equisque conprehensis ipsum
3 effugere mortem. Sed hoc quoque factum est, quod aedificio cir-
cumdato silua, ut sunt fere domicilia Gallorum, qui uitandi aestus
causa plerumque siluarum atque fluminum petunt propinquitates,
comites familiaresque eius angusto in loco paulisper equitum no-
4 strorum uim sustinuerunt. His pugnantibus illum in equum qui-
dam ex suis intulit: fugientem siluae texerunt. Sic et ad sub-
31 eundum periculum et ad uitandum multum fortuna ualuit. Ambiorix
copias suas iudicione non conduxerit, quod proelio dimicandum
non existimarit, an tempore exclusus et repentino equitum aduen-
tu prohibitus, cum reliquum exercitum subsequi crederet, dubium
2 est. Sed certe dimissis per agros nuntiis sibi quemque consulere
iussit. Quorum pars in Arduennam siluam, pars in continentes
3 paludes profugit; qui proximi Oceano fuerunt, his insulis sese oc-
4 cultauerunt, quas aestus efficere consuerunt: multi ex suis finibus
5 egressi se suaque omnia alienissimis crediderunt. Catuuolcus, rex
dimidiae partis Eburonum, qui una cum Ambiorige consilium ini-
erat, aetate iam confectus, cum laborem aut belli aut fugae ferre
non posset, omnibus precibus detestatus Ambiorigem, qui eius
consilii auctor fuisset, taxo, cuius magna in Gallia Germaniaque
32 copia est, se exanimauit. Segni Condrusique, ex gente et numero
Germanorum, qui sunt inter Eburones Treuerosque, legatos ad

1 etiam atque *B e 'quidam'*, atque etiam *u.* (inparatum *B*) et imparatum *b.* 2 aduentus eius *b c d, non e.* ab omnibus *A b c d e,* ab hominibus (*B*) *u.* ac] aut *b.* nuntius *A B C D;* nuntius aduentus *b c d e,* nuntiis *u.* 3 adferretur (*B*). 4 rhaedis *B,* rhedis *u. Vid. I,* 51, 2. conprehensis *B.* 5 hoc quoque factum est *B 'ceteri';* hoc factum est *b c e,* hoc eo factum est *cum quattuor dett. u.* 6 ferae *B.* domicilia] aedificia *b c e.* 7 atque *B 'mss. et edd. qdd.',* ac *u.* 9 quidam de suis *b.* 10 sic et ad (*B*) *'mss. mei tantum non omnes',* sic ad *e.* 13 existimaret *D.* equitatus *b e.* 15 certe clam dimissis *cum solis And. Oxon. u.* 17 qui hinc proximi *b c,* qui huic proximi *d et alterumutrum e.* Oceanum *cum solis And. Oxon. u.* his insulis *b d e;* hi in siluis *B,* 'ii in siluis *mss. mei* 12' *et omisso* in *A* (*sed cum 'plerique' habeant* hi, *in mss.* 12 *Oudendorpii idem, quod in B, in A* hi siluis *legi apparet*). 18 consueuerunt *b.* 19 Catuuolcus *A B C D b c,* Catiuolcus *u.* 21 laborem aut belli *A b c e,* laborem belli *B 'reliqui'.* 22 praecibus *B.* 23 cui *C.* 25 Eurones *D.* Treuerosque *B.*

Caesarem miserunt oratum, ne se in hostium numero duceret ne-
ue omnium Germanorum, qui essent citra Rhenum, unam esse
causam iudicaret: nihil se de bello cogitauisse, nulla Ambiorigi
auxilia misisse. Caesar explorata re quaestione captiuorum, si 2
qui ad eos Eburones ex fuga conuenissent, ad se ut reducerentur,
imperauit; si ita fecissent, fines eorum se uiolaturum negauit.
Tum copiis in tris partes distributis inpedimenta omnium legionum 3
Aduatucam contulit. Id castelli nomen est. Hoc fere est in me- 4
diis Eburonum finibus, ubi Titurius atque Auruncuieius hiemandi
causa consederant. Hunc cum reliquis rebus locum probarat, tum 5
quod superioris anni munitiones integrae manebant, ut militum
laborem subleuaret. Praesidio inpedimentis legionem quartamde-
cimam reliquit, unam ex his tribus, quas proxume conscriptas ex
Italia traduxerat. Ei legioni castrisque Quintum Tullium Cicero- 6
nem praeficit ducentosque equites adtribuit. Partito exercitu Ti- **33**
tum Labienum cum legionibus tribus ad Oceanum uersus in eas
partes, quae Menapios adtingunt, proficisci iubet; Gaium Trebo- 2
nium cum pari legionum numero ad eam regionem, quae ad Adua-
tucos adiacet, depopulandam mittit; ipse cum reliquis tribus ad 3
flumen Scaldem, quod influit in Mosam, extremasque Arduennae
partis ire constituit, quo cum paucis equitibus profectum Ambiori-
gem audiebat. Discedens post diem septimum sese reuersurum 4
confirmat; quam ad diem ei legioni, quae in praesidio relinqueba-
tur, deberi frumentum sciebat. Labienum Treboniumque horta- 5
tur, si reipublicae commodo facere possint, ad eum diem reuertan-
tur, ut rursus communicato consilio exploratisque hostium ratio-

1 mittunt *b*. 3 Ambiorige *m. pr. B*. 4 mississe *B*. 7 tris *A*, *non* tres. inpedimenta *B*. 9 atque] et *b*. 10 probarat *B* '*mss.* 4', probaret '*mss.* 6'; probabat *e u*. tunc *B* '*mss.* 5'. 12 inpedimentis *B*. 13 ex his *B edd. priores*, ex iis *Stephanus u*. proxume *B*. 14 Quintum *B*, Q. *u*. 15 praeficit *A*(*B*) *C D*, praefecit *e*. ducentisque *m. pr. B*. equites] ei *add. b*. adtribuit *B*. partitoque exercitu *A*, parthico exercitu *D*. Titum *B*, T. *u*. 17 adtingunt *B*. Gaium *B*, C. *u*. 18 quae ad Aduatucos *B D* '*reliqui*' *et m. sec. C*, quae Aduatucos *m. pr. C*; quae Aduatucis *b c d et*, *qui* Atuatucis, *e*. 20 'Scaldem *uel* Scaldim *mss. omnes*': Scaldem (*B*), Scaldin *e*. 21 partis *A B C*, *non* partes. 22 audebat *m. pr. B*. descendens *B* '*mss.* 3'. 24 deberi frumentum *B edd. ante u*, frumentum deberi (*e*) *et tacite u*. 25 rei pop. Ri *A C D*, rei P R *B*. eum *B* '*mss. plurimi*', eam *Aldus u*. 26 rursum *b*.

34 nibus aliud initium belli capere possint. Erat, ut supra demon-
strauimus, manus certa nulla, non oppidum, non praesidium, quod
2 se armis defenderet, sed omnis in partis dispersa multitudo. Vbi
cuique aut ualles abdita aut locus siluestris aut palus impedita
3 spem praesidii aut salutis aliquam offerebat, consederat. Haec
loca uicinitatibus erant nota, magnamque res diligentiam require-
bat non in summa exercitus tuenda (nullum enim poterat uniuer-
sis *ab* perterritis ac dispersis periculum accidere), sed in singulis
militibus conseruandis; quae tamen ex parte res ad salutem exer-
4 citus pertinebat. Nam et praedae cupiditas multos longius euoca-
bat, et siluae incertis occultisque itineribus confertos adire prohi-
5 bebant. Si negotium confici stirpemque hominum sceleratorum
interfici uellet, dimittendae plures manus diducendique erant mili-
6 tes; si continere ad signa manipulos uellet, ut instituta ratio et
consuetudo exercitus Romani postulabat, locus ipse erat praesidio
barbaris, neque ex occulto insidiandi et dispersos circumueniendi
7 singulis deerat audacia. Vt in eiusmodi difficultatibus, quantum
diligentia prouideri poterat, prouidebatur, ut potius in nocendo
aliquid praetermitteretur, etsi omnium animi ad ulciscendum ar-
8 debant, quam cum aliquo militum detrimento noceretur. Dimittit
ad finitimas ciuitates nuntios Caesar: omnes ad se uocat spe prae-
dae ad diripiendos Eburones, ut potius in siluis Gallorum uita quam
legionarius miles periclitetur, simul ut magna multitudine circum-
9 fusa pro tali facinore stirps ac nomen ciuitatis tollatur. Magnus

1 belli initium *b* (*e*) *u*. possint *e*, possent (*B*) *et reliqui*. *Addend. ad P.* 85. 2 praedium *A B C D e*. 3 omnis in partis *A b*, in omnes partes *B et reliqui*. ubi cuique *c e*, ubicumque *B 'reliqui'*. 4 aud *ter B*. ualles *A B C*, uallis *u*. abditae *B*. locis siluestribus palus *e And. cod. Vrs.* 5 praesidiaue *b c*. considerет *D*. 6 uicinitatibus] in ciuitatibus *b d*. nota] cognita *b*. 8 ab *And. Oxon., om. reliqui*. 11 occultatisque *b*. *ante* itineribus *add.* in *b c*. confertis *B C D*. 13 interfici uellet *And. Oxon.*, interfici uellent *B e 'mei omnes'*. deducendique *'mss. 3' et sec. m. B*. 14 contineri *b e*. manipulos uellet *e And. Oxon.*, manipulos uellent *B 'mei omnes'*. 15 postulabant *C*. erat ipse *b*. 17 audatia *B*. ut *B e 'mei* 11', at *cum And. u*. 19 praetermitteretur *B 'reliqui'*, omitteretur *e 'forsan d' u*. ad ulciscendum] adolescentum *D*. 20 noceret *A*. dimittit ad finitimas ciuitates nuntios Caesar *B 'mss. plerique'*, Caesar ad finitimas ciuitates nuntios dimittit (*e*) *u*. 21 omnes ad se uocat *B 'ceteri'*; omnes euocat *b c d e*. 23 legionarios *ante corr. B*. periclitetur *A* (*B*) *C D c*, periclitaretur *e*.

undique numerus celeriter conuenit. Haec in omnibus Eburonum 35
partibus gerebantur, diesque adpetebat septimus, quem ad diem
Caesar ad inpedimenta legionemque reuerti constituerat. Hic, 2
quantum in bello fortuna possit et quantos adferat casus, cognosci
potuit. Dissipatis ac perterritis hostibus, ut demonstrauimus, ma- 3
nus erat nulla, quae paruam modo causam timoris adferret. Trans 4
Rhenum ad Germanos peruenit fama, diripi Eburones atque ultro
omnes ad praedam euocari. Cogunt equitum duo milia Sugambri, 5
qui sunt proxumi Rheno, a quibus receptos ex fuga Tencteros at-
que Vsipetes supra docuimus. Transeunt Rhenum nauibus rati- 6
busque triginta milibus passuum infra eum locum, ubi pons erat
perfectus praesidiumque ab Caesare relictum: primos Eburonum
fines adeunt; multos ex fuga dispersos excipiunt, magno pecoris
numero, cuius sunt cupidissimi barbari, potiuntur. Inuitati praeda 7
longius procedunt. Non hos palus in bello latrociniisque natos,
non siluae morantur. Quibus in locis sit Caesar, ex captiuis quae-
runt; profectum longius reperiunt omnemque exercitum discessisse
cognoscunt. Atque unus ex captiuis 'Quid uos', inquit, 'hanc mi- 8
seram ac tenuem sectamini praedam, quibus licet iam esse fortu-
natissimis? Tribus horis Aduatucam uenire potestis: huc omnes
suas fortunas exercitus Romanorum contulit: praesidii tantum 9
est, ut ne murus quidem cingi possit, neque quisquam egredi extra
munitiones audeat'. Oblata spe Germani quam nacti erant prae- 10
dam in occulto relinquunt; ipsi Aduatucam contendunt usi eodem
duce, cuius haec indicio cognouerant. Cicero, qui omnes supe- 36
riores dies praeceptis Caesaris cum summa diligentia milites in ca-
stris continuisset ac ne calonem quidem quemquam extra munitio-
nem egredi passus esset, septimo die diffidens de numero dierum

2 (adpetebat *B*) accedebat *b*. 3 inpedimenta *B*. 4 adferat (*B*). 6 adferret *B*. 7 ad Germanos *om. b*. diripiendi *b*. 8 Sigambri (*B*) *u*. 9 proxumi *A B C D*. Thenctheros *B*, Tenchtheros *u*. 10 transeunt *A b c e*; transeunti *B C*, transeunt hii *D*. ratibus *omissa copula D*. 12 perfectus *A B C D b e*, imperfectus *u*. 17 repperiunt *B*. 18 hanc *om. A*. 19 fortunatissimis *B* (*secundum silentium Beyerlii, testimonium Achaintrii*) *c d et m. pr. C*, fortunatissimos *e 'reliqui mei'*. 20 conuenire *b*. 22 ut ne murus quidem *b c d*, ut numerus quidem *B 'reliqui'*. ne quisquam *A*. 23 Germani] romani *m. pr. B*. 24 relinqunt *B*. 25 qui omnes *B et reliqui*, qui per omnes *b c d e* (*in Oud. nota male 'praepositio ad est' scriptum est, cum deberet 'praepositio adest'*). 26 cum summa *B C D reliqui,* summa *b c d e*. 27 contenuisset *B*.

Caesarem fidem seruaturum, quod longius progressum audiebat,
2 neque ulla de reditu eius fama adferebatur, simul eorum permotus
uocibus, qui illius patientiam paene obsessionem appellabant, si-
quidem ex castris egredi non liceret, nullum eiusmodi casum
expectans, quo nouem oppositis legionibus maximoque equitatu
dispersis ac paene deletis hostibus in milibus passuum tribus offen-
di posset, quinque cohortes frumentatum in proximas segetes mit-
3 tit, quas inter et castra unus omnino collis intererat. Conplures
erant ex legionibus aegri relicti; ex quibus qui hoc spatio dierum
conualuerant, circiter CCC, sub uexillo una mittuntur; magna
praeterea multitudo calonum, magna uis iumentorum, quae in ca-
37 stris subsederant, facta potestate sequitur. Hoc ipso tempore et
casu Germani equites interueniunt protinusque eodem illo, quo ue-
nerant, cursu ab decumana porta in castra inrumpere conantur,
2 nec prius sunt uisi obiectis ab ea parte siluis, quam castris adpro-
pinquarent, usque eo ut qui sub uallo tenderent mercatores reci-
3 piendi sui facultatem non haberent. Inopinantes nostri re noua
perturbantur, ac uix primum impetum cohors in statione sustinet.
4 Circumfunduntur ex reliquis hostes partibus, si quem aditum re-
5 perire possent. Aegre portas nostri tuentur, reliquos aditus locus
6 ipse per se munitioque defendit. Totis trepidatur castris, atque
alius ex alio causam tumultus quaerit; neque quo signa ferantur,
7 neque quam in partem quisque conueniat, prouident. Alius iam
castra capta pronuntiat, alius deleto exercitu atque imperatore
8 uictores barbaros uenisse contendit; plerique nouas sibi ex loco
religiones fingunt Cottaeque et Titurii calamitatem, qui in eodem
9 occiderint castello, ante oculos ponunt. Tali timore omnibus per-

1 longius progressum *B et reliqui,* longius eum progressum *b c d e.* 2 adferebatur *B.* 3 pene *B,* plane *b.* obsidionem *b.* 5 expectans *B.* expositis *A.* 6 pene *B.* 7 mittit *B 'reliqui';* misit *c d e et, qui post* intererat *ponit, b.* 8 conplures *B.* 9 erant ex legionibus *B 'ceteri',* erant in castris ex legionibus *b c d e.* qui hoc] quos ad huc *A.* 10 trecenti (*B*). 12 subsederant *B et reliqui,* subsederat *b c d e.* subsequitur *b.* casu et tempore *b.* 13 superueniunt *b.* 14 decimana *A B D.* in castris *D, om. b d e.* (inrumpere *B*) erumpere *D.* 15 adpropinquarent *B.* 17 nostri] nihil *m. pr. B.* 18 in stationem *A.* 19 repperire *B.* 20 nostri *erasum in B, om. C D.* reliquosque aditus *b.* 23 prouidet *b.* iam castra capta *B Haun. sec.;* castra iam capta *e Stephanus,* iam capta castra *reliquae edd. ante u 'contra mss.',* capta iam castra *u.* 25 nouas ibi *D.* 26 quae in eodem acciderit castello *sec. m. A.*

territis confirmatur opinio barbaris, ut ex captiuo audierant, nul-
lum esse intus praesidium. Perrumpere nituntur seque ipsi adhor- 10
tantur, ne tantam fortunam ex manibus dimittant. Erat aeger 38
cum praesidio relictus Publius Sextius Baculus, qui primum pilum
ad Caesarem duxerat, cuius mentionem superioribus proeliis feci-
mus, ac diem iam quintum cibo caruerat. Hic diffisus suae atque 2
omnium saluti inermis ex tabernaculo prodit: uidet inminere ho-
stes atque in summo esse rem discrimine: capit arma a proximis
atque in porta consistit. Consequuntur hunc centuriones eius co- 3
hortis, quae in statione erat: paulisper una proelium sustinent.
Relinquit animus Sextium grauibus acceptis uulneribus: aegre per 4
manus tractus seruatur. Hoc spatio interposito reliqui sese con- 5
firmant tantum, ut in munitionibus consistere audeant speciemque
defensorum praebeant. Interim confecta frumentatione milites no- 39
stri clamorem exaudiunt: praecurrunt equites; quanto res sit in
periculo, cognoscunt. Hic uero nulla munitio est, quae perterri- 2
tos recipiat: modo conscripti atque usus militaris imperiti ad tri-
bunum militum centurionesque ora conuertunt; quid ab his prae-
cipiatur, expectant. Nemo est tam fortis, quin rei nouitate per- 3
turbetur. Barbari signa procul conspicati obpugnatione desistunt: 4
redisse primo legiones credunt, quas longius discessisse ex capti-
uis cognouerant; postea despecta paucitate ex omnibus partibus
impetum faciunt. Calones in proximum tumulum procurrunt. 40
Hinc celeriter deiecti se in signa manipulosque coniciunt: eo ma-
gis timidos perterrent milites. Alii, cuneo facto ut celeriter per- 2
rumpant, censent, quoniam tam propinqua sint castra, et si pars
aliqua circumuenta ceciderit, at reliquos seruari posse confidunt;
alii, ut in iugo consistant atque eundem omnes ferant casum. 3
Hoc ueteres non probant milites, quos sub uexillo una profectos 4
docuimus. Itaque inter se cohortati duce Gaio Trebonio, equite

3 e manibus *b*. 4 cum praesidio *B* '*reliqui*', in praesidio *b c d e*. Publius *B*, P. *u*. 5 ad Caesarem *A* (*B*) *C D b*, apud Caesarem *e*. adduxerat *b*. 7 inminere *B*. 8 esse rem *B edd. ante u*, rem esse (*e*) *et sine annotatione u*. 9 consequntur *B*, sequuntur *e*. 11 relinquid *B*, reliquit *A b*. grauius *A*. uulneribus] deficiens *add. e*. 13 spemque defensorum *b*. 15 res sit *B edd. ante u*, sit res (*e*) *et tacite u*. 17 impediti *b*. tribunos *b*. 19 expectant *B*. tam *om. B* '*mss.* 9'. quin] qui non *b*. 20 obpugnatione *B*. 25 cuneo] cum eo *B*. facta *A*. 27 ceciderint *D*, occiderit *b*. 30 Gaio *B*, C. *u*.

Romano, qui eis erat praepositus, per medios hostes perrumpunt
5 incolumesque ad unum omnes in castra perueniunt. Hos subsecuti
6 calones equitesque eodem impetu militum uirtute seruantur. At
ii, qui in iugo constiterant, nullo etiam nunc usu rei militaris per-
cepto neque in eo, quod probauerant, consilio permanere, ut se
loco superiore defenderent, neque eam quam prodesse aliis uim
celeritatemque uiderant imitari potuerunt, sed se in castra recipere
7 conati iniquum in locum demiserunt. Centuriones, quorum non-
nulli ex inferioribus ordinibus reliquarum legionum uirtutis causa
in superiores erant ordines huius legionis traducti, ne ante partam
rei militaris laudem amitterent, fortissime pugnantes conciderunt.
8 Militum pars horum uirtute summotis hostibus praeter spem inco-
41 lumis in castra peruenit, pars a barbaris circumuenta periit. Ger-
mani desperata expugnatione castrorum, quod nostros iam consti-
tisse in munitionibus uidebant, cum ea praeda, quam in siluis de-
2 posuerant, trans Rhenum sese receperunt. Ac tantus fuit etiam
post discessum hostium terror, ut ea nocte, cum Gaius Volusenus
missus cum equitatu ad castra uenisset, fidem non faceret adesse
3 cum incolumi Caesarem exercitu. Sic omnino animos timor prae-
occupauerat, ut paene alienata mente deletis omnibus copiis equi-
tatum se ex fuga recepisse dicerent neque incolumi exercitu Ger-
4 manos castra oppugnaturos fuisse contenderent. Quem timorem
42 Caesaris aduentus sustulit. Reuersus ille euentus belli non igno-
rans unum, quod cohortes ex statione et praesidio essent emissae,
questus — ne minimo quidem casu locum relinqui debuisse —
multum fortunam in repentino hostium aduentu potuisse iudicauit,
2 multo etiam amplius, quod paene ab ipso uallo portisque castrorum
3 barbaros auertisset. Quarum omnium rerum maxime admirandum
uidebatur, quod Germani, qui eo consilio Rhenum transierant, ut

2 incolomesque *B.* 4 ii *om. b.* 6 prodesse *B 'mss. plerique'*, profuisse *e u.* 7 potuerunt *e*, potuerant *B et sic 'et* poterant *mss. multi'.* sese *b* 8 demiserunt *B Aldus,* dimiserunt *e edd. ante Ald.;* dimiserant *'mss.* 9', demiserant *prima u.* 12 summotis *B. ante* hostibus *add.* paulisper *b.* 14 oppugnatione *b.*
16 se *b.* 17 Gaius *B,* C. *u.* 18 ad] in *b.* 19 cum incolumem *m. pr. B.* omnino *B 'reliqui'*, omnium *b c d e.* timor occupauerat *b c d.* 20 pene *B.* equitatum se *B 'ceteri'*, equitatum tantum se *a c d e.* 25 casui *c e.* 26 indicauit *A (B) C b: in e utrum* indicauit *an* iudicauit *esset, Elberlingius discernere non potuit.* 27 castrorum *om. d.* 28 auertisset *A (B) C b c*, auertissent *e.* 29 consilio] animo *m. pr. b.*

Ambiorigis fines depopularentur, ad castra Romanorum delati opta-
tissimum Ambiorigi beneficium obtulerunt.
Caesar rursus ad uexandos hostes profectus magno coacto 43
numero ex finitumis ciuitatibus in omnes partes dimittit. Omnes 2
uici atque omnia aedificia, quae quisque conspexerat, incendeban-
tur; praeda ex omnibus locis agebatur; frumenta non solum tanta 3
multitudine iumentorum atque hominum consumebantur, sed etiam
anni tempore atque imbribus procubuerant, ut, si qui etiam in
praesentia se occultassent, tamen his deducto exercitu rerum omni-
um inopia pereundum uideretur. Ac saepe in eum locum uentum 4
est tanto in omnis partis diuiso equitatu, ut modo uisum ab se Am-
biorigem in fuga circumspicerent captiui nec plane etiam abisse ex
conspectu contenderent, ut spe consequendi inlata atque infinito 5
labore suscepto, qui se summam ab Caesare gratiam inituros pu-
tarent, paene naturam studio uincerent, semperque paulum ad
summam felicitatem defuisse uideretur, atque ille latebris aut sal- 6
tibus se eriperet et noctu occultatus alias regiones partesque pete-
ret non maiore equitum praesidio quam quattuor, quibus solis ui-
tam suam committere audebat. Tali modo uastatis regionibus 44
exercitum Caesar duarum cohortium damno Durocortorum Remo-
rum reducit concilioque in eum locum Galliae indicto de coniura-
tione Senonum et Carnutum quaestionem habere instituit et de 2
Accone, qui princeps eius consilii fuerat, grauiore sententia pro-
nuntiata more maiorum supplicium sumpsit. Nonnulli iudicium 3
ueriti profugerunt. Quibus cum aqua atque igni interdixisset, duas
legiones ad fines Treuerorum, duas in Lingonibus, sex reliquas

2 obtulerunt *B* '*mss. mei* 12'; obtulerant *e Aldus*, obtulerint *edd. ante Ald. u.* 3 rursus *om. c.* 4 finitumis *A B C D.* 5 omnia *om. b.* incendebantur] pecora interficiebantur *add. e And. Oxon.* 6 tanta *B* '*reliqui*', a tanta *b d e.* 7 hominum iumentorumque multitudine *b.* etiam *om. e Oxon.* 9 his *B edd. ante Ald.*, iis *Aldus u.* 11 omnis partis *A*, omnis partes *B*; omnibus partibus *m. pr. C.* ut modo *And. Oxon.*, ut non modo *reliqui. P.* 87. 12 in figura *A.* circumspicerent *B e reliqui*, conspicerent *b c d*; *om. u.* 13 inlata *B.* 14 ab Caesare *A* (*B*) *C D, non* a Caesare. 15 pene *B.* paululum *b.* 16 latebris aut saltibus *B* '*longe plurimi*'; latebris aut siluis aut saltibus *b e et, qui* ac siluis, *d.* 17 et] ut *b.* noctu occupatus *b c, non e.* 18 equitatum *C b et ante corr. B.* quattuor *B, non* quatuor. 20 duarum cohortium damno *om. Flodoardus c.* 1. 21 deducit *D.* 23 pronuntiat more *B*, 'pronuntiat ac more *mss. et edd. qdd.*' 25 aquam atque ignem *b.* 26 Treuerorum *B.* sex] et *B C D* '*mss. et edd. quaed.*'

in Senonum finibus Agedici in hibernis conlocauit frumentoque exercitui prouiso, ut instituerat, in Italiam ad conuentus agendos profectus est.

C. IVLII CAESARIS

DE BELLO GALLICO

COMMENTARIVS SEPTIMVS.

Quieta Gallia Caesar, ut constituerat, in Italiam ad conuen-
tus agendos proficiscitur. Ibi cognoscit de Clodii caede senatusque
consulto certior factus, ut omnes iuniores Italiae coniurarent, de-
2 lectum tota prouincia habere instituit. Eae res in Galliam Trans-
alpinam celeriter perferuntur. Addunt ipsi et adfingunt rumoribus
Galli, quod res poscere uidebatur, retineri urbano motu Caesarem
3 neque in tantis dissensionibus ad exercitum uenire posse. Hac
impulsi occasione, qui iam ante se populi Romani imperio sub-
iectos dolerent, liberius atque audacius de bello consilia inire in-
4 cipiunt. Indictis inter se principes Galliae conciliis siluestribus ac
remotis locis queruntur de Acconis morte; posse hunc casum ad
5 ipsos recidere demonstrant: miserantur communem Galliae fortu-

1 Acedici *B et sic aut* Agedici '*ceteri*', Agedinci *A b c e*. conlocauit *B*. 2 exercitu *b u*. Iulius Celsus Constantinus u. c. lege (*sic*) Gai Caesaris belli Gallici liber vi explicit.

Incipit liber vii *B*. 2 de Clodii (*B*) '*mss.*', de P. Clodii *e*. senatusque consulto *B e* '*mei, quotquot ipse consului*'; de senatusque consulto '*fortasse d*' *Aldus u. Vid. Plut. Marc. c.* 9. 3 dilectum *A* (*B*) *C*. 4 habere *om. b c*. 5 proferuntur *C*. adfingunt *B*. 9 incipiunt] ceperunt *b*. 10 consiliis *B* '*mss. plerique*'. 11 quaeruntur *B*. posse hunc casum ad ipsos recidere *B* '*mss. plurimi*', hunc casum ad ipsos recidere posse (*e*) *Aldus u* (recedere *m. pr. B*). 12 monstrant *b*.

nam: omnibus pollicitationibus ac praemiis deposcunt, qui belli
initium faciant et sui capitis periculo Galliam in libertatem uindi-
cent. Inprimis rationem esse habendam dicunt, priusquam eorum 6
clandestina consilia efferantur, ut Caesar ab exercitu intercludatur.
Id esse facile, quod neque legiones audeant absente imperatore ex 7
hibernis egredi, neque imperator sine praesidio ad legiones perue-
nire possit. Postremo in acie praestare interfici, quam non uete- 8
rem belli gloriam libertatemque, quam a maioribus acceperint, re-
cuperare. His rebus agitatis profitentur Carnutes se nullum peri- 2
culum communis salutis causa recusare principesque ex omnibus
bellum facturos pollicentur et, quoniam in praesentia obsidibus ca- 2
uere inter se non possint, ne res efferatur, ut iureiurando ac fide
sanciatur, petunt, conlatis militaribus signis, quo more eorum gra-
uissima caerimonia continetur, ne facto initio belli ab reliquis de-
serantur. Tum conlaudatis Carnutibus dato iureiurando ab omni- 3
bus, qui aderant, tempore eius rei constituto ab concilio discedi-
tur. Vbi ea dies uenit, Carnutes Cotuato et Conetodunno duci- 3
bus, desperatis hominibus, Genabum signo dato concurrunt ciues-
que Romanos, qui negotiandi causa ibi constiterant, in his Gaium
Fufium Citam, honestum equitem Romanum, qui rei frumentariae
iussu Caesaris praeerat, interficiunt bonaque eorum diripiunt. Ce- 2
leriter ad omnes Galliae ciuitates fama perfertur. Nam ubicumque
maior atque inlustrior incidit res, clamore per agros regionesque

2 initium *b c d e*, initia *B* '*reliqui*'. faciat — uindicet *b c e*. 3 inprimis *B* '*reliqui*', eius inprimis *b c d e* (in primis (*B*)). rationem esse habendam *B e* '*plerique*'; rationem habendam *b u*, *ante quam erat* rationem habendam esse. 5 audeant absente imperatore *B C D e*, absente imperatore audeant *u*. 7 possit (*B*) *e*, posset '*mss. plerique*'; *om. m. pr. b*. 8 acceperint (*B*) *e*, acceperant '*mss. plerique*'. 10 communis *om. b*. 11 cauere inter se *B e edd. ante u*, inter se cauere '*ex mss. optimis*' ? *u*. 12 possint *b c e*, possent *B et reliqui*. efferantur *D*. ut] aut *B* '*plerique*'. 13 conlatis *B*. quo *b c e*, quod *B* '*longe plurimi*'. grauissima caerimonia continetur *B* '*longe plurimi*', grauissimae caerimoniae continentur *b c e* (ceremonia (*B*)). 15 conlaudatis *B*. dato *om. D*. 17 Cotuato *P*. 87. Conetodunno *e*; Conconnetodumno *B* '*et sic fere C D*' *Whitt.*, 'Conconeto duno, dunno, domno *mss. plerique*'; Conetoduno *u*. 18 Genabum (*B*) '*hic loci nullus meorum habet, sed uel* Genabin *uel* Genabim *uel* Genebin'; Genabi *m. sec. b*. signo dato *B e* '*mss. plurimi*', dato signo *u*. 19 negociandi *B*. Gaium *B*; G. et *b*, C. *u*. 20 Fufium *A B C D*, Fusium *u*. Citam *A* (*B*) *C D b d*, Citan *e*. rei frumentariae] causa *add. b e*. 21 praeerant *b*. 22 ubicumque *D*, ubique *B e et sic* '*uel* ubicumque *mss. qdd.*'; ubi *u*. 23 inlustrior *B*.

significant; hunc alii deinceps excipiunt et proxumis tradunt, ut
3 tum accidit. Nam quae Genabi oriente sole gesta essent, ante pri-
mam confectam uigiliam in finibus Aruernorum audita sunt, quod
4 spatium est milium passuum circiter centum LX. Simili ratione
ibi Vercingetorix, Celtilli filius, Aruernus, summae potentiae adu-
lescens, cuius pater principatum Galliae totius obtinuerat et ob
eam causam, quod regnum adpetebat, ab ciuitate erat interfectus,
2 conuocatis suis clientibus facile incendit. Cognito eius consilio ad
arma concurritur. Prohibetur ab Gobannitione, patruo suo, reli-
quisque principibus, qui hanc temptandam fortunam non existima-
3 bant, expellitur ex oppido Gergouia; non destitit tamen atque in
agris habet delectum egentium ac perditorum. Hac coacta manu,
4 quoscumque adit ex ciuitate, ad suam sententiam perducit; horta-
tur, ut communis libertatis causa arma capiant, magnisque coactis
copiis aduersarios suos, a quibus paulo ante erat eiectus, expellit
5 ex ciuitate. Rex ab suis appellatur. Dimittit quoque uersus lega-
6 tiones; obtestatur, ut in fide maneant. Celeriter sibi Senones,
Parisios, Pictones, Cadurcos, Turonos, Aulercos, Lemouices,
7 Andos reliquosque omnes, qui Oceanum adtingunt, adiungit: omni-
um consensu ad eum defertur imperium. Qua oblata potestate
omnibus his ciuitatibus obsides imperat, certum numerum militum
8 ad se celeriter adduci iubet, armorum quantum quaeque ciuitas
9 domi quodque ante tempus efficiat, constituit; inprimis equitatui
studet. Summae diligentiae summam imperii seueritatem addit;
10 magnitudine supplicii dubitantes cogit. Nam maiore commisso
delicto igni atque omnibus tormentis necat, leuiore de causa auri-

1 hunc *And. Oxon.*, hinc *b e;* hanc *B 'reliqui'*. proxumis *A B D*. 2 nam cum haec Genabi *b*. 4 milium passuum circiter *B et reliqui,* milium circiter *b d e*. 5 ubi *A*. adulescens *B C D*. 7 regnum] obtinebat, *sed punctis circumscriptum, add. B.* adpetebat *B*. interdictus *e*. 8 facile incendit *A* (*B*) *C D*, facere intendit *b c d e*. 9 prohibetur *cum 4 dett. om. u. P.* 88. ab Gobannitione *B 'longe plurimi'*, a Gobannitino *b c d;* ab Gobanitione *u*. 10 tentandi *b*. 11 Gergobia *A B C*. destitit *A* (*B*) *C D*, desistit *e*. 12 dilectum *A* (*B*) *C*. hac] ac *B*. 13 quoscumque (*B*), *non* — cunque. 16 abpellatur *B*. quoque uersus *B C D,* quoquo uersus *u. P.* 71. 18 Turonos *A B C D c d,* Tursomnos *e;* Turones *u*. Auleurcos *'mss. plurimi'*, Auleurcus *B*. 19 Andos *A B C D d e,* Andros *b c;* Andes *u*. adtingunt *B*. adiungunt *A B C*. 22 iussit *B 'plerique'*. 23 in primis (*B*). 26 igne *'mss.* 11'.

bus desectis aut singulis effossis oculis domum remittit, ut sint re-
liquis documento et magnitudine poenae perterreant alios. His 5
suppliciis celeriter coacto exercitu Lucterium Cadurcum, summae
hominem audaciae, cum parte copiarum in Rutenos mittit; ipse in
Bituriges proficiscitur. Eius aduentu Bituriges ad Haeduos, quo- 2
rum erant in fide, legatos mittunt subsidium rogatum, quo facilius
hostium copias sustinere possint. Haedui de consilio legatorum, 3
quos Caesar ad exercitum reliquerat, copias equitatus peditatus-
que subsidio Biturigibus mittunt. Qui cum ad flumen Ligerim ue- 4
nissent, quod Bituriges ab Haeduis diuidit, paucos dies ibi morati
neque flumen transire ausi domum reuertuntur legatisque nostris 5
renuntiant se Biturigum perfidiam ueritos reuertisse, quibus id
consilii fuisse cognouerint, ut, si flumen transissent, una ex parte
ipsi, altera Aruerni se circumsisterent. Id eane de causa, quam 6
legatis pronuntiarunt, an perfidia adducti fecerint, quod nihil nobis
constat, non uidetur pro certo esse proponendum. Bituriges eo- 7
rum discessu statim cum Aruernis iunguntur.

His rebus in Italiam Caesari nuntiatis, cum iam ille urbanas 6
res uirtute Cn. Pompei commodiorem in statum peruenisse intel-
legeret, in Transalpinam Galliam profectus est. Eo cum uenisset, 2
magna difficultate adficiebatur, qua ratione ad exercitum peruenire
posset. Nam si legiones in prouinciam arcesseret, se absente in 3
itinere proelio dimicaturas intellegebat; si ipse ad exercitum con- 4
tenderet, ne iis quidem eo tempore, qui quieti uiderentur, suam
salutem recte committi uidebat. Interim Lucterius Cadurcus in 7
Rutenos missus eam ciuitatem Aruernis conciliat. Progressus in 2
Nitiobriges et Gabalos ab utrisque obsides accipit et magna coacta
manu in prouinciam Narbonem uersus eruptionem facere conten-
dit. Qua re nuntiata Caesar omnibus consiliis anteuertendum exi- 3

2 deterreant *b.* 7 possent *b.* 9 subsidio] consilio *A.* Bitorigibus *B.* 13 consilium *D.* cognouerunt *D.* ipsi ex parte *b.* 15 pronuntiarint *B 'mss. fere omnes'*, pronuntiauerint *b e.* 16 proponendum *A B C D*, ponendum *b c d e.* 17 statim cum Aruernis iunguntur *A B C D*, statim se cum Aruernis coniungunt *b c d e.* 18 Italia *b.* 19 Gnei *m. sec. B.* Pompei *B.* 21 adficiebatur *B.* peruenisse *b.* 22 prouintiam *B.* arcerseret *B*, arcessiret *sec. m. C.* 24 ne his quidem *B.* eo tempore qui quieti *'uetustiores' et, in quo* qui *sup. uers. est, B*; qui eo tempore pacati *d e 'et ceteri eius sectae'.* 25 Lucretius *B 'mss. 6'.* 26 in iciobriges *A.* 27 Gabales *b c.* accepit *b.* 28 prouintiam *B.* Narbonam *'hic et infra C b c'.*

4 stimauit, ut Narbonem proficisceretur. Eo cum uenisset, timen-
tes confirmat, praesidia in Rutenis prouincialibus, Volcis Areco-
micis, Tolosatibus circumque Narbonem, quae loca hostibus erant
5 finitima, constituit, partem copiarum ex prouincia supplementum-
que, quod ex Italia adduxerat, in Heluios, qui fines Aruernorum
8 contingunt, conuenire iubet. His rebus comparatis represso iam
Lucterio et remoto, quod intrare intra praesidia periculosum pu-
2 tabat, in Heluios proficiscitur. Etsi mons Ceuenna, qui Aruernos
ab Heluiis discludit, durissimo tempore anni altissima niue iter
impediebat, tamen discussa niue sex in altitudinem pedum atque
ita uiis patefactis summo militum sudore ad fines Aruernorum per-
3 uenit. Quibus oppressis inopinantibus, quod se Ceuenna ut muro
munitos existimabant, ac ne singulari quidem umquam homini eo
tempore anni semitae patuerant, equitibus imperat, ut quam latis-
sime possint uagentur et quam maximum hostibus terrorem infe-
4 rant. Celeriter haec fama ac nuntiis ad Vercingetorigem perfe-
runtur; quem perterriti omnes Aruerni circumsistunt atque obse-
crant, ut suis fortunis consulat, neue ab hostibus diripiantur, prae-
5 sertim cum uideat omne ad se bellum translatum. Quorum ille
precibus permotus castra ex Biturigibus mouet in Aruernos uer-
9 sus. At Caesar biduum in his locis moratus, quod haec de Ver-
cingetorige usu uentura opinione praeceperat, per causam supple-
2 menti equitatusque cogendi ab exercitu discedit, Brutum adulescen-
tem his copiis praeficit; hunc monet, ut in omnis partes equites
quam latissime peruagentur: daturum se operam, ne longius triduo
3 ab castris absit. His constitutis rebus suis inopinantibus quam

2 prouintialibus *B*. Aretomicis *'mss. fere omnes'*. 3 hostibu *B*. 5 in Heduos *b*. 6 is rebus *B*. 8 mons *om. B 'plerique'*. 9 durissimo tunc tempore *c*. iter *om. b*. 10 discissa *b c e*, discisa *d*. sex *post* pedum *ponunt b c d e*. altitudine *b c*. 11 sudore *A B C D*, labore *e et interpolati. Vid. Cic. diu. in Caec.* 22, 72. *de leg. agr. II*, 26, 69. 13 quidem *om. b c e*. umquam *B*, *non* unquam. 15 possint (*B*) *e et cum C D b c 'aliisque' u, cum fuisset* possent. 16 haec fama ac nuntii — perferuntur *B D*, haec fama ac nuntii — perferunt *a*, haec fama nuntii — perfertur *b c e*. 18 neue ab hostibus diripiantur *B 'reliqui'*, neu se ab hostibus diripi patiatur *b c d e*. 19 uideant *A*. 20 praecibus *B*. in] per *A B C D*. 21 ad Caesar *m. pr. B*. his *B edd. priores*, iis *P. Manutius u*. Vercingetore *d*. 22 usus *B 'mss. 9'*. 23 discessit *b*. adulescentem *A B C D*. 24 his copiis *B edd. priores*, iis copiis *P. Manutius* (*sed errore* is) *u*. praefecit *b*. omnis *A B C*. 26 ab *om. b*. *ante* his *add.* sed *A*. *ante* suis *add.* omnibus *b c d e*.

maximis potest itineribus Viennam peruenit. Ibi nanctus recen- 4
tem equitatum, quem multis ante diebus eo praemiserat, neque di-
urno neque nocturno itinere intermisso per fines Haeduorum in
Lingones contendit, ubi duae legiones hiemabant, ut, si quid etiam
de sua salute ab Haeduis iniretur consilii, celeritate praecurreret.
Eo cum peruenisset, ad reliquas legiones mittit priusque omnes in 5
unum locum cogit, quam de eius aduentu Aruernis nuntiari posset.
Hac re cognita Vercingetorix rursus in Bituriges exercitum redu- 6
cit atque inde profectus Gorgobinam, Boiorum oppidum, quos ibi
Heluetico proelio uictos Caesar conlocauerat Haeduisque adtri-
buerat, oppugnare instituit. Magnam haec res Caesari difficulta- **10**
tem ad consilium capiendum adferebat, si reliquam partem hiemis
uno loco legiones contineret, ne stipendiariis Haeduorum expugna-
tis cuncta Gallia deficeret, quod nullum amicis in eo praesidium
uideretur positum esse; si maturius ex hibernis educeret, ne ab re
frumentaria duris subuectionibus laboraret. Praestare uisum est 2
tamen omnis difficultates perpeti, quam tanta contumelia accepta
omnium suorum uoluntates alienare. Itaque cohortatus Haeduos 3
de supportando commeatu praemittit ad Boios, qui de suo aduentu
doceant hortenturque, ut in fide maneant atque hostium impetum
magno animo sustineant. Duabus Agedici legionibus atque impe- 4
dimentis totius exercitus relictis ad Boios proficiscitur. Altero die **11**
cum ad oppidum Senonum Vellaunodunum uenisset, ne quem post
se hostem relinqueret, quo expeditiore re frumentaria uteretur,
obpugnare instituit idque biduo circumuallauit; tertio die missis 2
ex oppido legatis de deditione arma conferri, iumenta produci,
sexcentos obsides dari iubet. Ea qui conficeret, C. Trebonium 3

1 uenit *b.* nanctus *A et ante corr. B*, nactus *u et corr. B.* 4 si quod *B 'mss. 7'.* 8 ac re *B.* Vergingetorix *B.* reduxit *b.* 9 Gorgobinam *A B C D*, Gortonam *a b c d e* (Gergobinam *edd. ante Ald. et Stephanus,* Gergobiam *Aldus,* Gergouiam *P. Manutius u*). quod sibi *A B C.* 10 Heluetio *c.* uictor *A.* conlocauerat *B.* adtribuerat *B.* 12 adferebat *B.* 13 uno loco *A B C D e,* uno in loco *u.* stipendiis *b.* 14 defeceret *m. pr. B.* amicis *om. c.* in ea *b.* 15 uideret *B D b c e.* '*ab* esse *usque ad* ne *exulant ab b*'. si maturius *B e 'reliqui',* sin maturius *c d.* 17 omnis *B.* 18 cohortatos *m. pr. B.* 21 Agedinci *B e 'mss. tantum non omnes',* Agendici *u.* 23 Vellaudunum *C.* 25 obpugnare *B.* idque] eoque *b c.* 26 conferri *A B C D,* efferri *b;* proferri *e u.* 27 sescentos *B.* Gaium *sec. m. B.*

legatum relinquit. Ipse, ut quam primum iter faceret, Genabum
4 Carnutum proficiscitur; qui tum primum adlato nuntio de oppugna-
tione Vellaunoduni, cum longius eam rem ductum iri existimarent,
praesidium Genabi tuendi causa, quod eo mitterent, comparabant.
5 Huc biduo peruenit. Castris ante oppidum positis diei tempore
exclusus in posterum oppugnationem differt quaeque ad eam rem
6 usui sint militibus imperat et, quod oppidum Genabum pons flumi-
nis Ligeris continebat, ueritus, ne noctu ex oppido profugerent,
7 duas legiones in armis excubare iubet. Genabenses paulo ante
mediam noctem silentio ex oppido egressi flumen transire coepe-
8 runt. Qua re per exploratores nuntiata Caesar legiones, quas
expeditas esse iusserat, portis incensis intromittit atque oppido
potitur perpaucis ex hostium numero desideratis, quin cuncti ca-
perentur, quod pontis atque itinerum angustiae multitudinis fugam
9 intercluserant. Oppidum diripit atque incendit, praedam militibus
donat, exercitum Ligerem traducit atque in Biturigum fines per-
12 uenit. Vercingetorix, ubi de Caesaris aduentu cognouit, oppugna-
2 tione destitit atque obuiam Caesari proficiscitur. Ille oppidum
3 Biturigum positum in uia Nouiodunum oppugnare instituerat. Quo
ex oppido cum legati ad eum uenissent oratum, ut sibi ignosceret
suaeque uitae consuleret, ut celeritate reliquas res conficeret, qua
pleraque erat consecutus, arma conferri, equos produci, obsides
4 dari iubet. Parte iam obsidum tradita, cum reliqua administraren-
tur, centurionibus et paucis militibus intromissis, qui arma iumen-
taque conquirerent, equitatus hostium procul uisus est, qui agmen
5 Vercingetorigis antecesserat. Quem simulatque oppidani conspexe-
runt atque in spem auxilii uenerunt, clamore sublato arma capere,
6 portas claudere, murum complere coeperunt. Centuriones in op-

1 iter conficeret *a b e.* Genabin *b c;* Cenapum *Orosius VI,* 11, *qui id cum Auarico confudit.* 2 adlato *B.* 3 Vellanduni *C.* 6 expugnationem *b.* 8 contingebat *a b c d e; quod recepissem, nisi ad* continebat *recte* cum altera ripa *cogitatione adici existimarem.* 10 ceperunt *B.* 11 nutiata *B.* Caesari *B 'mss. 9'.* 13 cuncti *B et reliqui.* uiui *b d e;* cuncti uiui *peruersa Oud. coni. u.* 14 itineris *b.* multitudinis *B et reliqui,* multitudini *b c d e.* 16 Ligerem *A B C D,* Ligerim *u.* 17 cognouit, ab oppugnatione *b.* 18 destitit *A (B) C,* desistit *e.* *uerba inter* oppidum *et* oppugnare *interiecta om. A B C D. P.* 88. 19 Noboiodunum *b.* 21 celeriter *C.* quas plerasque *b.* 22 conferri *A B C D,* proferri *b c d e.* 23 tradita] data *e.* 28 ceperunt *B.*

pido, cum ex significatione Gallorum noui aliquid ab iis iniri con-
silii intellexissent, gladiis destrictis portas occupauerunt suosque
omnes incolumes receperunt. Caesar ex castris equitatum educi 13
iubet, proelium equestre committit: laborantibus iam suis Germa-
nos equites circiter CCCC summittit, quos ab initio habere secum
instituerat. Eorum impetum Galli sustinere non potuerunt atque 2
in fugam coniecti multis amissis se ad agmen receperunt. Quibus
profligatis rursus oppidani perterriti conprehensos eos, quorum
opera plebem concitatam existimabant, ad Caesarem perduxerunt
seseque ei dediderunt. Quibus rebus confectis Caesar ad oppidum 3
Auaricum, quod erat maximum munitissimumque in finibus Bitu-
rigum atque agri fertilissima regione, profectus est, quod eo oppi-
do recepto ciuitatem Biturigum se in potestatem redacturum con-
fidebat.

Vercingetorix tot continuis incommodis Vellaunoduni, Ge- 14
nabi, Nouioduni acceptis suos ad concilium conuocat. Docet longe 2
alia ratione esse bellum gerendum, atque antea gestum sit. Omni-
bus modis huic rei studendum, ut pabulatione et commeatu Romani
prohibeantur. Id esse facile, quod equitatu ipsi abundent et quod 3
anni tempore subleuentur. Pabulum secari non posse; necessario 4
dispersos hostes ex aedificiis petere: hos omnes cotidie ab equiti-
bus deleri posse. Praeterea salutis causa rei familiaris commoda 5
neglegenda: uicos atque aedificia incendi oportere hoc spatio
[a Boia] quoque uersus, quo pabulandi causa adire posse uideantur.
Harum ipsis rerum copiam suppetere, quod, quorum in finibus bel- 6
lum geratur, eorum opibus subleuentur: Romanos aut inopiam non 7

1 aliquid *om. b.* ab iis *B Aldus,* ab his *edd. ante Ald. Stephanus u.* 2 destrictis (*B*) *C D b e*, *non* districtis. 3 ex castris] exercitum *b.* 4 proelium *A B C,* proeliumque *u.* 5 summittit *B, non* submittit. habere secum *B 'codd. multi'*, secum habere *u.* 7 ammissis *B.* reciperunt *m. pr. B.* 8 conprehensos *B.* 9 excitatam *m. pr. b.* produxerunt *c e.* 10 seque *b.* rebus *b c d e, om. B 'reliqui'.* 11 in] a *b c.* 13 in potestatem se *b.* 15 tot] tum *D.* 17 'esse *b*' (*an om.?*). gestum sit *B 'mss. plerique'*, sit gestum *Aldus u.* 18 et *e,* aut *B 'mss. plurimi'.* 19 facile, quod *e;* facile, ut *A B D.* habundent *B.* 20 secare *b c e.* 21 hos *om. b d,* os *B.* ab equitatu *b e.* 22 deleri *a c d e,* delere *b;* diligi *A B C D.* 23 neglegenda, *non* negligenda, *praeter B etiam A C D.* uicos aedificiaque *b.* 24 a Boia *uncis inclusit Scaliger. P.* 89. quoque uersus *B 'mss. multi'*, quoquo uersus *u. P.* 71.

8 laturos aut magno periculo longius ab castris processuros; neque
interesse, ipsosne interficiant, impedimentisne exuant, quibus amis-
9 sis bellum geri non possit. Praeterea oppida incendi oportere,
quae non munitione et loci natura ab omni sint periculo tuta, neu
suis sint ad detractandam militiam receptacula neu Romanis pro-
10 posita ad copiam commeatus praedamque tollendam. Haec si gra-
uia aut acerba uideantur, multo illa grauius aestimare, liberos,
coniuges in seruitutem abstrahi, ipsos interfici; quae sit necesse
15 accidere uictis. Omnium consensu hac sententia probata uno die
amplius XX urbes Biturigum incenduntur. Hoc idem fit in reliquis
2 ciuitatibus: in omnibus partibus incendia conspiciuntur; quae etsi
magno cum dolore omnes ferebant, tamen hoc sibi solatii propone-
bant, quod se prope explorata uictoria celeriter amissa recipera-
3 turos confidebant. Deliberatur de Auarico in communi concilio,
4 incendi placeret, an defendi. Procumbunt omnibus Gallis ad pe-
des Bituriges, ne pulcherrimam prope totius Galliae urbem, quae
praesidio et ornamento sit ciuitati, suis manibus succendere coge-
5 rentur: facile se loci natura defensuros dicunt, quod prope ex
omnibus partibus flumine et palude circumdata unum habeat et
6 perangustum aditum. Datur petentibus uenia dissuadente primo
Vercingetorige, post concedente et precibus ipsorum et misericor-
16 dia uolgi. Defensores oppido idonei deliguntur. Vercingetorix
minoribus Caesarem itineribus subsequitur et locum castris deli-
git paludibus siluisque munitum ab Auarico longe milia passuum
2 XVI. Ibi per certos exploratores in singula diei tempora, quae ad
Auaricum agerentur, cognoscebat et, quid fieri uellet, imperabat.
3 Omnis nostras pabulationes frumentationesque obseruabat disper-
sosque, cum longius necessario procederent, adoriebatur magno-

1 magno periculo *B* '*reliqui*', magno cum periculo *b c d e*. processuros *A B C D b*, progressuros *e u*. 4 ne suis *b e*, ne usui *m. pr. C*. 5 detractandam (*B*) '*mss.* 9', *non* detrectandam. 7 illi *b*. aestimare *A B C D*; aestimare debere *b c d et*, *qui* aestimari, *a e*. *P.* 53. 9 ac *B* '*mss.* 4', haec *b*. 10 fit *b c d e*, *om. B* '*reliqui*'. 12 solacii *B*. 13 quod se prope *a e*, *om. A* (*B*) *C D*. reciperaturos *A B C*, recuperaturos *e u*. 14 confidebant *B et reliqui*, sperabant *b e*. deliberatur *b c d e*, dicebatur *B* '*ceteri*'. 15 placeant *cum puncto sub* n *b*. 16 quae praesidio *B* '*mss. plerique*', quae et praesidio *u*. 17 ciuitatis *b*. incendere *b*. 21 praecibus *B*. 22 uolgi *A*. delinquntur *D*. 23 delegit *A*. 24 milium *A*, mile *e*. 25 insigni dei tempora *m. pr. A*. 26 agerentur] gererentur *b d e*. 27 omnis *B*.

que incommodo adficiebat, etsi, quantum ratione prouideri pote-
rat, ab nostris occurrebatur, ut incertis temporibus diuersisque
itineribus iretur. Castris ad eam partem oppidi positis Caesar, 17
quae intermissa a flumine et a paludibus aditum, ut supra diximus,
angustum habebat, aggerem apparare, uineas agere, turres duas
constituere coepit: nam circumuallare loci natura prohibebat. De 2
re frumentaria Boios atque Haeduos adhortari non destitit; quo-
rum alteri, quod nullo studio agebant, non multum adiuuabant,
alteri non magnis facultatibus, quod ciuitas erat exigua et infirma,
celeriter, quod habuerunt, consumpserunt. Summa difficultate rei 3
frumentariae adfecto exercitu tenuitate Boiorum, indiligentia Hae-
duorum, incendiis aedificiorum, usque eo ut conplures dies fru-
mento milites caruerint et pecore ex longinquioribus uicis adacto
extremam famem sustentarent, nulla tamen uox est ab iis audita
populi Romani maiestate et superioribus uictoriis indigna. Quin 4
etiam Caesar cum in opere singulas legiones appellaret et, si acer-
bius inopiam ferrent, se dimissurum oppugnationem diceret, uni-
uersi ab eo, ne id faceret, petebant: sic se complures annos illo 5
imperante meruisse, ut nullam ignominiam acciperent, nusquam
infecta re discederent: hoc se ignominiae laturos loco, si inceptam 6
oppugnationem reliquissent: praestare omnes perferre acerbitates, 7
quam non ciuibus Romanis, qui Genabi perfidia Gallorum interis-
sent, parentarent. Haec eadem centurionibus tribunisque militum 8
mandabant, ut per eos ad Caesarem deferrentur. Cum iam muro 18
turres adpropinquassent, ex captiuis Caesar cognouit Vercingeto-
rigem consumpto pabulo castra mouisse propius Auaricum atque
ipsum cum equitatu expeditisque, qui inter equites proeliari con-
suessent, insidiarum causa eo profectum, quo nostros postero die

1 adficiebat *B*. peruideri *c*. 4 et a *A* (*B*) *C* '*multi alii*', et *omissa praepositione e*. paludibus *B et reliqui* (*nam Oud. pro* '*mss. 6*' *scribere uolebat* '*mss. o.*' *hoc est* '*omnes*'), palude *b c d e*. 6 cepit *B*. circumuallari *b*. 7 distitit *A C D*, desistit *b*. 11 (adfecto *B*) confecto *b*. diligentia *m. pr. B*, indigentia *sec. m. D*. 12 conplures *B*. frumento milites *B e* '*multi*', milites frumento *u*. 13 carerent *b*. *P*. 83. ex *C D* '*mss.* 10', e (*B*) ? (*e*) *u*. adducto *b*. 14 ab] ex *b*. 16 acerbios *ante corr. B*. 18 patebant *m. pr. B*. compluris *b*. 19 nusquam *B* '*mss. plerique*'; num quid *e*, numquam *u*. 20 incepta re *A B C D b*. 21 praestaret *A B C D*. 24 perferrentur *b*. 25 turris appropinquasset *b* (adpropinquassent *B*). Caesar *om. b*. Vercingetorigen *b*. 28 insidiandi causa *a b c d e*. eo *om. a b c e*.

2 pabulatum uenturos arbitraretur. Quibus rebus cognitis media
3 nocte silentio profectus ad hostium castra mane peruenit. Illi celeriter per exploratores aduentu Caesaris cognito carros impedimentaque sua in artiores siluas abdiderunt, copias omnis in loco
4 edito atque aperto instruxerunt. Qua re nuntiata Caesar celeriter
19 sarcinas conferri, arma expediri iussit. Collis erat leniter ab infimo adcliuis. Hunc ex omnibus fere partibus palus difficilis atque
2 impedita cingebat non latior pedibus quinquaginta. Hoc se colle interruptis pontibus Galli fiducia loci continebant generatimque distributi in ciuitates omnia uada ac † saltus eius paludis optinebant sic animo parati, ut, si eam paludem Romani perrumpere co-
3 narentur, haesitantes premerent ex loco superiore, ut, qui propinquitatem loci uideret, paratos prope aequo Marte ad dimicandum existimaret, qui iniquitatem condicionis perspiceret, inani simula-
4 tione sese ostentare cognosceret. Indignantes milites Caesar, quod conspectum suum hostes perferre possent, tantulo spatio interiecto et signum proelii exposcentes edocet, quanto detrimento et quot uirorum fortium morte necesse sit constare uictoriam;
5 quos cum sic animo paratos uideat, ut nullum pro sua laude periculum recusent, summae se iniquitatis condemnari debere, nisi
6 eorum uitam sua salute habeat cariorem. Sic milites consolatus eodem die reducit in castra reliquaque, quae ad oppugnationem
20 pertinebant oppidi, administrare instituit. Vercingetorix, cum ad suos redisset, proditionis insimulatus, quod castra propius Romanos mouisset, quod cum omni equitatu discessisset, quod sine imperio tantas copias reliquisset, quod eius discessu Romani tanta
2 opportunitate et celeritate uenissent: non haec omnia fortuito aut

2 illic *B 'mss. 4'*. 4 arctiores (*B*)? *'contra mss. orthographiam'*. omnis *A C D et pr. m. B*. 5 operto *A*. 6 leniter *b d e*, leuiter *B 'alii'*. 7 adcliuis *B*. 10 distributis *B 'mss. 8'*. † saltus *P*. 90. paludis] certis custodiis *add. b c d e, quae B et 'reliqui' omittunt*. optinebant *B*. 12 praemerent *B*. 13 uideret — (14) existimaret — perspiceret — (15) cognosceret *A* (*B*) *C D*; uiderent — existimarent — perspiceret — cognosceret *b e*, uiderent — existimarent — perspicerent — cognoscerent *c*. 14 condicionis *B*, *non* conditionis. 15 indignatis militibus *b c*. 16 perferre *B 'reliqui'*, ferre *b c d e*. 18 et quod *B*. 19 uideat *b e*, uideret *B et reliqui*. *P*. 85. 20 recusent (*B*) *C D b e*, recusasent *A*. condempnari *B*. deberi *A*. 21 habeat] estiment *m. pr. b*. consolatos *A B C D*. 22 reliqua quaeque *B 'mss. qdd.'* 23 pertinebant oppidi *B 'mss. qdd.'*, oppidi pertinebant *u*. 24 Romanis *D*. 25 omni *om. b*. 27 fortuito *C b c e et pr. m. B et sec. ? A*, fortuitu *sec. m. B*.

sine consilio accidere potuisse; regnum illum Galliae malle Cae-
saris concessu quam ipsorum habere beneficio — tali modo accu-
satus ad haec respondit: Quod castra mouisset, factum inopia pa- 3
buli etiam ipsis hortantibus; quod propius Romanos accessisset,
persuasum loci opportunitate, qui se † ipsum munitione defende-
ret: equitum uero operam neque in loco palustri desiderari debu- 4
isse et illic fuisse utilem, quo sint profecti. Summam imperii se 5
consulto nulli discedentem tradidisse, ne is multitudinis studio ad
dimicandum inpelleretur; cui rei propter animi mollitiem studere
omnes uideret, quod diutius laborem ferre non possent. Romani 6
si casu interuenerint, fortunae, si alicuius indicio uocati, huic ha-
bendam gratiam, quod et paucitatem eorum ex loco superiore co-
gnoscere et uirtutem despicere potuerint, qui dimicare non ausi
turpiter se in castra receperint. Imperium se ab Caesare per pro- 7
ditionem nullum desiderare, quod habere uictoria posset, quae iam
esset sibi atque omnibus Gallis explorata: quin etiam ipsis remit-
tere, si sibi magis honorem tribuere, quam ab se salutem accipere
uideantur. 'Haec ut intellegatis', inquit, 'a me sincere pronun- 8
tiari, audite Romanos milites'. Producit seruos, quos in pabula- 9
tione paucis ante diebus exceperat et fame uinculisque excrucia-
uerat. Hi iam ante edocti, quae interrogati pronuntiarent, milites 10
se esse legionarios dicunt; fame et inopia adductos clam ex castris
exisse, si quid frumenti aut pecoris in agris reperire possent: si- 11
mili omnem exercitum inopia premi, nec iam uires sufficere cuius-
quam nec ferre operis laborem posse: itaque statuisse imperato-
rem, si nihil in oppugnatione oppidi profecissent, triduo exercitum
deducere. 'Haec', inquit, 'a me', Vercingetorix, 'beneficia habe- 12
tis, quem proditionis insimulatis; cuius opera sine uestro sanguine
tantum exercitum uictorem fame consumptum uidetis; quem tur-

1 accidisse *b*. 5 que se ipsum *A. P.* 90. 6 desiderare *m. pr. A.* 7 illic *e*, illis *B* '*mss. plerique*'. 8 ne his *B*. 9 inpelletur (*sic*) *B*. 11 interuenerint *e*, interuenirent *B et sic* '*et* interuenissent *mss. et edd. qdd.*' habenda gratia *b*. 15 possit *b*. 16 remittere *Stephanus*, remitteret *B e* '*plerique*'. 18 ut *om. C*. inquid *B*. 21 quae] qu *cum* e *super* u *sec. m. posita B*. 22 fame atque inopia addictos *b*. 23 reperiri possit *b* (repperire *B*). 24 praemi *B*. cuiusquam *B e et omnes Oud. praeter* 4 *dett.*, *quibuscum* cuiquam *u*. 26 profecissent *B* (*is* profic.) '*reliqui*', profecisset *b c d e*. triduum *A*. 27 perducere *m. pr. B*, prodeducere *D*. 29 fame consumptum *B* '*reliqui*', fame paene consumptum *b c d e*.

piter se ex fuga recipientem ne qua ciuitas suis finibus recipiat,
21 a me prouisum est'. Conclamat omnis multitudo et suo more armis concrepat, quod facere in eo consuerunt, cuius orationem adprobant: summum esse Vercingetorigem ducem, nec de eius fide
2 dubitandum, nec maiore ratione bellum administrari posse. Statuunt, ut X milia hominum delecta ex omnibus copiis in oppidum
3 mittantur, nec solis Biturigibus communem salutem committendam censent, quod paene in eo, si id oppidum retinuissent, summam uictoriae constare intellegebant.

22 Singulari militum nostrorum uirtuti consilia cuiusquemodi Gallorum occurrebant, ut est summae genus solertiae atque ad omnia imitanda et efficienda, quae ab quoque traduntur, aptissi-
2 mum. Nam et laqueis falces auertebant, quas, cum destinauerant, tormentis introrsus reducebant, et aggerem cuniculis subtrahebant, eo scientius, quod apud eos magnae sunt ferrariae atque omne ge-
3 nus cuniculorum notum atque usitatum est. Totum autem murum ex omni parte turribus contabulauerant atque has coriis intexerant.
4 Tum crebris diurnis nocturnisque eruptionibus aut aggeri ignem inferebant aut milites occupatos in opere adoriebantur et nostrarum turrium altitudinem, quantum has cotidianus agger expresse-
5 rat, commissis suarum turrium malis adaequabant et apertos cuniculos praeusta et praeacuta materia et pice feruefacta et maximi ponderis saxis morabantur moenibusque appropinquare prohibe-
23 bant. Muri autem omnes Gallici hac fere forma sunt. Trabes directae perpetuae in longitudinem paribus interuallis, distantes in-
2 ter se binos pedes, in solo conlocantur. Hae reuinciuntur introrsus

1 ex fuga *B 'reliqui'*, ex hac fuga *a b e*. 2 clamat *A*. 3 adprobant *B*. 4 Vercingetorigen *b*. 6 XL milia *D*; X *suprascripta* m *B*, X (*omisso* milia) *C*. dilecti *C*, deiecta *e*. copiis *b c d e*, locis *B 'ceteri'*. 7 mittantur *B 'ceteri'*, submittantur *b c d e*. 8 paene in eo *And. Oxon.*, penes eos *reliqui*. *P*. 91. 10 uirtute *b*. huiuscemodi *b c d e*. 11 solertiae *B*, *non* sollertiae. 12 et efficienda (*B*) '*mss. praeter unum alterumque*', atque efficienda *e Aldus*. qua ea quoque *b c*. traduntur *B e et reliqui*, tradantur *b c d*. 13 aduertebant *d*. 15 sunt magnae *b*. 17 omnibus *C*. 18 crebrius *cum puncto sub* u *B*. 20 altitudini *e*. quotidiani aggeres *D*, quotidianas aggere *b*, quotidiano aggere *c*. expresserant *D b c*. 21 et apertos — (23) prohibebant *om. B C D*. 24 muri autem omnes Gallici hac fere forma sunt *B* (*is* ac) '*reliqui*', muris autem omnibus Gallicis haec fere forma est *b c e*. directe *A b 'et alii'*, derectae *e*. 26 conlocantur *B*. 'hae *uel* eae reuinciuntur *A C b c*', haere uiciuntur *B*, aere uinciuntur *e*. introrsus *D b c d*, extrorsus *B e reliquique*.

et multo aggere uestiuntur: ea autem, quae diximus, interualla
grandibus in fronte saxis effarciuntur. His conlocatis et coagmen- 3
tatis alius insuper ordo additur, ut idem illud interuallum serue-
tur, neque inter se contingant trabes, sed paribus intermissae spa-
tiis singulae singulis saxis interiectis arte contineantur. Sic de- 4
inceps omne opus contexitur, dum iusta muri altitudo expleatur.
Hoc cum in speciem uarietatemque opus deforme non est alternis 5
trabibus ac saxis, quae rectis lineis suos ordines seruant, tum ad
utilitatem et defensionem urbium summam habet opportunitatem,
quod et ab incendio lapis et ab ariete materia defendit, quae per-
petuis trabibus pedes quadragenos plerumque introrsus reuincta
neque perrumpi neque distrahi potest. His tot rebus inpedita op- 24
pugnatione milites, cum toto tempore frigore et adsiduis imbribus
tardarentur, tamen continenti labore omnia haec superauerunt et
diebus XXV aggerem latum pedes CCCXXX, altum pedes LXXX
extruxerunt. Cum is murum hostium paene contingeret, et Cae- 2
sar ad opus consuetudine excubaret militesque hortaretur, ne quod
omnino tempus ab opere intermitteretur, paulo ante tertiam uigi-
liam est animaduersum fumare aggerem, quem cuniculo hostes
succenderant, eodemque tempore toto muro clamore sublato dua- 3
bus portis ab utroque latere turrium eruptio fiebat, alii faces atque 4
aridam materiem de muro in aggerem eminus iaciebant, picem re-
liquasque res, quibus ignis excitari potest, fundebant, ut, quo pri-
mum curreretur aut cui rei ferretur auxilium, uix ratio iniri pos-
set. Tamen, quod instituto Caesaris semper duae legiones pro ca- 5
stris excubabant pluresque partitis temporibus erant in opere, ce-
leriter factum est, ut alii eruptionibus resisterent, alii turres redu-
cerent aggeremque interscinderent, omnis uero ex castris multi-

2 conlocatis *B.* et coagminatis coagmentatis *A B C D.* 3 additur *B e 'reliqui omnes'*, adiicitur *cum solo Doru. u.* 4 partibus *ante corr. B.* intermissis *b.* 5 arte] in arce *b.* 6 iuxta *A D.* compleatur *b c e.* 7 hoc tum *b.* 8 saxisque rectis *m. pr. B.* 11 quadringenos *A.* 12 his *B e edd. priores,* iis *P. Manutius u.* inpedita *B.* 13 frigore *B 'reliqui'*; luto, frigore *b c d e. P.* 68. adsiduis *B.* 14 tardarentur *A c e,* traderentur *B C D.* 16 extruxerunt *B.* is *om. A.* pene *B.* et *om. B 'mss. 10'.* 17 consuetudinem *A.* hortaretur *B e 'reliqui'*, cobortaretur *c And. Oxon.* 19 fumigare *b.* 20 eodem tempore *b c, non e.* 21 ab utraque parte turrium *b.* 22 materiem *A,* materiam *B 'plerique'.* reliquas res *B C D e.* 24 curreretur *B et reliqui,* occurreretur *a b c e.* 25 semper duae *B edd. ante Ald.,* duae semper *Aldus u.* 28 inter se scinderent *c.*

25 tudo ad restinguendum concurreret. Cum in omnibus locis con-
sumpta iam reliqua parte noctis pugnaretur, semperque hostibus
spes uictoriae redintegraretur, eo magis, quod deustos pluteos
turrium uidebant nec facile adire apertos ad auxiliandum animad-
uertebant, semperque ipsi recentes defessis succederent omnem-
que Galliae salutem in illo uestigio temporis positam arbitrarentur,
accidit inspectantibus nobis, quod dignum memoria uisum praeter-
2 eundum non existimauimus. Quidam ante portam oppidi Gallus
per manus seui ac picis traditas glebas in ignem e regione turris
proiciebat: scorpione ab latere dextro traiectus exanimatusque
3 concidit. Hunc ex proxumis unus iacentem transgressus eodem
illo munere fungebatur; eadem ratione ictu scorpionis exanimato
4 alteri successit tertius et tertio quartus, nec prius ille est a pro-
pugnatoribus uacuus relictus locus, quam restincto aggere atque
26 omni ex parte summotis hostibus finis est pugnandi factus. Omnia
experti Galli, quod res nulla successerat, postero die consilium
ceperunt ex oppido profugere hortante et iubente Vercingetorige.
2 Id silentio noctis conati non magna iactura suorum sese effecturos
sperabant, propterea quod neque longe ab oppido castra Vercin-
getorigis aberant, et palus, quae perpetua intercedebat, Romanos
3 ad insequendum tardabat. Iamque hoc facere noctu apparabant,
cum matresfamiliae repente in publicum procurrerunt flentesque
proiectae ad pedes suorum omnibus precibus petierunt, ne se et
communes liberos hostibus ad supplicium dederent, quos ad capien-
4 dam fugam naturae et uirium infirmitas inpediret. Vbi eos in sen-
tentia perstare uiderunt, quod plerumque in summo periculo timor
misericordiam non recipit, conclamare et significare de fuga Ro-

4 animum aduertebant *ex solis And. Oxon. u.* 5 ipsi] illi *A.* 7 praetereundum *B e 'reliqui'*, praetermittendum *And. Oxon. u.* 8 Gallus per manus *B et reliqui;* Gallus, qui per manus *b e.* 9 sebi *d.* 10 proiiciebat (*B*). scurpione *B et 'hic et mox' A C.* 11 hunc et ex *A.* proxumis *B D.* 13 alteri *B et reliqui,* altero *b c d e.* 14 locus *om. b.* 15 omni ex parte *a,* omni ea parte *B et reliqui;* omni parte *b c d e.* summotis *B, non* submotis. hostibus *om. e.* 17 ceperunt] fecerunt *b e.* 19 sperabant] putabant *e et, qui alterum habet pro uar. lect., c.* Vercingetoria (— rix *puto*) *b c.* 20 aberant] habebat *b c.* quae perpetua *B et reliqui,* perpetua quae *b c e.* 21 tardebat *D.* haec *A B C b e.* 22 publicum] medium *b.* procurrerant *b c.* 23 praecibus *B.* petiuerunt *b c.* 24 quas *D b c e.* 25 impediebat *b* (inpediret *B*). in praesentia *A.* 27 recepit *A.*

manis coeperunt. Quo timore perterriti Galli, ne ab equitatu Ro- 5
manorum uiae praeoccuparentur, consilio destiterunt. Postero die 27
Caesar promota turri directisque operibus, quae facere instituerat,
magno coorto imbre non inutilem hanc ad capiendum consilium
tempestatem arbitratus est, quod paulo incautius custodias in muro
dispositas uidebat, suosque languidius in opere uersari iussit et,
quid fieri uellet, ostendit. Legionibusque intra uineas in occulto 2
expeditis cohortatus, ut aliquando pro tantis laboribus fructum
uictoriae perciperent, iis, qui primi murum ascendissent, praemia
proposuit militibusque signum dedit. Illi subito ex omnibus parti- 3
bus euolauerunt murumque celeriter compleuerunt. Hostes re no- 28
ua perterriti muro turribusque deiecti in foro ac locis patentiori-
bus cuneatim constiterunt, hoc animo, ut, si qua ex parte obuiam
contra ueniretur, acie instructa depugnarent. Vbi neminem in ae- 2
quum locum sese demittere, sed toto undique muro circumfundi
uiderunt, ueriti, ne omnino spes fugae tolleretur, abiectis armis
ultimas oppidi partes continenti impetu petiuerunt, parsque ibi, 3
cum angusto exitu portarum se ipsi premerent, a militibus, pars
iam egressa portis ab equitibus est interfecta. Nec fuit quisquam,
qui praedae studeret. Sic et Genabi caede et labore operis inci- 4
tati non aetate confectis, non mulieribus, non infantibus peperce-
runt. Denique ex omni numero, qui fuit circiter milium XL, uix 5
DCCC, qui primo clamore audito se ex oppido eiecerunt, incolumes
ad Vercingetorigem peruenerunt. Quos ille multa iam nocte si- 6

1 ceperunt *B*. 3 derectisque *B C e et secund. Achaintr. a, qui falso in B* perfectisque *legi narrat;* perfectisque *b c d et, ut arbitror, a.* 4 cohorto *B.* imbre *B 'reliqui'*, imbri *d e.* 5 est *om. e.* 6 suosque *B et reliqui,* suos quoque *c d e.* 7 legionibusque *A B C D,* legiones *e u.* intra uineas *e u;* extra uineas *A*, extra castra uineas *B C D,* iuxta uineas *pro uar. lect. b.* in occulto *om. b c, non e.* 8 expeditis *A B C D,* expeditas *e u.* cohortatus *reliqui,* cohortatur (*B*)? *b c e u.* 9 iis *Aldus,* his (*B*) *edd. ante Ald. u.* primum *b.* (ascendissent *B*) escendissent *m. pr. a, ut puto, quod falso Achaintrius de B retulit,* excendissent *e.* 10 subito] celeriter *m. pr. b.* 12 patentibus *b e* (patencioribus *B*). 14 pugnarent *b.* 17 continuo impetu *cod. Vrsini Oxon. et omisso* impetu *e.* 18 portarum exitu *cum uno b u.* praemerent *B.* 19 iam *om. D.* 20 sic] sed *b*, sed et *D.* Genabi *B et reliqui,* Genabensi *b c d e. P.* 91. 22 omni numero *B et reliqui,* omni eo numero *a b c d e.* milium XL *B 'mss. plurimi'*, XL milium (*e*) *Aldus* (*is* quadraginta) *u.* uix octoginta *Orosius VI,* 11. 23 eiecerunt *B 'mss. plurimi'*, eiecerant *u.* 24 Vercingetorigen *b.* nocte silentio ex fuga exce-

lentio ex fuga excepit ueritus, ne qua in castris ex eorum concursu
et misericordia uulgi seditio oreretur, ut procul in uia dispositis
familiaribus suis principibusque ciuitatum disparandos deducendos-
que ad suos curaret, quae cuique ciuitati pars castrorum ab initio
29 obuenerat. Postero die concilio conuocato consolatus cohortatus-
que est, ne se admodum animo demitterent, ne perturbarentur in-
2 commodo. Non uirtute neque in acie uicisse Romanos, sed arti-
ficio quodam et scientia oppugnationis, cuius rei fuerint ipsi impe-
3 riti. Errare, si qui in bello omnis secundos rerum prouentus
4 expectent. Sibi numquam placuisse Auaricum defendi, cuius rei
testes ipsos haberet; sed factum inprudentia Biturigum et nimia
5 obsequentia reliquorum, uti hoc incommodum acciperetur. Id ta-
6 men se celeriter maioribus commodis sanaturum. Nam quae ab
reliquis Gallis ciuitates dissentirent, has sua diligentia adiunctu-
rum atque unum consilium totius Galliae effecturum, cuius con-
sensui ne orbis quidem terrarum possit obsistere; idque se prope
7 iam effectum habere. Interea aequum esse ab iis communis salutis
causa impetrari, ut castra munire instituerent, quo facilius repen-
30 tinos hostium impetus sustinerent. Fuit haec oratio non ingrata
Gallis, et maxime, quod ipse animo non defecerat tanto accepto
incommodo neque se in occultum abdiderat et conspectum multitu-
2 dinis fugerat; plusque animo prouidere et praesentire existimaba-
tur, quod re integra primo incendendum Auaricum, post deseren-
3 dum censuerat. Itaque ut reliquorum imperatorum res aduersae
auctoritatem minuunt, sic huius ex contrario dignitas incommodo
accepto in dies augebatur. Simul in spem ueniebant eius adfirma-
4 tione de reliquis adiungendis ciuitatibus; primumque eo tempore
Galli castra munire instituerunt et sic sunt animo confirmati, ho-
mines insueti laboris, ut omnia, quae imperarentur, sibi patienda

pit (*B*) '*reliqui, etiam c d*'; nocte silentio sic excepit *a b*, nocte sic ex fuga excepit *e*. 1 ex cursu eorum *b*. 2 oreretur *A B C*. 6 animo *om. b*. ne perturbarentur *B* '*mss. plerique*', neue perturbarentur *u*. 9 omnis *A B C*. prouentus *B a e reliqui*, euentus *b d*. 10 nunquam (*B*). 11 inprudentia *B*. 12 tamen sceleriter *A*, tamen celeriter *b*. 13 senaturum *m. pr. A C*. 14 Galliae *D*. desentirent *A*. 15 consensui *e et reliqui*, consensu (*B*)? *b c*. 17 ab his *B*. 18 repetentinos *B*. 19 sustinerent *B* '*reliqui*', sustinere possent *b c d e*. 20 et maxime *B* '*mss. plur.*', maxime *e u*. 21 se *om. B* '*mss. fere*'. 22 *ante* fugerat *add.* non *D*. 23 postea *b*. 25 e contrario *b*. 26 adfirmatione *B*. 28 confirmati *ego*, consternati *codd. P.* 92. 29 patienda existimarent *B* '*reli-*

existimarent. Nec minus, quam est pollicitus, Vercingetorix ani- 31
mo laborabat, ut reliquas ciuitates adiungeret, atque eas donis
pollicitationibusque alliciebat. Huic rei idoneos homines deligebat, 2
quorum quisque aut oratione subdola aut amicitia facillime capere
posset. Qui Auarico expugnato refugerant, armandos uestiendos- 3
que curat; simul, ut deminutae copiae redintegrarentur, imperat 4
certum numerum militum ciuitatibus, quem et quam ante diem in
castra adduci uelit, sagittariosque omnes, quorum erat permagnus
numerus in Gallia, conquiri et ad se mitti iubet. His rebus cele-
riter id, quod Auarici deperierat, expletur. Interim Teutomatus, 5
Ollouiconis filius, rex Nitiobrigum, cuius pater ab senatu nostro
amicus erat appellatus, cum magno equitum suorum numero et
quos ex Aquitania conduxerat ad eum peruenit.

Caesar Auarici complures dies commoratus summamque ibi 32
copiam frumenti et reliqui commeatus nanctus exercitum ex labore
atque inopia refecit. Iam prope hieme confecta cum ipso anni tem- 2
pore ad gerendum bellum uocaretur et ad hostem proficisci con-
stituisset, siue eum ex paludibus siluisque elicere siue obsidione
premere posset, legati ad eum principes Haeduorum ueniunt ora-
tum, ut maxime necessario tempore ciuitati subueniat: summo 3
esse in periculo rem, quod, cum singuli magistratus antiquitus
creari atque regiam potestatem annum obtinere consuessent, duo
magistratum gerant et se uterque eorum legibus creatum esse di-
cat. Horum esse alterum Conuictolitauem, florentem et inlustrem 4
adulescentem, alterum Cotum, antiquissima familia natum atque
ipsum hominem summae potentiae et magnae cognationis, cuius
frater Valetiacus proximo anno eundem magistratum gesserit.

qui', patienda et perferenda existimarent *b c d e*. 2 atque eas *B 'reliqui'*, atque earum principes *b c d e*. donis pollicitationibusque *a b c d e*, bonis pollicitationibus *B 'reliqui'*. 3 allicebat *A*. diligebat *C*. 4 capere *A*, capi *e u*; *om. B 'nouem ex meis' et in iis C*. 5 effugerant *b*. 6 deminutae *b c d*, diminutae *B 'reliqui'*. 7 diem et castra *A*. 8 magnus *A*. 9 numerus in Gallia *B et reliqui*, in Gallia numerus *b* (*e*). 10 Teutomatus (*B*), Tautomatus *C*; Teutomotus *A b c d e*. 11 Sollouiconis *D*, Allouiconis *b c d*. Nitiobrogum *B 'mss. plerique'*. 14 Auarici *e et, ut puto, a, in quo Achaintrius* Auarico *legi tradit*; Auarico *A B C D*. 15 nantus *A*, nactus *reliqui*. 16 reficit *A*. 17 instituisset *A*. 19 praemere *B*. uenerunt *b*. 20 subueniret *b*. 22 annuam *b e*. 24 Conuictolitauem *B 'mss.'*, Conuictolitauim *b*, Conuittolitatem *e*; Conuictolitanem *u*. inlustrem *B*. 25 adulescentem *A C D*, aduliscentem *B*. Cottum *b*. 27 Valetiacus *B D c d*, altiacus *e*; 'Valetiatus *uel* Valeciatus *A C b'*.

5 Ciuitatem esse omnem in armis; diuisum senatum, diuisum popu-
lum, suas cuiusque eorum clientelas. Quod si diutius alatur con-
trouersia, fore, uti pars cum parte ciuitatis confligat. Id ne acci-
33 dat, positum in eius diligentia atque auctoritate. Caesar, etsi a
bello atque hoste discedere detrimentosum esse existimabat, tamen
non ignorans, quanta ex dissensionibus incommoda oriri consues-
sent, ne tanta et tam coniuncta populo Romano ciuitas, quam ipse
semper aluisset omnibusque rebus ornasset, ad uim atque arma
descenderet, atque ea pars, quae minus confideret, auxilia a Ver-
2 cingetorige arcesseret, huic rei praeuertendum existimauit et,
quod legibus Haeduorum iis, qui summum magistratum obtinerent,
excedere ex finibus non liceret, ne quid de iure aut de legibus eo-
rum deminuisse uideretur, ipse in Haeduos proficisci statuit sena-
tumque omnem et quos inter controuersia esset ad se Decetiam
3 euocauit. Cum prope omnis ciuitas eo conuenisset, docereturque
paucis clam conuocatis alio loco, alio tempore, atque oportuerit,
fratrem a fratre renuntiatum, cum leges duo ex una familia uiuo
utroque non solum magistratus creari uetarent, sed etiam in se-
4 natu esse prohiberent, Cotum imperium deponere coëgit, Conui-
ctolitauem, qui per sacerdotes more ciuitatis intermissis magistra-
34 tibus esset creatus, potestatem obtinere iussit. Hoc decreto inter-
posito cohortatus Haeduos, ut controuersiarum ac dissensionis ob-
liuiscerentur atque omnibus omissis rebus huic bello seruirent ea-
que, quae meruissent, praemia ab se deuicta Gallia expectarent
equitatumque omnem et peditum milia decem sibi celeriter mitte-

1 esse omnem *A B C e*, omnem esse *u*. populum, suas *B a e 'reliqui'*; populum in suas *Scaliger, 'cui astipulari uidentur And. Oxon.', u*. 4 etsi bello *b e*. 8 rebus] iisque r. *suprasc. in b*. atque arma *B e 'plerique'*, atque ad arma *u*. 9 descenderet *b c d e*, discederet *B 'reliqui'*. minus confideret *B 'iidem mss., qui* discederet *exhibent'*; minus sibi confideret *b c d*. Vercintorige *B*. 11 iis *Aldus*, his *B edd. ante Ald. u*. 12 de iure aut de legibus *A (B) C D u* (*fuerat* de iure aut legibus), de legibus aut iure *e*. 14 ad se Decetiam *A a* (*is* Decetia) *b c d et omissis* ad se *e*, ad se etiam *B et sic 'uel* etiam ad se *aut simpliciter* ad se *mss. plerique'*. 15 conuenisse doceretur perpaucis *A*. 16 euocatis *b*. 17 fratrem ex fratre *D*. duo *A (B) C e*, *non* duos. 19 Cottum *b*. Conuictolitauem *B 'mss.'*, Conuictolitauim *b*; Conuictolitanem *u*. 22 dissensionis *B 'mss. multi'*, dissensionum *b c d*. 23 omissis rebus *Beroaldus*, omissis his rebus *codd. P.* 92. ea, quae *e 'mss. plerique;* atque *b'*. 24 expectarent *B*. 25 x (*B*).

rent, quae in praesidiis rei frumentariae causa disponeret, exerci-
tum in duas partes diuisit: quattuor legiones in Senones Parisios- 2
que Labieno ducendas dedit, sex ipse in Aruernos ad oppidum
Gergouiam secundum flumen Elauer duxit; equitatus partem illi
adtribuit, partem sibi reliquit. Qua re cognita Vercingetorix omni- 3
bus interruptis eius fluminis pontibus ab altera fluminis parte iter
facere coepit.

Cum uterque utrimque exisset exercitus, in conspectu fere- 35
que e regione castris castra ponebant. Dispositis exploratoribus,
ne cubi effecto ponte Romani copias traducerent, erat in magnis
Caesaris difficultatibus res, ne maiorem aestatis partem flumine
impediretur, quod non fere ante autumnum Elauer uado transiri
solet. Itaque, ne id accideret, siluestri loco castris positis e re- 2
gione unius eorum pontium, quos Vercingetorix rescindendos cu-
rauerat, postero die cum duabus legionibus in occulto restitit; re- 3
liquas copias cum omnibus impedimentis, ut consueuerat, misit
† captis quibusdam cohortibus, uti numerus legionum constare uide-
retur. His quam longissime possent egredi iussis, cum iam ex diei 4
tempore coniecturam ceperat in castra peruentum, isdem sublicis,
quarum pars inferior integra remanebat, pontem reficere coepit.
Celeriter effecto opere legionibusque traductis et loco castris ido- 5
neo delecto reliquas copias reuocauit. Vercingetorix re cognita, 6
ne contra suam uoluntatem dimicare cogeretur, magnis itineribus
antecessit. Caesar ex eo loco quintis castris Gergouiam peruenit 36
equestrique eo die proelio leui facto perspecto urbis situ, quae po-

2 quattuor *B, non* quatuor. Parasiosque *B*. 5 adtribuit *B*. cognita a Vercingetorige *b e*. 6 ab altera fluminis parte *B et reliqui,* ab altera Elaueris parte *a b c d e*. 7 cepit *B*. 8 uterque utrimque exisset *B* (*sed* exesset) '*reliqui*', uterque utrique esset *a b c d e*. *P*. 93. exercitui in conspectu *a e,* exercitum conspectus *b*. 9 ponebant *A B C D;* ponerent *b,* poneret *a e*. 11 Caesaris difficultatibus *B e et sic* '*uel* diff. Caesaris *mss. et edd. qdd.*', Caesari difficultatibus *b c*. 12 non nisi fere *b*. 13 accederet *m. pr. B*. castris positis] '*omisso* castris *habent* sitis *mss.* 9, situs *D;* positis *int. uers. b*'. 14 rescinendos *B*. 15 postero die] postridie *b d e*. 17 craptis, *ut Elberlingio uidetur, e. P.* 93. 18 egredi *B* '*reliqui*', progredi *b c d e*. diei *om. b e*. 19 conicturam *m. pr. B*. ceperat *B* '*ceteri*', ceperit *A;* caperet *b c d e*. in castra *om. b*. prouentum *b*. hisdem *B,* iisdem *u*. sub locis qua *b*. 20 permaneret *D*. 21 traductis *e* '*ceteri*'; *om. A B C D*. 22 Vergingetorix *B*. 25 eo die proelio *B C D e* '*mss. multi*', proelio eo die *u*.

sita in altissimo monte omnis aditus difficiles habebat, de expu-
gnatione desperauit, de obsessione non prius agendum constituit,
2 quam rem frumentariam expedisset. At Vercingetorix castris prope
oppidum positis mediocribus circum se interuallis separatim singu-
larum ciuitatium copias conlocauerat atque omnibus eius iugi col-
libus occupatis, qua despici poterat, horribilem speciem praebebat
3 principesque earum ciuitatium, quos sibi ad consilium capiendum
delegerat, prima luce cotidie ad se conuenire iubebat, seu quid
4 communicandum, seu quid administrandum uideretur, neque ullum
fere diem intermittebat, quin equestri proelio interiectis sagitta-
riis, quid in quoque esset animi ac uirtutis suorum, perspiceret.
5 Erat e regione oppidi collis sub ipsis radicibus montis, egregie
munitus atque ex omni parte circumcisus; quem si tenerent no-
stri, et aquae magna parte et pabulatione libera prohibituri hostes
6 uidebantur. Sed is locus praesidio ab his non nimis firmo teneba-
7 tur. Tamen silentio noctis Caesar ex castris egressus, priusquam
subsidio ex oppido ueniri posset, deiecto praesidio potitus loco
duas ibi legiones conlocauit fossamque duplicem duodenum pedum
a maioribus castris ad minora perduxit, ut tuto ab repentino ho-
stium incursu etiam singuli commeare possent.

37 Dum haec ad Gergouiam geruntur, Conuictolitauis Haeduus,
cui magistratum adiudicatum a Caesare demonstrauimus, sollici-
tatus ab Aruernis pecunia cum quibusdam adulescentibus conlo-
quitur; quorum erat princeps Litauicus atque eius fratres, amplis-
2 sima familia nati adulescentes. Cum his praemium communicat

1 omnis *BD*. de oppugnatione *b e*. 2 desperauit, de obsessione *e; om. A B C D*. instituit *b*. 3 prope oppidum positis *A B C D d*, prope oppidum in monte positis *e u*. 5 ciuitatium *A C D*, ciuitatum (*B*). conlocauerat *B*. 7 ciuitatium *A C D*, ciuitatum (*B*). 8 cotidie *om. b d e*. conuenire iubebat *B et reliqui*, iubebat conuenire *b* (*e*) *u*. seu quit — seu quit *B*. 11 perspiceret *duo dett.*, perspiceretur *B 'reliqui'*; periclitaretur *e et*, '*nisi imponunt excerpta*', *c d*. 15 ab his *B edd. ante Ald.*, ab iis *Aldus u*. non minus *b*, *atque idne an* non nimis *in e legeretur, discernere Elberlingius non potuit;* non minimis *sec. m. A*. 16 ex *om. D b*. 17 uenire possent *e*. deiectus *B C*. 18 conlocauit *B*. 21 geruntur] aguntur *b*. Conuictolitauis *A B C D*, Conuictaius *b c;* Conuictolitanis *u*. 22 adiudicatum] adsignatum *b c d e*. 23 adulescentibus *B*. conloquitur *B*. 24 Litauiccus *B*, 'Litauius, Lictauiccus, Lictauictus, Litauiccus, Litauictus *cett. mss. hic et infra*'. *Vid. c.* 40, 7 *et Cass. Dion. XL*, 37. 25 adulescentes *B* '*A C et semper*'. cum his *B edd. ante Ald.*, cum iis *Aldus u*. praemium (*B*) *a e* '*longe plurimi*', primum *b d*.

hortaturque, ut se liberos et imperio natos meminerint. Vnam esse 3
Haeduorum ciuitatem, quae certissimam Galliae uictoriam detineat;
eius auctoritate reliquas contineri; qua traducta locum consistendi
Romanis in Gallia non fore. Esse nonnullo se Caesaris beneficio 4
affectum, sic tamen, ut iustissimam apud eum causam obtinuerit;
sed plus communi libertati tribuere. Cur enim potius Haedui de 5
suo iure et de legibus ad Caesarem disceptatorem, quam Romani
ad Haeduos ueniant? Celeriter adulescentibus et oratione magi- 6
stratus et praemio deductis, cum se uel principes eius consilii fore
profiterentur, ratio perficiendi quaerebatur, quod ciuitatem temere
ad suscipiendum bellum adduci posse non confidebant. Placuit, 7
ut Litauicus decem illis milibus, quae Caesari ad bellum mitteren-
tur, praeficeretur atque ea ducenda curaret, fratresque eius ad
Caesarem praecurrerent. Reliqua qua ratione agi placeat, consti-
tuunt. Litauicus accepto exercitu, cum milia passuum circiter 38
XXX ab Gergouia abesset, conuocatis subito militibus lacrimans,
'Quo proficiscimur', inquit, 'milites? Omnis noster equitatus, 2
omnis nobilitas interiit; principes ciuitatis, Eporedorix et Virido-
marus, insimulati proditionis ab Romanis indicta causa interfecti
sunt. Haec ab ipsis cognoscite, qui ex ipsa caede fugerunt: nam 3
ego fratribus atque omnibus meis propinquis interfectis dolore pro-
hibeor, quae gesta sunt, pronuntiare'. Producuntur hi, quos ille 4
edocuerat, quae dici uellet, atque eadem, quae Litauicus pronun-
tiauerat, multitudini exponunt: equites Haeduorum interfectos, 5
quod conlocuti cum Aruernis dicerentur; ipsos se inter multitudi-
nem militum occultasse atque ex media caede fugisse. Concla- 6
mant Haedui et Litauicum obsecrant, ut sibi consulat. 'Quasi 7

1 hortaturque, ut *A B C D;* hortaturque eos, ut *e.* 2 detineat *'alii',* dedistineat *A B C D;* distineat *e u.* 3 reliquos *b e.* 7 disceptatorum *d.* 8 adulescentibus *B.* 9 forte *A.* 10 profitentur *b.* 12 uti *(B)? et cum solo Oxon. u.* Litauiccus *B;* Lictouitaius cum *b,* Conuictolitaius *c.* Caesarem *m. pr. B.* 14 instituit *b.* 15 Litauiccus *B.* passus *b.* circiter XL *b d.* 18 Eporidorix *c.* 20 ab ipsis *B 'mss. fere omnes';* ab his *e Aldus,* ab iis *Stephanus u.* 22 hi *B e edd. ante Ald.,* ii *Aldus u:* duo *suprasc. habet A.* 23 docuerat *b.* Litauiccus *B.* 24 equites *Whittius;* multos equites *B 'plurimi' et sec. m. a,* omnes equites *a d c et pro uar. lect. c. P.* 66. 25 conlocuti *B.* 26 fugisse *B 'plerique';* perfugisse *b,* profugisse *u.* 27 Litauiccum *B.* obsecrant, ut sibi consulat *B e edd. ante u;* ut sibi consulat, obsecrant *sine annotatione u.*

uero', inquit ille, 'consilii sit res, ac non necesse sit nobis Gergo-
8 uiam contendere et cum Aruernis nosmet coniungere. An dubita-
mus, quin nefario facinore admisso Romani iam ad nos interficien-
dos concurrant? Proinde, si quid in nobis animi est, persequamur
eorum mortem, qui indignissime interierunt atque hos latrones in-
9 terficiamus'. Ostendit ciues Romanos, qui eius praesidii fiducia
una erant: magnum numerum frumenti commeatusque diripit,
10 ipsos crudeliter excruciatos interficit. Nuntios tota ciuitate Hae-
duorum dimittit, eodem mendacio de caede equitum et principum
permouet; hortatur, ut simili ratione, atque ipse fecerit, suas in-
39 iurias persequantur. Eporedorix Haeduus, summo loco natus adu-
lescens et summae domi potentiae, et una Viridomarus, pari aetate
et gratia, sed genere dispari, quem Caesar ab Diuitiaco sibi tra-
ditum ex humili loco ad summam dignitatem perduxerat, in equi-
2 tum numero conuenerant nominatim ab eo euocati. His erat inter
se de principatu contentio, et in illa magistratuum controuersia
alter pro Conuictolitaui, alter pro Coto summis opibus pugnaue-
3 rant. Ex iis Eporedorix cognito Litauici consilio media fere no-
cte rem ad Caesarem defert; orat, ne patiatur ciuitatem prauis
adulescentium consiliis ab amicitia populi Romani deficere; quod
futurum prouideat, si se tot hominum milia cum hostibus coniun-
xerint, quorum salutem neque propinqui neglegere, neque ciuitas
40 leui momento aestimare posset. Magna affectus sollicitudine hoc
nuntio Caesar, quod semper Haeduorum ciuitati praecipue indul-
serat, nulla interposita dubitatione legiones expeditas quattuor
2 equitatumque omnem ex castris educit, nec fuit spatium tali tem-
pore ad contrahenda castra, quod res posita in celeritate uideba-
3 tur; Gaium Fabium legatum cum legionibus duabus castris prae-

1 ille *om. C.* 4 quit *B.* in nobis animi est *B et reliqui*, est in nobis animi *b And. Oxon. u.* 5 atque os *B.* 7 erant: magnum *B 'reliqui'*, erant: continuo magnum *b c d e.* frumenti *om. b.* 8 intercepit *b.* 9 *ante* eodem *add.* in *b c d e.* 10 permouet (*B*) *et tres dett.*, permonet *reliqui.* 11 adulesceus *B.* 13 ab Diuitiaco sibi *B 'mss. plerique'*, sibi ab Diuitiaco *e u.* 14 loco *om. b.* 16 magistratus *b.* 17 Conuictolitaui *A*, Conuictolitaue *'mss. 4'*; Conuictolitano *B C*, Conuictolitaio *b c;* Conuictolitane *u.* Cotto *A B b.* pugnauerant *A B C D*, pugnauerat *e.* 18 Litauicci *B.* fere *om. b.* 20 adulescentium *B.* 21 prouideret *c.* si] ne *B 'mss. 10'.* 22 neglegere *praeter B etiam A C.* 23 leni *b.* 24 quod] qui *b d e.* praecipuae *B.* 25 quattuor *B*, *non* quatuor. 26 fuerit *c.* 28 Gaium *om. B 'mss. multi'*, *C. u.*

sidio relinquit. Fratres Litauici cum conprehendi iussisset, paulo
ante reperit ad hostes fugisse. Adhortatus milites, ne necessario 4
tempore itineris labore permoueantur, cupidissimis omnibus pro-
gressus milia passuum XXV agmen Haeduorum conspicatus inmisso
equitatu iter eorum moratur atque inpedit interdicitque omnibus,
ne quemquam interficiant. Eporedorigem et Viridomarum, quos 5
illi interfectos existumabant, inter equites uersari suosque appel-
lare iubet. His cognitis et Litauici fraude perspecta Haedui ma- 6
nus tendere, deditionem significare et proiectis armis mortem de-
precari incipiunt. Litauicus cum suis clientibus, quibus more Gal- 7
lorum nefas est etiam in extrema fortuna deserere patronos, Ger-
gouiam profugit. Caesar nuntiis ad ciuitatem Haeduorum missis, 41
qui suo beneficio conseruatos docerent, quos iure belli interficere
potuisset, tribusque horis noctis exercitui ad quietem datis castra
ad Gergouiam mouit. Medio fere itinere equites a Fabio missi, 2
quanto res in periculo fuerit, exponunt. Summis copiis castra op-
pugnata demonstrant, cum crebro integri defessis succederent no-
strosque adsiduo labore defatigarent, quibus propter magnitudinem
castrorum perpetuo esset isdem in uallo permanendum. Multitu- 3
dine sagittarum atque omnis generis telorum multos uulneratos;
ad haec sustinenda magno usui fuisse tormenta. Fabium discessu 4
eorum duabus relictis portis obstruere ceteras pluteosque uallo ad-
dere et se in posterum diem similemque casum apparare. His re- 5
bus cognitis Caesar summo studio militum ante ortum solis in ca-
stra peruenit.

Dum haec ad Gergouiam geruntur, Haedui primis nuntiis ab 42
Litauico acceptis nullum sibi ad cognoscendum spatium relinquunt.
Inpellit alios auaritia, alios iracundia et temeritas, quae maxime 2

1 reliquit *b.* Litauicci *B.* conprehendi *B.* iussit set *ante corr. B.* 2 repperit *B.* fugisse *B 'reliqui'*, profugisse *b c d e.* 4 inmisso *B.* 5 inpedit *B.* 6 Eporidorigem *A B C D.* 7 existumabant *A B C D.* 8 his *B edd. priores,* iis *P. Manutius u.* Litiuicci *B.* 9 tendere, deditionem *A (B) C* (*is* de ditione) *D*; tendere et deditionem *e. P.* 68. deprecare *D.* 10 incipiunt] ceperunt *b.* Litauicus *'hic retinent mss. meliores' et diserto testimonio B.* 12 *uerbis* Caesar nuntiis *redit antiquior manus B.* 15 mouet *b.* ab Fabio *cum solis And. Oxon. u.* 17 crebo *B.* 18 adsiduo *B.* 19 isdem *B 'plerique'*; eisdem *b 'et alii' u,* eodem *D.* 20 omni genere *a b c e.* 23 similemque casum apparare *B 'reliqui'*, similem ad casum parare *b c d e.* iis rebus *B.* 26 primis] trinis *c d e,* tribus *b.* 27 Litauicco *B.* reliquunt *m. pr. B.* 28 inpellit *B.*

illi hominum generi est innata, ut leuem auditionem habeant pro
3 re conperta. Bona ciuium Romanorum diripiunt, caedes faciunt,
4 in seruitutem abstrahunt. Adiuuat rem proclinatam Conuictolita-
uis plebemque ad furorem inpellit, ut facinore admisso ad sanita-
5 tem reuerti pudeat. Marcum Aristium, tribunum militum, iter ad
legionem facientem fide data ex oppido Cabillono educunt: idem
6 facere cogunt eos, qui negotiandi causa ibi constiterant. Hos con-
tinuo in itinere adorti omnibus impedimentis exuunt; repugnantes
diem noctemque obsident; multis utrimque interfectis maiorem
43 multitudinem armatorum concitant. Interim nuntio allato, omnes
eorum milites in potestate Caesaris teneri, concurrunt ad Aristi-
2 um, nihil publico factum consilio demonstrant; quaestionem de
bonis direptis decernunt, Litauici fratrumque bona publicant, le-
3 gatos ad Caesarem sui purgandi gratia mittunt. Haec faciunt re-
ciperandorum suorum causa; sed contaminati facinore et capti con-
pendio ex direptis bonis, quod ea res ad multos pertinebat, timore
poenae exterriti consilia clam de bello inire incipiunt ciuitatesque
4 reliquas legationibus sollicitant. Quae tametsi Caesar intellege-
bat, tamen quam mitissime potest legatos appellat: nihil se propter
inscientiam leuitatemque uulgi grauius de ciuitate iudicare neque
5 de sua in Haeduos beneuolentia deminuere. Ipse maiorem Galliae
motum expectans, ne ab omnibus ciuitatibus circumsisteretur, con-
silia inibat, quemadmodum ab Gergouia discederet ac rursus
omnem exercitum contraheret, ne profectio nata ab timore defe-
44 ctionis similis fugae uideretur. Haec cogitanti accidere uisa est

1 generis *B.* habeant *a e 'reliqui'*, habent *B C D.* 2 conperta *B.* 3 inclinatam *b c d e.* Conuictolitanis *u et cum* u *super* is *sec. m. posita B tacente de* n *ultimae Beyerlio.* 4 plebem ad fauorem *b.* inpellit *B.* salanitatem *ante corr. B.* 5 reuerti pudeat *B et reliqui,* pudeat reuerti *b* (*e*) *'alii'.* Marcum *B,* M. *u.* 6 fide data *B et reliqui,* data fide *b* (*e*) *'alii'.* Cauillono *B 'mss. ad unum omnes'.* 8 in *om. B e 'mss. plurimi'.* 9 utrimque *B, non* utrinque. 10 armatorum *B 'reliqui',* ad arma *b c d e.* 12 nihil in publico *c.* questionem *B.* 13 Litauicci *E.* fratrumquae *m. pr. B,* 'fr. eius *b*'. 14 reciperandorum *cum* u *super* i *sec. m. posita B.* 15 conpendio *B.* 16 timore *B 'reliqui',* et timore *b c d e.* 17 extriti *C.* ciuitates reliquas *D.* 20 inscitiam et leuitatem uulgi *b.* 21 Aeduos (*B*)? beneuolentia (*B*), beniuolentia *'plerique'.* deminuere *B,* diminuere *'plerique'.* maiorem] deinde *add. D.* 22 expectans *B.* ciuitatibus *om. e And. Oxon.* 23 ab Gergouia *A,* ad Gergouiam *D;* a Gergouia *B reliquique.* rursum *b.* 24 contrahere *B.* ab timore (*B*) *'mss. 10 meliores', non* a timore. 25 similisque fugae *e Oxon.* cogitandi *m. pr. B.*

facultas bene rei gerendae. Nam cum in minora castra operis
perspiciendi causa uenisset, animaduertit collem, qui ab hostibus
tenebatur, nudatum hominibus, qui superioribus diebus uix prae
multitudine cerni poterat. Admiratus quaerit ex perfugis causam; 2
quorum magnus ad eum cotidie numerus confluebat. Constabat 3
inter omnes, quod iam ipse Caesar per exploratores cognouerat,
dorsum esse eius iugi prope aequum, sed hunc siluestrem et an-
gustum, qua esset aditus ad alteram partem oppidi; uehementer 4
huic illos loco timere nec iam aliter sentire uno colle ab Romanis
occupato, si alterum amisissent, quin paene circumuallati atque
omni exitu et pabulatione interclusi uiderentur: ad hunc munien- 5
dum omnes a Vercingetorige euocatos. Hac re cognita Caesar **45**
mittit conplures equitum turmas; eis de media nocte imperat, ut
paulo tumultuosius omnibus locis uagarentur. Prima luce magnum 2
numerum impedimentorum ex castris mulorumque produci deque
his stramenta detrahi mulionesque cum cassidibus equitum specie
ac simulatione collibus circumuehi iubet. His paucos addit equites, 3
qui latius ostentationis causa uagarentur. Longo circuitu easdem
omnes iubet petere regiones. Haec procul ex oppido uidebantur, 4
ut erat a Gergouia despectus in castra, neque tanto spatio, cer-
ti quid esset, explorari poterat. Legionem unam eodem iugo mit- 5
tit et paulum progressam inferiore constituit loco siluisque occul-
tat. Augetur Gallis suspicio, adque omnes illo munitionum copiae 6
traducuntur. Vacua castra hostium Caesar conspicatus tectis in- 7

1 rei gerendae *B et reliqui,* gerendae rei *b And. Oxon.* in minora *B e 'plerique',* minora in *u.* 7 sed hunc siluestrem *A B C D b;* sed siluestrem *c d,* sed siluestre *e u.* 8 partem oppidi; uehementer huic illos loco *B et reliqui:* oppidi partem; huic loco uehementer illos *b d* (*e*). 10 altero *cum* u *super* o *B.* amississent *B.* *ante* quin *add.* non dubitari *b d e.* 11 muniendum omnes *B 'mss. plerique',* muniendum locum omnes *e u.* 12 Vercintorige *B.* ac re *B.* 13 conplures *B.* turmas eisdem media nocte imperat *B 'reliqui':* turmas eodem media nocte iis imperat *d et, qui* imperat iis, *b et, qui* imperat his, *e:* turmas eo de media nocte; iis imperat *c u.* 14 omnibus locis *B e 'ceteri',* omnibus in locis *b c d.* uagarentur *B 'ceteri';* peruagarentur *c d e,* peruagentur *b.* 15 mulorumque produci neque his stramenta *e et, qui* iis *habere dicuntur, b c d; om. B 'reliqui':* deque *Dauisius,* eque *Scaliger,* atque *Ciacconius.* 16 quassidibus *C.* specie adsimulatione *A* (spetie *m. pr. B*). 18 latius] cautius *pro uar. lect. c.* uagentur *b.* 20 Gergobia *B.* 22 paulum *B e reliqui,* paulo *A D b.* 23 suspitio *B.* adque *B.* illo munitionum *B et reliqui,* illo ad munitionem *b c d e.*

signibus suorum occultatisque signis militaribus raros milites, ne
ex oppido animaduerterentur, ex maioribus castris in minora tra-
8 ducit legatisque, quos singulis legionibus praefecerat, quid fieri
uelit, ostendit: inprimis monet, ut contineant milites, ne studio
9 pugnandi aut spe praedae longius progrediantur; quid iniquitas
loci habeat incommodi, proponit: hoc una celeritate posse mutari;
10 occasionis esse rem, non proelii. His rebus expositis signum dat
et ab dextra parte alio ascensu eodem tempore Haeduos mittit.
46 Oppidi murus ab planicie adque initio ascensus recta regione, si
2 nullus amfractus intercederet, MCC passus aberat: quidquid huc
circuitus ad molliendum cliuum accesserat, id spatium itineris au-
3 gebat. A medio fere colle in longitudinem, ut natura montis fere-
bat, ex grandibus saxis sex pedum murum, qui nostrorum impe-
tum tardaret, praeduxerant Galli atque inferiore omni spatio ua-
cuo relicto superiorem partem collis usque ad murum oppidi den-
4 sissimis castris compleuerant. Milites dato signo celeriter ad mu-
nitionem perueniunt eamque transgressi trinis castris potiuntur;
5 ac tanta fuit in castris capiendis celeritas, ut Teutomatus, rex
Nitiobrigum, subito in tabernaculo oppressus, ut meridie conquie-
uerat, superiore corporis parte nudata uulnerato equo uix se ex
47 manibus praedantium militum eriperet. Consecutus id, quod ani-
mo proposuerat, Caesar receptui cani iussit legionique decimae,
2 quacum erat, contionatus signa constituit. Ac reliquarum legio-
num milites non exaudito sono tubae, quod satis magna ualles in-

1 ne *e u*, qui *A B C D*. 2 animaduerteretur *e*, aduerterentur *b*. 4 uelit *A C e*, uellet *B u*. in primis (*B*). 6 mutari *B 'mss. 11'*, uitari *e u*. 8 dextra *A B C e*, dextera *u*. ascensu *B*. Haeduos *b c d e*, ad Haeduos *B 'reliqui'*. mittit ad oppidi *A*. 9 muros *A B C D*, muris *b*. ab (*B*) *u*, at *A*; a *'multi'*. planitiae *B silente de* t *Beyerlio.* adque *B*. ascensus *B*. *ante* recta *add.* a *b*. 10 amfractus *A B C b*, *non* anfractus. quicquid *B*. huc *ego*, huic *codd. P.* 94. 11 spatio itineris augebatur *b e*. 12 a medio *e Haun. sec. edd. omnes ante Graeuianam alteram*, at medio (*B*)? *Graeu. alt. u.* longitudinem *b c d e*, longitudine *B et reliqui.* 13 quo *b e*. nostrum *e 'mss. 11'*. 14 tardarent *b e*, traderet *m. pr. B*. atque inferiorem partem *omissis mediis A*. 17 peruiunt *m. pr. B* 18 Teutomatus *b c*, uotomatus *A a*, uitomatus *d*; uotomapatus *B et sic 'uel* notomatus, uocomapatus, uatomapatus, notomapatus *alii'* 20 nuda *b c e*. 22 canere *b*. legionique *B 'reliqui'*, legionisque *a b c d e. P.* 95. 23 contionatus *B*, *non* concionatus. constituit *B 'reliqui'*; constiterunt *a b e*, constitere *c d*. ac *A B C D*, at *e u*. legionum milites *B 'mss. plerique'*, milites legionum *u*. 24 audito *b*. sono tubae *B*, tubae sono *u*. magna ualles inter-

tercedebat, tamen ab tribunis militum legatisque, ut erat a Cae-
sare praeceptum, retinebantur. Sed elati spe celeris uictoriae et 3
hostium fuga et superiorum temporum secundis proeliis nihil adeo
arduum sibi esse existimauerunt, quod non uirtute consequi pos-
sent, neque finem prius sequendi fecerunt, quam muro oppidi por-
tisque adpropinquarunt. Tum uero ex omnibus urbis partibus orto 4
clamore qui longius aberant repentino tumultu perterriti, cum ho-
stem intra portas esse existumarent, sese ex oppido eiecerunt.
Matresfamiliae de muro uestem argentumque iactabant et pecto- 5
re nudo prominentes passis manibus obtestabantur Romanos, ut
sibi parcerent neu, sicut Auarici fecissent, ne a mulieribus quidem
atque infantibus abstinerent: nonnullae de muris per manus de- 6
missae sese militibus tradebant. Lucius Fabius, centurio legionis 7
VIII, quem inter suos eo die dixisse constabat excitari se Auari-
censibus praemiis neque commissurum, ut prius quisquam murum
ascenderet, tres suos nactus manipulares atque ab iis subleuatus
murum ascendit: hos ipse rursus singulos exceptans in murum
extulit. Interim ii, qui ad alteram partem oppidi, ut supra demon- 48
strauimus, munitionis causa conuenerant, primo exaudito clamore,
inde etiam crebris nuntiis incitati, oppidum a Romanis teneri,
praemissis equitibus magno concursu eo contenderunt. Eorum ut 2
quisque primus uenerat, sub muro consistebat suorumque pugnan-
tium numerum augebat. Quorum cum magna multitudo conuenis- 3
set, matresfamiliae, quae paulo ante Romanis de muro manus ten-
debant, suos obtestari et more Gallico passum capillum ostentare
liberosque in conspectum proferre coeperunt. Erat Romanis nec 4

cedebat *A B D et*, *qui* intercedebant *cum puncto sub* n, *C*; magnae ualles intercedebant *a b e*. 1 ab tribunis *A* (*B*) *C D*, *non* a tribunis. 3 et superiorum *B* '*reliqui*', superiorumque *b c d e*. 4 sibi esse existimauerunt *B* '*reliqui*', sibi existimabant (*omisso* esse) *b c d e*. posset *ante corr. B*. 5 finem prius *B e* '*plurimi*', prius finem *u*. 6 appropinquarunt *B D reliqui*, appropinquauerunt *C*; appropinquarent *b e* '*aliique*' (adp. *B*). 7 tumulto *B*. hostem (*B*) '*plerique*', hostes *e*. 8 existumarent *A B C*. se *b*. deiecerunt *D*. 9 uestes *b*. pectoris fine prom. *cum solis And. Oxon. u*. 11 ne a mulieribus *A B C D*, ne mulieribus *e u*. 12 de muro *b c d e*. 13 L. Fabius *u*, Labius *A B C*. 16 ascenderet *B*. nactos *m. pr. B*. 17 ascendit *B*. hos *B D* '*plerique*', hoc *cum* s *super* c *C*; eo *d*, eos (*e*)*u*. 18 interim hi *B*. 20 deinde etiam *b*. a Romanis *B* '*mss. plerique*', ab Romanis *u*. 21 concurso *ante corr. B*, conuersu *A*; cursu *a b e*. 24 de muro *om. e Oxon*. 25 sparsum capillum *b d e*. 26 coepere *b*.

loco nec numero aequa contentio; simul et cursu et spatio pugnae
49 defatigati non facile recentes atque integros sustinebant. Caesar,
cum iniquo loco pugnari hostiumque augeri copias uideret, prae-
metuens suis ad Titum Sextium legatum, quem minoribus castris
praesidio reliquerat, misit, ut cohortes ex castris celeriter educe-
2 ret et sub infimo colle ab dextro latere hostium constitueret, ut,
si nostros loco depulsos uidisset, quo minus libere hostes inseque-
3 rentur, terreret. Ipse paulum ex eo loco cum legione progressus,
50 ubi constiterat, euentum pugnae expectabat. Cum acerrime com-
minus pugnaretur, hostes loco et numero, nostri uirtute confide-
rent, subito sunt Haedui uisi ab latere nostris aperto, quos Cae-
sar ab dextra parte alio ascensu manus distinendae causa miserat.
2 Hi similitudine armorum uehementer nostros perterruerunt, ac
tametsi dextris humeris exsertis animaduertebantur, quod insigne
pacatum esse consuerat, tamen id ipsum sui fallendi causa milites
3 ab hostibus factum existimabant. Eodem tempore Lucius Fabius
centurio quique una murum ascenderant circumuenti atque inter-
4 fecti muro praecipitabantur. Marcus Petronius, eiusdem legionis
centurio, cum portas excidere conatus esset, a multitudine oppres-
sus ac sibi desperans multis iam uulneribus acceptis manipularibus
suis, qui illum secuti erant, 'Quoniam', inquit, 'me una uobiscum
seruare non possum, uestrae quidem certe uitae prospiciam, quos
cupiditate gloriae adductus in periculum deduxi. Vos data facul-
5 tate uobis consulite'. Simul in medios hostis inrupit duobusque
6 interfectis reliquos a porta paulum summouit. Conantibus auxiliari
suis 'Frustra', inquit, 'meae uitae subuenire conamini, quem iam
sanguis uiresque deficiunt. Proinde abite, dum est facultas, uos-

2 fatigati *A.* 3 copias augeri *b.* 4 Titum *B,* T. *u.* 5 misit *A B C D a b e,* mittit *'alii' u.* ex castris *om. b d e.* 6 ab extro *m. pr. B.* latere *om. A.* 7 dispulsos *b.* 8 paululum ex *c,* paulatim ab *b.* 9 expectabat *B.* 10 pugnaretur *om. A B C D.* 12 ascensu *B.* distinendi causa *omisso* manus *b c, non e.* 15 pacatum *B a e 'reliqui mei omnes'*; pacatis, *'ut uidetur, c d And. Oxon. cod. Urs., ex quibus nihil uarietatis annotatum est', Aldus u. P.* 95. 16 Lucius *B,* L. *u.* Fabius] Sabinus *A.* 17 ascenderant *B.* 18 muro *B et reliqui,* de muro *b c d e.* praecipitabantur *B e 'ceteri',* praecipitantur *b c d.* Marcus *B,* M. *u.* Petronius *B 'reliqui' et, qui* et *praemittit, D*; praetor *b,* Petreius *d e.* 19 a *om. b.* 20 ac sui desperans *A B C D.* iam *om. e.* 23 facultata *m. pr. B.* 24 hostis *B C D.* (inrupit *B*) erupit *b.* 25 paulo *D,* paululum *b c e.* summouit *B, non* subm. 27 proinde abite *B e 'reliqui',* proinde hinc abite *d u.*

que ad legionem recipite'. Ita pugnans post paulum concidit ac
suis saluti fuit. Nostri, cum undique premerentur, XLVI centu- 51
rionibus amissis deiecti sunt loco. Sed intolerantius Gallos inse-
quentes legio decima tardauit, quae pro subsidio paulo aequiore
loco constiterat. Hanc rursus XIII legionis cohortes exceperunt, 2
quae ex castris minoribus eductae cum Tito Sextio legato cepe-
rant locum superiorem. Legiones, ubi primum planiciem adtige- 3
runt, infestis contra hostes signis constiterunt. Vercingetorix ab 4
radicibus collis suos intra munitiones reduxit. Eo die milites sunt
paulo minus septingenti desiderati. Postero die Caesar contione 52
aduocata temeritatem cupiditatemque militum reprehendit, quod
sibi ipsi iudicauissent, quo procedendum aut quid agendum uidere-
tur, neque signo recipiendi dato constitissent neque ab tribunis
militum legatisque retineri potuissent. Exposuit, quid iniquitas loci 2
posset, quid ipse ad Auaricum sensisset, cum sine duce et sine
equitatu deprehensis hostibus exploratam uictoriam dimisisset, ne
paruum modo detrimentum in contentione propter iniquitatem loci
accideret. Quanto opere eorum animi magnitudinem admiraretur, 3
quos non castrorum munitiones, non altitudo montis, non murus
oppidi tardare potuisset, tanto opere licentiam adrogantiamque re-
prehendere, quod plus se quam imperatorem de uictoria atque exitu
rerum sentire existimarent; nec minus se ab milite modestiam et 4
continentiam quam uirtutem atque animi magnitudinem desiderare.
Hac habita contione et ad extremam orationem confirmatis militi- 53
bus, ne ob hanc causam animo permouerentur neu, quod iniquitas
loci adtulisset, id uirtuti hostium tribuerent, eadem de profectione

1 paulum *B e reliqui*, paululum *b c*. 2 nostri] nisi *m. pr. B*. vi et xl *b*. 4 pro *int. uers. b*. 6 aeductae *B*. Tito *B*, T. *u*. locum ceperant *cum b Oxon. u*. 7 planitiem (*B*). adtigerunt *B*. 8 hostem *e*. extiterunt *b*. 9 munitiones recepit reduxit *b*. sunt *ante* desiderati *ponit b*. 10 paulum *A B C*. sextingenti *B*. contione *B*, *non* concione. 12 iudicassent *b*. 13 constituissent *m. pr. B*. ab tribunis *A* (*B*) *C D*, *non* a tribunis. 14 exposuit *B et reliqui*, exposito *b e*. 15 cum] quid *b*. 16 dimississet *B*. 18 accideret *A* (*B*) *C D b c*, acciperet *e*. quanto opere *et* 20 tanto opere *A* (*B*) *C D*, *non* quantopere *et* tantopere. 19 quos *b c d e*, quod *B* '*reliqui*'. muros *B C*, muri *D*. 20 potuissent *D*. (adrogantiamque *B*) et arrogantiam *b*. 22 ab milite *B et sic* '*uel* a milite *reliqui*', in milite *b c d e*. et continentiam *om. b d e*. 23 atque *om. b*. 24 contione *B*. ad extremam orationem *A B C D*, ad extremum oratione *b c d e*. 26 adtulisset *B*. id *om. D*. uirtuti hostium] hosti *e And. Oxon*.

cogitans, quae ante senserat, legiones ex castris eduxit aciemque
2 idoneo loco constituit. Cum Vercingetorix nihilo magis in aequum
locum descenderet, leui facto equestri proelio atque secundo in
3 castra exercitum reduxit. Cum hoc idem postero die fecisset, sa-
tis ad Gallicam ostentationem minuendam militumque animos con-
4 firmandos factum existimans in Haeduos mouit castra. Ne tum
quidem insecutis hostibus tertio die ad flumen Elauer pontes refi-
54 cit eoque exercitum traducit. Ibi a Viridomaro adque Eporedorige
Haeduis appellatus discit cum omni equitatu Litauicum ad sollici-
tandos Haeduos profectum: opus esse ipsos antecedere ad confir-
2 mandam ciuitatem. Etsi multis iam rebus perfidiam Haeduorum
perspectam habebat atque horum discessu admaturari defectionem
ciuitatis existimabat, tamen eos retinendos non constituit, ne aut
inferre iniuriam uideretur aut dare timoris aliquam suspicionem.
3 Discedentibus his breuiter sua in Haeduos merita exposuit, quos
4 et quam humiles accepisset, conpulsos in oppida, multatos agris
omnibus ereptis copiis, inposito stipendio, obsidibus summa cum
contumelia extortis, et quam in fortunam quamque in amplitudi-
nem deduxisset, ut non solum in pristinum statum redissent, sed
omnium temporum dignitatem et gratiam antecessisse uiderentur.
55 His datis mandatis eos ab se dimisit. Nouiodunum erat oppidum

1 quem ante *deleta sec. m.* m *B.* ex castra *A.* 2 constuit *B.* nihilo magis *Vascosanus,* nihilo minus *codd.* 3 atque secundo *B 'reliqui',* atque eo secundo *b c d e.* 6 mouit castra *B 'plerique',* castra mouit *u.* ne *om. b c.* 7 flumen *om. D.* Elaber *B,* laber *A.* pontes *B 'reliqui',* pontem *b c d e. Vid.* 34, 3. 35, 2. 56, 1. reficit *B 'reliqui';* refecit *d,* effecit *e,* fecit *b c.* 8 eoque exercitum *A B C '4 alii';* atque exercitum *c d alii,* exercitumque *b. Vid. VIII,* 27, 2. *b. Hisp.* 6, 1. traducit *'reliqui',* traduxit *b c d e et secundum Beyerlii de duabus ultimis silentium B.* adque *B.* Eporidorige *'mss. multi hic et infra',* Operidorige *C,* Operidigne *B.* 9 Litauiccum *B.* 10 ipsos *B 'reliqui',* et ipsos *b c d e. P.* 69. antecedere *A B C D a b c e,* praecedere *u.* 11 etsi multis iam rebus perfidiam Haeduorum *A (B) C D;* etsi multis iam rebus Aeduorum perfidiam Caesar *e, et 'in nonnullis* Caesar *ponitur ante* etsi, *in aliis* Caesar perf. Aed.' 12 atque eorum *b.* maturari *e,* maturandi *b c.* 13 pertinendos *e And. Oxon.* non constituit *B '10 mei';* non sensuit constituit *e,* non censuit *Aldus u.* 14 daret *b e.* aliquam timoris *b.* suspitionem *B.* 15 discendentibus *m. pr. B.* Aeduos *(B) ?* exponit *cum 2 dett. u.* 16 accepisset] et *add. B 'mss. plurimi', non e.* conpulsos *B.* in oppida] inopia *D.* 17 copiis] sociis *d e.* iuposito *B.* 18 et in eam fortunam amplitudinemque duxisse *b c e.* 20 antecesisse *B.* 21 dimittit *cum b e u.* Nouiodonum *B C.*

Haeduorum ad ripas Ligeris opportuno loco positum. Huc Caesar 2
omnes obsides Galliae, frumentum, pecuniam publicam, suorum
atque exercitus inpedimentorum magnam partem contulerat; huc 3
magnum numerum equorum huius belli causa in Italia atque Hi-
spania coëmptum miserat. Eo cum Eporedorix Viridomarusque 4
uenissent et de statu ciuitatis cognouissent, Litauicum Bibracti ab
Haeduis receptum, quod est oppidum apud eos maximae auctorita-
tis, Conuictolitauim magistratum magnamque partem senatus ad
eum conuenisse, legatos ad Vercingetorigem de pace et amicitia
concilianda publice missos, non praetermittendum tantum commo-
dum existimauerunt. Itaque interfectis Nouioduni custodibus qui- 5
que eo negotiandi causa conuenerant pecuniam atque equos inter
se partiti sunt; obsides ciuitatum Bibracte ad magistratum dedu- 6
cendos curauerunt; oppidum, quod a se teneri non posse iudica- 7
bant, ne quoi esset usui Romanis, incenderunt; frumenti quod su- 8
bito potuerunt nauibus auexerunt, reliquum flumine atque incen-
dio corruperunt. Ipsi ex finitimis regionibus copias cogere, prae- 9
sidia custodiasque ad ripas Ligeris disponere equitatumque omni-
bus locis iniciendi timoris causa ostentare coeperunt, si ab re fru-
mentaria Romanos excludere aut adductos inopia in prouinciam
expellere possent. Quam ad spem multum eos adiuuabat, quod 10
Liger ex niuibus creuerat, ut omnino uado non posse transiri ui-
deretur. Quibus rebus cognitis Caesar maturandum sibi censuit, 56
si esset in perficiendis pontibus periclitandum, ut prius, quam es-
sent maiores eo coactae copiae, dimicaret. Nam ne commutato 2

3 inpedimentorum *B*. 5 coëmtum *A b u* (*fuerat* coëmtorum), ceptum *e; coëmtus C D et tacente de* emt *Beyerlio B*. 6 Litauiccum *B*. Bibracti *A B C D*, Bibracte *e u*. 8 Conuictolitabim *B et sic aut* — uim *aut* — uem '*mss.*'; Conuictolitanem *u, et in B sec. m.* b *deleta* n *suprascripsit*. 9 Vercingetorigen *B*. 10 concilianda *int. uers. b*. pretermitt. *B*. 11 Nouiodunis, *sed* s *sec. m. adiecta, B*, Nouioduniis *C*. 12 negotiandi causa *B* '*reliqui*', negotiandi aut itineris causa *b c d e*. 13 ciuitatis *suprasc. A*. 14 a se *A B C D* '*plerique*', ab se (*e*) *u*. iudicabant] putabant *m. pr. b*. 15 quoi *Oudendorpius*, quo *B C D* '*quinque alii*'; cui *e u*. 16 aduexerunt *b*. 17 corrupuerunt *C et m. pr. B*. regionibus] ciuitatibus *b*. 19 initiendi *B*. si ab re *A* (*B*) *C D*; si re *b c*, ut ab re *d*, aut re si re *e*. 20 inoppia *B*. in prouinciam *Nicasius Hellebodius*; ex prouincia (*B*) *et reliqui*, prouincia *b c d e*. *P*. 96. 21 expellere *B et reliqui*, excludere *b c d e*. 22 transsiri *B*. 24 si esset] nec esse *b*. 25 eo *om. b*. nam ut commutato *codd. et edd. P*. 96.

consilio iter in prouinciam conuerteret, ut nemo non tum quidem
necessario faciundum existimabat, cum infamia atque indignitas
rei et oppositus mons Ceuenna uiarumque difficultas inpediebat,
tum maxime, quod abiuncto Labieno atque iis legionibus, quas una
3 miserat, uehementer timebat. Itaque admodum magnis diurnis
nocturnisque itineribus confectis contra omnium opinionem ad Li-
4 gerem uenit uadoque per equites inuento pro rei necessitate oppor-
tuno, ut brachia modo atque humeri ad sustinenda arma liberi ab
aqua esse possent, disposito equitatu, qui uim fluminis refringeret,
atque hostibus primo aspectu perturbatis incolumem exercitum
5 traduxit frumentumque in agris et pecoris copiam nactus repleto
his rebus exercitu iter in Senones facere instituit.

57 Dum haec apud Caesarem geruntur, Labienus eo supplemen-
to, quod nuper ex Italia uenerat, relicto Agedici, ut esset inpe-
dimentis praesidio, cum quattuor legionibus Lutetiam proficiscitur.
Id est oppidum Parisiorum, quod positum est in insula fluminis
2 Sequanae. Cuius aduentu ab hostibus cognito magnae ex finitimis
3 ciuitatibus copiae conuenerunt. Summa imperii traditur Camulo-
geno Aulerco, qui prope confectus aetate tamen propter singula-
4 rem scientiam rei militaris ad eum est honorem euocatus. Is cum
animaduertisset perpetuam esse paludem, quae influeret in Sequa-
nam atque illum omnem locum magnopere inpediret, hic consedit
58 nostrosque transitu prohibere instituit. Labienus primo uineas
agere, cratibus atque aggere paludem explere atque iter munire
2 conabatur. Postquam id difficilius confieri animaduertit, silentio e
castris tertia uigilia egressus eodem, quo uenerat, itinere Melodu-

1 ut nemo non tum quidem *Ciacconius;* ut ne metu quidem *A B C D,* ut nemo tunc quidem *e Oxon. cod. Vrs.,* id ne metu quidem *'reliqui'.* 2 faciundum *A B C D, non* faciendum. 3 Ceuennae *B C D. P.* 17 *extr.* inpediebat *B.* 4 abiuncto *b c d,* adiuncto *B e 'mss. mei* 10'. atque his *sec. m. B.* 5 diurnis nocturnisque *B C D e,* diurnis atque nocturnis *u.* 6 Ligerem *A et m. pr. B,* Ligerim *u et sec. m. B.* 7 uenit *B e 'mss. longe plurimi',* peruenit *u.* re *c.* 8 sustentanda *b.* 9 restringeret *b.* 10 aspectu *B.* 12 his *B edd. priores,* iis *P. Manutius u.* in *sec. m. super uers. B,* inter *e.* Senones *B et reliqui,* Senonas *b c e.* 14 Agedinci *B 'plerique',* Agedincum *D;* Agendici *u.* ut esset] in ciuitate sed *D.* inpedimentis *B.* 15 IV (*B*). 16 id] quod *b c, non e.* quod positum est *B et reliqui,* positum *b c d e.* 17 Sequani *D.* fintimis *B.* 19 confectus erat aetate *b.* 21 animum aduertisset *e And. Oxon.* 22 magno impediret opere *e* (inp. *B*). 25 cumfieri *B.* animum aduertit *e.* 26 Mellodunum *B e et sec. m. C,* Melledunum *m. pr.*

num peruenit. Id est oppidum Senonum in insula Sequanae posi- 3
tum, ut paulo ante de Lutetia diximus. Deprensis nauibus circi- 4
ter quinquaginta celeriterque coniunctis atque eo militibus iniectis
et rei nouitate perterritis oppidanis, quorum magna pars erat ad
bellum euocata, sine contentione oppido potitur. Refecto ponte, 5
quem superioribus diebus hostes resciderant, exercitum traducit
et secundo flumine ad Lutetiam iter facere coepit. Hostes re co- 6
gnita ab iis, qui Meloduno fugerant, Lutetiam incendi pontesque
eius oppidi rescindi iubent; ipsi proiecta palude ad ripas Sequanae
e regione Lutetiae contra Labieni castra considunt. Iam Caesar **59**
a Gergouia discessisse audiebatur, iam de Haeduorum defectione
et secundo Galliae motu rumores adferebantur, Gallique in conlo-
quiis interclusum itinere et Ligeri Caesarem inopia frumenti coa-
ctum in prouinciam contendisse confirmabant. Bellouaci autem 2
defectione Haeduorum cognita, qui ante erant per se infideles, ma-
nus cogere atque aperte bellum parare coeperunt. Tum Labienus 3
tanta rerum commutatione longe aliud sibi capiendum consilium,
adque antea senserat, intellegebat neque iam, ut aliquid adquire- 4
ret proelioque hostes lacesseret, sed ut incolumem exercitum Age-
dicum reduceret, cogitabat. Namque altera ex parte Bellouaci, 5
quae ciuitas in Gallia maximam habet opinionem uirtutis,

C, Mellidunum *D* (*'mss.* Mellodunum, Meledunum, Miladunum *cett.'*); Meodunum sedum *b,* Metiosedum *a Oxon.* 1 Senonum *om. b.* in insulla *ante corr. B,* I. in. siluae *A,* in ins. — *C,* in insula fluminis *D.* Sequanae *A D,* Sequana *B C c d e.* 2 de Lutetia *B* (*is* — cia) *e 'reliqui',* Lutetiam *And. Oxon. u.* deprensis *A B C D,* deprehensis *u.* 3 iniectis *B 'reliqui',* impositis *b c d e.* 4 ad bellum erat *cum b et* 2 *dett. u.* 5 refacto *A.* 6 rescinderant *b.* traduxit *D.* 8 ab his *B.* qui *A C b e 'aliique',* qui a (*B*) *u.* 'Melodone *et* Medodone *aliqui',* m dodone *super lacunam e sec. m. posita B;* Metiosedo *a b c d e.* fugerant *'plerique' et sec. m. B* (*pr.* fugerent), profugerant *e u.* incendunt *b e.* 9 proiecta palude *ego;* prospecta palude *B 'reliqui',* profecti a palude *b c d e* (*hic* ab). *P.* 100. ad ripas *A B C '5 alii';* in ripas *e,* in ripa *b,* in ripis *u.* 10 ex regione *B 'mss.* 3'. 11 a *om. b.* Gergobia *B 'multi'.* 12 et *om. b.* adferebantur *B.* conloquiis *B.* 13 Ligeri (*B*) *C D* '6 *alii', non* Ligere. 14 autem *om. b c e.* 15 quia ante erant *B* (*is* anta) *D et m. pr. C,* qui erant ante *e.* 16 cum Labienus *B 'mss.* 10'. 17 commutione *suprasc.* o (*super* u *puto*) *A.* 18 adque *B.* adquireret *B.* 19 proelio quo *C.* lacesserent *punctis infra et supra* n *positis B.* Agedincum *'mss.',* Egedincum *B,* et integrum (*neque deinceps* reduceret, *sed* lacesseret) *D;* Agendicum *u.* 20 nam cum ex altera parte *e.* 21 magnam *b.* oppinionem *B.*

instabant, alteram Camulogenus parato atque instructo exercitu te-
nebat; tum legiones a praesidio atque impedimentis interclusas ma-
6 ximum flumen distinebat. Tantis subito difficultatibus obiectis ab
60 animi uirtute auxilium petendum uidebat. Sub uesperum consilio
conuocato cohortatus, ut ea, quae imperasset, diligenter industrie-
que administrarent, naues, quas Meloduno deduxerat, singulas
equitibus Romanis adtribuit et prima confecta uigilia quattuor mi-
lia passuum secundo flumine silentio progredi ibique se expectari
2 iubet. Quinque cohortes, quas minime firmas ad dimicandum esse
3 existimabat, castris praesidio relinquit; quinque eiusdem legionis
reliquas de media nocte cum omnibus impedimentis aduerso flumine
4 magno tumultu proficisci imperat. Conquirit etiam lintres: has
magno sonitu remorum incitatas in eandem partem mittit. Ipse
post paulo silentio egressus cum tribus legionibus eum locum pe-
61 tit, quo naues appelli iusserat. Eo cum esset uentum, explorato-
res hostium, ut omni fluminis parte erant dispositi, inopinantes,
quod magna subito erat coorta tempestas, ab nostris opprimuntur;
2 exercitus equitatusque equitibus Romanis administrantibus, quos
3 ei negotio praefecerat, celeriter transmittitur. Vno fere tempore
sub lucem hostibus nuntiatur in castris Romanorum praeter con-
suetudinem tumultuari et magnum ire agmen aduerso flumine soni-
tumque remorum in eadem parte exaudiri et paulo infra milites
4 nauibus transportari. Quibus rebus auditis, quod existimabant
tribus locis transire legiones atque omnes perturbatos defectione
Haeduorum fugam parare, suas quoque copias in tres partes distri-
5 buerunt. Nam praesidio e regione castrorum relicto et parua ma-

1 instabat *B 'mss.* 8'. instucto *m. pr. B.* 2 cum legiones *B 'mss.* 8'. 3 destinabat *b c.* 4 auxium *m. pr. B.* pentendum *ante corr. B.* sub uesperum *B 'reliqui'*, itaque sub uesperum *b c d e.* consilio *A* (*B*) *C D e* '5 *alii*', *non* concilio. 5 industriaequae *B.* 6 quas *A b c e*, quas a (*B*) *u.* Medodone *B*, Metiosedo *A a b c d e.* 7 equitibus *om. b.* adtribuit *B.* iv millia (*B*). 8 ibi se *A.* expectari *B.* 9 ad] id *B.* 10 reliquit *b.* 11 auerso *b.* 12 tumulto *cum* u *super* o *B.* luntres *m. pr.*, lyntres *sec. B.* 13 eadem *m. pr. B.* 14 paulo post *b*, *et in e signum inuertendi ordinis est.* petiit *b.* 15 qua *A.* 16 ut *'agnoscunt optimi meorum, ut A b c d'*; *om. B.* 18 equitatusquae *B.* 20 sub luce *b.* 21 auerso *b.* 22 romorum *m. pr. B.* audiri *b e.* 25 tres (*B*) *edd. ante u* (*unus Aldus* treis), tris *tacite u.* 26 nam praesidio *B e 'reliqui'*, nam et praesidio *c d.* e *om. B 'mss.* 8'.

nu Melodunum uersus missa, quae tantum progrediatur, quantum
naues processissent, reliquas copias contra Labienum duxerunt.
Prima luce et nostri omnes erant transportati, et hostium acies **62**
cernebatur. Labienus milites cohortatus, ut suae pristinae uirtu- 2
tis et secundissimorum proeliorum retinerent memoriam atque
ipsum Caesarem, cuius ductu saepenumero hostes superassent,
praesentem adesse existimarent, dat signum proelii. Primo con- 3
cursu ab dextro cornu, ubi septima legio constiterat, hostes pel-
luntur atque in fugam coniciuntur; ab sinistro, quem locum duo- 4
decima legio tenebat, cum primi ordines hostium transfixi telis
concidissent, tamen acerrime reliqui resistebant, nec dabat suspi-
cionem fugae quisquam. Ipse dux hostium Camulogenus suis ad- 5
erat atque eos cohortabatur. Incerto nunc etiam exitu uictoriae, 6
cum septimae legionis tribunis esset nuntiatum, quae in sinistro
cornu gererentur, post tergum hostium legionem ostenderunt si-
gnaque intulerunt. Ne eo quidem tempore quisquam loco cessit, 7
sed circumuenti omnes interfectique sunt. Eandem fortunam tulit 8
Camulogenus. At ii, qui praesidio contra castra Labieni erant re-
licti, cum proelium commissum audissent, subsidio suis ierunt col-
lemque ceperunt neque nostrorum militum uictorum impetum su-
stinere potuerunt. Sic cum suis fugientibus permixti, quos non 9
siluae montesque texerunt, ab equitatu sunt interfecti. Hoc nego- 10
tio confecto Labienus reuertitur Agedicum, ubi inpedimenta totius

1 Melodunum *Vkertus;* Metiosedum *A a b c d,* Metlosedum *B,* 'etlosedum, eliosedum *et* glosedum, iosedum *alii*'. *P.* 97 *sqq.* progrediatur *A B C D,* progrederetur *e u. P.* 85. 3 nostri] nihil *m. pr. B.* 4 cohortatur *b.* 5 et secundissimorum *B 'reliqui'*, et tot secundissimorum *b c d e.* retinerent memoriam *B,* memoriam retinerent *u et sic 'uel inuerso ordine' A C D b c: in e, ex quo Elberlingius nihil praeter* retinerent *annotat, idem ordo atque in u esse uidetur.* 6 superasset *ante corr. B.* 7 praesentem *om. e And. Oxon.* 8 hostes pelluntur atque *om. A e And. Oxon.* 9 duodecima *e Aldus et sic aut* XII *A d;* quinta decima *B et sic 'uel* XV *reliqui'.* 10 telis *B 'reliqui'*, pilis *c d e.* 13 atque eos] eosque *b.* cohortatus *B 'mss.* 8', hortabatur *b e.* incerto *B 'mss. plerique'*, at incerto *e u.* nunc etiam *B 'iidem codd.'*, etiam nunc *u.* 14 cum a septima legione *B,* 'cum a VII legione *mss. iidem*'. 16 intullerunt *B.* neo quidem *m. pr. B.* 17 ciruenti *m. pr. B.* interfecti sunt *b e.* 18 at hi *B.* contra castra Labieni *b c d e,* contra Labienum *B 'ceteri'.* 19 commissum] esse *add. b.* 20 coeperunt *B.* uictorum *e And. Oxon.,* uictorumque *B 'reliqui'.* 23 Agedincum *B 'plerique'*, Adgedincum *b;* Agendicum *u.* inpedimenta *B.*

exercitus relicta erant: inde cum omnibus copiis ad Caesarem
peruenit.
63 Defectione Haeduorum cognita bellum augetur. Legationes
2 in omnes partes circummittuntur: quantum gratia, auctoritate, pe-
3 cunia ualent, ad sollicitandas ciuitates nituntur; nacti obsides,
quos Caesar apud eos deposuerat, horum supplicio dubitantes ter-
4 ritant. Petunt a Vercingetorige Haedui, ut ad se ueniat rationes-
5 que belli gerendi communicet. Re impetrata contendunt, ut ipsis
summa imperii tradatur, et re in controuersiam deducta totius Gal-
6 liae concilium Bibracte indicitur. Eodem conueniunt undique fre-
quentes. Multitudinis suffragiis res permittitur: ad unum omnes
7 Vercingetorigem probant imperatorem. Ab hoc concilio Remi,
Lingones, Treueri afuerunt: illi, quod amicitiam Romanorum
sequebantur; Treueri, quod aberant longius et ab Germanis pre-
mebantur, quae fuit causa, quare toto abessent bello et neu-
8 tris auxilia mitterent. Magno dolore Haedui ferunt se deie-
ctos principatu, queruntur fortunae commutationem et Caesaris
indulgentiam in se requirunt, neque tamen suscepto bello suum
9 consilium ab reliquis separare audent. Inuiti summae spei adule-
64 scentes Eporedorix et Viridomarus Vercingetorigi parent. Ipse
imperat reliquis ciuitatibus obsides † denique ei rei constituit diem
huc. Omnes equites, quindecim milia numero, celeriter conuenire
2 iubet; peditatu, quem antea habuerat, se fore contentum dicit, ne-
que fortunam temptaturum aut in acie dimicaturum, sed, quoniam
abundet equitatu, perfacile esse factu frumentationibus pabulatio-
3 nibusque Romanos prohibere, aequo modo animo sua ipsi frumenta
corrumpant aedificiaque incendant, qua rei familiaris iactura per-

1 inde *e*, indiem *A B C D*. 3 augebatur *b e*. legiones *B* '*mss*. 6'. 6 disposuerat *b*. 7 ut *cum* 5 *pessimis om. u*. 8 belligerandi *b*. 9 et *om. b*. rem — deduci *B* '*mss*. 10'. 10 eodem *post* conueniunt *ponit b, om. d e*. 11 multitudinis *And. Oxon.*, multitudines *reliqui*. 12 Vercingetoriginem *ante corr. B*. 13 Treueri *hic et deinceps B*. afuerunt, *non* abfuerunt, *A B C D*; affuerunt *e*. 15 neutri *b*. 16 ferunt] fuerunt *D*. sed eiectos *m. pr. C*. 17 quaeruntur *B*. 18 indulgentiam in se requirunt *B et reliqui*; in se indulgentiam requirunt *b u*, in se indulgentia requiritur *e*. 19 aduliscentes *B*. 20 ipse *B* '*plerique*', ille *e u*. 21 † denique — huc. *P*. 100. 22 milia *om. B, linea numeri notae superducta significatur in a*. 23 quam *m. pr. B*. antea habuerat *B* '*plerique*'; antea habuerit *e*, ante habuerit *u*. 24 aut in acie *A* (*B*) *C D*, aut acie *e*. 25 factum *b c, non e*. 27 quo ab rei *b et, qui* a, *c*.

petuum imperium libertatemque se consequi uideant. His consti- 4
tutis rebus Haeduis Segusianisque, qui sunt finitimei prouinciae,
decem milia peditum imperat; huc addit equites octingentos. His 5
praeficit fratrem Eporedorigis bellumque inferri Allobrogibus iu-
bet. Altera ex parte Gabalos proximosque pagos Aruernorum in 6
Heluios, item Rutenos Cadurcosque ad fines Volcarum Arecomi-
corum depopulandos mittit. Nihilo minus clandestinis nuntiis le- 7
gationibusque Allobrogas sollicitat, quorum mentes nondum ab
superiore bello resedisse sperabat. Horum principibus pecunias, 8
ciuitati autem imperium totius prouinciae pollicetur. Ad hos omnes **65**
casus prouisa erant praesidia cohortium duarum et uiginti, quae
ex ipsa prouincia ab Lucio Caesare legato ad omnes partes oppo-
nebantur. Heluii sua sponte cum finitimis proelio congressi pel- 2
luntur et Gaio Valerio Donnotauro, Caburi filio, principe ciuita-
tis, conpluribusque aliis interfectis intra oppida ac muros conpel-
luntur. Allobroges crebris ad Rhodanum dispositis praesidiis ma- 3
gna cum cura et diligentia suos fines tuentur. Caesar, quod ho- 4
stes equitatu superiores esse intellegebat et interclusis omnibus
itineribus nulla re ex prouincia atque Italia subleuari poterat,
trans Rhenum in Germaniam mittit ad eas ciuitates, quas superio-
ribus annis pacauerat, equitesque ab his arcessit et leuis armatu-
rae pedites, qui inter eos proeliari consuerant. Eorum aduentu, 5
quod minus idoneis equis utebantur, a tribunis militum reliquisque
[sed et] equitibus Romanis atque euocatis equos sumit Germanis-

1 se (*B*)? *b c d e*, *om. A C D a?* (*Et Beyerlium et Achaintrium hic peccasse arbitror, illum silentio, hunc, quod pro consuetudine B et a permutauerit*). contitutis *m. pr. B.* 2 Segusiauisque *B.* finitimi ei prouinciae *B e et reliqui*, finitimi prouinciae *c u.* 3 x (*B*). equites DCCCC *b c.* 4 Eporodigeris *B.* inferri *B 'reliqui'*, inferre *b c d e.* 5 Gaballos *B 'plerique'.* 6 item in Rutenos *b e.* Volgarum *B 'fere omnes'.* Aremicorum *A B C*, Aremicarum *c*, Aremenicorum *b.* 8 Allobrogas *A* (*B*) *C D*, Allobroges *e.* solicitat *B*, sollicitant *b.* 9 residisse *B C*, redisse *b.* 10 prouinciae] ciuitatis *b.* 12 ex ipsa prouincia *B 'mss.* 16', ex ipsa coacta prouincia *e u.* Lucio *B*, L. *u.* 13 congressis *ante corr. B*, congressus *C.* 14 Gaio *B*, C. *u.* Donnotauro *B et sic 'uel* Domnotauro *mss. quidam'*; duumuiro *d*, Donotauro *u.* Cabuli *b.* 15 conpluribusque *B.* oppida ac muros *B et sic 'uel* et muros *reliqui'*; oppida murosque *c d et*, *qui pr. m.* murosque *om.*, *sec. m. b.* conpelluntur *B.* 17 fines *om. errore Graeu. u.* 19 nulla in re *b.* 20 ad] in *m. pr. b.* 22 consuerant *A B C D e*, consueuerant *u.* 24 sed et *om. edd. ante Lips. et Scal.*, sedent *ante corr. B. P.* 101. euocatis *P.* 102. assumit *b.*

66 que distribuit. Interea, dum haec geruntur, hostium copiae ex
Aruernis equitesque, qui toti Galliae erant imperati, conueniunt.
2 Magno horum coacto numero, cum Caesar in Sequanos per extre-
mos Lingonum fines iter faceret, quo facilius subsidium prouinciae
ferri posset, circiter milia passuum decem ab Romanis trinis ca-
3 stris Vercingetorix consedit conuocatisque ad concilium praefectis
equitum uenisse tempus uictoriae demonstrat. Fugere in prouin-
4 ciam Romanos Galliaque excedere. Id sibi ad praesentem obti-
nendam libertatem satis esse; ad reliqui temporis pacem atque
otium parum profici: maioribus enim coactis copiis reuersuros ne-
que finem bellandi facturos. Proinde agmine impeditos adoriren-
5 tur. Si pedites suis auxilium ferant atque in eo morentur, iter fa-
cere non posse; si, id quod magis futurum confidat, relictis impe-
dimentis suae saluti consulant, et usu rerum necessariarum et di-
6 gnitate spoliatum iri. Nam de equitibus hostium, quin nemo eo-
rum progredi modo extra agmen audeat, et ipsos quidem non de-
bere dubitare, et quo maiore faciant animo, copias se omnes pro
7 castris habiturum et terrori hostibus futurum. Conclamant equi-
tes: sanctissimo iureiurando confirmari oportere, ne tecto recipia-
tur, ne ad liberos, ne ad parentes, ad uxorem aditum habeat, qui
67 non bis per agmen hostium perequitasset. Probata re atque omni-
bus iureiurando adactis postero die in tres partes distributo equi-
tatu duae se acies ab duobus lateribus ostendunt, una primo agmi-
2 ne iter impedire coepit. Qua re nuntiata Caesar suum quoque
3 equitatum tripertito diuisum contra hostem ire iubet. Pugnatur

2 tota Gallia *a c d e*. 3 in Sequanos *om. b d e*. 4 Lig orum *m. pr. B*. prouintiae *B*. 5 ferre *b e*. x (*B*). 8 Galliamque *ante corr. B*. 10 proficere *m. sec. C*. 11 bellandi *B e reliqui*, belli *b d*. adorirentur *A b*, adorientur *B C D*; adoriantur *u. P*. 85. 12 pedites] impedimentis *b. P*. 102. facere *B 'reliqui'*, confici *b c d e*. 13 confidebat *e et, qui* credat *praemittit, b*. 14 necessarium *B C*. 15 spoliari *b*. quin] quod *b*. 16 modo *om. b e*. et ipsos quidem non debere *B 'mei reliqui'*, ne ipsos quidem debere *b c d e*. 17 et quo *ego,* id quo *codd. P*. 102. 18 terrori hostibus non defuturum *a d*, terrori hostium non defuturum *c e*, terrorem hostium non defuturum *b*. conclamante *ante corr. B*. 20 ad uxorem *B e* (*is et b* uxores) *'reliqui'*, ne ad uxorem *c d et sec. m. A*.
21 bis *om. A e*. perequitasset *B et reliqui*, perequitarit *e And. Oxon*. (*hic* — tauerit) *u. P*. 85. 22 iureiurando *B 'reliqui'*, ad iusiurandum *b c d e*. actis *b*. tres (*B*) *edd. ante u* (*solus Aldus* treis), tris *sine annotatione u*. 23 una primo *B 'mss. multi'*; una a prima *b*, una a primo *e u*. 25 tripertito *B, non* tripartito.

una omnibus in partibus. Consistit agmen; impedimenta intra le-
giones recipiuntur. Si qua in parte nostri laborare aut grauius 4
premi uidebantur, eo signa inferri Caesar aciemque constitui iu-
bebat; quae res et hostes ad insequendum tardabat et nostros spe
auxilii confirmabat. Tandem Germani ab dextro latere summum 5
iugum nancti hostes loco depellunt; fugientes usque ad flumen, ubi
Vercingetorix cum pedestribus copiis consederat, persecuntur
conpluresque interficiunt. Qua re animaduersa reliqui, ne circum- 6
irentur, ueriti se fugae mandant. Omnibus locis fit caedes. Tres 7
nobilissimi Haedui capti ad Caesarem perducuntur: Cotus, prae-
fectus equitum, qui controuersiam cum Conuictolitaui proxumis
comitiis habuerat, et Cauarillus, qui post defectionem Litauici pe-
destribus copiis praefuerat, et Eporedorix, quo duce ante aduen-
tum Caesaris Haedui cum Sequanis bello contenderant. Fugato **68**
omni equitatu Vercingetorix copias, ut pro castris conlocauerat,
reduxit protinusque Alesiam, quod est oppidum Mandubiorum, iter
facere coepit celeriterque impedimenta ex castris educi et se sub-
sequi iussit. Caesar inpedimentis in proxumum collem deductis 2
duabus legionibus praesidio relictis secutus, quantum diei tempus
est passum, circiter tribus milibus hostium ex nouissimo agmine
interfectis altero die ad Alesiam castra fecit. Perspecto urbis situ 3
perterritisque hostibus, quod equitatu, qua maxume parte exerci-
tus confidebant, erant pulsi, adhortatus ad laborem milites circum-
uallare instituit.

Ipsum erat oppidum Alesia in colle summo admodum edito **69**

1 una omnibus *B et reliqui*, una tunc omnibus *b c* (*is* tum) *d e*. consistit (*B*) *b c d e*, constitit '*reliqui*'. intra *ego*, inter *codd. P.* 103. 2 nostri] nihil *m. pr. B*. 3 constitui *A B C D;* conferri *b*, conuerti *e u*. 4 spes *C*. 6 nancti *puncto notata* n *B C*, nanti *A;* nacti *u*. 7 persecuntur *B*. 8 (conpluresque *B*) pluresque *b*. circumirentur *B C D et*, *qui* circuir., '*reliqui*'; circumuenirentur *b c d e*. 10 Cotys *B et sic 'uel* Cotis *mss.* 7', Cottus *b*. 11 Conuictolitabi *B et sic 'uel* aui *uel* aio *mss.*', Conuictolitane *u*. proxumis *A C D*. 12 Litauicci *B*. 13 Eboredorix *B*. 14 bello *om. b*. 15 copias *B et reliqui*, copias suas *b c d e*. conlocauerat *B*. 16 Alexiam *D*. 17 ex *om. b*. 18 inpedimentis *B*. proxumum *B D*. 19 duabus *A B C D b* '*ceterique*', duabusque *e u*. secutus] hostem *add. A b d e* (*hic* hostes). 20 passuum *ante corr. B*. 21 Alaesiam *B*. 22 territisque *b*. qua *Vascosanus*, quo *codd.* maxime *a b d e*, maxima *reliqui* (maxuma *B*). parte exercitus *om. d e et m. pr. a b*. 23 confidebant *a c d e;* confidebat *reliqui*, *etiam b*. circumuallare *A B C D*, Alesiam circumuallare *e u*. 25 Alesia *B et reliqui omnes*, *om. e And. Oxon.*

2 loco, ut nisi obsidione expugnari non posse uideretur; cuius col-
3 lis radices duo duabus ex partibus flumina subluebant. Ante id
oppidum planicies circiter milia passuum tria in longitudinem pa-
4 tebat: reliquis ex omnibus partibus colles mediocri interiecto spa-
5 tio pari altitudinis fastigio oppidum cingebant. Sub muro, quae
pars collis ad orientem solem spectabat, hunc omnem locum co-
piae Gallorum compleuerant fossamque et maceriam sex in altitu-
6 dinem pedum praeduxerant. Eius munitionis, quae ab Romanis
7 instituebatur, circuitus XI milia passuum tenebat. Castra oppor-
tunis locis erant posita ibique castella uiginti tria facta; quibus in
castellis interdiu stationes ponebantur, ne qua subito eruptio fie-
ret: haec eadem noctu excubitoribus ac firmis praesidiis teneban-
70 tur. Opere instituto fit equestre proelium in ea planicie, quam in-
termissam collibus tria milia passuum in longitudinem patere su-
2 pra demonstrauimus. Summa ui ab utrisque contenditur. Labo-
rantibus nostris Caesar Germanos summittit legionesque pro ca-
stris constituit, ne qua subito inruptio ab hostium peditatu fiat.
3 Praesidio legionum addito nostris animus augetur: hostes in fugam
coniecti se ipsi multitudine inpediunt atque angustioribus portis
4 relictis coaceruantur. Germani acrius usque ad munitiones se-
5 cuntur. Fit magna caedes: nonnulli relictis equis fossam transire
et maceriam transcendere conantur. Paulum legiones Caesar,
6 quas pro uallo constituerat, promoueri iubet. Non minus, qui in-
tra munitiones erant, perturbantur Galli: ueniri ad se confestim

1 non posse *B et reliqui*, posse non *b d*. 2 duo *om. sec. m. C.* id *om. e.* 3 planicies *B, non* planities. milia passus *b*, m̃. p̃. *m. pr. B.* III (*B*). 5 cingebat *e.* muroque pars '*mss. plerique*' *et sec. m. B.* 6 solem *om. b d e.* huc *D.* 8 perduxerant *D*, produxerant *b e.* 9 XI milia *D*, XI *suprascripta* m *B*; x m. *b e*, x mil' *e*; XI milium *u.* 10 XXIII (*B*). quibus in castellis (*B*) *u et sic* '*uel* in quibus castellis *reliqui*', in quibus (*omissis* castellis) *b d e.* 11 ponebantur *B* '*reliqui*', disponebantur *b c d e.* 12 praesidiis detinebantur *b e.* 13 planitie (*B*). 14 mil' *e*, 'mill. *unus et alter*'. in longitudinem *om. a b e.* 15 uia ab utrisque *ante corr. B*, ui utrimque *D.* 16 summittit *B, non* submittit. 17 (inruptio *B*) eruptio *b.* 18 addito et nostris *b e.* animis *C et m. pr. B.* augetur et hostes sunt in *b e*, *sed e* sunt *post* coniecti *collocare uidetur.* 19 inpediunt *B.* 20 coaceruati tum Germani *B et sic* '*uel* cum Germ.' *A C D*, coartantur Germani *b c d e. P.* 103. acriusque (*om.* us) *B.* ad muros persequuntur *b d* (secuntur *B*). 22 materiam *B.* conabantur *b.* paululum *b c.* 23 qui *om. b.* 24 erant *om. b.* perturbantur Galli *B C D* (*apud Whitt. errore* perturbababantur *scriptum est*) '*plerique*', Galli perturbantur (*e*) *u.* ueniri *c d e*, uenire *B* '*plerique*'.

existimantes ad arma conclamant; nonnulli perterriti in oppidum
inrumpunt. Vercingetorix iubet portas claudi, ne castra nudentur. 7
Multis interfectis, conpluribus equis captis Germani sese recipiunt.
Vercingetorix, priusquam munitiones ab Romanis perficiantur, **71**
consilium capit, omnem ab se equitatum noctu dimittere. Disce- 2
dentibus mandat, ut suam quisque eorum ciuitatem adeat omnes-
que, qui per aetatem arma ferre possint, ad bellum cogant. Sua 3
in illos merita proponit obtestaturque, ut suae salutis rationem ha-
beant neu se optime de communi libertate meritum in cruciatum
hostibus dedant. Quod si indiligentiores fuerint, milia hominum
delecta octoginta una secum interitura demonstrat. Ratione inita 4
se exigue dierum triginta habere frumentum, sed paulo etiam lon-
gius tolerari posse parcendo. His datis mandatis, qua opus erat 5
intermissum, secunda uigilia silentio equitatum mittit. Frumentum 6
omne ad se referri iubet; capitis poenam iis, qui non paruerint,
constituit: pecus, cuius magna erat copia ab Mandubiis compulsa, 7
uiritim distribuit; frumentum parce et paulatim metiri instituit. 8
Copias omnes, quas pro oppido collocauerat, in oppidum recepit.
His rationibus auxilia Galliae expectare et bellum parat admini- 9
strare. Quibus rebus cognitis ex perfugis et captiuis Caesar haec **72**
genera munitionis instituit. Fossam pedum uiginti directis lateri-
bus duxit, ut eius fossae solum tantundem pateret, quantum sum-

2 inrumpunt *B*. iubet portas *B edd. ante u*, portas iubet (*e*) *et sine annotatione u*. 3 conpluribus *B*. 5 demittere *B* '*mss.* 3'. discendentibus *B C*, conscendentibus *D*. 6 omnes qui *b e*. 7 possent *B* '*mss.* 11'. 8 obtestatur ut *e*. 9 optime de communi libertate *B C D edd. ante Ald.*, de communi libertate optime (*e*) *Aldus u*. 10 quod si *A* (*B*) *C D b*, qui si *e*. indulgentiores *b*. 11 LXXX (*B*). una *om. e*. ratione inita se exigue dierum triginta habere frumentum *A*, ratione inita exigue dierum triginta frumentum (*omissis* se *et* habere) *B C* '*plerique*'; ratione inita frumentum se exigue dierum triginta habere *b c d e* (XXX (*B*)). 13 tolerari *B* '*mss.* 11'; *om. b*, tolerare *e u*. his datis mandatis] his dictis *a e*. quam opus erat *B C D*, *et* 'quam *uel* quia *uel* qua opus erat *mss. plerique*'; qua erat nostrum opus *e u*. 14 *ante* equitatum *add* exercitum *b*. mittit *A B C D*, dimittit *e u*. 16 copia ab Mand. compulsa *B* '*mss. multi, in quibus etiam* Manduuiis' (*ut item in B*); ab Mand. compulsa copia *Aldus u*. 18 recepit *B* '*mss.* 11', recipit *e u*. 19 expectare *B*. parat administrare *B* '*mss.* 11', administrare parat *Aldus u*. 20 cognitis ex perfugis et captiuis *B et reliqui*, ex perfugis et captiuis cognitis *b* (*is* profugis) *And. Oxon.* 21 XX (*B*). derectis *A B C e*. 22 eius fossae *A B et reliqui*, eius *d e f*. solum *om. A*. summae fossae labra *B reliquique*

2 mae fossae labra distarent. Reliquas omnes munitiones ab ea
fossa pedes quadringentos reduxit, id hoc consilio, quoniam tan-
tum esset necessario spatium conplexus, nec facile totum corpus
corona militum cingeretur, ne de inprouiso aut noctu ad munitio-
nes hostium multitudo aduolaret, aut interdiu tela in nostros operi
3 destinatos conicere possent. Hoc intermisso spatio duas fossas
quindecim pedes latas, eadem altitudine perduxit; quarum interio-
rem campestribus ac demissis locis aqua ex flumine deriuata con-
4 pleuit. Post eas aggerem ac uallum duodecim pedum extruxit.
Huic loricam pinnasque adiecit grandibus ceruis eminentibus ad
commissuras pluteorum atque aggeris, qui ascensum hostium tar-
darent, et turres toto opere circumdedit, quae pedes LXXX inter
73 se distarent. Erat eodem tempore et materiari et frumentari et
tantas munitiones fieri necesse deminutis nostris copiis, quae lon-
gius ab castris progrediebantur; ac nonnumquam opera nostra Gal-
li temptare atque eruptionem ex oppido pluribus portis summa ui
2 facere conabantur. Quare ad haec rursus opera addendum Cae-
sar putauit, quo minore numero militum munitiones defendi pos-
sent. Itaque truncis arborum admodum firmis ramis abscisis atque
horum delibratis ac praeacutis cacuminibus perpetuae fossae qui-
3 nos pedes altae ducebantur. Huc illi stipites demissi et ab infimo
4 reuincti, ne reuelli possent, ab ramis eminebant. Quini erant or-
dines coniuncti inter se atque inplicati; quo qui intrauerant, se

et, qui summa, *b*; summa labra *d e*. 1 distarent *B et reliqui*, distabant *c d e*. mutiones *B*. 2 pedes quadringentos *B et* (*de quibus, numerum litteris an nota scriptum habeant, non constat*) *A C D*; pedibus cccc *e Aldus*. 3 spatium *e b* (*sed hic* spat. necess. esset); spatio *A B C D*. conplexus *B*. nec facile *B e reliqui*, ne facile *b c d*. corpus (*B*) *reliqui*; *om. e*, opus *b c d*. 4 corona militum (*B*) *Gualtherianus Steph. Graeu. et sine annotatione u*, militum corona *reliquae edd. ante u*. inprouiso *B*. ad] in *b e*. 6 coicere *B*. 7 xv (*B*), *om. A c*. 8 dimissis *B 'plerique'*. conpleuit *B*. 9 postea agg. *b*. uallem *b*. xii (*B*), xv *C*. extruxit *B*. 10 luricam *b*. pennasque *C*. grandibus aceruis *D*. eminentibusque *d, non e*. 11 aggeris *e*, aggeres *B 'mss. multi'*. qui] ut *b d*. ascensum *B*. 12 turres ex toto *m. pr. b*. 13 eodem *b e*, eo *B et reliqui*. 15 nonnumquam *B*. nostra] ñ *suprasc. sec. m.* secta *B*. 18 quod minore *D*. 19 truncis arborum admodum firmis ramis *ego*, truncis arborum aut admodum firmis ramis *codd. P*. 104. 20 dolabratis *cum uno et altero det. u*. ac praeacutis *A C D b c*, atque praeacutis (*B*)? 21 ducuntur *b*. demisi *B*. 22 erant *b c d e, om. B 'reliqui'*. 23 (inplicati *B*) complicati *b*.

ipsi acutissimis uallis induebant. Hos cippos appellabant. Ante 5
quos obliquis ordinibus in quincuncem dispositis scrobes tres in al-
titudinem pedes fodiebantur paulatim angustiore ad infimum fasti-
gio. Huc teretes stipites feminis crassitudine ab summo praeacuti 6
et praeusti demittebantur, ita ut non amplius digitis quattuor ex
terra eminerent; simul confirmandi et stabiliendi causa singuli ab 7
infimo solo pedes terra exculcabantur, reliqua pars scrobis ad oc-
cultandas insidias uiminibus ac uirgultis integebatur. Huius ge- 8
neris octoni ordines ducti ternos inter se pedes distabant. Id ex
similitudine floris lilium appellabant. Ante haec taleae pedem lon- 9
gae ferreis hamis infixis totae in terram infodiebantur mediocribus-
que intermissis spatiis omnibus locis disserebantur; quos stimulos
nominabant. His rebus perfectis regiones secutus quam potuit ae- **74**
quissimas pro loci natura quattuordecim milia passuum conplexus
paris eiusdem generis munitiones, diuersas ab his, contra exterio-
rem hostem perfecit, ut ne magna quidem multitudine, si ita acci-
dat, eius † discessu munitionum praesidia circumfundi possent; ac 2
ne cum periculo ex castris egredi cogatur, dierum triginta pabu-
lum frumentumque habere omnes conuectum iubet.

Dum haec apud Alesiam geruntur, Galli concilio principum in- **75**
dicto non omnes eos, qui arma ferre possent, ut censuit Vercinget-
rix, conuocandos statuunt, sed certum numerum cuique ex ciuitate

1 ipse *m. pr. B.* cipos *D.* adpellabant *B?* ante *b c d e, om. B 'reliqui'.* 2 quos *B 'reliqui'*, hos *b c d e.* obliquis *e pars codd. Oud.*, obliquos *A B C D.* quincumcem *B.* tres in alt. pedes *B 'reliqui'*; trium in alt. pedum *b c d*, in alt. trium pedum *e* (in altitudine *A*). 3 ad summum fastigio *d.* 4 feminis] uiminis *b.* crassitudine *cum* o *super* a *B.* 5 demitebantur *B.* digitis III contra eminerent *b c* (quattuor *B*). 6 singuli et ab *b c.* 7 pedes] tres *add. b c et, ut arbitror, a, quod falso Achaintrius de B tradit: de e incertum est* III, *an* in *addat.* terra *om. b.* 8 uirgultis integebatur *b c d e;* uinculis tegebatur *A*, uinculis impediebatur *B* (*is* inp.) *et sic 'uel* uinclis *reliqui'.* 9 ducti *b c d e*, iuncti *B et sic 'uel* uincti *reliqui'.* 10 taliae *'mss. quidd.'*, et aliae *D*, tala *m. pr. et* talia *sec. B.* 11 amis *c.* infixis *c d e*, infixae *B 'reliqui'.* effodiebantur *b c e.* mediocribus intermissis *b c.* 12 timulos *A.* 14 XIV (*B*). milia passuum] pedes *b.* conplexus *B.* 15 paris *Oudendorpius*, pari *A B C D;* pares *u.* 17 eius † discessu. *P.* 104. ac ne] aut *B 'mss. fere omnes'*, ut *e;* neu *u.* 18 cogantur *cum uno det. u atque ita e, sed cum puncto sub* n. XXX (*B*). 19 omnes habere *b.* 20 apud *B 'reliqui'*, ad *c d e.* 21 omnes hos, qui *B 'reliqui'*; omnes, qui *c d e. Addend. ad P.* 105. 22 cuique ex ciuitate *B 'ceteri'*, cuique ciuitati *b c d e. P.* 105.

imperandum, ne tanta multitudine confusa nec moderari nec
2 discernere suos nec frumentandi rationem habere possent. Im-
perant Haeduis atque eorum clientibus, Segusianis, Ambluaretis,
Aulercis Brannouicibus, Brannouiis, milia XXXV; parem nume-
rum Aruernis adiunctis Eleutheris Cadurcis, Gabalis, Vellauiis,
3 qui sub imperio Aruernorum esse consuerunt; Sequanis, Senoni-
bus, Biturigibus, Santonis, Rutenis, Carnutibus duodena milia;
Bellouacis X; totidem Lemouicibus; octona Pictonibus et Turonis
et Parisiis et Heluetiis; Senonibus, Ambianis, Mediomatricis, Pe-
trocoriis, Neruiis, Morinis, Nitiobrigibus quina milia; Aulercis
Cenomanis totidem; Atrebatibus IIII; Velliocassis, Lexouiis et
4 Aulercis Eburouicibus terna; Rauracis et Boiis . .; XXX uniuer-
sis ciuitatibus, quae Oceanum attingunt quaeque eorum consuetu-
dine Armoricae appellantur, quo sunt in numero Curiosolites, Re-
5 dones, Ambibarii, Caletes, Osismi, Lemouices, Vnelli. Ex his
Bellouaci suum numerum non compleuerunt, quod se suo nomine
atque arbitrio cum Romanis bellum gesturos dicebant neque cuius-
quam imperio optemperaturos; rogati tamen ab Commio pro eius
76 hospitio duo milia una miserunt. Huius opera Commii, ut antea

1 nec emoderari *C D*. 2 frumentandi rationem *e And. Oxon. cod. Vrs.*, frumenti rationem *d*, '*ni fallunt excerpta*'; frumentationem *B* '*reliqui*'. *De* §§. 2—4 *uid. P.* 105 *sqq.* 3 Haeduis et eorum *b*. Ambluaretis *codd.*, Ambiuaretis *Steph. u.* 4 Blannouicibus *A*. Blannouiis *B et sic 'uel* Blamnouiis *mss.* 10 *meliores*'. partem numerum *B*. 5 Eleuteris *B*, Eleutetis '*mss. plerique*', Heluetetis et *b*. Gaballis '*mss. quid.*' Vellauiis *B et sic 'uel* Vellauis *ceteri*'; Vellaunis *c d e*, Velaunis *u*. 6 Sequanis, Senonibus *B e* '*mss. plerique*'; Senonibus, Sequanis *u*. 8 Turonibus *b c d*. 9 Heluetiis *B et sic 'uel* Eluetiis *mss. omnes*', Heluiis *Vossius u*. Senonibus *codd.*, Suessionibus *Vascosanus u*. Petragoriis *b*. 10 Nitiobrogibus *B* '*plerique*'. milia *om. c d*. 11 Cenomannis *B*. Adrebatibus *B*. IV (*B*). Velliocassiis *e*; Belliocassis *B et sic 'uel* Baiocassis *mss. multi*', Bellocassis *u*. Lexouiis et Aulercis *B* '*mss. plerique*'; Lexouiis, Aulercis *u*: Aulercis *om. b d*. (Lixouiis *B et sic 'et* Lexobiis *mss. multi*'). 12 Eburouicibus *Valesius*, Eburouibus *codd.* *defectum post* Boiis *ego notaui.* 14 Coriosolites *B* '*plerique*'. Redones *A B*, Rhedones *u*. 15 Ambibarii *B e* '*plurimi*', Ambarii *b c*; Ambibari *u*. Caletes *cod. Ortelii*, Cadetes *reliqui.* Osismi *B e*, Osismii *u*. Lemouices, Vnelli *B* '*reliqui*'; Veneti, Lemouices, Vnelli *c*; Lemouices, Veneti, Vnelli VI *u*, *sed* VI *quattuor tantum dett. addunt.* 16 compleuerunt *B* '*reliqui*', contulerunt *a c d e*. 17 gesturos] esse *add. b*. dicebant *B* '*mss.* 10', dicerent *u*. 18 optemperaturos *B*. 19 duo milia *e*, XX *B. P.* 110. una miserunt *B*, miserunt *e*. ut *B et reliqui*, ita ut *b c d e*. antea *om. b*.

demonstrauimus, fideli atque utili superioribus annis erat usus in
Britannia Caesar; quibus ille pro meritis ciuitatem eius inmunem
esse iusserat, iura legesque reddiderat atque ipsi Morinos attribue-
rat. Tamen tanta uniuersae Galliae censensio fuit libertatis uin- 2
dicandae et pristinae belli laudis recuperandae, ut neque beneficiis
neque amicitiae memoria mouerentur, omnesque et animo et opi-
bus in id bellum incumberent. Coactis equitum VIII milibus et pe- 3
ditum circiter CCL haec in Haeduorum finibus recensebantur, nu-
merusque inibatur, praefecti constituebantur. Commio Atrebati,
Viridomaro et Eporedorigi Haeduis, Vercassiuellauno Aruerno,
consobrino Vercingetorigis, summa imperii traditur. His delecti 4
ex ciuitatibus attribuuntur, quorum consilio bellum administrare-
tur. Omnes alacres et fiduciae pleni ad Alesiam proficiscuntur, 5
neque erat omnium quisquam, qui aspectum modo tantae multitu- 6
dinis sustineri posse arbitraretur, praesertim ancipiti proelio, cum
ex oppido eruptione pugnaretur, foris tantae copiae equitatus pe-
ditatusque cernerentur.

At ii, qui Alesiae obsidebantur, praeterita die, qua auxilia 77
suorum expectauerant, consumpto omni frumento inscii, quid in
Haeduis gereretur, concilio coacto de exitu suarum fortunarum
consultabant. Ac uariis dictis sententiis, quarum pars deditionem, 2
pars, dum uires suppeterent, eruptionem censebat, non praeter-

2 Britania *B*. quibus ille pro meritis *B et reliqui*, pro quibus meritis (*omisso* ille) *b c d e*. inmunem *B*. 3 reddiderat quae ipsi Morinos *B C*; reddiderat quae ipse Morinis *A et, qui* ipsis, *D*: redd. ipsique Morinos *deteriores aliquot. P.* 68. 4 tamen tanta *B* '*mss. plurimi*', tanta tamen *u*. consensio *om. b*. 5 belli *om. b*. reciperandae *m. pr. e*: causa *int. uers. add. b*. 6 omnes et *e*. 7 in hoc bello *D*. milibus *om. B*. et pedum *m. pr. B*. 8 CCL *b c e Orosius VI*, 11; cxxxx *altera* c *sec. m. addita B*, CCXL *u. P.* 106. 9 inibantur *B*. Commius Atrebas, Viridomarus et Eporedorix Haedui *b c d e* (Eporiderige *B*). 10 Vercassianeuno *B*, 'Vercasianeuno, Vercassiauno *et similiter mss. multi*'; Vergasilauno *b c d e*, Vergasillauno *u. P.* 111. 11 consubrino *B*. dilecti *m. pr. A*. 12 attribuuntur] traduntur *b*. 13 fiducia *b c e*. Alaesiam *B*. 14 aspectum *B*. modo *om. b e*. 15 sustinere *B C D*. 18 at hi *B*. obsedebantur *C*. auxilia suorum *B* '*mss. plurimi*', suorum auxilia *u*. 19 expectauerant *B*. 20 concilii *B C*, consilio *A e*. coacti *m. sec. C*. suarum fortunarum *B* '*mss. plurimi*', fortunarum suarum *u*. 21 ac uariis *B et reliqui*, apud quos uariis *a b d e*. sententiis dictis *e*. quarum *int. uers. b*, quorum *e*. 22 censebat *B e* '*mss.* 11', censebant *u*.

eunda oratio Critognati uidetur propter eius singularem et nefa-
3 riam crudelitatem. Hic summo in Aruernis ortus loco et magnae
habitus auctoritatis, ‘Nihil’, inquit, ‘de eorum sententia dicturus
sum, qui turpissimam seruitutem deditionis nomine appellant, ne-
que hos habendos ciuium loco neque ad concilium adhibendos cen-
4 seo. Cum his mihi res sit, qui eruptionem probant; quorum in
consilio omnium uestrum consensu pristinae residere uirtutis me-
5 moria uidetur. Animi est ista mollitia, non uirtus, paulisper ino-
piam ferre non posse. Qui se ultro morti offerant, facilius repe-
6 riuntur, quam qui dolorem patienter ferant. Atque ego hanc sen-
tentiam probarem (tantum apud me dignitas potest), si nullam
7 praeterquam uitae nostrae iacturam fieri uiderem: sed in consilio
capiendo omnem Galliam respiciamus, quam ad nostrum auxilium
8 concitauimus. Quid hominum milibus LXXX uno loco interfectis
propinquis consanguineisque nostris animi fore existumatis, si
9 paene in ipsis cadaueribus proelio decertare cogentur? Nolite hos
uestro auxilio expoliare, qui uestrae salutis causa suum periculum
neglexerunt, nec sultitia ac temeritate uestra aut animi imbecilli-
tate omnem Galliam prosternere et perpetuae seruituti subicere.
10 An, quod ad diem non uenerunt, de eorum fide constantiaque du-
bitatis? Quid ergo? Romanos in illis ulterioribus munitionibus
11 animine causa cotidie exerceri putatis? Si illorum nuntiis confir-
mari non potestis omni aditu praesepto, his utimini testibus adpro-
pinquare eorum aduentum; cuius rei timore exterriti diem noctem-

1 oratio Critognati uidetur *B e ‘iidem mss.’*, uidetur oratio Critognati *u.* et *‘iidem mss.’ edd. ante Ald.*, ac (*B*) *? edd. post Ald.* 5 consilium *e ‘mss* 5’. 6 cum his *B edd. ante Ald.*, cum iis *Aldus u.* 8 mollitia *a b e et sec. m. A,* molestia *A B ‘mss.* 8’; mollities *‘forsan c d’ u.* uirtutis *b.* paulisper inopiam *B C D ‘plerique’*, inopiam paulisper (*e*) *u* (inoppiam *B*). 9 reperiantur *B* (*is* repp.) *C D.* 11 tantum apud me *B ‘maxima mstorum turba’*, nam apud me tantum *a b c d e.* 12 fieri *om. b.* 13 quum ad *B.* auxilium] consilium *A,* 14 quid hominum *e,* quid in hominum *A B C D b.* LXXXX *A,* nonaginta *D.* interfectis quid propinquis *b c.* 15 existumatis *B.* 16 hos uestro auxilio exspoliare *A B C D c;* hoc uestro auxilio spoliare eos *b d e*, *sed e* nostro (expoliare *B*). 18 neglexerunt *B C D e ‘mss. et edd. qdd.’*, neglexerint *u.* animi imbecillitate *B edd. ante Ald.*, imbecillitate animi *Aldus u.* 19 subicere *B et reliqui,* addicere *b c d e.* 21 Romanos in illis ult. mun. animine causa *a d e;* Romanorum animos in illis ult. mun. sine causa *reliqui et sec. m. a, sed* in *om. A b.* 23 praeserpto *A,* praerepto *b c.* his *B e edd. ante Ald.*, iis *Aldus u.* adpropinquare *B.* 24 timore *om. b.*

que in opere uersantur. Quid ergo mei consilii est? Facere, quod 12
nostri maiores nequaquam pari bello Cimbrorum Teutonumque fe-
cerunt; qui in oppida conpulsi ac simili inopia subacti eorum cor-
poribus, qui aetate ad bellum inutiles uidebantur, uitam tolerauе-
runt neque se hostibus tradiderunt. Cuius rei si exemplum non 13
haberemus, tamen libertatis causa institui et posteris prodi pulcher-
rimum iudicarem. Nam quid illi simile bello fuit? Depopulata 14
Gallia Cimbri magnaque inlata calamitate finibus quidem nostris
aliquando excesserunt atque alias terras petierunt; iura, leges,
agros, libertatem nobis reliquerunt. Romani uero quid petunt 15
aliud aut quid uolunt, nisi inuidia adducti, quos fama nobiles po-
tentesque bello cognouerunt, horum in agris ciuitatibusque consi-
dere atque his aeternam iniungere seruitutem? Neque enim ulla
alia condicione bella gesserunt. Quod si ea, quae in longinquis 16
nationibus geruntur, ignoratis, respicite finitimam Galliam, quae
in prouinciam redacta iure et legibus commutatis securibus sub-
iecta perpetua premitur seruitute'. Sententiis dictis constituunt, 78
ut ii, qui ualetudine aut aetate inutiles sunt bello, oppido excedant,
atque omnia prius experiantur, quam ad Critognati sententiam de-
scendant: illo tamen potius utendum consilio, si res cogat atque 2
auxilia morentur, quam aut deditionis aut pacis subeundam condi-
cionem. Mandubii, qui eos oppido receperant, cum liberis atque 3
uxoribus exire coguntur. Hi, cum ad munitiones Romanorum ac- 4
cessissent, flentes omnibus precibus orabant, ut se in seruitutem
receptos cibo iuuarent. At Caesar dispositis in uallo custodibus 5
recipi prohibebat.

1 est consilii *b*. 2 nostri] m *m. pr. B*. 3 conpulsi *B*. 4 ad bellum inutiles *B edd. ante Ald.*, inutiles ad bellum *Aldus u*. 7 ille *m. pr. B*. 8 inlata *B*. quidem *A* (*B*) *C D b c*, *om. e*. 9 recesserunt *A*. petiuerunt *b c*. 10 libertatem *om. b*.
13 ulla alia *B edd. ante Ald. et sine dubio 'reliqui', in quibus et 'edd. pp.' Oud.* umquam ulla *legi narrat;* umquam alia *b c d e. Coniunge* ulla bella. 14 conditione (*B*). 15 respice *m. pr. B*. 16 communitatis *d*. 17 praemitur *B*. 18 ut hi *B et sic 'uel* ut ii *mss.* 10', ut *e u*. ualetudine *B*, ualitudine *e 'mss. fere omnes' et sec. m. B*. sint *e*. 19 experiantur *e*, expediantur *A B C D*. ad Critognati sententiam descendant *Aldus;* ab Critognati sententia discedant *codd.*, *nisi quod* abegritognati *B*, discedant sententia *e*.
20 illo tamen potius *c d et, qui* prius, *e;* illo tamen tempore potius *reliqui*. utendo *b*. 21 auxia *B*. quam aut deditionis (*B*) '*mss.*', quam deditionis *e*. conditionem (*B*). 23 Romanorum *om. e*.
24 praecibus *B*. orabant *b c d e*, orant *B 'reliqui'*. 25 custodibus *B 'reliqui'*, custodiis *c d e*.

79 Interea Commius reliquique duces, quibus summa imperii
permissa erat, cum omnibus copiis ad Alesiam perueniunt et colle
exteriore occupato non longius mille passibus ab nostris munitio-
2 nibus considunt. Postero die equitatu ex castris educto omnem
eam planiciem, quam in longitudinem tria milia passuum patere
demonstrauimus, complent pedestresque copias paulum ab eo loco
3 abditas in locis superioribus constituunt. Erat ex oppido Alesia
despectus in campum. Concurrunt his auxiliis uisis; fit gratulatio
4 inter eos, atque omnium animi ad laetitiam excitantur. Itaque
productis copiis ante oppidum considunt et proximam fossam cra-
tibus integunt atque aggere explent seque ad eruptionem atque
80 omnes casus comparant. Caesar omni exercitu ad utramque par-
tem munitionum disposito, ut, si usus ueniat, suum quisque locum
teneat et nouerit, equitatum ex castris educi et proelium committi
2 iubet. Erat ex omnibus castris, quae summum undique iugum te-
nebant, despectus, atque omnes milites intenti pugnae prouentum
3 expectabant. Galli inter equites raros sagittarios expeditosque le-
uis armaturae interiecerant, qui suis cedentibus auxilio succurre-
rent et nostrorum equitum impetus sustinerent. Ab his complures
4 de inprouiso uulnerati proelio excedebant. Cum suos pugna su-
periores esse Galli confiderent et nostros multitudine premi uide-
rent, ex omnibus partibus et ii, qui munitionibus continebantur,
et hi, qui ad auxilium conuenerant, clamore et ululatu suorum
5 animos confirmabant. Quod in conspectu omnium res gerebatur
neque recte ac turpiter factum celari poterat, utrosque et laudis
6 cupiditas et timor ignominiae ad uirtutem excitabant. Cum a me-
ridie prope ad solis occasum dubia uictoria pugnaretur, Germani

1 reliquique *B 'mss. plurimi'*, et reliqui *eu*. 2 Elesiam *B*. 3 longius *b d et addito* quam *c*, longe *B 'reliqui'*. D passibus *cum solis And. Oxon. u*. 5 planitiem (*B*). IV milia *AD*. 6 paulo *A*, paululum *bc*. 7 abditas *e*, additas *B 'mss. 7'*. 8 concurrunt *B 'reliqui'*, concurritur *cde*. 9 laeticiam *B*. itaque] atque *A*. 10 'proximam *AC*' (*an* proxumam?) gratibus *m. pr. B*. 13 munitionis *be*. ut suis subueniat *b*. 16 omnes milites intenti *B 'plerique'*, omnium militum intenti animi *bcde*. 17 expectabant *B*. 18 cadentibus *bc*. 19 susterent *m. pr. B*. 20 inprouiso *B*. pugnae *abe* (*hic* pugne). 23 hi *B edd. ante Ald.* (*sed hae etiam paulo ante*), ii *Aldus u*. conuenerunt *B*. 25 recti *B C*, tegi *D*. ac *A*(*B*) *C D b*, aut *e*. factum *om. B 'mss. 9'*, quidquid *D*. poterat *om. B 'mss. 7'*. 26 ad uirtutem *om. b*. excitabant (*B*) *'mss. plerique'*, excitabat *e*. 27 prope usque ad *b*.

una in parte confertis turmis in hostes impetum fecerunt eosque
propulerunt; quibus in fugam coniectis sagittarii circumuenti inter- 7
fectique sunt. Item ex reliquis partibus nostri cedentes usque ad 8
castra insecuti sui colligendi facultatem non dederunt. At ii, qui 9
ab Alesia processerant, maesti prope uictoria desperata se in op-
pidum receperunt. Vno die intermisso Galli atque hoc spatio ma- 81
gno cratium, scalarum, harpagonum numero effecto media nocte
silentio ex castris egressi ad campestres munitiones accedunt.
Subito clamore sublato, qua significatione qui in oppido obsideban- 2
tur de suo aduentu cognoscere possent, crates proicere, fundis,
sagittis, lapidibus nostros de uallo proturbare reliquaque, quae ad
oppugnationem pertinent, parant administrare. Eodem tempore 3
clamore exaudito dat tuba signum suis Vercingetorix atque ex op-
pido educit. Nostri ut superioribus diebus, ut cuique erat locus 4
adtributus, ad munitiones accedunt; fundis librilibus sudibusque,
quas in opere disposuerant, ac glandibus Gallos proterrent. Pro- 5
spectu tenebris adempto multa utrimque uulnera accipiuntur. Con-
plura tormentis tela coniciuntur. At Marcus Antonius et Gaius 6
Trebonius legati, quibus hae partes ad defendendum obuenerant,
qua ex parte nostros premi intellexerant, his auxilio ex ulteriori-
bus castellis deductos summittebant. Dum longius ab munitione 82
aberant Galli, plus multitudine telorum proficiebant; posteaquam
propius successerunt, aut se stimulis inopinantes induebant aut in
scrobes delati transfodiebantur aut ex uallo ac turribus traiecti
pilis muralibus interibant. Multis undique uulneribus acceptis nulla 2

1 confectis *b c*. hostem *b c e*. 2 interfecti sunt *b*. 3 usque *om. b d e*. ad *b c d e*, in *B* '*reliqui*'. 4 consecuti *b e*. qui Alesiae *e* (Elesia *B*). 5 maesti *B*, *non* moesti. 7 arpagonum *B* '*mss. fere omnes*'. 8 ex *om. b*. 11 proturbare *A B C D e*; perturbare *adiecto* ceperunt *eodemque punctis notato b*, deturbare *c d*. reliqua quaeque *B*. 12 parant *B e* '*mss. tantum non omnes*', pararent *b*; *om. Aldus u*. 14 ut cuique *A B C*, suus cuique *D b c* (*hic* cuiusque) *d e*. erat locus *B e edd. ante Graeu.*, locus erat *Graeu. u*. 15 attributus *reliqui*, definitus *And. Oxon. u* (adtr. *B*). librilibus *om. d e*. 16 Gallos glandibus, *omisso* ac, *B* '*mss. 9*'. proterrent *A B C D a e*, perterrent *u*. 17 utrimque *B*, *non* utrinque. conplura *B*. 18 coiciuntur *B*. Marcus *B*, M. *u*. Gaius *B*, C. *u*. 19 Atrebonius *c*. hae *B edd. ante Ald.*; eae *Aldus u*, eas *b*. defendum *m. pr. B*. uenerant *A*. 20 his *B edd. ante Ald.*, iis *Aldus u*. 21 summittebant *B*, *non* subm. ad munitionem *B* '*mss. 9*'. 23 proprius *B*. se stimulis *B* '*10 mei*', se ipsi stimulis *u*. 24 delati *B* '*reliqui*', delapsi *a b c d e*. 25 muralibus] in uallibus *b*. interiebant *A B C D*.

munitione perrupta, cum lux adpeteret, ueriti, ne ab latere aperto
ex superioribus castris eruptione circumuenirentur, se ad suos re-
3 ceperunt. At interiores, dum ea, quae a Vercingetorige ad eru-
4 ptionem praeparata erant, proferunt, priores fossas explent, diu-
tius in his rebus administrandis morati prius suos discessisse co-
gnouerunt, quam munitionibus adpropinquarent. Ita re infecta in
83 oppidum reuerterunt. Bis magno cum detrimento repulsi Galli,
quid agant, consulunt; locorum peritos adhibent: ex his superio-
2 rum castrorum situs munitionesque cognoscunt. Erat a septen-
trionibus collis, quem propter magnitudinem circuitus opere cir-
cumplecti non potuerant nostri: necessario paene iniquo loco et
3 leniter decliui castra fecerunt. Haec Gaius Antistius Reginus et
Gaius Caninius Rebilus legati cum duabus legionibus obtinebant.
4 Cognitis per exploratores regionibus duces hostium LX milia ex
omni numero deligunt earum ciuitatum, quae maximam uirtutis
5 opinionem habebant; quid quoque pacto agi placeat, occulte inter
se constituunt; adeundi tempus definiunt, cum meridies esse uidea-
6 tur. His copiis Vercassiuellaunum Aruernum, unum ex quattuor
7 ducibus, propinquum Vercingetorigis, praeficiunt. Ille ex castris
prima uigilia egressus prope confecto sub lucem itinere post mon-
tem se occultauit militesque ex nocturno labore sese reficere ius-
8 sit. Cum iam meridies adpropinquare uideretur, ad ea castra,
quae supra demonstrauimus, contendit; eodemque tempore equi-
tatus ad campestres munitiones accedere et reliquae copiae pro

1 (adpeteret *B*) appareret *b*. 4 praeparauerant proferunt *A B C D a b e*. 5 his *B edd. ante P. Manut.*, iis *P. Manutius u.* morati] occupati *b*. 6 mutionibus *ante corr. B*, munitiones *m. pr. C.* adpropinquarent *B*. 7 reuertuntur *b*. 8 ex his *B 'reliqui'*, ab his *b c d e*. 9 septrionibus *m. pr. B*. 10 complecti *b*. 11 poterant *b e*. necessario *B et reliqui*, necessarioque *b c e*. 12 leniter *e*, leuiter *B* '11 *mei*'. fecerunt *B et reliqui*, fecerant *b c e*. Gaius *B*, C. *u*. 13 C. Caninius *P. Manutius u*, Caninius *omisso praenomine B*; 'L. *uel* Lucius Caninius *A C D* 6 *alii*'. Reuilus *B 'decem mei' et suprasc.* b *A*. II (*B*). 14 legionibus *A B C D*. milia *om. B*. 15 diligunt *A*, delegunt *B C D*. ciuitatium *D*. 16 quid] qui *e*. quoquo *A B C D a b c*, quo *e*. 17 meridie *A B C b c e*. uideretur *A*. 18 his *e edd. ante Ald.*, iis (*B*) *Aldus u*. Vercassiuellaunum *B*, 'Vercasiuellaunum *mss. fere omnes*', Cassiuellaunum *b*; Vergasillaunum *u*. quattuor *B*. 20 prope *om. D*. 22 iam ad meridiem appropinquare *e et*, *qui* propinquare, *b c* (adprop. *B*). 23 condit *m. pr. B*. eodemque in tempore *B*, eodem tempore *b c*.

castris sese ostendere coeperunt. Vercingetorix ex arce Alesiae 84
suos conspicatus ex oppido egreditur; cratis, longurios, musculos,
falces reliquaque, quae eruptionis causa parauerat, profert. Pu- 2
gnatur uno tempore omnibus locis, atque omnia temptantur: quae
minime uisa pars firma est, huc concurritur. Romanorum manus 3
tantis munitionibus distinetur nec facile pluribus locis occurrit.
Multum ad terrendos nostros ualet clamor, qui post tergum pu- 4
gnantibus extitit, quod suum periculum in aliena uident salute
constare: omnia enim plerumque, quae absunt, uehementius ho- 5
minum mentes perturbant. Caesar idoneum locum nactus, quid 85
quaque ex parte geratur, cognoscit; laborantibus summittit. Vtris- 2
que ad animum occurrit unum esse illud tempus, quo maxime con-
tendi conueniat: Galli, nisi perfregerint munitiones, de omni sa- 3
lute desperant; Romani, si rem optinuerint, finem laborum omnium
expectant. Maxime ad superiores munitiones laboratur, quo Ver- 4
cassiuellaunum missum demonstrauimus. Iniquum loci ad decli-
uitatem fastigium magnum habet momentum. Alii tela coniciunt, 5
alii testudine facta subeunt; defatigatis in uicem integri succedunt.
Agger ab uniuersis in munitionem coniectus et ascensum dat Gal- 6
lis et ea, quae in terra occultauerant Romani, contegit; nec iam
arma nostris nec uires suppetunt. His rebus cognitis Caesar La- 86
bienum cum cohortibus sex subsidio laborantibus mittit: imperat, 2
si sustinere non posset, deductis cohortibus eruptione pugnaret;
id nisi necessario ne faciat. Ipse adit reliquos, cohortatur, ne la- 3

2 cratis *Vrsinus*, castris *B 'plurimi'*; a castris *b c d e*. mulculos *B 'mss. 8'*. 3 reliqua queque er. *B*, reliquaque er. *c*. parauerat *b c d e*, parauerant *B 'reliqui'*. profert *om. e*. 4 locis] occurrit *add. c*, acriter *add. b*. qua *ex uno det. u*. 5 minimae *cum puncto sub* a *B*. uisa *om. b e*. firma esset *b e*. 7 ualet *B e 'reliqui'*, ualuit *d And. Oxon*. postergum *B*. 8 (extitit *B*) existit *b e*. uideant *b*. salute *A B C D b c et sec. m. a*, uirtute *a e*. 9 constare (*B*) *e 'reliqui'*; consistere *'uidetur legi in d And.: nam excerpta nihil de uarietate monent'*. 11 quaque] qua *B 'mss. 11'*. ex parte *B 'mss. 13'*, in parte *b c d e*. laborantibus] auxilium *add. D*. summittit *B*, *non* subm. utrimque, *sed corr. ead. m.*, *B*. 12 esse illud *B edd. ante Ald.*, illud esse *Aldus u*. tempus] praedicat *add. b e*. 14 optinuerint *B*. 15 expectant *B*. Vercassiuellaunum *B et cetera ut p*. 456, 18. 16 iniquum *B a 'reliqui omnes'*, exiguum *e And. Oxon*. decliuitatem] adscensus *D*. 19 ascensum *B*. 20 in terra *B e reliqui*, in terram *d And. Oxon*. 23 posset *Louaniensis*, possit *reliqui*. pugnaret *B et reliqui*, pugnet *b e. P*. 84. 24 adit] ad id *b e*, id *e*. cohortatur *e*, cohortatus *B 'mss. 12'*.

bori succumbant; omnium superiorum dimicationum fructum in eo
4 die atque hora docet consistere. Interiores desperatis campestri-
bus locis propter magnitudinem munitionum loca praerupta ex
5 ascensu temptant: huc ea, quae parauerant, conferunt. Multitu-
dine telorum ex turribus propugnantes deturbant, aggere et crati-
87 bus fossas explent, falcibus uallum ac loricam rescindunt. Mittit
primo Brutum adulescentem cum cohortibus Caesar, post cum aliis
2 Gaium Fabium legatum; postremo ipse, cum uehementius pugna-
3 retur, integros subsidio adducit. Restituto proelio ac repulsis ho-
4 stibus eo, quo Labienum miserat, contendit; cohortes quattuor ex
proximo castello deducit, equitum partem sequi, partem circumire
5 exteriores munitiones et ab tergo hostes adoriri iubet. Labienus,
postquam neque aggeres neque fossae uim hostium sustinere pot-
erant, coactis una XL cohortibus, quas ex proximis praesidiis de-
ductas fors optulit, Caesarem per nuntios facit certiorem, quid fa-
88 ciendum existimet. Adcelerat Caesar, ut proelio intersit. Eius
aduentu ex colore uestitus cognito, quo insigni in proeliis uti con-
suerat, turmisque equitum et cohortibus uisis, quas se sequi ius-
serat, ut de locis superioribus haec decliuia et deuexa cerneban-
2 tur, nostri proelium committunt. Vtrimque clamore sublato exci-
3 pit rursus ex uallo atque omnibus munitionibus clamor. Nostri
omissis pilis gladiis rem gerunt. Repente post tergum equitatus
cernitur; cohortes aliae adpropinquant. Hostes terga uertunt;

4 ascensu *B*. 6 fossas explent *B a e 'reliqui'*, aditus expediunt *And. Oxon.* luricam *b*. rescendunt *m. pr. B*. 7 primo (*B*) *e*, primum *A b c*. adulescentem *B*. cohortibus *B e 'mss. tantum non omnes'*, cohortibus sex *Aldus u*. Caesar *hic ponunt B 'reliqui'*, *ante* mittit *b c d e*. aliis *B e 'mss.'*, aliis septem *Aldus u* 8 Gaium *B et sic 'siue* Caium *mss. omnes'*, C. *e u*. pugnaretur *B edd. ante u*, pugnarent *sine annotatione u*. 9 integro *b c e*. 10 IV (*B*). 11 equitum partem sequi *B 'reliqui'*; equitum se partem sequi *b c d*, equitum partem se sequi *e*. 13 nec — nec *b*. 14 una XL *B 'reliqui'*; una de XL *A*, de XL *b c e*. *P*. 110. ex] de *m. pr. b*. deductus *b*, eductas *A*. 15 optulit *B*. faciundum *Aldus et sine auctoritate u*. 16 (adcelerat *B*) accceleret *D b*. Caesar ad proelium (*omisso, puto,* intersit) *D*. 17 colere *m. pr. B*. consuerat *B 'mss. 9'*, consueuerat *u*. 20 nostri *Iurinius*, hostes *codd. P*. 110. utrimque *B*, *non* utrinque. excipit *A* (*B*) *C D e u* (*fuerat* excipitur). 21 muntionibus *ante corr. B*. 22 omissis *B 'reliqui'*, emissis *b c d e*. pilis] proeliis *b*. gerunt] agunt *b*. postergum *B*. 23 appropinquant *b c d e*, appropinquabant *B 'reliqui'* (adp. *B*). terga] ergo *A*. uerterunt *B e 'plerique'*.

fugientibus equites occurrunt. Fit magna caedes. Sedulius, dux et 4
princeps Lemouicum, occiditur; Vercassiuellaunus Aruernus ui-
uus in fuga comprehenditur; signa militaria septuaginta quattuor
ad Caesarem referuntur: pauci ex tanto numero se incolumes in
castra recipiunt. Conspicati ex oppido caedem et fugam suorum 5
desperata salute copias a munitionibus reducunt. Fit protinus hac
re audita ex castris Gallorum fuga. Quod nisi crebris subsidiis 6
ac totius diei labore milites essent defessi, omnes hostium copiae
deleri potuissent. De media nocte missus equitatus nouissimum 7
agmen consequitur: magnus numerus capitur atque interficitur;
reliqui ex fuga in ciuitates discedunt.

Postero die Vercingetorix concilio conuocato id bellum se 89
suscepisse non suarum necessitatium, sed communis libertatis
causa demonstrat, et quoniam sit fortunae cedendum, ad utramque 2
rem se illis offerre, seu morte sua Romanis satisfacere seu uiuum
tradere uelint. Mittuntur de his rebus ad Caesarem legati. Iubet 3
arma tradi, principes produci. Ipse in munitione pro castris con- 4
sedit: eo duces producuntur; Vercingetorix deditur, arma proi-
ciuntur. Reseruatis Haeduis atque Aruernis, si per eos ciuitates 5
reciperare posset, ex reliquis captiuis toto exercitui capita singula
praedae nomine distribuit. His rebus confectis in Haeduos profi- 90
ciscitur; ciuitatem recipit. Eo legati ab Aruernis missi quae im- 2
peraret se facturos pollicentur. Imperat magnum numerum obsi-
dum. Legiones in hiberna mittit. Captiuorum circiter uiginti mi- 3
lia Haeduis Aruernisque reddit. Titum Labienum duabus cum le- 4
gionibus et equitatu in Sequanos proficisci iubet: huic Marcum
Sempronium Rutilum adtribuit. Gaium Fabium legatum et Lucium 5

1 fugientibusque *b*. Sedillus *b; Asedullus B et sic, itemque* 'Asedulus, Ascedullus *mss. quidd.*' 2 princes *B*. Lemouicum *a b c d*, Lemonicum *e; Remotum (sic) B*, Remorum tum *C*, Remustum *A D*. Vercassiuellaunus *B et sic* '*uel* Vercassiuellanus *mss. omnes*', Cassiuellanus *b*; Vergasillaunus *u*. Aruernorum *b*. 3 LXXIV (*B*). 6 ac re *B*. 10 insequitur *b*. 12 consilio *B e* '*mss.* 5'. bellum se *B Gualtherianus*, se bellum *u*. 13 non *om. m. pr. B*. necessitatium *B C*, necessitatum *u*. 17 in (*an et hoc et* munitione?) *om. b*. 20 (reciperare *cum* u *super* i *sec. m. posita B*) recuperari *b*. possent *D b*. exercitui *B e* '*reliqui*', exercitu *cum* 2 *dett. u*. 22 ab] ex *b*. 24 legionem *b*. xx millia (*B*). 25 reddidit *b c e*. Titum *B*, *om. e*; T. *u*. 26 Marcum *B*, M. *u*. 27 Rutilium *B* '*mss. uno alteroque excepto*'. adtribuit *B*. Gaium *B*, C. *u*. legatum *B* '*reliqui*', *om. b c d e Flodoardus. P.* 111. Lucium *B*, L. *u*.

Minucium Basilum cum legionibus duabus in Remis conlocat,
6 ne quam ab finitumis Bellouacis calamitatem accipiant. Gaium Antistium Reginum in Ambilaretos, Titum Sextium in Bituriges, Gaium Caninium Rebilum in Rutenos cum singulis legionibus mit-
7 tit. Quintum Tullium Ciceronem et Publium Sulpicium Cabilloni et Matiscone in Haeduis ad Ararim rei frumentariae causa conlo-
8 cat. Ipse Bibracte hiemare constituit. † His litteris cognitis Romae dierum uiginti supplicatio redditur.

A. HIRTII

DE BELLO GALLICO

COMMENTARIVS OCTAVVS.

Coactus adsiduis tuis uocibus, Balbe, cum cotidiana mea recusatio non difficultatis excusationem, sed inertiae uideretur de-
2 precationem habere, rem difficillimam suscepi. Caesaris nostri

1 Minutium *B.* Basilum *om. Flodoardus.* legionibus duabus *B Flodoardus,* duabus legionibus *u.* conlocat *B.* 2 ab (*B*) *C D b, non* a. finitumis *A D.* Gaium *B,* C. *u.* 3 Ambilaretos *B 'mss.',* Ambiuaretos *u. P.* 106. Titum *B,* T. *u.* 4 Gaium *B,* C. *u.* 5 Quintum *B,* Q. *u.* Publium *B,* P. *u.* Cabilloni *'mss. plerique',* Cabillonni *B,* Cabiloni *'alii';* Cauilloni *b.* 6 ad ad Ar. *B.* conlocat *B.* 7 his litteris cognitis *A B C D c,* huius anni rebus cognitis *a b e;* his rebus litteris Caesaris cognitis *u.* 8 xx (*B*). redditur *codd.,* indicitur *u.* Iulius Celsus Constantinus u. c. legi. Commentarius Caesaris liber septimus explicit *B.* Explicit liber septimus *a et, qui* VII, *e.*

A. Hirtii *A c;* A. Hirtii Panse rerum gestarum C. Caesaris *a, et* 'Hirtio Pansae *hunc librum ascribunt mss. aliquot uetustiores, praenomen* Auli *add. b'.* Incipit liber octauus feliciter *B.* Incipit VIII *e. P.* 9. 1 adsiduis *B.* 3 rem *om. B 'mss.* 8', *post* difficillimam *ponunt edd.*

commentarios rerum gestarum Galliae non conhaerentibus superio-
ribus atque insequentibus eius scriptis contexui nouissimumque
inperfectum ab rebus gestis Alexandriae confeci usque ad exitum
non quidem ciuilis dissensionis, cuius finem nullum uidemus, sed
uitae Caesaris. Quos utinam qui legent scire possint quam in- 3
uitus susceperim scribendos, quo facilius caream stultitiae atque
arrogantiae crimine, qui me mediis interposuerim Caesaris scri-
ptis. Constat enim inter omnes nihil tam operose ab aliis esse 4
perfectum, quod non horum elegantia commentariorum superetur.
Qui sunt editi, ne scientia tantarum rerum scriptoribus deesset, 5
adeoque probantur omnium iudicio, ut praerepta, non praebita fa-
cultas scriptoribus uideatur. Cuius tamen rei maior nostra quam 6
reliquorum est admiratio: ceteri enim, quam bene atque emen-
date, nos etiam, quam facile atque celeriter eos perfecerit, scimus.
Erat autem in Caesare cum facultas atque elegantia summa scri- 7
bendi, tum uerissima scientia suorum consiliorum explicandorum.
Mihi ne illut quidem accidit, ut Alexandrino atque Africano bello 8
interessem; quae bella quamquam ex parte nobis Caesaris ser-
mone sunt nota, tamen aliter audimus ea, quae rerum nouitate
aut admiratione nos capiunt, aliter, quae pro testimonio sumus
dicturi. Sed ego nimirum, dum omnes excusationis causas colligo, 9
ne cum Caesare conferar, hoc ipsum crimen adrogantiae subeo,
quod me iudicio cuiusquam existimem posse cum Caesare compa-
rari. Vale.

Omni Gallia deuicta Caesar cum a superiore aestate nullum 1
bellandi tempus intermisisset militesque hibernorum quiete reficere
a tantis laboribus uellet, complures eodem tempore ciuitates reno-
uare belli consilia nuntiabantur coniurationesque facere. Cuius 2
rei uerisimilis causa adferebatur, quod Gallis omnibus cogni-
tum esset neque ulla multitudine in unum locum coacta resisti

1 conhaerentibus *Schneiderus*; comparentibus *A*, comparantibus *B C b d e* '6 *alii*'; comparandos *Aldus u.* 2 nouissimum quae *B*, nouissimeque *e*. 3 inperfectum *B*. 5 legerent *A*. 6 atquae *B*. 8 operosum *b e*. 10 rerum] gestarum *add. a b c d e*. deesset *b c d e*, desit *B et reliqui*. 13 quam bene quam emendate *b*. 14 eos *om. b*. perfecerit] perscripserit *Suetonius Caes. c.* 56. 17 illut *B*. 18 quanquam (*B*). 19 sunt *B D*, st' *C*; sint *A b c d e*. audiuimus *b*. 22 ipsum (*B*) *et reliqui*, ipso *a e Oxon*: '*de d dubito*'. *P.* 111. adrogantiae *B*. 26 intermisset *m. pr. B*. 29 adferebatur *B*.

posse Romanis, nec, si diuersa bella conplures eodem tempore intulis-
sent ciuitates, satis auxilii aut spatii aut copiarum habiturum exerci-
3 tum populi Romani ad omnia persequenda; non esse autem alicui
ciuitati sortem incommodi recusandam, si tali mora reliquae possent
2 se uindicare in libertatem. Quae ne opinio Gallorum confirmare-
tur, Caesar Marcum Antonium quaestorem suis praefecit hiber-
nis; ipse equitum praesidio pridie Kal. Ianuarias ab oppido Bi-
bracte proficiscitur ad legionem XIII, quam non longe a finibus
Haeduorum conlocauerat in finibus Biturigum, eique adiungit le-
2 gionem XI, quae proxima fuerat. Binis cohortibus ad inpedimenta
tuenda relictis reliquum exercitum in copiosissimos agros Bituri-
gum inducit, qui, cum latos fines et complura oppida haberent,
unius legionis hibernis non potuerint contineri, quin bellum para-
3 rent coniurationesque facerent. Repentino aduentu Caesaris acci-
dit, quod inparatis disiectisque accidere fuit necesse, ut sine timore
ullo rura colentes prius ab equitatu opprimerentur, quam confugere
2 in oppida possent. Namque etiam illud uulgare incursionis ho-
stium signum, quod incendiis aedificiorum intellegi consueuit, Cae-
saris erat interdicto sublatum, ne aut copia pabuli frumentique, si
longius progredi uellet, deficeretur, aut hostes incendiis terreren-
3 tur. Multis hominum milibus captis perterriti Bituriges, qui pri-
mum aduentum potuerant effugere Romanorum, in finitimas ciui-
tates aut priuatis hospitiis confisi aut societate consiliorum confu-
4 gerant. Frustra: nam Caesar magnis itineribus omnibus locis
occurrit nec dat ulli ciuitati spatium de aliena potius quam de do-
mestica salute cogitandi; qua celeritate et fideles amicos retinebat
5 et dubitantes terrore ad condiciones pacis adducebat. Tali condi-
cione proposita Bituriges, cum sibi uiderent clementia Caesaris

1 posse a Romanis *A B C D b e*. conplures *B*. intulissent (*B*) *e reliqui*, inissent *And. Oxon. u*. 3 prosequenda *b*. 4 incommodae *B*, incommode *C D*. recusandum *B*. 6 Marcum *B*, M. *u*. 7 equitum praesidio *B 'reliqui'*, cum equitatus praesidio *b c d e*. cal. (*B*). Ianuarias *A B C D*, Ian. *e*. 8 XIII *Glareanus*, XII *codd.* (duodecimam *B*). *Vid. c.* 11, 1 *et VII*, 51, 2. 90, 6. 9 conlocauerat *B*. 10 undecimam *B*. inpedimenta *B*. 11 tuenda *om. e And. et m. pr. unus Achaintrii, a, ni fallor*. 13 potuerint *A B C D c*; poterant *b d*, potuerant *e*. 15 inparatis *B*. disiectisque *Vascosanus*, deiectisque *codd.* 17 incursionibus *m. pr. C*. hostium signum *A* (*B*) *C D*, signum hostium *b d e*. 18 haedificiorum *B*. Caesaris erat *A* (*B*) *C D*, Caesaris id erat *b c d e*. 20 uellent *D*. deficeret *b*. 22 potuerant effugere *A B C D e 'mss. tantum non omnes'*, effugere potuerant *u*. 23 sotietate *B*. 27 conditiones *et* conditione (*B*).

reditum patere in eius amicitiam finitimasque ciuitates sine ulla
poena dedisse obsides atque in fidem receptas esse, idem fecerunt.
Caesar militibus pro tanto labore ac patientia, qui brumalibus die- 4
bus itineribus difficillimis, frigoribus intolerandis studiosissime per-
manserant in labore, ducenos sestertios, centurionibus † tot milia
nummum praedae nomine condonanda pollicetur legionibusque in
hiberna remissis ipse se recipit die XXXX Bibracte. Ibi cum ius 2
diceret, Bituriges ad eum legatos mittunt auxilium petitum contra
Carnutes, quos intulisse bellum sibi querebantur. Qua re cognita, 3
cum dies non amplius decem et octo in hibernis esset moratus, le-
giones XIIII et VI ex hibernis ab Arare educit, quas ibi conlocatas
explicandae rei frumentariae causa superiore commentario demon-
stratum est: ita cum duabus legionibus ad persequendos Carnutes
proficiscitur. Cum fama exercitus ad hostes esset perlata, cala- 5
mitate ceterorum ducti Carnutes desertis uicis oppidisque, quae
tolerandae hiemis causa constitutis repente exiguis ad necessitatem
aedificiis incolebant (nuper enim deuicti conplura oppida dimise-
rant), dispersi profugiunt. Caesar erumpentes eo maxime tempore 2
acerrimas tempestates cum subire milites nollet, in oppido Carnu-
tum Genabo castra ponit adque in tecta partim Gallorum, partim
quae coniectis celeriter stramentis tentoriorum integendorum gra-
tia erant inaedificata, milites coniecit. Equites tamen et auxilia- 3
rios pedites in omnes partes mittit, quascumque petisse dicebantur
hostes; nec frustra: nam plerumque magna praeda potiti nostri
reuertuntur. Oppressi Carnutes hiemis difficultate, terrore periculi, 4

2 in fide *e.* 3 pacientia *B.* 5 sestios *B.* tot *reliqui omnes,* II *cum Bong. tert. u. P.* 111. 6 condonanda *Bong. tert.*, condonata *reliqui.* 7 se *om. m. pr. B.* recipit *A b,* recepit *B e reliqui.* xxx *B C,* tricesimo *D.* 9 Carnotes *b semper.* quaerebantur *B.* 10 dies *hic ponunt B edd. ante Ald. Steph., post* decem et octo *Aldus u.* moratus *B e 'reliqui'*, commoratus *c d.* legionem *b.* 11 sextam (*B*). Arari *b e.* educit *Aldus, et 'ex c d nihil uarietatis enotatum est'*; ducit *A B e 'reliqui omnes'*. conlocatas *B.* 15 cetorum *m. pr. B.* 16 constitutis — aedificiis] ad necessitatem repente exigua constituerant aedificia *e And. Oxon.* 17 conplura *B.* amiserant *b c d e.* 18 profugeruut *D.* 19 'acerrimas *A C D*' (*an* acerrumas?) nollent *b.* 20 Cenabo *B 'mss.'* adque *B, non* atque. partim *ante* Gallorum *om. b.* partim quae *c*: partimque *B*, partemque *'mss. longe plurimi, non omnes tamen'*. 21 tentorium *b c e*, centuriorum *C.* 22 coniecit *Morus*, contegit *codd. P.* 112. 23 dimittit *b.* quascumque (*B*), *non* — cunque. 25 periculi] perculsi *b.*

cum tectis expulsi nullo loco diutius consistere auderent nec
siluarum praesidio tempestatibus durissimis tegi possent, dispersi
6 magna parte amissa suorum dissipantur in finitimas ciuitates. Cae-
sar tempore anni difficillimo, cum satis haberet conuenientes ma-
nus dissipare, ne quod initium belli nasceretur, quantumque in
ratione esset, exploratum haberet sub tempus aestiuorum nullum
summum bellum posse conflari, Gaium Trebonium cum duabus le-
2 gionibus, quas secum habebat, in hibernis Genabi conlocauit; ipse,
cum crebris legationibus Remorum certior fieret Bellouacos, qui
belli gloria Gallos omnes Belgasque praestabant, finitimasque his
ciuitates duce Correo Bellouaco et Commio Atrebate exercitus
comparare atque in unum locum cogere, ut omni multitudine in
fines Suessionum, qui Remis erant adtributi, facerent inpressio-
nem, pertinere autem non tantum ad dignitatem, sed etiam ad sa-
lutem suam iudicaret nullam calamitatem socios optime de repu-
3 blica meritos accipere, legionem ex hibernis euocat rursus undeci-
mam, litteras autem ad Gaium Fabium mittit, ut in fines Suessio-
num legiones duas, quas habebat, adduceret, alteramque ex dua-
4 bus ab Labieno arcessit. Ita, quantum hibernorum opportunitas
bellique ratio postulabat, perpetuo suo labore in uicem legionibus
7 expeditionum onus iniungebat. His copiis coactis ad Bellouacos
proficiscitur castrisque in eorum finibus positis equitum turmas
dimittit in omnes partes ad aliquos excipiendos, ex quibus hostium
2 consilia cognosceret. Equites officio functi renuntiant paucos in
aedificiis esse inuentos, atque hos, non qui agrorum colendorum
causa remansissent (namque esse undique diligenter demigratum),
3 sed qui speculandi causa essent remissi. A quibus cum quaereret
Caesar, quo loco multitudo esset Bellouacorum quodue esset con-

5 quantumcumque *b.* 6 esset *om. b.* 7 Gaium *B,* C. *u.* 8 Cenabi *B.* conlocauit *B.* 9 con *B.* 10 his *A e* '*mss. omnes*', iis *B.* 11 Correo *b c semper optimique Orosii VI,* 11; Corbeo *B et reliqui.* Comio (*B*). 13 Suessonum *hic et infra B* '*mss. plerique*'. adtributi *B.* inpressionem *B.* 17 Gaium *B,* C. *u.* uti *ex* 2 *dett. u.* 19 ab *B* '*cuncti*', a *e.* Labieno *e,* Lucio Labieno *B et sic* '*uel* L. Labieno *reliqui*' *praeter* 2 *dett.*; T. Labieno *u.* itaque *b c e.* 21 onus impingebat *c.* 24 consilium *A.* cognoscerent *b e.* 25 incolendorum *And. Oxon., et in e ante* colendorum *litura est.* 26 remansisset *ante corr. B.* 27 speculandi causa *B* '*reliqui*', speculandi gratia *b c d e.* 28 esset *post* multitudo *om. b.* quodne, *ut uidetur, e.*

silium eorum, inueniebat: Bellouacos omnes, qui arma ferre pos- 4
sent, in unum locum conuenisse, itemque Ambianos, Aulercos,
Caletos, Velliocassis, Atrebatas; locum castris excelsum in silua
circumdata palude delegisse, impedimenta omnia in ulteriores sil-
uas contulisse. Conplures esse principes belli auctores, sed mul-
titudinem maxime Correo optemperare, quod ei summo esse odio
nomen populi Romani intellexissent. Paucis ante diebus ex his 5
castris Atrebatem Commium discessisse ad auxilia Germanorum
adducenda; quorum et uicinitas propinqua et multitudo esset infi-
nita. Constituisse autem Bellouacos omnium principum consensu, 6
summa plebis cupiditate, si, ut diceretur, Caesar cum tribus le-
gionibus ueniret, offerre se ad dimicandum, ne miseriore ac duriore
postea condicione cum toto exercitu decertare cogerentur; si ma- 7
iores copias adduceret, in eo loco permanere, quem delegissent,
pabulatione autem, quae propter anni tempus cum exigua tum dis-
iecta esset, et frumentatione et reliquo commeatu ex insidiis pro-
hibere Romanos. Quae Caesar consentientibus pluribus cum co- 8
gnosset atque ea, quae proponerentur, consilia plena prudentiae
longeque a temeritate barbarorum remota esse iudicaret, omnibus
rebus inseruiendum statuit, quo celerius hostis contempta sua pau-
citate prodiret in aciem. Singularis enim uirtutis ueterrimas le- 2

1 inueniebat] cognoscebat *e And. Oxon. cod. Vrs.* 2 Aulurcos *B et sic aut* 'Auleurcos, Amuras, Muloritos *mss.*', Alurcos *apud Orosium mss. quidam Hauercampi.* 3 Caletos, *non* Caletes, *B e 'plerique'*; Saletos *apud Orosium mss. quid. Hauercampi et Portensis.* Velliocassis *B et* Velliocasses *'mss. plerique'*, Veliocasses *e et sic uel* Velocarses *uel* Veliocarses *uel* Veliocasos *apud Orosium mss. quidam Hauercampi*; Velocasses *'al.' et Orosius. P.* 108. Atrebatas *B 'mss. plerique' et ap. Orosium tres Leidenses et Portensis,* Atrebatos *A et 'alii'*; Atrebates *e et Orosius.* in silua circumdata palude *A B c d e 'ceteri'*, impedita circumdatum palude *And. Oxon.* 4 impedimenta omnia *B edd. ante Ald. Stephanus,* omnia impedimenta *Aldus u.* 5 conplures *B.* 6 Correo *hic A* (*B*) *C b c d.* optemperare *B.* 7 nomem *B.* populi *om. b.* 8 Atrebatem *A B c 'mss. omnes', om. e Oxon.* 11 dicebatur *cum* 3 *dett. u.* Caesar *ante* ut diceretur *ponit e.* 12 offerre (*B*) *? b c d e,* offerrent *reliqui.* sese *b et, qui ante* offerre *ponit, e.* 13 conditione (*B*). 14 adduceret et in eo loco permaneret *B.* 17 Caesar cum sentientibus *e.* cum *om. e.* cognosset *A B C D 'mss.* 7', cognouisset (*e*) *u.* 19 esset *m. pr. B.* 20 rebus *om. e And.* hostis *A,* hostes *B D e reliqui.* sua *A b e,* suarum *C*; suorum (*B*) *reliqui.* 21 prodiret *A B D,* prodirent *e reliqui.*

giones VII, VIII, VIIII habebat, summae spei delectaeque iuuentutis
XI, quae octauo iam stipendio tamen in conlatione reliquarum non-
3 dum eandem uetustatis ac uirtutis ceperat opinionem. Itaque con-
cilio aduocato rebus iis, quae ad se essent delatae, omnibus expo-
sitis animos multitudinis confirmat. Si forte hostes trium legio-
num numero posset elicere ad dimicandum, agminis ordinem ita
constituit, ut legio septima, octaua, nona ante omnia irent impe-
dimenta, deinde omnium impedimentorum agmen, quod tamen erat
mediocre, ut in expeditionibus esse consueuit, cogeret undecima,
ne maioris multitudinis species accidere hostibus posset, quam
4 ipsi depoposcissent. Hac ratione paene quadrato agmine instructo
in conspectum hostium celerius opinione eorum exercitum adducit.
9 Cum repente instructas uelut in acie certo gradu legiones accedere
Galli uiderent, quorum erant ad Caesarem plena fiduciae consilia
perlata, siue certaminis periculo siue subito aduentu siue expecta-
tione nostri consilii copias instruunt pro castris nec loco superiore
2 decedunt. Caesar, etsi dimicare optauerat, tamen admiratus tan-
tam multitudinem hostium ualle intermissa magis in altitudinem
3 depressa quam late patente castra castris hostium confert. Haec
imperat uallo pedum XII muniri, loriculam † pro hac ratione eius
altitudinis inaedificari; fossam duplicem pedum denum quinum la-
teribus deprimi directis; turris excitari crebras in altitudinem tri-

1 VIII, VIIII *B;* VIII et IX *u, sed* et *om. e 'mss. tantum non omnes';* VIII et IIX *D* (*puto* VIII et VIII). electaeque *b e.* 2 iam *om. b e.* stipendio *B 'mss. plerique',* stipendio functa *b c d e.* in *om. b c d e.* (conlatione *B*) collocatione *c e.* 3 concilio *Vascosanus et 'forsan unus et alter mss.',* consilio *B reliqui.* 4 conuocato *D.* 5 fortue *B.* 7 septima et octaua atque nona *b.* irent (*B*) *C b c e 'alii' u* (*fuerat* iret). 8 quod ita tamen *D.* 11 poposcissent *b.* hac] ac *B.* quadrano *D.* 12 in conspectu omnium scelerius hostium opinione eorum exercitum adduxit *e:* in conspectu *etiam C D.* 13 cum] quas cum *c,* quas legiones *b d e.* legiones *om. b d e.* 14 Galli] cum *add. b d e.* uiderent *e,* uiderunt *B 'mss. et edd. qdd.'* fiducia *b e.* 15 siue expectatione *A e,* seu expectatione (*B*) *u* (expect. *B*). 19 depressam *D.* patentem *D,* patentia *b.* 20 muniri *e,* munire *B 'mss. 12'.* loriculam pro hac ratione eius altitudinis inaedificari *B et, ex quibus nonnulli* loricam *uel* luricam *habent, 'ceteri' et, qui* et *praemittit et* hac *om.* (*id quod de B quoque falso Achaintrius retulit*), *sec. m. a;* coronis inaedificari *a e. P.* 113. 21 denum quinum *B 'mss. plerique',* demum et quinum *D;* quindenum *b,* quinum denum *u. P.* 114. 22 deprimi directis *A B C D 'mss. plurimi',* directis deprimi (*e*) *u* (derect. *A B C e*). turris *A B C.* excitari crebras *B edd. ante Ald.,* crebras excitari *Aldus u.*

um tabulatorum, pontibus traiectis constratisque coniungi, quorum
frontes uiminea loricula munirentur: ut ab hostibus duplici fossa, 4
duplici propugnatorum ordine defenderentur, quorum alter ex pon-
tibus, quo tutior altitudine esset, hoc audacius longiusque permit-
teret tela, alter, qui propior hostem in ipso uallo conlocatus esset,
ponte ab incidentibus telis tegeretur. Portis fores altioresque tur-
res imposuit. Huius munitionis duplex erat consilium. Namque 10
et operum magnitudinem et timorem suum sperabat fiduciam bar-
baris allaturum, et cum pabulatum frumentatumque longius esset
proficiscendum, paruis copiis castra munitione ipsa uidebat posse
defendi. Interim crebro paucis utrimque procurrentibus inter bina 2
castra palude interiecta contendebatur; quam tamen paludem non-
numquam aut nostra auxilia Gallorum Germanorumque transibant
acriusque hostes insequebantur, aut uicissim hostes eadem trans-
gressi nostros longius summouebant. Accidebat autem cotidianis 3
pabulationibus (id quod accidere erat necesse, cum raris disiectis-
que ex aedificiis pabulum conquireretur), ut impeditis locis dispersi
pabulatores circumuenirentur; quae res, etsi mediocre detrimentum 4
iumentorum ac seruorum nostris adferebat, tamen stultas cogita-
tiones incitabat barbarorum, atque eo magis, quod Commius, quem
profectum ad auxilia Germanorum arcessenda docui, cum equiti-
bus uenerat; qui tametsi numero non amplius erant quingenti,
tamen Germanorum aduentu barbari nitebantur. Caesar, cum 11

2 luricula *A B C b*, lorica *D*. ut ab hostibus duplici fossa, duplici propugnatorum ordine defenderentur *B et sic 'uel* defenderetur' *A C D;* ut hostis a duplici propugnatorum ordine depelleretur *a c et, qui post* depelleretur *addit* fossa dupplici, *e;* ut hostis a duplici fossa duplici propugnatorum ordine defenderetur *u. P.* 114. 3 quorum] quo *b*. 4 permitteret tela *B et sic 'uel* tela permitteret *mss. constanter';* tela permitterentur *b*, tela permitteret *u*. 5 qui *And. Oxon.*, quo *reliqui. P.* 58. proprior *B*. hostem *om. b*. in ipso *e; om. B, atque* 'ipso *et* in ipso *abest a mstis et edd. quibusdam'*. conlocatus *B*. 9 ablaturum *b*. 11 interea *b*. crebra *m. pr. D*. utrimque (*B*). 12 nonnumquam *B*. 13 auxilia Gallorum *Oxon.*, auxilia aut Gallorum *reliqui.* 14 hostes] nostri *e And. Oxon.*, hostes nostri *b*. inseq. ac uicissem *b*. eadem *b c e*, eodem *B 'ceteri'*. 15 summouebant *B*. 17 ex *om. b c*. impedimentis *B 'mss.* 7'. dispersi *b c d e*, dispersis *B et reliqui.* 18 pabulatoriis *B 'mss.* 8'. 19 adferebat *B*. 22 tamen etsi *b c, non e*. quingenti (*B*) *'mss.' praeter unum det.*, D *e*. 23 tamen] sed tamen *b c e*. nitebantur *A B 'mss. innumeri'*, inflabantur *a b c d e*.

animaduerteret hostem conplures dies castris palude et loci natura
munitis se tenere neque oppugnari castra eorum sine dimicatione per-
niciosa nec locum munitionibus claudi nisi a maiore exercitu posse,
litteras ad Trebonium mittit, ut quam celerrime posset legionem
XIII, quae cum T. Sextio legato in Biturigibus hiemabat, arcesse-
ret atque ita cum tribus legionibus magnis itineribus ad se ueni-
2 ret; ipse equites in uicem Remorum ac Lingonum reliquarumque
ciuitatum, quorum magnum numerum euocauerat, praesidio pabu-
12 lationibus mittit, qui subitas hostium incursiones sustinerent. Quod
cum cotidie fieret, ac iam consuetudine diligentia minueretur, quod
plerumque accidit diuturnitate, Bellouaci delecta manu peditum
cognitis stationibus cotidianis equitum nostrorum siluestribus locis
2 insidias disponunt eodemque equites postero die mittunt, qui pri-
mum elicerent nostros [insidiae], deinde circumuentos aggrederen-
3 tur. Cuius mali sors incidit Remis, quibus ille dies fungendi mu-
neris obuenerat. Namque hi, cum repente hostium equites ani-
maduertissent ac numero superiores paucitatem contempsissent,
4 cupidius insecuti peditibus undique sunt circumdati. Quo facto
perturbati celerius, quam consuetudo fert equestris proelii, se re-
ceperunt amisso Vertisco, principe ciuitatis, praefecto equitum;
5 qui cum uix equo propter aetatem posset uti, tamen consuetudine
Gallorum neque aetatis excusatione in suscipienda praefectura
6 usus erat neque dimicari sine se uoluerat. Inflantur atque incitan-
tur hostium animi secundo proelio, principe et praefecto Remorum
7 interfecto, nostrique detrimento admonentur diligentius exploratis
locis stationes disponere ac moderatius cedentem insequi hostem.
13 Non intermittunt interim cotidiana proelia in conspectu utrorum-
2 que castrorum, quae ad uada transitusque fiebant paludis. Qua

1 animum aduerteret *ex And. Oxon. u.* hostes *e And. Oxon.* conplures *B.* locis *B e 'mss. et edd. qdd.'* 2 oppugnare *B 'mss. et edd. qdd.'* 3 nisi — (14) aggrederentur *om. A B C D.* 4 ad Gaium Trebonium *b.* possit *b.* 6 magnis *e et reliqui,* quam magnis *b.* 7 in uicos *b.* 8 quarum *e Oxon.* 10 minueretur] inueniretur *b c.* 13 eademque *b c e.* 14 insidiae *a b d e,* insidiis *c u: inclusit Whittius. P.* 114. 15 mala *e Oxon.* ille dies *B 'mss.'*, ille locus *a e.* 16 hi *B edd. ante Ald.*, ii *Aldus u.* animum aduertissent *ex And. Oxon u.* 18 peditibus *B 'reliqui'*, a peditibus *b c d e.* 19 equestri se proelio receperunt *b.* 20 Vertisco] Verutio *add. c d,* Neruto *add. b. Vid. Cic. Verr. II,* 76, 187. 23 neque dimicari — uoluerat *om. b.* inflantur *a e 'forsan etiam c d'*, inflammantur *B et reliqui.* 27 intermittunt *e,* intermittit *A B C D b;* intermittuntur *u. P.* 115. utrorumquae *B.*

contentione Germani, quos propterea Caesar traduxerat Rhenum,
ut equitibus interpositi proeliarentur, cum constantius uniuersi pa-
ludem transissent paucisque resistentibus interfectis pertinacius
reliquam multitudinem essent insecuti, perterriti non solum ii, qui
aut comminus opprimebantur aut eminus uulnerabantur, sed etiam,
qui longius subsidiari consuerant, turpiter refugerunt nec prius 3
finem fugae fecerunt saepe amissis superioribus locis, quam se aut
in castra suorum reciperent, aut nonnulli pudore coacti longius
profugerent. Quorum periculo sic omnes copiae sunt perturbatae, 4
ut uix iudicari posset, utrum secundis minimisque rebus insolen-
tiores, an aduerso mediocri casu timidiores essent. Conpluribus 14
diebus isdem in castris consumptis, cum propius accessisse legio-
nes et Gaium Trebonium legatum cognossent, duces Bellouacorum
ueriti similem obsessionem Alesiae noctu dimittunt eos, quos aut
aetate aut uiribus inferiores aut inermes habebant, unaque reliqua
impedimenta. Quorum perturbatum et confusum dum explicant 2
agmen (magna enim multitudo carrorum etiam expeditos sequi
Gallos consueuit), oppressi luce copias armatorum pro suis instru-
unt castris, ne prius Romani persequi se inciperent, quam longius
agmen impedimentorum suorum processisset. At Caesar neque 3
resistentes adgrediundos tanto collis ascensu iudicabat, neque non
usque eo legiones admouendas, ut discedere ex eo loco sine peri-
culo barbari militibus instantibus non possent. Ita, cum palude 4
inpedita a castris castra diuidi uideret, quae transeundi difficultas

2 equitibus *om. e.* interpositi *e And. Oxon.*, interpositis *B et reliqui.* 3 transisset *ante corr. B.* resistentibus *A e*, in resistendo *B 'mss. fere omnes'.* pertinatius *B.* 4 reliqui *D.* 6 consuerant *B C D*, consueuerant *u.* 8 nonnullo *C.* pudore *B a e 'mss. omnes'*, pauore *u.* longius effugerent *A.* 10 iudicare *B.* minimisque *A B 'mstorum turba'*; paruulisque *b c d*, paruulis *a e.* 11 aduerso mediocri casu *A B 'reliqui'*; aduersis mediocribus *e et, qui* casu *addit, b.* conpluribus *B.* 12 hisdem *B*, iisdem *u.* in *And. Oxon. Voss. sec., om. reliqui.* proprius *B.* 13 Gaium *B*, C. *u.* cognossent *A et m. pr. B.* 14 obsidionem *b.* 18 pro *cod. Ciacconii*, in *reliqui.* 20 processissent *C.* at *om. A.* Caesar neque resistentes aggrediendos tanto collis ascensu iudicabat *A B et reliqui*; Caesar neque resistentes neque cedentes tanto collis ascensu lacessendos iudicabat *b d e* (aggrediundos *A C D et* adgrediundos *B idemque* ascensu). 22 ex loco *e And. Oxon.* 23 cum *om. A e.* palude impedita *codd.*, paludem impeditam *u* (inpedita *B*). 24 a castris castra] castra castris dimitterent *a et, qui* castrisque, *e.* diuidi uideret *ego*; dum diuideret *B e*, dum diuideretur *a*, dum uideret *A*, diuideret *C D b c d*; diuidere *u. P.* 115.

celeritatem insequendi tardare posset, adque id iugum, quod trans
paludem paene ad hostium castra pertineret, mediocri ualle a ca-
stris eorum intercisum animum aduerteret, pontibus palude con-
strata legiones traducit celeriterque in summam planiciem iugi
peruenit, quae decliui fastigio duobus ab lateribus muniebatur.
5 Ibi legionibus instructis ad ultimum iugum peruenit aciemque eo
loco constituit, unde tormento missa tela in hostium cuneos conici
15 possent. Barbari confisi loci natura, cum dimicare non recusarent,
si forte Romani subire collem conarentur, paulatim copias distri-
butas dimittere non possent, ne dispersi perturbarentur, in acie
2 permanserunt. Quorum pertinacia cognita Caesar XX cohortibus
3 instructis castrisque eo loco metatis muniri iubet castra. Absolu-
tis operibus pro uallo legiones instructas conlocat, equites frena-
4 tis equis in statione disponit. Bellouaci, cum Romanos ad inse-
quendum paratos uiderent neque pernoctare aut diutius permanere
sine periculo eodem loco possent, tale consilium sui recipiendi ce-
5 perunt. Fasces, ut consueuerant [namque in acie sedere Gallos
consuesse superioribus commentariis Caesaris declaratum est],
per manus stramentorum ac uirgultorum, quorum summa erat in
castris copia, inter se traditos ante aciem conlocarunt extremoque
6 tempore diei signo pronuntiato uno tempore incenderunt. Ita con-
tinens flamma copias omnes repente a conspectu texit Romanorum.
16 Quod ubi accidit, barbari uehementissimo cursu refugerunt. Cae-
sar, etsi discessum hostium animaduertere non poterat incendiis

1 tardari *b*. adque *B, non* atque. id] ad *A D*. 2 paene usque ad *b*. 3 animum aduerteret *A* (*B*) *C D*, *non* animadu. 4 planitiem (*B*). iugi *an pro eo* uallis *int. uers. b*. 5 prouenit *c*. qui *b*. a lateribus *C*. 6 ubi *A b e*. 9 paulatim *B* '*reliqui*', paulatimque *b c d e*. 10 possent *B* '*ceteri*', auderent *b c d e*. turbarentur *b e*. 11 Caesar cognita *b*. 12 castris *b*. eo] e *A*. munire *A a*, Menapios munire *b c d e*. absolutis *b c d*, absolutos *e*; ac solutis *B* '*reliqui*', *idque Achaintrius de B tacens in a legi falso, ut arbitror, refert*. 13 pro uallo legiones *B* '*mss. plurimi*', legiones pro uallo *u*. conlocat *B*. 14 statione *B* '*mss. qq.*', stationibus *u*. 15 remanere *b*. 16 periculo *A B e* '*mss. mei*', cibariis *cum And. Oxon. u*. *ante* eodem *add.* in *b*. ceperunt *B e* '*mss. mei*', receperunt *A*; inierunt *cum And. Oxon. u*. 17 ut consueuerant *B et reliqui*, ubi consederant *b c d e*. namque *B* '*mss. omnes*', nam *e*. *Uncos de Wassii sententia posui. P.* 116. 18 consuesse *om. b*. Caesaris *B* '*reliqui*', *om. b c d e*. 19 per manus *post* copia *de Faërni coniectura posita habet u*. 20 collocarunt *B* '*alii*', collocauerunt *b c d* (conl. *B*). 24 animum aduertere *ex And. Oxon. u*.

oppositis, tamen id consilium cum fugae causa initum suspicaretur,
legiones promouet, turmas mittit ad insequendum; ipse ueritus
insidias, ne forte in eodem loco subsistere hostis atque elicere no-
stros in locum conaretur iniquum, tardius procedit. Equites cum 2
intrare summum iugum et flammam densissimam timerent ac, si
qui cupidius intrauerant, uix suorum ipsi priores partes animad-
uerterent equorum, insidias ueriti liberam facultatem sui recipiendi
Bellouacis dederunt. Ita fuga timoris simul calliditatisque plena 3
sine ullo detrimento milia non amplius decem progressi hostes loco
munitissimo castra posuerunt. Inde cum saepe in insidiis equites 4
peditesque disponerent, magna detrimenta Romanis in pabulationi-
bus inferebant. Quod cum crebrius accideret, ex captiuo quodam 17
conperit Caesar Correum, Bellouacorum ducem, fortissimorum
milia sex peditum delegisse equitesque ex omni numero mille, quos
in insidiis eo loco conlocaret, quem in locum propter copiam fru-
menti ac pabuli Romanos missuros suspicaretur. Quo cognito 2
consilio legiones plures, quam solebat, educit equitatumque, qua
consuetudine pabulatoribus mittere praesidio consuerat, praemit-
tit: huic interponit auxilia leuis armaturae; ipse cum legionibus 3
quam potest maxime adpropinquat. Hostes in insidiis dispositi, 18
cum sibi delegissent campum ad rem gerendam non amplius paten-
tem in omnes partes passibus mille, siluis undique aut impeditissi-
mo flumine munitum, uelut indagine hunc insidiis circumdederunt.

1 inita *B C D.* 2 promouet, turmas mittit *e et, qui* mouet *b*; promouet et turmas mittit *c d*: promouit *A*, promouit et *B reliquique* (*et hi et A omissis* turmas mittit). 3 subsistere *e 'reliqui omnes'*, subsisteret (*B*)? *Noru. et 'forsan Oxon.'* 4 iniqum *B.* 5 summum iugum *A B 'mei omnes'*, fumum *e And. Oxon. P.* 117. 6 animaduerterent (*B*) *'ceteri'*; animum aduerterent *e*, aduerterent *cum And. Oxon. u.* 10 equites peditesque] castra *m. pr. b.* 12 cum *om. B.* crebrius] saepius *b.* 13 conperit *B.* Corbeum *m. pr. B.* fortissimum *b.* 14 sex] ex *B.* ex *om. m. pr. B.* quos insidiis *e Oxon.* 15 collocaret *e reliqui et secundum Beyerlii de extrema silentium B*, collocarat *C D b c* (conl. *B*). in quem *b e* locum *omittentes.* 16 Romanos missuros *A B 'ceteri'*, Romanos pabulatum missuros *a b c d e.* 17 consilio legiones *B 'reliqui'*, consilio Caesar legiones *b d e.* soleret *e Oxon.* 18 praesidio *B e reliqui*, praesidia *A*; *om. b.* 20 adpropinquat *B.* hostes insidiis positi *e And. Oxon.* 21 gerendum *m. pr. C.* 22 passus *b.* siluis undique aut impeditissimo flumine munitum *A* (*is m. pr.* impetissimo *et recent.* impetuosissimo) *B C D*; siluis undique impeditissimis aut altissimo flumine munitum *a c d et, qui* flumine altissimo, *b e.*

2 Explorato hostium consilio nostri ad proeliandum animo atque ar-
mis parati, cum subsequentibus legionibus nullam dimicationem
3 recusarent, turmatim in eum locum deuenerunt. Quorum aduentu
cum sibi Correus oblatam occasionem rei gerendae existimaret,
primum cum paucis se ostendit atque in proxumas turmas impetum
4 fecit. Nostri constanter incursum sustinent insidiatorum neque
plures in unum locum conueniunt; quod plerumque equestribus
proeliis cum propter aliquem timorem accidit, tum multitudine ipso-
19 rum detrimentum accipitur. Cum dispositis turmis in uicem rari
proeliarentur neque ab lateribus circumueniri suos paterentur,
2 erumpunt ceteri Correo proeliante ex siluis. Fit magna conten-
tione diuersum proelium. Quod cum diutius pari Marte iniretur,
paulatim ex siluis instructa multitudo procedit peditum, quae no-
stros coëgit cedere equites. Quibus celeriter subueniunt leuis ar-
maturae pedites, quos ante legiones missos docui, turmisque no-
3 strorum interpositi constanter proeliantur. Pugnatur aliquamdiu
pari contentione; deinde, ut ratio postulabat proelii, qui sustinue-
rant primos impetus insidiarum, hoc ipso fiunt superiores, quod
4 nullum ab insidiantibus inprudentes acceperant detrimentum. Ac-
cedunt propius interim legiones, crebrique eodem tempore et no-
stris et hostibus nuntii adferuntur, imperatorem instructis copiis
5 adesse. Qua re cognita praesidio cohortium confisi nostri acerrime
proeliantur, ne, si tardius rem gessissent, uictoriae gloriam com-
6 municasse cum legionibus uiderentur; hostes concidunt animis at-
que itineribus diuersis fugam quaerunt. Nequiquam: nam quibus
difficultatibus locorum Romanos claudere uoluerant, iis ipsi tene-
7 bantur. Victi tamen perculsique maiore parte amissa consternati

1 expl. host. cons. nostri *ABCD*, nostri expl. host cons. *bcde*. 2 demicationem *B*. 3 conuenerunt *b*. aduentu] aditu *e And. Oxon.* 4 Corbeus *m. pr. B*. 5 primum *Abcde*, primus *B* '*reliqui*'. proxumas *B*. 6 incursum *B et reliqui*, impetum *abe*. 8 timorem *om. bc*. accidit *om. b*. tum] cum *bc*. 9 rare *bce*. 10 a *b*. circumuenire *be*. 11 ceteri] celeriter *add. e*. 12 inirentur *B*. 13 ex] in *A*. 14 coëgit *B* '*mss. 14 meliores*', cogit *e*. 15 missos] esse *add. be*. 16 interpositi *e*, interpositis *B* '*mss. plerique*'. 19 inprudentes *B*. 20 proprius *B*. crebrisque *be*. tempore nostris *e And*. 21 nuntia deferuntur *e And. Oxon.* (adferuntur *B*). 24 atque in itineribus *B* '*mss. 10*'. 25 nequiquam *ABCD*. 26 iis *om. e And.* 27 percussique *b*. amissa consternati *AB* '*reliqui*'; amissa, quo fors tulerat, consternati *bcde*.

profugiunt partim siluis petitis, partim flumine (qui tamen in fuga
a nostris acriter insequentibus conficiuntur), cum interim nulla ca- 8
lamitate uictus Correus excedere proelio siluasque petere aut in-
uitantibus nostris ad deditionem potuit adduci, quin fortissime
proeliando conpluresque uulnerando cogeret elatos iracundia uicto-
res in se tela conicere. Tali modo re gesta recentibus proelii ue- **20**
stigiis ingressus Caesar, cum uictos tanta calamitate existumaret
hostes nuntio accepto locum castrorum relicturos, quae non lon-
gius ab ea caede abesse plus minus octo milibus dicebantur, ta-
metsi flumine impeditum transitum uidebat, tamen exercitu tra-
ducto progreditur. At Bellouaci reliquaeque ciuitates repente ex 2
fuga paucis atque his uulneratis receptis, qui siluarum beneficio
casum euitauerant, omnibus aduersis, cognita calamitate, interfecto
Correo, amisso equitatu et fortissimis peditibus, cum aduentare
Romanos existimarent, concilio repente cantu tubarum conuocato
conclamant, legati obsidesque ad Caesarem mittantur. Hoc omni- **21**
bus probato consilio Commius Atrebas ad eos confugit Germanos,
a quibus ad id bellum auxilia mutuatus erat. Ceteri e uestigio 2
mittunt ad Caesarem legatos petuntque, ut ea poena sit contentus
hostium, quam si sine dimicatione inferre integris posset, pro sua
clementia adque humanitate numquam profecto esset inlaturus.
Adflictas opes equestri proelio Bellouacorum esse; delectorum pe- 3
ditum multa milia interisse, uix refugisse nuntios caedis. Tamen 4
magnum ut in tanta calamitate Bellouacos eo proelio commodum
esse consecutos, quod Correus, auctor belli, concitator multitudi-
nis, esset interfectus. Numquam enim senatum tantum in ciuitate
illo uiuo quantum imperitam plebem potuisse. Haec orantibus **22**
legatis commemorat Caesar: Eodem tempore superiore anno Bel-
louacos ceterasque Galliae ciuitates suscepisse bellum: pertinacis-
sime hos ex omnibus in sententia permansisse neque ad sanitatem

1 perfugiunt *e.* fugam *c.* 2 a *om. e And.* conficiuntur] interficiuntur *b.* 3 Corbeus *B.* 5 conpluresque *B.* elatos *om. e And. Oxon.* 6 coicere *B.* regasta *m. pr. B.* 7 existumaret *A B C.* 9 IX milibus *e.* 13 uitauerant *b.* 14 Corbeo *B.* 16 mittuntur *C b.* 17 confugit *B 'reliqui'*; profugit *b c d*, perfugit *e.* 18 erat ad bellum aux. mut. *b e.* 21 adque *B.* numquam *B.* inlaturus *B.* 22 (adflictas *B*) affectas *a b e.* 23 magnum tamen *b.* 25 esse *om. b e.* Corbeus *B.* conciliator *a And. Oxon.*, consiliator *e.* 26 interfectos *m. pr. B.* nunquam (*B*).

2 reliquorum deditione esse perductos. Scire atque intellegere se
causam peccati facillime mortuis delegari. Neminem uero tantum
pollere, ut inuitis principibus, resistente senatu, omnibus bonis
repugnantibus infirma manu plebis bellum concitare et gerere pos-
set. Sed tamen se contentum fore ea poena, quam sibi ipsi con-
23 traxissent. Nocte insequenti legati responsa ad suos referunt,
obsides conficiunt. Concurrunt reliquarum ciuitatium legati, quae
2 Bellouacorum speculabantur euentum; obsides dant, imperata fa-
ciunt excepto Commio, quem timor prohibebat cuiusquam fidei
3 suam committere salutem. Nam superiore anno Titus Labienus
Caesare in Gallia citeriore ius dicente, cum Commium converis-
set sollicitare ciuitates et coniurationem contra Caesarem facere,
4 infidelitatem eius sine ulla perfidia iudicauit comprimi posse. Quem
quia non arbitrabatur uocatum in castra uenturum, ne temptando
cautiorem faceret, Gaium Volusenum Quadratum misit, qui eum
per simulationem conloqui curaret interficiendum. Ad eam rem
5 delectos idoneos ei tradit centuriones. Cum in conloquium uentum
esset, et, ut conuenerat, manum Commii Volusenus arripuisset,
centurio uel insueta re permotus uel celeriter a familiaribus pro-
hibitus Commii conficere hominem non potuit; grauiter tamen
6 primo ictu gladio caput percussit. Cum utrimque gladii destricti
essent, non tam pugnandi quam diffugiendi fuit utrorumque consi-
lium: nostrorum, quod mortifero uulnere Commium credebant ad-
fectum; Gallorum, quod insidiis cognitis plura, quam uidebant,
extimescebant. Quo facto statuisse Commius dicebatur numquam
in conspectum cuiusquam Romani uenire.

1 deductos *b*. intellere *m. pr. B*. 3 bonis *errore om. Graeu. u*. 5 sibi *om. b*. ipsi *om. c*. 6 deferunt *b*. 7 ciuitatium *A B C, non* ciuitatum. qui *B 'mss. 7'*. 8 euentus *b e*. 10 Titus *B*, T. *u*. 11 caeteriore *B*. conperisset *B*. 15 Gaium *B*, C. *u*. 16 conloqui *m. pr.*, conloquii *sec. B*. 17 idoneos *om. m. pr. b*, idoneos ei *om. a e*. tradit *B e 'omnes': in exempl. Fabr. ex A et* tradit *et* tradidit, *quod ante u legebatur, relatum est*. conloquium *B*. 18 et *om. e*. conuenerant *e*. arripuisset] et *add. A b c d e*. 19 uel insueta *Lipsius*, uelut insueta *codd*. permotus uel celeriter a familiaribus prohibitus Commii conficere hominem non potuit *B 'maxima mstorum turba'*: permotus uellet Commium conficere celeriter a familiaribus prohibitus Commii conficere hominem non potuit *b et, qui pro priore* conficere *habet* interficere, *c et, qui* celeriter *post* uellet *ponit et* Commii conficere hominem *omittit, e*. 21 caput *om. e And. Oxon*. percussit] uulnerauit *a e And. Oxon*. utrimque (*B*). destricti *A B C D e, non* districti. 23 adfectum *B*. 25 numquam *B*. 26 conspectu *e*.

Bellicosissimis gentibus deuictis Caesar, cum uideret nullam 24
iam esse ciuitatem, quae bellum pararet, quo sibi resisteret, sed
nonnullos ex oppidis demigrare, ex agris diffugere ad praesens
imperium euitandum, plures in partes exercitum dimittere consti-
tuit. M. Antonium quaestorem cum legione duodecima sibi con- 2
iungit. C. Fabium legatum cum cohortibus XXV mittit in diuer-
sissimam partem Galliae, quod ibi quasdam ciuitates in armis esse
audiebat neque C. Caninium Rebilum legatum, qui in illis regio-
nibus erat, satis firmas duas legiones habere existumabat. Titum 3
Labienum ad se euocat; legionem autem XV, quae cum eo fuerat
in hibernis, in togatam Galliam mittit ad colonias ciuium Roma-
norum tuendas, ne quod simile incommodum accideret decursione
barbarorum, ac superiore aestate Tergestinis acciderat, qui re-
pentino latrocinio atque impetu illorum erant oppressi. Ipse ad 4
uastandos depopulandosque fines Ambiorigis proficiscitur; quem
perterritum ac fugientem cum redigi posse in suam potestatem
desperasset, proximum suae dignitatis esse ducebat, adeo fines
eius uastare ciuibus, aedificiis, pecore, ut odio suorum Ambiorix,
si quos fortuna reliquos fecisset, nullum reditum propter tantas
calamitates haberet in ciuitatem. Cum in omnes partes finium 25
Ambiorigis aut legiones aut auxilia dimisisset atque omnia caedi-
bus, incendiis, rapinis uastasset, magno numero hominum inter-

1 uictis *b e*. 2 iam *om. b e*. bellum pararet *A b c d e*, bellum id pararet *B 'mss. 11'*. quo *A B d e*, quod *'plurimi' et sec. m. B*.
3 diffugere *B 'mss. 14'*, defugere *A e*. 5 M. *superducta linea B, om. A*. duodecima *B et sic 'uel* XII *mss. tantum non omnes' e*, undecima *P. Manutius u*. 6 G. *superducta linea B*. 7 Galliae partem *cum b Oxon. u*. 8 G. *linea superducta B*. in illis reg. erat *A B C D*, in illis reg. praeerat *d et omisso* in *b c e*. 9 existumabat *A B* (*is* exhist.) *C*. Titum (*B*), T. *u*. 10 uocat *b*. legionem autem *B et reliqui*, legionemque *b c d e*. XV *ego*; XII *codd.*, *sed* duodecimam (*B*). *P.* 117. fuerat hibernis *A*. 12 decursione *A* (*B*) *C e et 'multi ex meis'*, de incursione *b c d*. 13 superiori *A b*. acciderat *B 'mss. plerique'*, accideret *D*; accidisset *Aldus u*. qui] quod *D*.
14 latronicio *B*. impetu illorum *Vascosanus*; impetu incolae illorum *B et sic 'uel* in colle *uel* incole *ceteri'*, impetu eorum *b c d e. P.*114.
15 depopulandosque] oppugnandosque *b e*, oppugnandosque occupandos *d*. 16 praeterritum *A*. ac *'mss. tantum non omnes'*, atque (*B*).
17 educebat *A*. 19 reliquos fecisset *B edd. ante Ald.*, fecisset reliquos *Aldus u*. 20 habeat *b*. omnis *ex uno Oxon. u*. partes finium *A b c d e*; partes fines *B C D* (*is* finis), fines partium *a*. 21 dimississet *B*. atque *om. b e*.

fecto aut capto Labienum cum duabus legionibus in Treueros mit-
2 tit; quorum ciuitas propter Germaniae uicinitatem cotidianis exer-
citata bellis cultu et feritate non multum a Germanis differebat
26 neque imperata umquam nisi exercitu coacta faciebat. Interim
Gaius Caninius legatus, cum magnam multitudinem conuenisse
hostium in fines Pictonum litteris nuntiisque Durati cognosceret,
qui perpetuo in amicitia manserat Romanorum, cum pars quaedam
2 ciuitatis eius defecisset, ad oppidum Limonem contendit. Quo
cum aduentaret atque ex captiuis certius cognosceret multis ho-
minum milibus a Dumnaco, duce Andium, Duratium clausum Li-
mone oppugnari neque infirmas legiones hostibus committere au-
3 deret, castra posuit loco munito. Dumnacus, cum adpropinquare
Caninium cognosset, copiis omnibus ad legiones conuersis castra
4 Romanorum oppugnare instituit. Cum complures dies in oppugna-
tione consumpsisset et magno suorum detrimento nullam partem
munitionum conuellere potuisset, rursus ad obsidendum Limonem
27 redit. Eodem tempore C. Fabius legatus conplures ciuitates in
fidem recipit, obsidibus firmat litterisque Gai Canini Rebili fit cer-
tior, quae in Pictonibus gerantur. Quibus rebus cognitis profici-
2 scitur ad auxilium Duratio ferendum. At Dumnacus aduentu Fa-
bii cognito desperata salute, si tempore eodem coactus esset et
Romanum externum sustinere hostem et respicere ac timere oppi-

1 Treueros *B* '*mss. uetustiores*', *non* Treuir. 2 exercitata *e*, exercita *A B C D*. 4 umquam *B*. 5 Gaius *B*, C. *u*. Caninius] Rebilus *add. b c*. 6 Pectonum *B*. Durati *B e et* 'Duratii *uel potius* Durati *mss. per* t *hic et infra, non* c'. 7 qui — (9) cognosceret *om. e*. 7 manserat Romanorum *B* '*reliqui*', Romanorum permanserat *b c d*. cum *om. A*. 8 Limonem *ed. inc. a.* 1473, Lemonum *B* '*omnes uetustiores*' *u*. 10 a *A B C D*, *om. e*. 'Limone *aut* Lemone *uel* Lemonem *mss. tantum non omnes*', Limonem *B*, Libonae *D*; Lemonum *e*, Lemoni *u*. 12 posuit loco munito *B edd. ante Ald.*, munito loco posuit *Aldus u*. dum *C*. adpropinquare *B*. 13 cognosset *A B C D c*, cognoscet *e*; cognouisset *inuito Oud. u*. 14 plures *A*. oppugnationem *a c e*. 16 Limonem (*B*) *et sic* '*uel* Lemonem *alii*', Lemonum *D b c d u*. 17 rediit (*B*)? eo tempore *B e* '*mss.* 5'. G. *superducta linea B*. conplures *B*. 18 recepit *b*. Gai *B*, C. *u*; *om. e*. Canini *B e* '*mss. multi*', Caninii *u*. 'Rebili *uel* Reuili *uel* Rebilii *mss. fere omnes*', Reuili *B*; *om. e*. 19 quibus] his *b e*. 20 ad auxilii *A*; auxilia *omisso* ad, *ut uidetur*, *c*. Durati *A B C b c e*. 21 tempore eodem *B edd. ante u*, eodem tempore *sine annotatione u*. et Romanum et externum sustinere hostem *B et plerique*, et Romanum hostem et externum sustinere *a b c e*.

danos, repente ex eo loco cum copiis recedit nec se satis tutum
fore arbitratur, nisi flumine Ligeri, quod erat ponte propter ma-
gnitudinem transeundum, copias traduxisset. Fabius, etsi non- 3
dum in conspectum uenerat hostibus neque se Caninio coniunxe-
rat, tamen doctus ab iis, qui locorum nouerant naturam, potissi-
mum credidit hostes perterritos eum locum, quem petebant, petitu-
ros. Itaque cum copiis ad eundem pontem contendit equitatuque 4
tantum procedere ante agmen imperat legionum, quantum cum
processisset, sine defetigatione equorum in eadem se reciperet ca-
stra. Consecuntur equites nostri, ut erat praeceptum, inuadunt- 5
que Dumnaci agmen et fugientes perterritosque sub sarcinis in
itinere adgressi magna praeda multis interfectis potiuntur. Ita re
bene gesta se recipiunt in castra. Insequenti nocte Fabius equi- 28
tes praemittit sic paratos, ut confligerent atque omne agmen mo-
rarentur, dum consequeretur ipse. Cuius praeceptis ut res gere- 2
retur, Quintus Atius Varus, praefectus equitum, singularis et ani-
mi et prudentiae uir, suos hortatur agmenque hostium consecutus
turmas partim idoneis locis disponit, parte equitum proelium com-
mittit. Confligit audacius equitatus hostium succedentibus sibi 3
peditibus; qui toto agmine subsistentes equitibus suis contra no-
stros ferunt auxilium. Fit proelium acri certamine. Namque no- 4
stri contemptis pridie superatis hostibus, cum subsequi legiones
meminissent, et pudore cedendi et cupiditate per se conficiendi
proelii fortissime contra pedites proeliantur, hostesque nihil am- 5

1 ex eo *B 'mss. plerique'*, eo ex *u.* se *om. b.* 2 fore] furore *B.* arbitrabatur *b.* flumine Ligeri *B 'reliqui'*, flumen Ligerim *b c d e.* 4 conspectu *a c et secundum Achaintrium, cui Beyerlii silentium refragatur, B.* uenerat hostium *a,* hostium uenerat *b c e.* se Caninio *B 'mss.* 13'; secum Caninium *b,* se cum Caninio *e u.* 6 territos *b e.* eum locum *b c d e,* non eum locum *B 'reliqui'.* petebant *B et reliqui,* petebat *b e.* 7 equitatuque *ego,* equitatumque *codd. P.* 121. 9 defetigatione *B C D.* 10 consecuntur *B.* uti eis erat *C.* praeceptum] imperatum *b.* 11 in *e, om. B 'mss.* 12'. 12 adgressi *B.* ita (*B*) *'omnes'*, itaque *e.* 13 insequente *B 'mss.* 6'. 14 confligeret *b.* omne *om. e Oxon. cod. Vrs.* 16 Quintus *B b,* Q. *u.* Atius *Vrsinus;* Tatius *D,* Citatius *b c,* Titatius *B e* (*hic* — cius) *'reliqui'. Vid. b. ciu. III,* 37, 5. Varus] Durus *b.* 18 turbas *A.* parte *ego,* partim *codd. P.* 122. 19 confligit *B a e 'reliqui'*, consistit *And. Oxon. u.* audatius *B.* 20 subsistentes *b c d e,* subsistentibus *B 'reliqui'.* 22 superatis *Ciacconius,* superatisque *B e 'mss. plerique'.* 23 recedendi *m. pr. C.*

plius copiarum accessurum credentes, ut pridie cognouerant, de-
29 lendi equitatus nostri nancti occasionem uidebantur. Cum aliquam-
diu summa contentione dimicaretur, Dumnacus instruit aciem,
quae suis esset equitibus in uicem praesidio: cum repente confer-
2 tae legiones in conspectum hostium ueniunt. Quibus uisis percul-
sae barbarorum turmae ac perterritae acies hostium perturbato
impedimentorum agmine magno clamore discursuque passim fugae
3 se mandant. At nostri equites, qui paulo ante cum resistentibus
fortissime conflixerant, laetitia uictoriae elati magno undique cla-
more sublato cedentibus circumfusi, quantum equorum uires ad
persequendum dextraeque ad caedendum ualent, tantum eo proelio
4 interficiunt. Itaque amplius milibus XII aut armatorum aut eorum,
qui eo timore arma proiecerant, interfectis omnis multitudo capitur
30 impedimentorum. Qua ex fuga cum constaret Drappetem Seno-
nem, qui, ut primum defecerat Gallia, collectis undique perditis
hominibus, seruis ad libertatem uocatis, exulibus omnium ciuita-
tum ascitis, receptis latronibus impedimenta et commeatus Roma-
norum interceperat, non amplius hominum milibus ex fuga quinque
collectis prouinciam petere unaque consilium cum eo Lucterium
Cadurcum cepisse, quem superiore commentario prima defectione
2 Galliae facere in prouinciam uoluisse impetum cognitum est, Ca-
ninius legatus cum legionibus duabus ad eos persequendos conten-
dit, ne detrimento aut timore prouinciae magna infamia perditorum

1 credentes *om. A.* cognouerunt *B.* 2 nati *A*, nacti *reliqui.* 3 summe *m. pr. B.* 4 cum *B et reliqui*, tum *b c d e.* 5 conspectu *c.* uenerunt *b c, non e.* 6 ac (*B*) *et reliqui, om. b d e.* perterrita *b d e.* 7 impeditorum agmine *b*, agmine impedimentorum *e.* magno *om. d e.* 8 mendant *m. pr. B.* 12 milibus] passuum *add. B 'mss. 9'.* duodecim (*B*). aut *ante* armatorum *om. b e.* 13 eo *B 'reliqui', om. b c d e.* timore *b c d e*, tempore *B 'reliqui'.* 14 dum *b.* Drappetem *A B C D;* Drappen *a*, Drappeten *u cum hac annotatione: 'sic mss. constanter, non* Drapetem, *et in nominatiuo* Drappes *cett., nisi quod b c d' (itemque e et Orosius VI,* 11) 'Draptes, Draptis *in gen. et in accus.* Drapten *perpetuo; in b tamen aliquando* Diraptes'. 16 exulibus omnibus omnium *a b e.* ciuitatium *ex uno And. u.* 17 ascitis *A b c d e, om. B C D.* latronibus *A b c d e,* latrociniis *B C D.* comitatus *a d e et int. uers. b.* 18 hominibus *b c, non e.* milibus ex fuga quinque *B edd. ante Ald.* (*hae* v); duobus milibus ex fuga quinque *A*, duobus milibus ex fuga *e And. Oxon.* 21 uoluisse impetum *B edd. ante Ald.*, impetum uoluisse *Aldus u.* 23 ne detrimento aut timore *A B c 'uetustissimi' et cum litura post* ne *e* (timore aut detrim. *alii Oud.*), ne de detrimento aut timore *And. Oxon. u.* proditorum *b.*

hominum latrociniis caperetur. Gaius Fabius cum reliquo exercitu 31
in Carnutes ceterasque proficiscitur ciuitates, quarum eo proelio,
quod cum Dumnaco fecerat, copias esse accisas sciebat. Non 2
enim dubitabat, quin recenti calamitate summissiores essent futu-
rae, dato uero spatio ac tempore eodem instigante Dumnaco pos-
sent concitari. Qua in re summa felicitas celeritasque in recipien- 3
dis ciuitatibus Fabium consequitur. Nam Carnutes, qui saepe ue-
xati numquam pacis fecerant mentionem, datis obsidibus ueniunt
in deditionem, ceteraeque ciuitates positae in ultimis Galliae fini- 4
bus, Oceano coniunctae, quae Armoricae appellantur, auctoritate
adductae Carnutum aduentu Fabii legionumque imperata sine mo-
ra faciunt. Dumnacus suis finibus expulsus errans latitansque so- 5
lus extremas Galliae regiones petere est coactus. At Drappes 32
unaque Lucterius, cum legiones Caniniumque adesse cognoscerent
nec se sine certa pernicie persequente exercitu putarent prouin-
ciae fines intrare posse nec iam libere uagandi latrociniorumque
faciendorum facultatem haberent, in finibus consistunt Cadurco-
rum. Ibi cum Lucterius apud suos ciues quondam integris rebus 2
multum potuisset, semperque auctor nouorum consiliorum magnam
apud barbaros auctoritatem haberet, oppidum Vxellodunum, quod
in clientela fuerat eius, egregie natura loci munitum, occupat suis
et Drappetis copiis oppidanosque sibi coniungit. Quo cum confe- 33
stim Gaius Caninius uenisset animaduerteretque omnes oppidi par-
tes praeruptissimis saxis esse munitas, quo defendente nullo tamen
armatis ascendere esset difficile, magna autem impedimenta oppi-
danorum uideret, quae si clandestina fuga subtrahere conarentur,
effugere non modo equitatum, sed ne legiones quidem possent,

1 Gaius *B*, C. *u*. 2 Carnotes '*b semper*'. 3 accisas *A B C c*, occisas *D*; accitas *e*, ascitas *b*. 4 summissiores *B*, *non* subm. 5 instigante *A B* '*reliqui*', instante *b c d e*. 6 cumcitari *B*. 8 numquam *B*, *non* nunq. 10 Oceanoque *e Oxon*. 16 nec tam *B et aliquot Oud*. libere *A B* '*ceteri*', liberam *a b c e*. latrociniorumque faciendorum *A B b c* '*ceteri*', latrocinandique *a e*. 17 in finibus consistunt *A et, qui* constituunt, *B C D* (*sed de D et illud et* consistere *in eo legi Oud. tradit*); consistunt in finibus *b c*, consistunt in agris *a e*. 19 *post* auctor *add*. esset *c d idemque post* nouorum *e et post* consiliorum *b*.
20 Vx l dunum, *priori lacunae* el *et alteri* u *sec. m. suprascriptis*, *B*; Auxilio demum *A C D b c d*; Veludunum *sec. m. C*, *et hoc atque similia ap. Orosium in codd. Hauercampi leguntur*, Velotunum *in Portensi*.
21 egregie natura loci *A B C D*, natura loci egregie (*e*) *u*. 22 festim *m. pr. B*. 23 Gaius *B*, C. *u*. aduerteretque *b*. 24 quo (*B*) *b c d e*, quod '*mss. plurimi*'. 25 ascendere *B*.

2 tripertito cohortibus diuisis trina excelsissimo loco castra fecit; a
quibus paulatim, quantum copiae patiebantur, uallum in oppidi
34 circuitum ducere instituit. Quod cum animaduerterent oppidani
miserrimaque Alesiae memoria solliciti similem casum obsessionis
uererentur, maximeque ex omnibus Lucterius, qui fortunae illius
periculum fecerat, moneret frumenti rationem esse habendam, con-
stituunt omnium consensu parte ibi relicta copiarum ipsi cum expe-
2 ditis ad importandum frumentum proficisci. Eo consilio probato
proxuma nocte duobus milibus armatorum relictis reliquos ex op-
3 pido Drappes et Lucterius educunt. Hi paucos dies morati ex fini-
bus Cadurcorum, qui partim re frumentaria subleuare eos cupie-
bant, partim prohibere, quo minus sumerent, non poterant, ma-
gnum numerum frumenti conparant, nonnumquam autem expedi-
4 tionibus nocturnis castella nostrorum adoriuntur. Quam ob cau-
sam Gaius Caninius toto oppido munitiones circumdare moratur,
ne aut opus effectum tueri non possit aut plurimis in locis infirma
35 disponat praesidia. Magna copia frumenti comparata considunt
Drappes et Lucterius non longius ab oppido X milibus, unde pau-
2 latim frumentum in oppidum subportarent. Ipsi inter se prouincias
partiuntur: Drappes castris praesidio cum parte copiarum restitit;
3 Lucterius agmen iumentorum ad oppidum ducit. Dispositis ibi
praesidiis hora noctis circiter decima siluestribus angustisque iti-
4 neribus frumentum inportare in oppidum instituit. Quorum stre-
pitum uigiles castrorum cum sensissent, exploratoresque missi,
quae gererentur, renuntiassent, Caninius celeriter cum cohortibus
armatis ex proximis castellis in frumentarios sub ipsam lucem im-
5 petum fecit. Ii repentino malo perterriti diffugiunt ad sua praesi-
dia; quae nostri ut uiderunt, acrius contra armatos incitati nemi-

1 tripertito *B, non* tripart. excelsissimo *de*, celsissimo *B 'reliqui'*; excellentissimo *b c*. facit *e Oxon*. 3 animum aduerterent *ex uno And. u*. 4 soliciti *ante corr. B*. causam *A*. obsidionis *b*. 5 ilius *ante corr. B*. 7 ibi *om. b*. 8 comportandum *b*. 9 proxuma *A*. 10 hi *B edd. ante Ald.*, ii *Aldus u*. 11 eos *om. C*. 13 conparant *B*. nonnumquam *B*. 15 Gaius *B*, C. *u*. moratur] conatur *b e*. 16 possit *b c d e*, posset *B 'reliqui'*. *P*. 84. plurimis locis *b*, pluribus locis *e*. 17 considet *B 'mss. 10'*. 18 non] nec *C*. longe *b*. decem (*B*). 19 subportarent *B*. 20 patiuntur *B*. 21 ad] in *a b e*. ducit *B 'reliqui'*, duxit *e*; adducit *a et*, *'nisi excerpta fallunt, c d'*. 23 inportare *B*. 25 gererentur *B C b e et sec. m. ? A*, agerentur *u*. cum *om. b e*. 27 facit *b e*. ii] in *B C*. 28 nostri] nihil *m. pr. B*. uidere *b Oxon*.

nem ex eo numero uiuum capi patiuntur. Profugit inde cum pau-
cis Lucterius nec se recipit in castra. Re bene gesta Caninius ex 36
captiuis comperit partem copiarum cum Drappete esse in castris a
milibus longe non amplius XII. Qua re ex compluribus cognita,
cum intellegeret fugato duce altero perterritos reliquos facile op-
primi posse, magnae felicitatis esse arbitrabatur neminem ex caede
refugisse in castra, qui de accepta calamitate nuntium Drappeti
perferret. Sed in experiundo cum periculum nullum uideret, equi- 2
tatum omnem Germanosque pedites, summae uelocitatis homines,
ad castra hostium praemittit; ipse legionem unam in trina castra
distribuit, alteram secum expeditam ducit. Cum propius hostis 3
accessisset, ab exploratoribus, quos praemiserat, cognoscit castra
eorum, ut barbarorum fere consuetudo est, relictis locis superio-
ribus ad ripas fluminis esse demissa; at Germanos equitesque in-
prudentibus omnibus de inprouiso aduolasse proeliumque commi-
sisse. Qua re cognita legionem armatam instructamque adducit. 4
Ita repente omnibus ex partibus signo dato loca superiora capiun-
tur. Quod ubi accidit, Germani equitesque signis legionis uisis
uehementissime proeliantur. Confestim cohortes undique impetum 5
faciunt omnibusque aut interfectis aut captis magna praeda potiun-
tur. Capitur ipse eo proelio Drappes. Caninius felicissime re ge- 37
sta sine ullo paene militis uulnere ad obsidendos oppidanos reuer-
titur externoque hoste deleto, cuius timore antea diuidere praesi- 2
dia et munitione oppidanos circumdare prohibitus erat, opera un-
dique imperat administrari. Venit eodem cum suis copiis postero 3
die Gaius Fabius partemque oppidi sumit ad obsidendum.

1 profugit *B 'ceteri'*, effugit *c e*. 4 longe *ante* non *collocaui, quod in B et reliquis post eam uocem legitur, in b c d e omittitur.* re *om. B 'mss. 4'.* pluribus *b*. 5 perterreri reliquos facile et opprimi *b e* (*pro* facile *ante corr.* facere *B*). 6 infelicitatis *Dauisius: tu sequentia sic explica:* si nemo — refugisset. nemines *A*. ex caede fugisse *C*; ex caede refugere *b c*, excedere fugere *e*. 8 referret *b*. 9 uelocitatis] felicitatis *A*. homines *B C D a b c e u* (*fuerat* omnes). 10 in trina *a e*, intra *B et reliqui plerique.* 11 proprius *B*. hostis *A B C D*, hostes *e 'reliqui'*. 13 fere consuetudo est *B e 'reliqui'*, fert consuetudo *cum And. Oxon. u*. 14 dimissa *b e*. equitesque (*B*) *C D*, equites *A b e*. inprudentibus *B*. 15 omnibus] hominibus *b c e*. inprouiso *B*. proeliumque *B e 'mss. plerique'*, et proelium *u*. commississe *B*. 18 equitesque (*B*) *C D*, equites *A b d e*. 22 poene *B*. 23 antea diuidere *A B d 'reliqui'*; diuire *uel* diuire *e*, augere *And. Oxon. et sec. m. d, et hi et e omisso* antea. 26 Gaius *B*, C. *u*.

38 Caesar interim M. Antonium quaestorem cum cohortibus XV
in Bellouacis relinquit, ne qua rursus nouorum consiliorum capien-
2 dorum Belgis facultas daretur. Ipse reliquas ciuitates adit, obsi-
des plures imperat, timentes omnium animos consolatione sanat.
3 Cum in Carnutes uenisset, quorum in ciuitate superiore commen-
tario Caesar exposuit initium belli esse ortum, quod praecipue eos
propter conscientiam facti timere animaduertebat, quo celerius ci-
uitatem timore liberaret, principem sceleris illius et concitatorem
4 belli, Gutruatum, ad supplicium depoposcit. Qui etsi ne ciuibus
quidem suis se committebat, tamen celeriter omnium cura quaesi-
5 tus in castra perducitur. Cogitur in eius supplicium Caesar contra
suam naturam concursu maximo militum, qui omnia pericula et
detrimenta belli Gutruato accepta referebant, adeo ut uerberibus
39 exanimatum corpus securi feriretur. Ibi crebris litteris Caninii
fit certior, quae de Drappete et Lucterio gesta essent, quoque in
2 consilio permanerent oppidani. Quorum etsi paucitatem contemne-
bat, tamen pertinaciam magna poena esse adficiendam iudicabat,
ne uniuersa Gallia non sibi uires defuisse ad resistendum Roma-
nis, sed constantiam putaret, neue hoc exemplo ceterae ciuitates
3 locorum opportunitate fretae se uindicarent in libertatem, cum
omnibus Gallis notum esse sciret reliquam esse unam aestatem
suae prouinciae, quam si sustinere potuissent, nullum ultra peri-
4 culum uererentur. Itaque Q. Calenum legatum cum legionibus

1 xII *m. pr. A*. 2 Bellouacis] Belgis *B* '*mss.* 9'. relinquit *B* '*mss.* 9', reliquit *u*. capiendorum Belgis] ad capiendum bellum *a e*. 5 in *post* cum *om. A*. quorum in ciuitate *B* '*ceteri*', quorum consilio in ciuitate *d e*. 7 conscientia *B*. animum aduertebat *ex solis And. Oxon. u*. quod celerius *D*. 8 timore *B* '*reliqui*', metu *b c d e*. 9 Gutruatum *d* '*plerique meliores*'; Gutruatium *A*, Gutuatrum *B*; Guttruatum *e et praemisso* M. *b*, M. Gutirnatum *c*. *P*. 87. depoposcit *B C D b* '4 *alii*', deposcit *u*. nec ciuibus *A*. 10 suis *om. A e*. 11 producitur *b c*, *non e*. supplicio *e*. 12 suam naturam *A B C D* '*mss. quidd.*', naturam suam (*e*) *u*. concursu maximo militum *B* '*mss. quidd.*', maximo militum concursu *u*. qui omnia *B et reliqui*; qui ei omnia *A b*, qui et omnia *e*. 13 belli] a *add. codd., quod deleuit Vascosanus*. Gutruato *hic A B C b d*. accepto *B*. 14 fereretur *B*. Canini '*mss. multi*'. 15 quoque in] et in quo *b e*. 17 pertinatiam *B*. magnam *C*. adficiendam *B*. iudicabit *sec. m. B*, iudicauit *C*. 18 non ibi uires defuisse *B C D*, non uires sibi defuisse *e*; non defuisse uires sibi *u cum hac annotatione*: '*sic mss., non* u. sibi d.; def. ibi *mss.* 9'. '*Hic autem desinit manus uetusta A*'. *P*. 39. 21 esse *om. e Oxon*. 23 Quintum *sec. m. B*. legionibus *B et reliqui*, legionibus duabus *b c d e*.

reliquit, qui iustis itineribus subsequeretur; ipse cum omni equitatu
quam potest celerrime ad Caninium contendit.
Cum contra expectationem omnium Caesar Vxellodunum ue- 40
nisset oppidumque operibus clausum animaduerteret neque ab op-
pugnatione recedi uideret ulla condicione posse, magna autem co-
pia frumenti abundare oppidanos ex perfugis cognosset, aqua pro-
hibere hostem temptare coepit. Flumen infimam uallem diuidebat, 2
quae totum paene montem cingebat, in quo positum erat praeru-
ptum undique oppidum Vxellodunum. Hoc auertere loci natura 3
prohibebat: in infimis enim sic radicibus montis ferebatur, ut nul-
lam in partem depressis fossis deriuari posset. Erat autem oppi- 4
danis difficilis et praeruptus eo descensus, ut prohibentibus nostris
sine uulneribus ac periculo uitae neque adire flumen neque arduo
se recipere possent ascensu. Qua difficultate eorum cognita Cae- 5
sar sagittariis funditoribusque dispositis, tormentis etiam quibus-
dam locis contra facillimos descensus conlocatis aqua fluminis pro-
hibebat oppidanos. Quorum omnis postea multitudo aquatorum 41
unum in locum conueniebat sub ipsius oppidi murum, ubi magnus
fons aquae prorumpebat ab ea parte, quae fere pedum CCC inter-
uallo fluminis circuitu uacabat. Hoc fonte prohiberi posse oppida- 2
nos cum optarent reliqui, Caesar unus uideret, e regione eius ui-
neas agere aduersus montem et aggerem instruere coepit magno
cum labore et continua dimicatione. Oppidani enim loco superiore 3

1 reliquit *'mss. longe plurimi'*, reliquid *B*; relinquit *e u*. subsequeretur *'reliqui'*, se subsequeretur (*B*) *? b c d e*. 3 (expectationem *B*) exspectationes *D*. Vxelludonum *cum* u *super* o *sec. m. posita B*, Vselludonum *C*, Vsellodunum *b*; Auxiliodunum *sec. m. D*. 4 animum aduerteret *ex uno Oxon. u*. 5 conditione (*B*). 6 profugis *b*. cognosset *B C D*, cognouisset *e*; conuenisset *A*. 7 temptare *int. uers. b*. 9 Vxellodonum *cum* u *super* lo *sec. m. posita B*; *C et b, ut supra*. hoc auertere (*B*) *et reliqui*; flumen auerti *e And. Oxon. et, ni fallor, a, de quo tacens Achaintrius in B Oudendorpii coniecturam* hoc flumen auerti *legi narrat*. 10 in infimis enim sic *B 'reliqui'*, sic enim imis (*sine* in) *a e*. 11 depraessis *B*. possit *e Oxon*. 12 descensos *ante corr. B*. 14 ascensu *B*. 16 conlocatis *B*. 17 aquatorum *B C D b c d e*, aquatum *u*. 18 sub ipsius oppidi murum, ubi magnus (*B*) *C D*; sub ipsius enim oppidi murum magnus *c d et, qui* muro, *b et, qui* ipsum, *e*. 19 aquae *B C D, om. e*. pede *B C D*. trecentorum (*B*). 20 *ante* fluminis *add.* a *c e*. circumitu *A*. 21 uideret *B C a b c d e*; uideret, quanto cum periculo id fieret *D*; uideret non sine magno periculo *u*. e *om. B 'mss. 6'*. 22 aduersus] contra *e And. Oxon*. aggerem instruere *B 'reliqui'*, aggeres struere *b c d e*. magno cum labore] cum magna *b c d e*. 23 enim] uero *b c*. superiori *b*.

decurrunt et eminus sine periculo proeliantur multosque pertina-
citer succedentes uulnerant; non deterrentur tamen milites nostri
uineas proferre et labore atque operibus locorum uincere difficul-
4 tates. Eodem tempore cuniculos tectos ab uineis agunt ad caput
fontis; quod genus operis sine ullo periculo, sine suspicione hosti-
5 um facere licebat. Extruitur agger in altitudinem pedum sexaginta,
conlocatur in eo turris decem tabulatorum, non quidem quae moe-
nibus aequaret (id enim nullis operibus effici poterat), sed quae
6 superare fontis fastigium posset. Ex ea cum tela tormentis iace-
rentur ad fontis aditum, nec sine periculo possent aquari oppidani,
non tantum pecora adque iumenta, sed etiam magna hostium mul-
42 titudo siti consumebatur. Quo malo perterriti oppidani cupas seuo,
pice, scandulis complent; eas ardentes in opera prouoluunt eodem-
que tempore acerrime proeliantur, ut ab incendio restinguendo

1 decurrunt et *B et reliqui, in quibus tamen secundum parum accuratam Oudendorpii annotationem* et *omitti existimandum esset;* decurrentes *c d e,* discurrentes *b.* eminus *B c d et reliqui, om. b e.* proeliantur — uulnerant; non deterrentur tamen *B et reliqui:* proeliabantur — uulnerabant, ut tamen non deterrerentur *c d et, qui* terrerentur, *b e.* 3 et labore *om. a b c e.* locorum uincere (*B*) *edd. ante u,* uincere locorum *sine annotatione u.* 4 cuniculos tectos *B edd. ante Ald.,* tectos cuniculos *Aldus u.* ab uineis agunt ad caput *Dauisius,* ad uineas agunt et caput *B* (*is* capud) *e 'mss. 12 uel plures'; agunt ad caput And. Oxon. et pro uar. lect. e,* ad aggeres ac uineas agunt ad caput *A.* 5 periculo, sine *B 'mss.* 10' *et* etiam *post* sine *addito D;* periculo et sine *u.* suspicione] susceptione *B C.* 6 extruitur (*B*). pedes *B 'mss.* 11'. sexaginta *Orosius VI,* 11 *et* LX *in marg. pro uar. lect. e;* sex *B et sic uel* VI *e 'reliqui';* IX *ex And. Oxon. u. P.* 39. 7 conlocatur *B.* tabularum *m. pr. B.* quidem *om. e And. Oxon.* 8 aequaret *B C, idque legisse Orosius uidetur* (*uid. seq. annot.*)*;* adaequaret *b c e u* (*fuerat* aequaretur). *Cic. off. I,* 1, 3. 9 superare fontis fastigium posset *B* (*is* suparare) *reliqui;* superaret fontis fastigium *e And. Oxon. cod. Urs. et, ut puto, a, ex quo Achaintrius de B tacens alteram scripturam retulit. Codd. Orosii:* extruitur agger et turris pedum sexaginta, cuius uertex aequare ad fontis locum possit; *quae Hauercampus sua coniectura mutauit. Vid. Grubitz. emend. Oros. p.* 36. 10 aditum *B 'mss. plerique',* aditus *e And. Oxon.* possent aquari *B 'ceteri';* possent adaquari *b c d,* adaquarentur *e* (*is* adeq.) *And. Oxon.,* adaquaretur *a.* 11 adque *B, non* atque. magna *om. e And. Oxon.* hostium multitudo *B edd. ante Ald. et, qui* mult. hostium *?, 'mss.* 10'; hominum multitudo *e u. Orosius:* oppidani autem, ubi exanimari siti non solum pecora sua, uerum etiam infirmiores hominum aetates uident *cett.* 12 sibi *C et sec. m. B.* sebo *D.* 13 scindulis *ex aliquot dett. et codd. Orosii u.* implet et eas ardentes (*an* eas *om.?*) *b,* completas et ardentes *e And. Oxon.* eodemque *B 'mss.* 8', eodem *u.*

dimicationis periculo deterreant Romanos. Magna repente in ipsis 2
operibus flamma extitit. Quaecumque enim per locum praecipitem
missa erant, ea uineis et aggere suppressa conprehendebant id
ipsum, quod morabatur. Milites contra nostri, quamquam pericu- 3
loso genere proelii locoque iniquo premebantur, tamen omnia for-
tissimo sustinebant animo. Res enim gerebatur et excelso loco et 4
in conspectu exercitus nostri, magnusque utrimque clamor orieba-
tur. Ita quisque, ut erat maxime insignis, quo notior testatiorque
uirtus esset eius, telis hostium flammaeque se offerebat. Caesar 43
cum conplures suos uulnerari uideret, ex omnibus oppidi partibus
cohortes montem ascendere et simulatione moenium occupandorum
clamorem undique iubet tollere. Quo facto perterriti oppidani, 2
cum, quid ageretur in locis reliquis, essent suspensi, reuocant ab
impugnandis operibus armatos murisque disponunt. Ita nostri fine 3
proelii facto celeriter opera flamma conprehensa partim restin-
guunt, partim interscindunt. Cum pertinaciter resisterent oppidani, 4
magna etiam parte amissa siti suorum in sententia permanerent,
ad postremum cuniculis uenae fontis intercisae sunt adque auersae.
Quo facto repente perennis exaruit fons tantamque attulit oppida- 5
nis salutis desperationem, ut id non hominum consilio, sed deorum
uoluntate factum putarent. Itaque se necessitate coacti tradide-
runt. Caesar, cum suam lenitatem cognitam omnibus sciret neque 44

1 dimicationis periculo *B 'ceteri'*, dimicatione et periculo *e And. Oxon. cod. Vrs.* deterrerentur Romani *And. cod. Vrs. et inuerso ordine e.* in] ex *A.* 2 extitit *B.* quaecumque (*B*), *non* — cunque. locum *om. A.* 3 conprehendebant *B.* 5 praemebantur *B.* fortissimo *B e 'reliqui'*, paratissimo *And. Oxon. et in marg. e.*
6 et *ante* excelso *om. b.* 7 magnus *b.* 8 ita quisque, ut erat *ego*, ita quisque poterat *B 'mss.* 6'; ita ut quisque poterat *'mss. multi'* (poterat *om. D*), ita quam quisque poterat *a b c e. P.* 122. 9 esset eius *B edd. ante Ald.*, *et* ' eius *locum uariat in mss. fere omnibus'*; eius esset *Aldus u.* offerebant *ex* 2 *dett. et A u.* 10 conplures *B.*
11 ascendere *B.* moeniorum *b.* 12 attollere *b.* territi *b e.*
13 suspensi *B C D b c d e*, ignari *And. Oxon. et in marg. e.*
15 opera *om. b.* (conprehensa *B*) compressa *b.* 17 magna etiam *B e 'mss. mei omnes'*, et iam magna *cod. Vrs. u.* amissa siti suorum *B 'plerique'*, suorum siti amissa *e u.* permanerent *e And. Oxon. et 'm. pr. uetusta, quae hic rursus apparet'* (*at uid. P.* 39) *A*; permanebant *B et reliqui* (*apud Oud.* permaneant *errore scriptum est*).
18 adque *B.* 19 facto *om. D.* repente perennis exaruit fons tantamque *B C D A et, qui m. pr.* tantam, *b*; repente fons perennis exhaustus tantam *e And. Oxon.* 21 se necessitate coacti *B edd. ante Ald.*, necessitate coacti se *Aldus u.* 22 Caesar] itaque *add. C et sec. m. sup. uers. B.*

uereretur, ne quid crudelitate naturae uideretur asperius fecisse,
neque exitum consiliorum suorum animaduerteret, si tali ratione
diuersis in locis plures consilia inissent, exemplo supplicii deter-
rendos reliquos existimauit. Itaque omnibus, qui arma tulerant,
manus praecidit uitamque concessit, quo testatior esset poena im-
2 proborum. Drappes, quem captum esse a Caninio docui, siue in-
dignitate et dolore uinculorum siue timore grauioris supplicii pau-
3 cis diebus cibo se abstinuit atque ita interiit. Eodem tempore Lu-
cterius, quem profugisse ex proelio scripsi, cum in potestatem ue-
nisset Epasnacti Aruerni (crebro enim mutandis locis multorum
fidei se committebat, quod nusquam diutius sine periculo commoratu-
rus uidebatur, cum sibi conscius esset, quam inimicum deberet Cae-
sarem habere), hunc Epasnactus Aruernus, amicissimus populi
Romani, sine dubitatione ulla uinctum ad Caesarem deduxit.

45 Labienus interim in Treueris equestre proelium facit secun-
dum conpluribusque Treueris interfectis et Germanis, qui nullis
aduersus Romanos auxilia denegabant, principes eorum uiuos red-
2 igit in suam potestatem atque in his Surum Haeduum, qui et uir-
tutis et generis summam nobilitatem habebat solusque ex Haeduis
46 ad id tempus permanserat in armis. Ea re cognita Caesar, cum
in omnibus partibus Galliae bene res geri uideret iudicaretque
superioribus aestiuis Galliam deuictam subactamque esse, Aquita-
niam numquam adisset, per Publium Crassum quadam ex parte

2 consilii sui *b e.* 3 consilia inissent *B 'ceteri'*, rebellare coepissent *e Oxon. et pro uar. lect. c.* 5 uitamque *B 'reliqui'*, uitam *b e. Orosius:* Caesar autem omnibus, qui arma tulerant, manus sustulit et uitam reliquit, quo testatior esset etiam posteris poena improborum. 6 indignitate *B C D a b c e A,* indignatione *d And. Oxon.* 7 et dolore *om. a b c d e A.* paucis diebus *om. b.* 8 cibo se *B 'reliqui'*, se cibo *e et inuito Oud. u.* 9 exscripsi *D.* 10 mutatis *b.* 12 Caesar *b.* 15 Treueris *B, non* Treuir. facit secundum *B 'mss. multi'*, secundum facit *u.* 16 compluribus et Treu. et Germanis interfectis *b et, qui* etiam *pro priore* et, *e* (conpl. *et* Treueris *B*). nullis *B 'reliqui'*, nulli *b e. Vid. Nep. Them.* 4, 1. 17 denegebant *m. pr. B.* redigit in suam potestatem *B C D e A;* in suam redegit potestatem *u, sed* redigit *'mss. mei praeter b c d' et 'plerique ordinem mutant* redigit in suam pot.' 18 his *B edd. ante Ald.,* iis *Aldus u.* uirtutem *B C.* 21 in *om. b.* partibus Galliae (*B*) *edd. ante u,* Galliae partibus (*e*) *et sine annotatione u.* geri *B 'mss.* 11', gestas *e u.* 22 aestiuis] bellis *D.* subactamque *B 'reliqui'*, et subactam *b c d e.* 23 numquam *B, non* nunq. adisset *B 'reliqui'*, ipse adisset *e And. Oxon. A.* per *B 'plerique'*, sed per *e u.* Publium *B,* P. *u.*

deuicisset, cum duabus legionibus in eam partem Galliae est pro-
fectus, ut ibi extremum tempus consumeret aestiuorum. Quam 2
rem sicuti cetera celeriter feliciterque confecit. Namque omnes
Aquitaniae ciuitates legatos ad Caesarem miserunt obsidesque ei
dederunt. Quibus rebus gestis ipse equitum praesidio Narbonem 3
profectus est, exercitum per legatos in hiberna deduxit: quattuor 4
legiones in Belgio conlocauit cum M. Antonio et C. Trebonio et
P. Vatinio legatis, duas legiones in Haeduos deduxit, quorum in
omni Gallia summam esse auctoritatem sciebat, duas in Turonis
ad fines Carnutum posuit, quae omnem illam regionem coniunctam
Oceano continerent, duas reliquas in Lemouicum finibus non longe
ab Aruernis, ne qua pars Galliae uacua ab exercitu esset. Paucos 5
dies ipse in prouincia moratus, cum celeriter omnes conuentus per-
cucurrisset, publicas controuersias cognosset, bene meritis prae-
mia tribuisset (cognoscendi enim maximam facultatem habebat, 6
quali quisque fuisset animo in totius Galliae defectione, quam
sustinuerat fidelitate atque auxiliis prouinciae illius), his confectis
rebus ad legiones in Belgium se recipit hibernatque Nemetocennae.
Ibi cognoscit Commium Atrebatem proelio cum equitatu suo conten- **47**
disse. Nam cum Antonius in hiberna uenisset, ciuitasque Atreba- 2
tum in officio esset, Commius, qui post illam uulnerationem, quam
supra commemoraui, semper ad omnes motus paratus suis ciuibus

1 Galliae *B 'mss. longe plurimi', om. eu.* 2 ut ibi *B A 'reliqui'*, ubi *e Oxon.* 3 sicuti *B e 'mss. plerique'*, sicut *u.* caetera (*B*). 4 ad Caesarem *B 'reliqui'*, ad eum *b c d e.* 5 equitum praesidio *B 'plerique'*; cum equitum praesidio *a* (*is* equitatum) *b* (*hic* equitatus) *c d*, cum praesidio equitum *e.* Narbonam *b c e A.* 6 quattuor *B*, *non* quatuor. 7 conlocauit *B.* Marco *sec. m. B.* G. *suprasc. sec. m.* aio *B.* 8 Publio *sec. m. B.* Vatinio legatis *B 'mss. plerique'*; Vatinio Tullio legatis *b c e* (*is* legato, *ut 'mss.* 5'), Vatinio et Q. Tullio legatis *Aldus u.* legiones *B 'mss. plurimi', om. e u.* Haeduis *a b c* (Heduos *e*). deduxit *B C A,* dedit *D;* constituit *a b c e,* misit *cum And. Oxon. u.* 9 Turonis *b c d e;* Turones *'reliqui'*, Torones *B.* 10 illam *B C D A, om. e u.* 11 finibus (*B*) *A 'reliqui'*, fines *b c d e.* 12 ipse paucos dies *b e.* 13 percurrisset *b.* 14 cognosset *D A,* cognoscet *B,* cognosceret *C;* cognouisset (*e*) *u.* 15 habuerat *b e.* 16 fuisset animo in tot. Gall. def. *B 'plerique'*; animo in rempublicam fuisset tot. Gall. def. *c d et, qui* republica, *b et, qui* R. P., *e.* 17 his *e, om. B C D.* confectis rebus *B edd. ante Ald.*, rebus confectis *e Aldus u:* 'rebus confectis *uel* confectis rebus *plerique*'. 18 recepit *b e.* hibernauitque *e A,* hiemauitque *b.* Nemotocennae *b.* 20 Adrebatum *B.* 21 in *om. b.* esset *B 'reliqui'*, maneret *b c d e.* 22 commemoraui *'mss. fere omnes'*, commemorauimus (*B*) ? *e.*

esse consuesset, ne consilia belli quaerentibus auctor armorum
duxque deesset, parente Romanis ciuitate cum suis equitibus latro-
ciniis se suosque alebat infestisque itineribus commeatus complu-
res, qui conportabantur in hiberna Romanorum, intercipiebat.
48 Erat attributus Antonio praefectus equitum C. Volusenus Quadra-
tus, qui cum eo hibernaret. Hunc Antonius ad persequendum equi-
2 tatum hostium mittit. Volusenus ad eam uirtutem, quae singularis
erat in eo, magnum odium Commii adiungebat, quo libentius id
faceret, quod imperabatur. Itaque dispositis insidiis saepius equi-
3 tes eius adgressus secunda proelia faciebat. Nouissime, cum ue-
hementius contenderetur, ac Volusenus ipsius intercipiendi Com-
mii cupiditate pertinacius eum cum paucis insecutus esset, ille au-
tem fuga uehementi Volusenum produxisset longius, inimicus ho-
mini suorum inuocat fidem atque auxilium, ne sua uulnera per fidem
inposita paterentur inpunita, conuersoque equo se a ceteris in-
4 cautius permittit in praefectum. Faciunt hoc idem omnes eius equi-
5 tes paucosque nostros conuertunt atque insequuntur. Commius
incensum calcaribus equum coniungit equo Quadrati lanceaque in-
6 festa magnis uiribus medium femur traicit Voluseni. Praefecto
uulnerato non dubitant nostri resistere et conuersis equis hostem
7 pellere. Quod ubi accidit, conplures hostium magno nostrorum im-

1 esset *m. pr. B.* querentibus *B.* 2 Romanis] sibi omni *D.* latrociniis se suosque *B C D A,* se suosque latrociniis (*e*) *u.* 4 (conportabantur *B*) portabantur *m. pr. b.* 5 C. Volusenus Quadratus *ante* hunc (6) *ponunt b c d e* (G *suprasc. sec. m.* aius *B*). 6 hibernaret *B 'reliqui',* biemaret *b c d e.* equitatum hostium (*B*) *edd. ante u,* hostium equitatum (*e*) *u.* 7 Volusenus ad *B e 'ceteri',* Volusenus autem ad *d And. Oxon.* eam] partis *add. a b c,* partem *add. e.* quae] qui *b.* 8 erat in eo *B 'mss. plerique',* in eo erat *u.* quod libentius *B C D.* 9 imperabatur] iniungebatur *b.* equites eius *B Gualtherianus Stephanus,* eius equites *Aldus u.* 10 adgressus *B.* 13 produxisset longius (*B*) *C D A,* longius produxisset (*e*) *u.* inimicus homini *B* (*is* inimicos) *C* (*hic* tum *praemittit?*) *D a b c d e, om. aliquot dett. u. P.* 122. 14 *ante* suorum *add.* omnium *a b,* repente omnium *c d e,* repente *A.* per fidem inposita *Gruterus,* per fidem interpositam *B C et sup. uers. A;* perfidia interposita *b c d e. P.* 123. 15 paterentur impunita *B C D A;* inulta paterentur *b e et inuerso ordine u* (inpunita *B*). 16 hoc *B 'ceteri', om. d e.* 17 atque] et *b.* insequntur *B.* 18 coniungit *B 'alii',* iungit *b c d e.* 19 magnis uiribus medium femur traicit Voluseni *B et, qui* a *ante* magnis *add.*, *C D b* (*hic* medium *om.*) *c et, qui ibidem* ac *ponit, A;* medium femur eius magnis uiribus traicit *e And. Oxon.* 20 uolnerato *et statim* uolnerantur *A.* conuersis equis *B et reliqui;* conuersi equis *b,* conuersi *e And. Oxon.* 21 conplures *B.*

petu perculsi uulnerantur ac partim in fuga proteruntur, partim
intercipiuntur; quod malum dux equi uelocitate euitauit: ac sic
proelio secundo grauiter ab eo uulneratus praefectus, ut uitae pe-
riculum aditurus uideretur, refertur in castra. Commius autem 8
siue expiato suo dolore siue magna parte amissa suorum legatos
ad Antonium mittit seque et ibi futurum, ubi praescripserit, et ea
facturum, quae imperarit, obsidibus firmat; unum illud orat, ut 9
timori suo concedatur, ne in conspectum ueniat cuiusquam Romani.
Cuius postulationem Antonius cum iudicaret ab iusto nasci timore,
ueniam petenti dedit, obsides accepit.

Scio Caesarem singulorum annorum singulos commentarios 10
confecisse; quod ego non existimaui mihi esse faciendum, propter-
ea quod insequens annus, L. Paulo, C. Marcello consulibus,
nullas habet magnopere Galliae res gestas. Ne quis tamen igno- 11
raret, quibus in locis Caesar exercitusque eo tempore fuissent,
pauca esse scribenda coniungendaque huic commentario statui.

Caesar in Belgio cum hiemaret, unum illud propositum habe- 49
bat, continere in amicitia ciuitates, nulli spem aut causam dare
armorum. Nihil enim minus uolebat, quam sub decessu suo ne- 2
cessitatem sibi aliquam inponi belli gerendi, ne, cum exercitum
deducturus esset, bellum aliquod relinqueretur, quod omnis Gallia
libenter sine praesenti periculo susciperet. Itaque honorifice ciui- 3
tates appellando, principes maximis praemiis adficiendo, nulla onera

1 ac *B 'mss. et edd. qdd.'*, et *u*. in fugam *b c e*. proteruntur] 'peterr. *b*'. 2 intercipientur *B*. quod malum *Noruicensis*, quod ubi malum *reliqui*. uitauit *b e*. ac sic proelio secundo grauiter ab eo uulneratus *Noruicensis et, qui* si *pro* sic, *B 'reliqui' et int. uers. A*; grauiter uulneratus *a e et m. pr. A*. 5 suo *int. uers. b*. 6 seque et ibi *B C D b c d A*, seque ibi *e*. 7 imperarit *B e 'meliores plerique' u* (*fuerat* imperauerit), imperat *A*. obsidibus firmat *B 'ceteri'*, obsidibus datis firmat *b c d e A*. 9 cuius *B A 'reliqui'*, quam *b c d e*. iudicaret] aestimaret *b*. 12 propterea *om. e Oxon*. 13 L. *Aldus*, T. *B e et sic 'seu* Tito *mss. fere omnes'*; tribuno *sec. m. B*. Paulo (*B*) *Aldus*, Paullo *P. Manutius u*. C.] consulatu *sec. m. B*. consulibus] concessa *B*. 14 nullas habet magnopere Galliae res gestas *B 'alii'*: nullas res Galliae habet magno opere gestas *u*, *qui 'ordo est fide mstorum omnium antiquorum'? et e*; maguo opere *est in C D e A*: gesta *C*, egestas *A*. 15 fuisset *e 'mss. 5'*. 16 esse *B 'mss. 9'*, *om. u*. 17 illud *om. b e*. 18 continendi *b e*. amicitiam *e Oxon*. 19 decessu suo *C*, decessum suum *e*; discessu suo *B et reliqui*. 20 inponi *B*. 22 susciperent *e*. 23 (adficiendo *B*) donando *D*. onera *B* (*is m. pr.* honera) *'reliqui'*, onera noua *b c d e*.

iniungendo defessam tot aduersis proeliis Galliam condicione pa-
50 rendi meliore facile in pace continuit. Ipse hibernis peractis con-
tra consuetudinem in Italiam quam maximis itineribus est profe-
ctus, ut municipia et colonias appellaret, quibus M. Antonii, quae-
2 storis sui, commendauerat sacerdotii petitionem. Contendebat
enim gratia cum libenter pro homine sibi coniunctissimo, quem
paulo ante praemiserat ad petitionem, tum acriter contra factionem
et potentiam paucorum, qui M. Antoni repulsa Caesaris deceden-
3 tis gratiam conuellere cupiebant. Hunc etsi augurem prius factum,
quam Italiam attingeret, in itinere audierat, tamen non minus iu-
stam sibi causam municipia et colonias adeundi existimauit, ut iis
gratias ageret, quod frequentiam atque officium suum Antonio prae-
4 stitissent, simulque se et honorem suum sequentis anni commen-
daret, propterea quod insolenter aduersarii sui gloriarentur L.
Lentulum et C. Marcellum consules creatos, qui omnem honorem
et dignitatem Caesaris spoliarent, ereptum Ser. Galbae consulatum,
cum is multo plus gratia suffragiisque ualuisset, quod sibi coniun-
51 ctus et familiaritate et consuetudine legationis esset. Exceptus
est Caesaris aduentus ab omnibus municipiis et coloniis incredibili
honore atque amore. Tum primum enim ueniebat ab illo uniuer-
2 sae Galliae bello. Nihil relinquebatur, quod ad ornatum portarum,
itinerum, locorum omnium, qua Caesar iturus erat, excogitari pot-
3 erat. Cum liberis omnis multitudo obuiam procedebat, hostiae
omnibus locis immolabantur, tricliniis stratis fora templaque occu-

1 iniungendo *B C D A,* imponendo *b c d e et sec. m. A.* defessam *om. A.* conditione (*B*). parcendi *b et pro uar. lect. A.* 4 M. Antonium quaestorem suum *D.* 5 commendauerat *B C D,* commendaret *e u.* petitione *B D.* 6 tum libenter *sec. m. b.* 8 M. *om. e Oxon.,* in *b.* Antoni *C.* decentis *D et m. pr. B,* decedentem *b.* 9 gratiam conuellere *B C D A,* conuellere gratiam (*e*) *u.* 10 audiuit *e.* 13 sequentis anni *B et reliqui,* in sequentis anni *b c d e.* commendaret *B 'mss. 12',* commendaret petitione *b c d e A.* 14 Lucium *sec. m. B.* 15 G. *B.* 16 spoliarent *B e reliqui,* exspoliarent *And. Oxon. u.* Ser. *B e,* Sergio *u.* consolatum *m. pr. B.* 17 suffragii ualuisset *e And.* 18 consuetudine *B C D A et pro uar. lect. c,* necessitudine *e u.* exceptus — (*p.* 492,1) admonebantur *om. B C D, sed ad calcem C D usque ad syllabam* Caes. *uerborum* cum Caesaris causam (*p.* 491, 16) *suppleta sunt.* 19 est *om. e Oxon.* 20 honore atque *om. b,* atque amore *om. e et m. pr. a.* tum] cum *A.* enim ueniebat primum *a.* 22 locorum *C a b c e A u* (*fuerat* locorumque). esset *a.* poterat *a e 'mss. plerique',* posset *u.* 23 cum liberis *post* procedebat *ponit a.* omnium *C.* procedit *b.* omnibus locis hostiae *a.*

pabantur, ut uel spectatissimi triumphi laetitia praecipi posset.
Tanta erat magnificentia apud opulentiores, cupiditas apud humi-
liores. Cum omnes regiones Galliae togatae Caesar percucurris- 52
set, summa celeritate ad exercitum Nemetocennam rediit legioni-
busque ex omnibus hibernis ad fines Treuerorum euocatis eo pro-
fectus est ibique exercitum lustrauit. T. Labienum Galliae toga- 2
tae praefecit, quo maiore commendatione conciliaretur ad consula-
tus petitionem. Ipse tantum itinerum faciebat, quantum satis esse
ad mutationem locorum propter salubritatem existimabat. Ibi 3
quamquam crebro audiebat Labienum ab inimicis suis sollicitari
certiorque fiebat id agi paucorum consiliis, ut interposita senatus
auctoritate aliqua parte exercitus spoliaretur, tamen neque de La-
bieno credidit quicquam neque, contra senatus auctoritatem ut ali-
quid faceret, potuit adduci. Iudicabat enim liberis sententiis pa- 4
trum conscriptorum causam suam facile optineri. Nam C. Curio,
tribunus plebis, cum Caesaris causam dignitatemque defendendam
suscepisset, saepe erat senatui pollicitus, si quem timor armorum
Caesaris laederet, quoniam Pompei dominatio atque arma non mi-
nimum terrorem foro inferrent, discederet uterque ab armis exer-
citusque dimitteret: fore eo facto liberam et sui iuris ciuitatem.
Neque hoc tantum pollicitus est, sed etiam per se discessionem 5
facere coepit; quod ne fieret, consules amicique Pompei iusserunt
atque ita rem moderando discusserunt. Magnum hoc testimonium 53
senatus erat uniuersi conueniensque superiori facto. Nam Mar-
cellus proximo anno, cum inpugnaret Caesaris dignitatem, contra
legem Pompei et Crassi retulerat ante tempus ad senatum de Cae-
saris prouinciis, sententiisque dictis discessionem faciente Marcel-
lo, qui sibi omnem dignitatem ex Caesaris inuidia quaerebat, se-
natus frequens in alia omnia transiit. Quibus non frangebantur 2

1 spectatissimi *ego*, exspectatissimi *codd. P.* 123. percipi *a e* '*mss.* 4'. 2 humiliores *e;* meliores *C b c et sec. m. a,* opulentiores *a.* 4 summa celeritate (*a*) *et reliqui*, summa cum celeritate *b c e et A*, '*cuius hic rursus incipit manus recens*' (*P.* 39). Nemotocennam *b.* redit *e* '*mss.* 3'. 5 Treuirorum *a.* 11 fieret *b.* 13 quicquam *a, non* quidq. 14 poterat *b.* abduci *a.* 15 (optineri *a*) obtinere *A.* Curio] centurio *a.* 18 laederet] et *add. codd. P.* 124. Pompei *a.* 19 foro] fore *e*, sero *b.* inferret *a b e.* 20 sue *a.* 22 fieret] faceret *b.* consules amicique] omnes amici *A And. Oxon.* Pompei *a.* 23 discusserunt *Iurinius*, discesserunt *codd. P.* 124. 25 inpugnaret *a.* 26 Pompei *a.* 27 prouintiis *a.* 28 ex] de *b.* 29 transit *a e* '3 *alii*'.

animi inimicorum Caesaris, sed admonebantur, quo maiores para-
rent necessitates, quibus cogi posset senatus id probare, quod ipsi
54 constituissent. Fit deinde senatusconsultum, ut ad bellum Parthi-
cum legio una a Cn. Pompeio, altera a C. Caesare mitteretur;
2 neque obscure duae legiones uni detrahuntur. Nam Cn. Pompe-
ius legionem primam, quam ad Caesarem miserat, confectam ex
delectu prouinciae Caesaris, eam tamquam ex suo numero dedit.
3 Caesar tamen, cum de uoluntate minime dubium esset aduersario-
rum suorum, Pompeio legionem remisit et suo nomine quintamde-
cimam, quam in Gallia citeriore habuerat, ex senatusconsulto iu-
bet tradi. In eius locum tertiamdecimam legionem in Italiam mit-
tit, quae praesidia tueretur, ex quibus praesidiis quintadecima
4 deducebatur. Ipse exercitui distribuit hiberna: C. Trebonium cum
legionibus quattuor in Belgio collocat, C. Fabium cum totidem in
5 Haeduos deducit. Sic enim existimabat tutissimam fore Galliam,
si Belgae, quorum maxima uirtus, Haedui, quorum auctoritas
summa esset, exercitibus continerentur. Ipse in Italiam profectus
55 est. Quo cum uenisset, cognoscit per C. Marcellum consulem le-
giones duas ab se remissas, quae ex senatusconsulto deberent ad
Parthicum bellum duci, Cn. Pompeio traditas atque in Italia re-
2 tentas esse. Hoc facto quamquam nulli erat dubium, quidnam
contra Caesarem pararetur, tamen Caesar omnia patienda esse

1 admouebantur *e.* quo] ut *b.* parerent *e*, sperarent *D b c et, qui* pararent *sec. m. in marg., B.* 2 necessitates *B C D et pro uar. lect. A,* necessitudines *e u.* 3 instituissent *b.* 4 a Cn.] ac non *B.* mitteretur (*B*) *e reliqui,* mitterentur *A 'forsan et c d' u.* 5 duae *B 'mss. 6'*, hae duae *e u.* uni *B 'mss. 9'*, Caesari *b e;* uni Caesari *u.* Gn. *B.* 6 miserant *D.* 7 dilectu *C b.* Caesaris *a b e,* Caesari *B et reliqui.* tanquam (*B*). 8 cum] etsi *D.* de uoluntate minime dubium esset aduersariorum suorum *B 'mss. plerique';* de uoluntate aduersariorum se spoliari nemini dubium esset *b* (*is* nulli) *c d A et, qui* se exspoliari, *e.* 9 Pompeio *B 'mss. plurimi'*, Pompeii *C;* Cn. Pompeio *u.* 10 SC, *suprascripto sec. m.* senatu, *hic et infra B.* iubet tradi (*B*) *e Haun. sec.,* tradi iubet *'mss. plerique'?* 11 legionem *om. e Oxon.* 12 tueretur (*B*) *et reliqui,* tueatur *D b e.* 13 ducebatur *e 'mss. 3'.* exercitui distribuit hiberna *B C D c e,* exercitum distribuit in hiberna *b.* C. *om. B.* 14 quatuor (*B*). C.] Caninium *sec. m. B.* 16 Haedui *B '8 mei'*, et Haedui *e u.* 18 cognouit *b.* G. *m. pr. et* Gaium *sec. B,* M. *A.* 19 duas *om. b.* missas *e Oxon.* 20 duci *om. m. pr. B.* Gneio *sec. m. B, om. b e.* 21 erat] esset *b.*

statuit, quoad sibi spes aliqua relinqueretur iure potius disceptandi quam belli gerundi. Contendit . . . .

C. IVLII CAESARIS

DE BELLO CIVILI

COMMENTARIVS PRIMVS.

Litteris [a Fabio C.] Caesaris consulibus redditis aegre ab his
impetratum est summa tribunorum plebis contentione, ut in senatu
recitarentur; ut uero ex litteris ad senatum referretur, impetrari
non potuit. Referunt consules de republica [in ciuitate]. L. Len- 2
tulus consul senatui reique publicae se non defuturum pollicetur,
si audacter ac fortiter sententias dicere uelint; sin Caesarem re- 3
spiciant atque eius gratiam sequantur, ut superioribus fecerint
temporibus, se sibi consilium capturum neque senatus auctoritati
obtemperaturum: habere se quoque ad Caesaris gratiam atque ami-
citiam receptum. In eandem sententiam loquitur Scipio: Pompeio 4

2 belli gerundi *B D*, belligerandi *C a b c d e*. contendit *B C b et additis* quadam utraque die futurum *D, om. e.* A. Hirtii rerum gestarum C. Caesaris lib. VIII explicit *a*. Iulius Celsus Constantinus u. c. legi tantum feliciter *B*. G. Caesaris pont. max. ephimeris (*sic*) rerum gestarum belli Gallici liber VIII explicit feliciter *B et omisso* feliciter *E*: 'ephemeridis *titulum in librorum fronte nullus exhibet codex, sed post librum octauum ita finiunt C D adduntque* pontificis maximi'.

Incipit liber primus belli ciuilis feliciter *a*. 1 a Fabio cum Caesaris *a*, a Fabio Caesare *b*; 'C. Caesaris a Fabio *mss. plerique*'?: *uncos Scaliger posuit. Vid. Appian. b. ciu. II, 32. Cass. Dio XLI in.* his *a edd. ante Ald. Stephanus*, iis *Aldus u.* 3 refertur *a*. 4 in ciuitate *inclusit Scaliger. Vid. c.* 6 *in.* 5 senatui *a 'alii' et sec. m. b*, senatu *u.* reip. *a b*. 6 ac] aut *a b*. sin G. Caesarem *ante corr. a*. 10 recepturum *a*.

esse in animo reipublicae non deesse, si senatus sequatur; si cun-
ctetur atque agat lenius, nequiquam eius auxilium, si postea uelit,
2 senatum imploraturum. Haec Scipionis oratio, quod senatus in
urbe habebatur Pompeiusque aderat, ex ipsius ore Pompeii mitti
2 uidebatur. Dixerat aliquis leniorem sententiam, ut primo M. Mar-
cellus, ingressus in eam orationem, non oportere ante de ea re ad
senatum referri, quam delectus tota Italia habiti et exercitus con-
scripti essent, quo praesidio tuto et libere senatus, quae uellet,
3 decernere auderet; ut M. Calidius, qui censebat, ut Pompeius in
suas prouincias proficisceretur, ne qua esset armorum causa: ti-
mere Caesarem ereptis ab eo duabus legionibus, ne ad eius peri-
4 culum reseruare et retinere eas ad urbem Pompeius uideretur; ut
M. Rufus, qui sententiam Calidii paucis fere mutatis rebus seque-
5 batur. Hi omnes conuicio L. Lentuli consulis correpti exagita-
bantur. Lentulus sententiam Calidii pronuntiaturum se omnino
negauit. Marcellus perterritus conuiciis a sua sententia discessit.
6 Sic uocibus consulis, terrore praesentis exercitus, minis amicorum
Pompei plerique compulsi inuiti et coacti Scipionis sententiam se-
7 cuntur: uti ante certam diem Caesar exercitum dimittat; si non
8 faciat, eum aduersus rempublicam facturum uideri. Intercedit M.
Antonius, Q. Cassius, tribuni plebis. Refertur confestim de in-
tercessione tribunorum. Dicuntur sententiae graues: ut quisque
acerbissime crudelissimeque dixit, ita quam maxime ab inimicis
3 Caesaris conlaudatur. Misso ad uesperum senatu omnes, qui sunt
eius ordinis, a Pompeio euocantur. Laudat Pompeius atque in po-
2 sterum confirmat, segniores castigat atque incitat. Multi undique
ex ueteribus Pompei exercitibus spe praemiorum atque ordinum
euocantur, multi ex duabus legionibus, quae sunt traditae a Cae-
3 sare, arcessuntur. Completur urbs † et ius, comitium tribunis,
4 centurionibus, euocatis. Omnes amici consulum, necessarii Pompei

1 si cunctetur *a 'mss.'*, sin cunctetur *u.* 2 nequiquam *a.* 5 Marcello *b.* 6 antea *ante corr. a.* 7 dilectus *a b.* 10 neque esset *a 'mss. 4'.* 11 ereptis *ego,* correptis *codd. P.* 126. 13 Callidii *ante corr. a.* 14 consulis *om. b.* 15 pronuntiaturum, *non* — ciat., *itemque* nuntius *reliquaque, quae inde descendunt, ubicumque tacebo, a.* 18 Pompei *a.* secuntur *a.* 20 facturam *m. pr. a.* 21 Q.] que *a.* 24 conlaudatur *a.* 26 seniores *a b.* 27 Pompei *a.* 29 arcersuntur *a,* arcessiuntur *b.* et ius comitium *a b c d. P.* 126. tribunis, centurionibus, euocatis *Oudendorpius;* tr. pl. centurio euocat *a b c d.* 30 Pompei *a.*

atque eorum, qui ueteres inimicitias cum Caesare gerebant, in
senatum coguntur; quorum uocibus et concursu terrentur infirmio- 5
res, dubii confirmantur, plerisque uero libere decernendi potestas
eripitur. Pollicetur L. Piso censor sese iturum ad Caesarem, item 6
L. Roscius praetor, qui de his rebus eum doceant: sex dies ad
eam rem conficiendam spatii postulant. Dicuntur etiam ab non- 7
nullis sententiae, ut legati ad Caesarem mittantur, qui uoluntatem
senatus ei proponant. Omnibus his resistitur, omnibusque oratio 4
consulis, Scipionis, Catonis opponitur. Catonem ueteres inimici- 2
tiae Caesaris incitant et dolor repulsae. Lentulus aeris alieni ma-
gnitudine et spe exercitus ac prouinciarum et regum appellandorum
largitionibus mouetur seque alterum fore Sullam inter suos gloria-
tur, ad quem summa imperii redeat. Scipionem eadem spes pro- 3
uinciae atque exercituum impellit, quos se pro necessitudine par-
titurum cum Pompeio arbitratur, simul iudiciorum metus, adulatio
atque ostentatio sui et potentium, qui in republica iudiciisque tum
plurimum pollebant. Ipse Pompeius ab inimicis Caesaris incitatus 4
et quod neminem dignitate secum exaequari uolebat totum se ab
eius amicitia auerterat et cum communibus inimicis in gratiam red-
ierat, quorum ipse maximam partem illo adfinitatis tempore in-
iunxerat Caesari; simul infamia duarum legionum permotus, quas 5
ab itinere Asiae Syriaeque ad suam potentiam dominatumque con-
uerterat, rem ad arma deduci studebat. His de causis aguntur 5
omnia raptim atque turbate. Nec docendi Caesaris propinquis eius
spatium datur, nec tribunis plebis sui periculi deprecandi neque
etiam extremi iuris intercessione retinendi, quod L. Sulla relique-
rat, facultas tribuitur, sed de sua salute septimo die cogitare co- 2
guntur, quod illi turbulentissimi superioribus temporibus tribuni
plebis VIII denique mense suarum actionum respicere ac timere
consuerant. Decurritur ad illud extremum atque ultimum senatus- 3

1 amicitias *b.* 4 iterum *m. pr. a.* 6 ab *a,* a *u.* 8 *pro* oratio *spatium uacuum est in a.* 12 Syllam (*a*). 13 Scypionem *a.* 15 arbitrabatur *b.* 16 obtestatio *b.* potentum *b.* republica] rebus *a.* 18 dignitate secum *a edd. ante u,* secum dignitate *sine annotatione u.* 20 adfinitatis *a.* 21 Caesari *Aldus,* Caesar *a 'mss.'* 22 Asyae *a.* 23 hiis *a.* 24 raptim *Aldus,* ruptim *a b c d.* eius *om. b.* 25 sui *post* periculi *repetit a.* 26 Sylla (*a*). 29 octauo denique mense *Aldus,* octo denique menses *a 'mei decem' i. e. omnes.* suarum] uariarum *a b c.* 30 consuerat̃ *a.*

consultum, quo nisi paene in ipso urbis incendio atque in despera-
tione omnium salutis † latorum audacia numquam ante descensum
est: dent operam consules, praetores, tribuni plebis quique *pro*
consulibus *sint* ad urbem, ne quid respublica detrimenti capiat.
4 Haec senatusconsulto perscribuntur a. d. VII Id. Ian. Itaque V
primis diebus, quibus haberi senatus potuit, qua ex die consulatum
iniit Lentulus, biduo excepto comitiali et de imperio Caesaris et
de amplissimis uiris, tribunis plebis, grauissime acerbissimeque
5 decernitur. Profugiunt statim ex urbe tribuni plebis seseque ad
Caesarem conferunt. Is eo tempore erat Rauennae expectabatque
suis lenissimis postulatis responsa, si qua hominum aequitate res
6 ad otium deduci posset. Proximis diebus habetur extra urbem se-
natus. Pompeius eadem illa, quae per Scipionem ostenderat, agit;
senatus uirtutem constantiamque conlaudat; copias suas exponit:
2 legiones habere sese paratas IX; praeterea cognitum compertum-
que sibi alieno esse animo in Caesarem milites neque iis posse per-
3 suaderi, uti eum defendant aut sequantur saltem. De reliquis re-
bus ad senatum refertur: tota Italia delectus habeatur; Faustus
Sulla propere in Mauritaniam mittatur; pecunia uti ex aerario
4 Pompeio detur. Refertur etiam de rege Iuba, ut socius sit atque
amicus: Marcellus uero passurum in praesentia negat. De Fausto
5 impedit Philippus, tribunus plebis. De reliquis rebus senatuscon-
sulta perscribuntur. Prouinciae priuatis decernuntur, duae con-
sulares, reliquae praetoriae. Scipioni obuenit Syria, L. Domitio
Gallia: † Philippus et Cotta priuato consilio praetereuntur, neque
6 eorum sortes deiciuntur. [In reliquas prouincias praetores mittuntur.]

1 pene *a.* 2 † latorum *P.* 126. nunquam (*a*). descensum *Kohlius,* discessum *codd.* 3 praett. *d,* P. R. *b e.* plebis *om. d.* pro consulibus *Pantagathus;* cons̄. *a,* consules *e et alterumutrum 'mss.'* 4 sint *om. a b c,* sunt *edd.* 5 SCto *a b e.* ad *e et ante corr. a.* VII *a e et reliqui,* VIII 3 *dett. u.* Id. Ian. *a e.* 10 expectabatque *a.* 11 leuissimis *a.* 12 ocium *a.* extra urbem senatus *a Stephanus,* senatus extra urbem *reliquae edd.* 13 agit *om. b.* 14 conlaudat *a.* 15 IX *ego,* X *codd. P.* 127. 16 hiis *a.* 18 dilectus *a b c d.* habetur *b,* habeantur *cum 2 dett. u.* Faustus illa *a.* 19 propere *codd.,* pro praetore *P. Manutius u.* mittitur *a 'mss. plerique'.* 21 uero] non *a b c d.* passurum *a b,* passurum se *u.* 22 Phylippus *a.* 24 Domicio *a.* 25 Phylippus *a. P.* 128. Cotta *a b c d e,* Marcellus *u* (*quod nomen male existimaui ab Aldo esse positum; legitur iam in superioribus edd.*). 26 deiciuntur *similiterque reliqua ab* iaciendo *ducta, ubicumque tacebo, a.* *De uncis hoc et sequente capite positis uid. P.* 131—134.

Neque expectant, [quod superioribus annis acciderat,] ut de
eorum imperio ad populum feratur, paludatique uotis nuncupa-
tis exeunt. Consules [,quod ante id tempus accidit numquam,] ex 7
urbe proficiscuntur, lictoresque habent in urbe et Capitolio priuati
contra omnia uetustatis exempla. Tota Italia delectus habentur, 8
arma imperantur; pecuniae a municipiis exiguntur, e fanis tollun-
tur: omnia diuina humanaque iura permiscentur.

Quibus rebus cognitis Caesar apud milites contionatur. 7
Omnium temporum iniurias inimicorum in se commemorat; a qui-
bus deductum ac deprauatum Pompeium queritur inuidia atque ob-
trectatione laudis suae, cuius ipse honori et dignitati semper fa-
uerit adiutorque fuerit. Nouum in republica introductum exem- 2
plum queritur, ut tribunicia intercessio armis notaretur atque ob-
primeretur [,quae superioribus annis armis esset restituta]. Sul- 3
lam nudata omnibus rebus tribunicia potestate tamen intercessio-
nem liberam reliquisse; Pompeium, qui amissa restituisse uidea- 4
tur, [dona etiam, quae ante habuerint,] ademisse. Quotienscum- 5
que sit decretum, darent operam magistratus, ne quid respublica
detrimenti caperet (qua uoce et quo senatusconsulto populus Ro-
manus ad arma sit uocatus), factum in perniciosis legibus, in ui
tribunicia, in secessione populi templis locisque editioribus occu-
patis; atque haec superioris aetatis exempla expiata Saturnini at-
que Gracchorum casibus docet; quarum rerum illo tempore nihil
factum, ne cogitatum quidem [: nulla lex promulgata, non cum po-
pulo agi coeptum, nulla secessio facta]. Hortatur, cuius imperato- 6
ris ductu VIIII annis rempublicam felicissime gesserint plurimaque
proelia secunda fecerint, omnem Galliam Germaniamque pacaue-
rint, ut eius existimationem dignitatemque ab inimicis defendant.
Conclamant legionis XIII, quae aderat, milites (hanc enim initio 7
tumultus euocauerat; reliquae nondum uenerant): sese paratos

1 expectant *a.* 3 exeunt *a 'reliqui'*, exeant *cod. Vrs. u. P.* 132. accidit *a b,* acciderat *u.* nunquam (*a*). 4 et *P. Manutius,* ex *codd.* priuati *Stephanus,* priuatim *codd.* 5 dilectus *a b.* 8 concionatur (*a*). 10 deductum *a 'mss. tantum non omnes'*, seductum *b. Vid. b. Gall. VII,* 37, 6. *Cic. Fam. XIV,* 4, 2. depriuatum *a.* 12 exemplum reliquaeritur *ante corr. a.* 13 tribunitia (*a*), *itemque* 15; *sed* 21 tribunicia. obprimeretur *a.* 14 Syllam (*a*). 17 habuerint *a b c,* habuerit *cum* 2 *dett. u.* quocienscunque *a.* 18 fit *b.* operam magistratus *a Stephanus,* magistratus operam *reliquae edd.* 22 exemplis *a.* 25 successio *b.* 26 VIIII anni *a.* 30 uenerant *a b d,* conuenerant *u.*

8 esse imperatoris sui tribunorumque plebis iniurias defendere. Co-
gnita militum uoluntate Ariminum cum ea legione proficiscitur ibi-
que tribunos plebis, qui ad eum confugerant, conuenit; reliquas
2 legiones ex hibernis euocat et subsequi iubet. Eo L. Caesar ado-
lescens uenit, cuius pater Caesaris erat legatus. Is reliquo ser-
mone confecto, cuius rei causa uenerat, habere se a Pompeio ad
3 eum priuati officii mandata demonstrat: Velle Pompeium se Cae-
sari purgatum, ne ea, quae reipublicae causa egerit, in suam con-
tumeliam uertat. Semper se reipublicae commoda priuatis neces-
situdinibus habuisse potiora. Caesarem quoque pro sua dignitate
debere et studium et iracundiam suam reipublicae dimittere neque
adeo grauiter irasci inimicis, ut, cum illis nocere se speret, rei-
4 publicae noceat. Pauca eiusdem generis addit cum excusatione
Pompeii coniuncta. Eadem fere atque eisdem uerbis praetor Ro-
scius agit cum Caesare sibique Pompeium commemorasse demon-
9 strat. Quae res etsi nihil ad leuandas iniurias pertinere uideban-
tur, tamen idoneos nactus homines, per quos ea, quae uellet, ad
eum perferrentur, petit ab utroque, quoniam Pompeii mandata ad
se detulerint, ne grauentur sua quoque ad eum postulata deferre,
si paruo labore magnas controuersias tollere atque omnem Italiam
2 metu liberare possint. Sibi semper primam reipublicae fuisse di-
gnitatem uitaque potiorem. Doluisse se, quod populi Romani be-
neficium sibi per contumeliam ab inimicis extorqueretur, ereptoque
semenstri imperio in urbem retraheretur, cuius absentis rationem
3 haberi proximis comitiis populus iussisset. Tamen hanc iacturam
honoris sui reipublicae causa aequo animo tulisse: cum litteras ad
senatum miserit, ut omnes ab exercitibus discederent, ne id quidem
4 impetrauisse. Tota Italia delectus haberi, retineri legiones II,
quae ab se simulatione Parthici belli sint abductae, ciuitatem esse
in armis. Quonam haec omnia nisi ad suam perniciem pertinere?

4 hybernis *a.* 7 priuatim *b.* 9 conuertat *b.* necessitudinibus *a b c d e,* necessitatibus *u.* 10 pociora *a.* 12 ut *a b d,* ne *u.* se *om. b.* speraret *b.* 14 uerbis *Clarkius;* rebus *a b et reliqui, de quibus constat, u;* de rebus *Aldus et seqq. ante u.* 21 primam P. R. *a b c et secundum Oud. d,* P. R. primam *secundum ex. Fabr. d,* primam *e;* reipublicae primam *edd.* 22 quod pro beneficio *a 'mei praeter d'.* 23 ab inimicis *om. b.* 24 semenstri *a 'mss. 3'.* cuius] sibi *b.* 26 sui] proprii *b.* 27 miserat *ante corr. a.* 28 impetrauisset *a b.* dilectus *a b.* 29 Partici *a.*

Sed tamen ad omnia se descendere paratum atque omnia pati rei- 5
publicae causa. Proficiscatur Pompeius in suas prouincias, ipsi
exercitus dimittant, discedant in Italia omnes ab armis, metus e
ciuitate tollatur, libera comitia atque omnis respublica senatui po-
puloque Romano permittatur. Haec quo facilius certisque condi- 6
cionibus fiant et iureiurando sanciantur, aut ipse propius accedat
aut se patiatur accedere: fore, uti per colloquia omnes controuer-
siae componantur. Acceptis mandatis Roscius a Caesare Capuam 10
peruenit ibique consules Pompeiumque inuenit: postulata Caesaris
renuntiat. Illi deliberata *re* respondent scriptaque ad eum manda- 2
ta remittunt; quorum haec erat summa: Caesar in Galliam reuer- 3
teretur, Arimino excederet, exercitus dimitteret; quae si fecisset,
Pompeium in Hispanias iturum. Interea, quoad fides esset data 4
Caesarem facturum, quae polliceretur, non intermissuros consules
Pompeiumque delectus. Erat iniqua condicio postulare, ut Caesar 11
Arimino excederet atque in prouinciam reuerteretur, ipsum et pro-
uincias et legiones alienas tenere; exercitum Caesaris uelle di-
mitti, delectus habere; polliceri se in prouinciam iturum neque, 2
ante quem diem iturus sit, definire, ut, si peracto consulatu Cae-
saris non profectus esset, nulla tamen mendacii religione obstri-
ctus uideretur: tempus uero colloquio non dare neque accessurum 3
polliceri magnam pacis desperationem adferebat. Itaque ab Ari- 4
mino M. Antonium cum cohortibus V Arretium mittit; ipse Ari-
mini cum duabus [legionibus] subsistit ibique delectum habere in-
stituit; Pisaurum, Fanum, Anconam singulis cohortibus occupat.
Interea certior factus Iguuium Thermum praetorem cohortibus V 12
tenere, oppidum munire, omniumque esse Iguuinorum optimam
erga se uoluntatem, Curionem cum tribus cohortibus, quas Pisauri

1 atque — causa *om. b.* 2 proficiscitur *m. pr. a.* 4 tollantur *b.* 5 conditionibus (*a*). 6 sanctiatur *a.* 8 a Caesare *a b c d*, cum L. Caesare *u. P.* 134. 10 re *suppleuit Gruterus, om. codd.* 11 remittunt *ego*, permittunt *a b c*; per eos remittunt *u.* 15 dilectus *a*, dilectum *b.* conditio (*a*). 16 ipsum in prouincias *m. pr. a.* 18 dilectus *a b.* 19 consulatu Caesaris *'mss. plerique' et, qui* cons., *a*; Caesaris consulatu *u.* 20 non profectus esset *ego*; cons. profectus esset *a* (*is* praef.) *d*, cons. profectus non esset *b*; Pompeius profectus non esset *u. P.* 135. 22 adferebat *a.* 24 legionibus *delendum uidit Dauisius.* dilectum *a b.* 25 Pisarum *ante corr. a.* 26 Iguuium *et* 27 Iguuinorum *et* 500, 4 Iguuium *Aldus nepos*, Tiguium *et* Tiguinorum *et* Tigium *a b c d.* 28 cohortibus] legionibus *b.*

2 et Arimini habebat, mittit. Cuius aduentu cognito diffisus municipii uoluntati Thermus cohortes ex urbe reducit et profugit. Milites in itinere ab eo discedunt ac domum reuertuntur. Curio
3 summa omnium uoluntate Iguuium recipit. Quibus rebus cognitis confisus municipiorum uoluntatibus Caesar cohortes legionis XIII ex praesidiis deducit Auximumque proficiscitur; quod oppidum Attius cohortibus introductis tenebat delectumque toto Piceno cir-
13 cummissis senatoribus habebat. Aduentu Caesaris cognito decuriones Auximi ad Attium Varum frequentes conueniunt: docent sui iudicii rem non esse; neque se neque reliquos municipes pati posse C. Caesarem imperatorem, bene de republica meritum, tantis rebus gestis oppido moenibusque prohiberi: proinde habeat ra-
2 tionem posteritatis et periculi sui. Quorum oratione permotus Varus praesidium, quod introduxerat, ex oppido educit ac profugit.
3 Hunc ex primo ordine pauci Caesaris consecuti milites consistere
4 coëgerunt. Commisso proelio deseritur a suis Varus: nonnulla pars militum domum discedit; reliqui ad Caesarem perueniunt, atque una cum iis deprensus L. Pupius, primi pili centurio, adducitur, qui hunc eundem ordinem in exercitu Cn. Pompeii antea
5 duxerat. At Caesar milites Attianos conlaudat, Pupium dimittit, Auximatibus agit gratias seque eorum facti memorem fore polli-
14 cetur. Quibus rebus Romam nuntiatis tantus repente terror inuasit, ut, cum Lentulus consul ad aperiendum aerarium uenisset ad pecuniam Pompeio ex senatusconsulto proferendam, protinus aperto sanctiore aerario ex urbe profugeret. Caesar enim aduen-
2 tare iam iamque et adesse eius equites falso nuntiabantur. Hunc
3 Marcellus collega et plerique magistratus consecuti sunt. Cn. Pompeius pridie eius diei ex urbe profectus iter ad legiones habebat, quas a Caesare acceptas in Apulia hibernorum causa disposuerat.
4 Delectus circa urbem intermittuntur: nihil citra Capuam tutum esse omnibus uidetur. Capuae primum sese confirmant et colligunt

1 Arimino *a b*. municipum *c d*. 2 uoluntati *Stephanus*, uoluntatis *a b*; uoluntate *cum aliquot dett. u*. reducit *codd.*, educit *Aldus u*. et] ac *b*. 4 summa omnium *a Stephanus*, omnium summa *celerae edd*. 6 reducit *c*. Auximiumque *et* 9 Auximii *b*. 7 Actius *a et sic aut* Accius *'alii'*. dilectumque *a b*. 9 Barum *a*. 16 coëgerunt *a 'mss. 7'*, cogunt *u*. 18 deprensus *a b*, deprehensus *u*. L.] SL *a b d*. 20 conlaudat *a*. Pipium *a*. 21 Auximabus *a*, Auximabiis *b*. 25 sanciore *a*. 29 hybernorum *a*. 30 dilectus *a 'mss. 5'*. circa *ego*; citra *a*, contra *b c*; intra *u*. 31 sese] esse *a 'mss. 7'*.

delectumque colonorum, qui lege Iulia Capuam deducti erant, ha-
bere instituunt; gladiatoresque, quos ibi Caesar in ludo habebat,
ad forum deductos Lentulus *spe* libertatis confirmat atque his equos
adtribuit et se sequi iussit; quos postea monitus ab suis, quod ea 5
res omnium iudicio reprehendebatur, circum familias conuentus
Campaniae custodiae causa distribuit.

Auximo Caesar progressus omnem agrum Picenum percurrit. 15
Cunctae earum regionum praefecturae libentissimis animis eum
recipiunt exercitumque eius omnibus rebus iuuant. Etiam Cingu- 2
lo, quod oppidum Labienus constituerat suaque pecunia exaedifi-
cauerat, ad eum legati ueniunt quaeque imperauerit se cupidissime
facturos pollicentur. Milites imperat: mittunt. Interea legio XII 3
Caesarem consequitur. Cum his duabus Asculum Picenum profi-
ciscitur. Id oppidum Lentulus Spinther X cohortibus tenebat; qui
Caesaris aduentu cognito profugit ex oppido cohortesque secum
abducere conatus magna parte militum deseritur. Relictus in iti- 4
nere cum paucis incidit in Vibullium Rufum missum a Pompeio in
agrum Picenum confirmandorum hominum causa. A quo factus
Vibullius certior, quae res in Piceno gererentur, milites ab eo ac-
cipit, ipsum dimittit. Item ex finitimis regionibus quas potest con- 5
trahit cohortes ex delectibus Pompeianis; in his Camerino fugien-
tem Lucilium Hirrum cum sex cohortibus, quas ibi in praesidio
habuerat, excipit; quibus coactis XIII efficit. Cum his ad Domiti- 6
um Ahenobarbum Corfinium magnis itineribus peruenit Caesarem-
que adesse cum legionibus duabus nuntiat. Domitius per se circi- 7
ter XX cohortes Alba, ex Marsis et Pelignis, finitimis ab regioni-

1 dilectumque *a* '*mss.* 5'. 3 deductos *a b*, productos *d u*. spe libertatis *ego*, libertatis *a c d*; in libertatem *b*, libertati *u*. *P.* 135. atque *om. b.* his *a edd. ante Ald. Stephanus*, iis *Aldus u.* 4 actribuit *a*. 5 familias *Rubenius*, familiares *codd. P.* 135; *ubi falso Dauisium pro Rubenio nominaui.* 7 maximo Caesar progressu *a b c d.* 13 Picenumque *c*. 14 Spinter *ante corr. a*, Pisther *b*. 16 adducere *a* '*mss.* 5'. magna *a* '*mss.* 4', a magna *u*. 17 Bibullium *a* '*mss.* 7', Bubillium *e*. 19 Bibullius *a e* '*mss.* 7'. 21 dilectibus *a*. his *a edd. ante Ald. Stephanus*, iis *Aldus u.* fugiente *a b c.* 22 Lucilium *Glandorpius*, ucillum *a b c d*; Vlcillem *u*. *P.* 135. Hirrum *d*, Hyrrum *a*; Hircum *b*. ibi praesidio *b*. 23 excepit *b*. effecit *b*. his *a edd. ante Ald. Stephanus*, iis *Aldus u.* Domicium *a*. 24 Achenobarbum *a*, 'Aenob. Enob. Henob. Ahenobardum *mss.*' Cohorfinium *b*, Cohortinium *a*. Caesarem quoque adesse *b*. 26 finitimis *a b d*, et finitimis *u*.

16 bus coëgerat. Recepto Asculo expulsoque Lentulo Caesar con-
quiri milites, qui ab eo discesserant, delectumque institui iubet;
ipse unum diem ibi rei frumentariae causa moratus Corfinium con-
2 tendit. Eo cum uenisset, cohortes V praemissae a Domitio ex op-
pido pontem fluminis interrumpebant, qui erat ab oppido milia pas-
3 suum circiter III. Ibi cum antecursoribus Caesaris proelio com-
misso celeriter Domitiani a ponte repulsi se in oppidum receperunt.
4 Caesar legionibus traductis ad oppidum constitit iuxtaque murum
17 castra posuit. Re cognita Domitius ad Pompeium in Apuliam pe-
ritos regionum magno proposito praemio cum litteris mittit, qui
petant atque orent, ut sibi subueniat: Caesarem duobus exerciti-
bus et locorum angustiis facile intercludi posse frumentoque prohi-
2 beri. Quod nisi fecerit, se cohortesque amplius XXX magnumque
numerum senatorum atque equitum Romanorum in periculum esse
3 uenturum. Interim suos cohortatus tormenta in muris disponit
4 certasque cuique partes ad custodiam urbis attribuit; militibus in
contione agros ex suis possessionibus pollicetur, quaterna in sin-
18 gulos iugera et pro rata parte centurionibus euocatisque. Interim
Caesari nuntiatur Sulmonenses, quod oppidum a Corfinio VII mi-
lium interuallo abest, cupere ea facere, quae uellet, sed a Q. Lu-
cretio senatore et Attio Peligno prohiberi, qui id oppidum VII co-
2 hortium praesidio tenebant. Mittit eo M. Antonium cum legionis
XIII cohortibus V. Sulmonenses, simulatque signa nostra uide-
runt, portas aperuerunt, uniuersique, et oppidani et milites, obui-
3 am gratulantes Antonio exierunt. Lucretius et Attius de muro se
deiecerunt. Attius ad Antonium deductus petit, ut ad Caesarem
mitteretur. Antonius cum cohortibus et Attio eodem die, quo pro-
4 fectus erat, reuertitur. Caesar eas cohortes cum exercitu suo con-
iunxit Attiumque incolumem dimisit. Caesar primis diebus castra
magnis operibus munire et ex finitumis municipiis frumentum com-
5 portare reliquasque copias expectare instituit. Eo triduo legio VIII

1 Asculo *Aldus*, Firmo *a b c d. P.* 46. 2 dilectumque *a b.* 3 commoratus *b.* 4 Domicio *a.* 7 recipiunt *b.* 8 transductis *a.* 13 cohortes amplius *b.* 15 uenturum] missurum *b*, disposuit *b.* 17 concione (*a*). quaterna *margo Vascosani*, XL *codd.* 20 sed] seque *b.* 21 Actio '*mss. plerique*'. 23 XIII *Vossius*, VIII *codd.* signa nostra *a*, nostra signa *edd.* 25 Antonio] animo *b illo suprascripto.* 29 incolomem *a.* primis *a* '*mss. mei omnes*', tribus primis *Aldus u.* 30 finitumis *a.* 31 expectare *a.*

ad eum uenit cohortesque ex nouis Galliae delectibus XXII equi-
tesque ab rege Norico circiter CCC. Quorum aduentu altera ca-
stra ad alteram oppidi partem ponit: his castris Curionem praefe-
cit. Reliquis diebus oppidum uallo castellisque circumuenire in- 6
stituit. Cuius operis maxima parte effecta eodem fere tempore
missi a Pompeio reuertuntur. Litteris perlectis Domitius dissimu- 19
lans in concilio pronuntiat Pompeium celeriter subsidio uenturum
hortaturque eos, ne animo deficiant quaeque usui ad defendendum
oppidum sint parent. Ipse arcano cum paucis familiaribus suis col- 2
loquitur consiliumque fugae capere constituit. Cum uultus Domi-
tii cum oratione non consentiret atque omnia trepidantius timidius-
que ageret, quam superioribus diebus consuesset, multumque cum
suis consiliandi causa secreto praeter consuetudinem colloqueretur,
concilia conuentusque hominum fugeret, res diutius tegi dissimu-
larique non potuit. Pompeius enim rescripserat: sese rem in sum- 3
mum periculum deducturum non esse, neque suo consilio aut uo-
luntate Domitium se in oppidum Corfinium contulisse: proinde, si 4
qua fuisset facultas, ad se cum omnibus copiis ueniret. Id ne fieri
posset, obsidione atque oppidi circummunitione fiebat. Diuulgato 20
Domitii consilio milites, qui erant Corfinii, prima uesperi secessio-
nem faciunt atque ita inter se per tribunos militum centurionesque
atque honestissimos sui generis conlocuntur: obsideri se a Cae- 2
sare, opera munitionesque prope esse perfectas; ducem suum Do-
mitium, cuius spe atque fiducia permanserint, proiectis omnibus
fugae consilium capere: debere se suae salutis rationem habere.
Ab his primo Marsi dissentire incipiunt eamque oppidi partem, 3
quae munitissima uideretur, occupant, tantaque inter eos dissensio 4
existit, ut manum conserere atque armis dimicare conentur; post
paulo tamen internuntiis ultro citroque missis quae ignorabant, de
L. Domitii fuga, cognoscunt. Itaque omnes uno consilio Domi- 5
tium productum in publicum circumsistunt et custodiunt legatosque
ex suo numero ad Caesarem mittunt: sese paratos esse portas
aperire quaeque imperauerit facere et L. Domitium uiuum eius
potestati tradere. Quibus rebus cognitis Caesar, etsi magni inter- 21

1 dilectibus *a b*. 6 a Pompeio *a b d*, ad Pompeium *u*. 7 concilio *'mss. plerique'*, consilio *a u*. 9 sint *om. b*. arcano *b c d*, archano *a*. suis *om. d*. 18 fuisset facultas *a b*, facultas fuisset *u*. 20 milites *int. uers. b*. 21 tribunum *a b*. 22 conlocuntur *a*. 28 (existit *a*) exstitit (*b*). 30 Domitii *m. pr. a*. 33 eius potestati *a b d*, in eius potestatem *u*.

esse arbitrabatur quam primum oppido potiri cohortesque ad se in
castra traducere, ne qua aut largitionibus aut animi confirmatione
aut falsis nuntiis commutatio fieret uoluntatis, quod saepe in bello
2 paruis momentis magni casus intercederent, tamen ueritus, ne mi-
litum introitu et nocturni temporis licentia oppidum diriperetur,
eos, qui uenerant, collaudat atque in oppidum dimittit, portas mu-
3 rosque adseruari iubet. Ipse iis operibus, quae facere instituerat,
milites disponit non certis spatiis intermissis, ut erat superiorum
dierum consuetudo, sed perpetuis uigiliis stationibusque, ut con-
4 tingant inter se atque omnem munitionem expleant; tribunos mi-
litum et praefectos circummittit atque hortatur, non solum ab eru-
ptionibus caueant, sed etiam singulorum hominum occultos exitus
5 adseruent. Neque uero tam remisso ac languido animo quisquam
6 omnium fuit, qui ea nocte conquieuerit. Tanta erat summae rerum
expectatio, ut alius in aliam partem mente atque animo trahere-
tur, quid ipsis Corfiniensibus, quid Domitio, quid Lentulo, quid
22 reliquis accideret, qui quosque euentus exciperent. Quarta uigi-
lia circiter Lentulus Spinther de muro cum uigiliis custodibusque
nostris colloquitur: uelle, si sibi fiat potestas, Caesarem conuenire.
2 Facta potestate ex oppido mittitur, neque ab eo prius Domitiani
3 milites discedunt, quam in conspectum Caesaris deducatur. Cum
eo de salute sua *agit*, orat atque obsecrat, ut sibi parcat, uete-
remque amicitiam commemorat Caesarisque in se beneficia expo-
4 nit; quae erant maxima: quod per eum in collegium pontificum
uenerat, quod prouinciam Hispaniam ex praetura habuerat, quod
5 in petitione consulatus erat subleuatus. Cuius orationem Caesar
interpellat: se non maleficii causa ex prouincia egressum, sed uti
se a contumeliis inimicorum defenderet, ut tribunos plebis in ea re
ex ciuitate expulsos in suam dignitatem restitueret, ut se et popu-
lum Romanum factione paucorum oppressum in libertatem uindi-
6 caret. Cuius oratione confirmatus Lentulus, ut in oppidum reuerti

4 interciderent *b*. 7 adseruari *a*. his *a*. 11 et] atque *b*. 13 adseruent *a*. uero *Faërnus*, eo *codd.* 14 summae *Lipsius*, summa *codd.* 15 expectatio *a*. 17 exciperent *b c*, excipent *a*. circiter uigilia *b u*. 21 conspectu *a b c*. 22 agit *Th. Bentleius, om. codd. P.* 136. ut sibi *a edd. ante Ald.*, sibi ut *Aldus u*. 25 Hyspaniam *a*. ex praefectura *a b*. 26 peticione *a*. erat *a b*, ab eo erat *u*. subleuatus] sublimatus *b*. 28 in ea re *a b c*, ea re *u*. 30 factione paucorum *a*, paucorum factione *edd.* 31 uti (*a*)*? et cum uno det. u.*

liceat, petit: quod de sua salute impetrauerit, fore etiam reliquis
ad suam spem solatio; adeo esse perterritos nonnullos, ut suae ui-
tae durius consulere cogantur. Facta potestate discedit. Caesar, 23
ubi luxit, omnes senatores senatorumque liberos, tribunos militum
equitesque Romanos ad se produci iubet. Erant †quinquaginta 2
ordines L. Domitius, P. Lentulus Spinther, L. Vibullius Rufus,
Sex. Quintilius Varus quaestor, L. Rubrius; praeterea filius Do-
miti aliique complures adolescentes et magnus numerus equitum
Romanorum et decurionum, quos ex municipiis Domitius euoca-
uerat. Hos omnes productos a contumeliis militum conuiciisque 3
prohibet; pauca apud eos loquitur, quod sibi a parte eorum gratia
relata non sit pro suis in eos maximis beneficiis; dimittit omnes
incolumes. HS LX, quod aduexerat Domitius atque in publico de- 4
posuerat, adlatum ad se ab IIuiris Corfiniensibus Domitio reddit,
ne continentior in uita hominum quam in pecunia fuisse uideatur,
etsi eam pecuniam publicam esse constabat datamque a Pompeio
in stipendium. Milites Domitianos sacramentum apud se dicere 5
iubet atque eo die castra mouet iustumque iter conficit VII omnino
dies ad Corfinium commoratus et per fines Marrucinorum, Frenta-
norum, Larinatium in Apuliam peruenit.

Pompeius his rebus cognitis, quae erant ad Corfinium gestae, 24
Luceria proficiscitur Canusium atque inde Brundisium. Copias 2
undique omnes ex nouis delectibus ad se cogi iubet; seruos, pa-
stores armat atque iis equos adtribuit: ex his circiter CCC equites
conficit. L. Manlius praetor Alba cum cohortibus sex profugit, 3

4 luxit *a b*, illuxit *u*. senatorum liberos *b*. 5 quinquaginta ordines *codd.*, senatorii ordinis *u*: quinque senatorii ordinis *Dauisius; quod ita probabile uidetur, si* senatorii *post* ordinis *colloce<u>tur ibique</u>* s *excidisse existimetur.* 6 Domicius *a*. L. Vibullius *Scaliger* (Vibullius *Aldus*); L. Caecilius Spinther *a* (*is* Cec.) *e* (*hic* Spinter) *'mss. mei omnes', om. edd. ante Ald. Vid. c.* 15, 4. 34, 1. *III,* 10, 1. Caecilius *ex Cic. Fam. VIII,* 8, 5 *oscitanter Domitio ascriptus et deinde cum cognomine Lentuli alieno loco illatus genuinam scripturam expulisse uidetur, ut P.* 46 *de Firmo monui.* 7 Sextus *a*. Domiti *a*. 8 quamplures *a*. 11 sibi aperte *a*. 13 incolomes *a*. 'HS LX *uel* H LX *d*', H LX *a*; LX (*omisso* HS) *c*, peculium LX *suprasc.* stipendium *b*. publico *a b*, publicum *u*. 14 adlatum *a*. duumuiris *Aldus;* iis uiris *a*, his uiris *b edd. ante Ald.*, bis uiris *d*. reddidit *b*. 16 esse] fuisse *b*. 19 ad] apud *b*. 21 his *a edd. priores,* iis *P. Manutius u*. 23 dilectibus *a*. 24 atque hiis *a*, atque his *edd.* ex his *a edd. ante Ald. Stephanus,* ex iis *Aldus u*. 25 Albam *a 'mss. plerique'*.

Rutilius Lupus praetor Tarracina cum tribus; quae procul equita-
tum Caesaris conspicatae, cui praeerat Vibius Curius, relicto prae-
4 tore signa ad Curium transferunt atque ad eum transeunt. Item
reliquis itineribus nonnullae cohortes in agmen Caesaris, aliae in
equites incidunt. Reducitur ad eum deprensus ex itinere N. Ma-
5 gius Cremona, praefectus fabrum Cn. Pompeii. Quem Caesar ad
eum remittit cum mandatis: quoniam ad id tempus facultas collo-
quendi non fuerit, atque ipse Brundisium sit uenturus, interesse
6 reipublicae et communis salutis se cum Pompeio colloqui; neque
uero idem profici longo itineris spatio, cum per alios condiciones
25 ferantur, ac si coram de omnibus condicionibus disceptetur. His
datis mandatis Brundisium cum legionibus VI peruenit, ueteranis
III et reliquis, quas ex nouo delectu confecerat atque in itinere
2 compleuerat: Domitianas enim cohortes protinus a Corfinio in Si-
ciliam miserat. Reperit consules Dyrrhachium profectos cum
magna parte exercitus, Pompeium remanere Brundisii cum cohor-
3 tibus uiginti; neque certum inueniri poterat, obtinendine Brundi-
sii causa ibi remansisset, quo facilius omne Hadriaticum mare
extremis Italiae partibus regionibusque Graeciae in potestate ha-
beret atque ex utraque parte bellum administrare posset, an inopia
4 nauium ibi restitisset, ueritusque, ne ille Italiam dimittendam non
existimaret, exitus administrationesque Brundisini portus inpedire
5 instituit. Quorum operum haec erat ratio. Qua fauces erant an-
gustissimae portus, moles atque aggerem ab utraque parte litoris
6 iaciebat, quod his locis erat uadosum mare. Longius progressus,
cum agger altiore aqua contineri non posset, rates duplices quo-
7 que uersus pedum XXX e regione molis conlocabat. Has quater-
nis ancoris ex IIII angulis destinabat, ne fluctibus mouerentur.

1 Rutulius *a.* Tarrachina *a b.* quae *om. a.* 2 Vibius *Glandorpius;* Biuius *reliqui codd.,* Buuius *b.* Curius] praetor *add. b.* 4 aliam *a.* 5 deprensus *a,* deprehensus *edd.* N. *Perizonius,* Cn. *codd. Vid. Plut. Pomp.* 63. 6 Cremonae *a b c.* 8 ipse *Ciacconius,* ad se *codd.* Brondisium *a.* 9 et] ut *a b e.* 10 profici *a b,* perfici *u.* conditiones *et* 11 conditionibus (*a*). 13 et *Petauianus,* ut *a b; om. u.* dilectu *a.* 15 Dyrrachium (*a*). 19 regionibusque *om. b.* potestate *'mss. omnes' et linea extremae apposita a,* potestatem *u.* 21 ille Italiam *a,* Italiam ille *edd.* 22 administrationesque *int. uers. b.* inpedire *a.* 24 moles *a et deteriores,* molem *edd. ante u.* 26 quoque uersus *ego,* quoquo uersus (*a*) *edd. P.* 72. 27 p LXXX *c.* conlocabat *a.* 28 ancoris (*a*), anchoris *u.* distinabat *a b c d.*

His perfectis collocatisque alias deinceps pari magnitudine rates 8
iungebat. Has terra atque aggere integebat, ne aditus atque in- 9
cursus ad defendendum impediretur; a fronte atque ab utroque
latere cratibus ac pluteis protegebat; in quarta quaque earum tur- 10
res binorum tabulatorum excitabat, quo commodius ab impetu na-
uium incendiisque defenderet. Contra haec Pompeius nauis ma- 26
gnas onerarias, quas in portu Brundisino deprehenderat, adorna-
bat. Ibi turres cum ternis tabulatis erigebat easque multis tormen-
tis et omni genere telorum completas ad opera Caesaris appellebat,
ut rates perrumperet atque opera disturbaret. Sic cotidie utrim-
que eminus fundis, sagittis reliquisque telis pugnabatur. Atque 2
haec Caesar ita administrabat, ut condiciones pacis dimittendas
non existimaret; ac tametsi magnopere admirabatur Magium, quem
ad Pompeium cum mandatis miserat, ad se non remitti, atque ea
res saepe temptata etsi impetus eius consiliaque tardabat, tamen
omnibus rebus in eo perseuerandum putabat. Itaque Caninium 3
Rebilum legatum, familiarem necessariumque Scriboni Libonis,
mittit ad eum colloquii causa; mandat, ut Libonem de concilianda
pace hortetur; inprimis, ut ipse cum Pompeio colloqueretur, po-
stulat: magnopere sese confidere demonstrat, si eius rei sit pote- 4
stas facta, fore, ut aequis condicionibus ab armis discedatur; cuius
rei magnam partem laudis atque existimationis ad Libonem per-
uenturam, si illo auctore atque agente ab armis sit discessum.
Libo a conloquio Canini digressus ad Pompeium proficiscitur. 5
Paulo post renuntiat, quod consules absint, sine illis non posse
agi de compositione. Ita saepius rem frustra temptatam Caesar 6
aliquando dimittendam sibi iudicat et de bello agendum. Prope 27
dimidia parte operis a Caesare effecta diebusque in ea re consum-
ptis VIIII naues a consulibus Dyrrhachio remissae, quae priorem
partem exercitus eo deportauerant, Brundisium reuertuntur. Pom- 2

2 ne *om. a c.* 6 nauis *a, non* naues. 8 turris *b.* ternis] denis *b.* 9 et] ex *b.* appellabat *a.* 10 praerumperet *b.* cotidie, *nisi aliter referam, semper a.* utrinque (*a*), *om. b.* 12 Caesar ita *a,* ita Caesar *edd.* conditiones (*a*). 14 remitti] reuerti *b.* 15 temptata, *ubicumque tacebo, a.* 17 necessarium *omissa copula a* '*mss.* 6'. Scriboni *a b.* 19 in primis (*a*). 21 conditionibus (*a*). 24 a] ad *ante corr. a.* conloquio *a.* Canini *a.* 25 non posse agi de compositione *a b c d,* de compositione agi non posse *u.* 28 diebus in *b.* consumptis, *non* consumtis, *et similiter omnia huius generis, ubicumque nihil monuero, a.* 29 Dirrachio *a.*

peius siue operibus Caesaris permotus siue etiam quod ab initio
Italia excedere constituerat aduentu nauium profectionem parare
3 incipit et, quo facilius impetum Caesaris tardaret, ne sub ipsa pro-
fectione milites oppidum inrumperent, portas obstruit, uicos pla-
teasque inaedificat, fossas transuersas uiis praeducit atque ibi su-
4 des stipitesque praeacutos defigit. Haec leuibus cratibus terraque
inaequat; aditus autem atque itinera duo, quae extra murum ad
portum ferebant, maximis defixis trabibus atque eis praeacutis
5 praesepit. His paratis rebus milites silentio naues conscendere
iubet, expeditos autem ex euocatis, sagittariis funditoribusque ra-
6 ros in muro turribusque disponit. Hos certo signo reuocare con-
stituit, cum omnes milites naues conscendissent, atque iis expe-
28 dito loco actuaria nauigia relinquit. Brundisini Pompeianorum
militum iniuriis atque ipsius Pompeii contumeliis permoti Caesaris
2 rebus fauebant. Itaque cognita Pompeii profectione concursanti-
bus illis atque in ea re occupatis uulgo ex tectis significabant.
Per quos re cognita Caesar scalas parari militesque armari iubet,
3 ne quam rei gerendae facultatem dimittat. Pompeius sub noctem
naues soluit. Qui erant in muro custodiae causa conlocati, eo si-
gno, quod conuenerat, reuocantur notisque itineribus ad naues de-
4 currunt. Milites positis scalis muros ascendunt, sed moniti a
Brundisinis, ut uallum caecum fossasque caueant, subsistunt et
longo itinere ab his circumducti ad portum perueniunt duasque
naues cum militibus, quae ad moles Caesaris adhaeserant, scaphis
29 lintribusque reprehendunt, reprehensas excipiunt. Caesar, etsi
ad spem conficiendi negotii maxime probabat coactis nauibus mare
transire et Pompeium sequi, priusquam ille sese transmarinis au-
xiliis confirmaret, tamen eius rei moram temporisque longinquita-
tem timebat, quod omnibus coactis nauibus Pompeius praesentem
2 facultatem insequendi sui ademerat. Relinquebatur, ut ex longin-
quioribus regionibus Galliae Picenique et a freto naues essent
expectandae. Id propter anni tempus longum atque impeditum ui-

4 inrumperent *a*. 5 *ante* fossas *add.* ac *a b*. 9 paratis] peractis *pro uar. lect. d*. 12 his *a*. 13 Pompeiorum *a*. 15 rebus] partibus *b*. 19 conlocati *a*. 20 noctisque *a*. 21 ascendunt (*a*). 22 Brundinis *a*. uallem caecum fossisque *a b*. 23 circumdati *a*. 24 adheserant *a*. 25 lyntribusque *a*. reprehendunt, reprehensas *a b c d;* deprehendunt, deprehensas *u*. 27 illi esse *a* c *post* illi *sec. m. suprasc.*, se illic *b*. 30 longinquis *b*. 32 expectandae *a*.

debatur. Interea ueterem exercitum, duas Hispanias confirmari, 3
quarum erat altera maximis beneficiis Pompei deuincta, auxilia,
equitatum parari, Galliam Italiamque temptari se absente nolebat.
Itaque in praesentia Pompei sequendi rationem omittit, in Hispa- 30
niam proficisci constituit: duumuiris municipiorum omnium impe-
rat, ut naues conquirant Brundisiumque deducendas curent. Mit- 2
tit in Sardiniam cum legione una Valerium legatum, in Siciliam
Curionem pro praetore cum legionibus IIII; eundem, cum Siciliam
recepisset, protinus in Africam traducere exercitum iubet. Sar-
diniam obtinebat M. Cotta, Siciliam M. Cato; Africam sorte Tu-
bero obtinere debebat. Caralitani, simul ad se Valerium mitti au- 3
dierunt, nondum profecto ex Italia sua sponte Cottam ex oppido
eiciunt. Ille perterritus, quod omnem prouinciam consentire intel-
legebat, ex Sardinia in Africam profugit. Cato in Sicilia naues 4
longas ueteres reficiebat, nouas ciuitatibus imperabat. Haec ma-
gno studio agebat. In Lucanis Bruttiisque per legatos suos ciui-
um Romanorum delectus habebat, equitum peditumque certum nu-
merum a ciuitatibus Siciliae exigebat. Quibus rebus paene per- 5
fectis aduentu Curionis cognito queritur in contione sese proiectum
ac proditum a Cn. Pompeio, qui omnibus rebus imparatissimis
non necessarium bellum suscepisset et ab se reliquisque in senatu
interrogatus omnia sibi esse ad bellum apta ac parata confirmauis-
set. Haec in contione questus ex prouincia fugit. Nacti uacuas 31
ab imperiis Sardiniam Valerius, Curio Siciliam cum exercitibus
eo perueniunt. Tubero, cum in Africam uenisset, inuenit in pro- 2
uincia cum imperio Attium Varum; qui ad Auximum, ut supra
demonstrauimus, amissis cohortibus protinus ex fuga in Africam

1 Hyspanias *a*. 2 erat altera *a Stephanus*, altera erat *ceterae edd.* Pompei *a et* Pompeii *edd. ante u*, Pompeio *sine annotatione u*. 4 Pompei *a*. sequendi *a*, sequi *b*; insequendi *u*. Hyspaniam *a*. 8 pro praetore *Petauianus*, prop. R. *a b*; propraetorem *u*. IIII *Dauisius*, III *codd. Vid. II*, 23, 1. 37, 4. 9 Africa transducere *a*. 10 Cocta *a*. 12 profectum *b*. Cottam ex oppido *a Stephanus*, ex oppido Cottam *ceterae edd.* 13 intellegebat *a et* 3 *dett.*, intellegeret *u* (intellegere, *non* intelligere, *ubique a*). 15 hoc *b*. 16 Brutiisque *a et omissa copula c*. 17 dilectus *a*. 18 pene *a*. 19 concione (*a*). 20 imparatissimis *a* (*is* imper.) '*mss. et edd. qdd.*', imparatissimus *u*. 21 reliquisset in senatum *cum punctis sub* set *et suprasc.* que *a*. 23 concione (*a*). 24 imperiis] prouincias *add. b*. Syciliam *a*. 26 cum imperio *om. b*. ad auxilium *m. pr. a*.

peruenerat atque eam sua sponte uacuam occupauerat delectuque
habito duas legiones effecerat hominum et locorum notitia et usu
eius prouinciae nactus aditus ad ea conanda, quod paucis ante an-
3 nis ex praetura eam prouinciam obtinuerat. Hic uenientem Vticam
nauibus Tuberonem portu atque oppido prohibet neque adfectum
ualetudine filium exponere in terram patitur, sed sublatis ancoris
excedere eo loco cogit.

32 His rebus confectis Caesar, ut reliquum tempus a labore in-
termitteretur, milites in proxima municipia deducit; ipse ad urbem
2 proficiscitur. Coacto senatu iniurias inimicorum commemorat.
Docet se nullum extraordinarium honorem appetisse, sed expecta-
to legitimo tempore consulatus eo fuisse contentum, quod omnibus
3 ciuibus pateret. Latum ab X tribunis plebis contradicentibus ini-
micis, Catone uero acerrime repugnante et pristina consuetudine
dicendi mora dies extrahente, ut sui ratio absentis haberetur, ipso
consule Pompeio; qui si improbasset, cur ferri passus esset? si
4 probasset, cur se uti populi beneficio prohibuisset? Patientiam
proponit suam, cum de exercitibus dimittendis ultro postulauisset;
5 in quo iacturam dignitatis atque honoris ipse facturus esset. Acer-
bitatem inimicorum docet, qui, quod ab altero postularent, in se
recusarent atque omnia permisceri mallent, quam imperium exer-
6 citusque dimittere. Iniuriam in eripiendis legionibus praedicat,
crudelitatem et insolentiam in circumscribendis tribunis plebis;
condiciones a se latas, expetita colloquia et denegata commemo-
7 rat. Pro quibus rebus hortatur ac postulat, ut rempublicam susci-
piant atque una secum administrent. Sin timore defugiant, illis se
8 oneri non futurum et per se rempublicam administraturum. Lega-
tos ad Pompeium de compositione mitti oportere: neque se refor-
midare, quod in senatu Pompeius paulo ante dixisset, ad quos le-

1 dilectuque *a*. 2 notitia *om. m. pr. b, qui* noticiam *in marg. habet et deinde* usum. 5 adfectum *a*. 6 ualetudinem *a*, ualitudine '*mss. ut semper*'. terra *a b*. ancoris (*a*), *non* anchoris. 10 coacto] et acto *a b c*. 11 expectato *a*. 13 ab octrib. pl. *a*. 14 Catonem — repugnantem — extrahentem *a b*. 16 cur fieri *b*. si probasset *a* '*mss. 8*', sin probasset *Aldus u*. 17 cursu uti *a*. 19 atque] et *b*. 20 quid quod ab alterorum *a b*. 22 legionibus *Aldus*, legibus *codd*. 24 conditiones (*a*). expetita *a b* (*is* exped.) *c*, et expetita *u*. 25 hortatur *a b c d*, orat *u*. ut *a b c d*, *om. u*. 26 sint *a*. 29 Pompeius paulo ante *a Stephanus*, paulo ante Pompeius *reliquae edd*.

gati mitterentur, his auctoritatem attribui timoremque eorum, qui
mitterent, significari. Tenuis atque infirmi haec animi uideri. Se
uero, ut operibus anteire studuerit, sic iustitia et aequitate uelle
superare. Probat rem senatus de mittendis legatis; sed, qui mit- 33
terentur, non reperiebantur, maximeque timoris causa pro se quis-
que id munus legationis recusabat. Pompeius enim discedens ab 2
urbe in senatu dixerat eodem se habiturum loco, qui Romae re-
mansissent et qui in castris Caesaris fuissent. Sic triduum dispu- 3
tationibus excusationibusque extrahitur. Subicitur etiam L. Me-
tellus, tribunus plebis, ab inimicis Caesaris, qui hanc rem distrahat
reliquasque res, quascumque agere instituerit, impediat. Cuius 4
cognito consilio Caesar frustra diebus aliquot consumptis, ne reli-
quum tempus amittat, infectis iis, quae agere destinauerat, ab urbe
proficiscitur atque in ulteriorem Galliam peruenit. Quo cum ue- 34
nisset, cognoscit missum a Pompeio Vibullium Rufum, quem pau-
cis ante diebus Corfinio captum ipse dimiserat; profectum item 2
Domitium ad occupandam Massiliam nauibus actuariis septem,
quas Igili et in Cosano a priuatis coactas seruis, libertis, colonis
suis compleuerat; praemissos etiam legatos Massilienses domum, 3
nobiles adulescentes, quos ab urbe discedens Pompeius erat ad-
hortatus, ne noua Caesaris officia ueterum suorum beneficiorum
in eos memoriam expellerent. Quibus mandatis acceptis Massi- 4
lienses portas Caesari clauserant; Albicos, barbaros homines, qui
in eorum fide antiquitus erant montesque supra Massiliam incole-
bant, ad se uocauerant; frumentum ex finitimis regionibus atque 5
ex omnibus castellis in urbem conuexerant; armorum officinas in
urbe instituerant; muros, portas, classem reficiebant. Euocat ad 35

1 his *a edd. ante Aldum*, iis *Aldus u.* attribuit *a b.* 2 significare *a b.* se uero] siu *cum* o *super* u *a.* 3 opibus *a c.* anteire *c d,* anteiri *a b.* et] atque *b.* 5 repperiebantur *a.* 9 excusati omnibusque *a,* omnibusque *b.* 11 quascunque (*a*). 13 amittat *ego,* mittat *a b;* omittat *u.* infectis is *a.* 14 atque] et *b.* cum peruenisset *b.* 15 missum *a b c*, missum in Hispaniam *Aldus u. P.* 166. Vibellium *a,* Iubellium *e et alterumutrum 'mss. plerique'.* 17 occupandam (*a*) *'mss. plerique'*, occupandum *u.* 18 Sigili *a c d,* Sigilli *b;* Igilii *u.* Casono *a,* Casano *b.* 19 Massiliensos *a.* 20 adulescentes *a.* 22 Maxilienses *a.* 23 Albiccos *a.* 25 atque in omnibus *a b.* 26 officinas in urbem *a b.* 27 instituerant] euexerant *m. pr. a.* portas classem *c,* portis clausem *a,* portas claustris *b;* classem portas *u.*

se Caesar Massilia XV primos. Cum his agit, ne initium inferendi
belli ab Massiliensibus oriatur: debere eos Italiae totius aucto-
ritatem sequi potius, quam unius hominis uoluntati obtemperare.
2 Reliqua, quae ad eorum sanandas mentes pertinere arbitrabatur,
3 commemorat. Cuius orationem legati domum referunt atque ex
auctoritate haec Caesari renuntiant: Intellegere se diuisum esse
populum Romanum in duas partes. Neque sui iudicii neque suarum
4 esse uirium decernere, utra pars iustiorem habeat causam. Prin-
cipes uero esse earum partium Cn. Pompeium et C. Caesarem,
patronos ciuitatis; quorum alter agros Volcarum Arecomicorum
et Heluiorum publice iis concesserit, alter bello uictos Sallyas ad-
5 tribuerit uectigaliaque auxerit. Quare paribus eorum beneficiis
parem se quoque uoluntatem tribuere debere et neutrum eorum
36 contra alterum iuuare aut urbe aut portibus recipere. Haec dum
inter eos aguntur, Domitius nauibus Massiliam peruenit atque ab
iis receptus urbi praeficitur: summa ei belli administrandi permit-
2 titur. Eius imperio classem quoque uersus dimittunt; onerarias
naues, quas ubique possunt, deprehendunt atque in portum dedu-
cunt, parum clauis aut materia atque armamentis instructis ad re-
3 liquas armandas reficiendasque utuntur: frumenti quod inuentum
est in publicum conferunt; reliquas merces commeatusque ad ob-
4 sidionem urbis, si accidat, reseruant. Quibus iniuriis permotus
Caesar legiones tres Massiliam adducit; turres uineasque ad op-
pugnationem urbis agere, naues longas Arelate numero XII facere
5 instituit. Quibus effectis armatisque diebus XXX, a qua die ma-
teria caesa est, adductisque Massiliam his D. Brutum praeficit,
C. Trebonium legatum ad oppugnationem Massiliae relinquit.

1 Massilia *aliquot dett.*, Massiliam *a b*; Massiliensium *u*. cum is *a*. inferendi *om. b*. 5 orationem legati domum '*mss. plerique*', legati orationem domum *a*. 6 renuntiat *a*. esse *int. uers. b*. 7 Romanum *om. a 'mss. 7'*. duas partes *a*, partes duas *edd.* 8 decernere *I. Fr. Gronouius*, discernere *codd.* habebat *a*. 9 illarum *b*. 10 Volgarum *a 'mss.'* 11 Heluiorum *Lipsius* (Heluorum *P. Manutius*); Iluiorum *a*, Hiluorum *b*, Iluorum '*iidem mss.*', *qui* Volgarum, '*et plures*'. publice is *a*. uictos Sallyas *Glandorpius*; uictas Gallias *codd.*, *sed* Galliae *a*, Gallie *b*. *P.* 136 *extr.* adtribuerit *a*. 14 aut portibus '*mss. longe plurimi*, *non per* u'; an porticus *a*, aut portu *b*. 15 ab his *a*. 16 bella administranda *ante corr. a*. 17 classem imperio *a*. quoque uersus *b*, quoquo uersus (*a*) *edd. P.* 72. 18 ubi possunt *a*. 19 instructas *m. pr. b*. 22 urbis accidant *a b*. reseruant] referuntur *b*. 23 turris *corr. a*. 25 diebus xxx] xxxma die *b*.

Dum haec parat atque administrat, C. Fabium legatum cum 37
legionibus III, quas Narbone circumque ea loca hiemandi causa
disposuerat, in Hispaniam praemittit celeriterque saltus Pyrenaeos
occupari iubet, qui eo tempore ab L. Afranio legato praesidiis te-
nebantur. Reliquas legiones, quae longius hiemabant, subsequi 2
iubet. Fabius, ut erat imperatum, adhibita celeritate praesidium 3
ex saltu deiecit magnisque itineribus ad exercitum Afranii con-
tendit. Aduentu L. Vibullii Rufi, quem a Pompeio missum in Hi- 38
spaniam demonstratum est, Afranius et Petreius et Varro, legati
Pompeii, quorum unus Hispaniam citeriorem *tribus legionibus, al-
ter ulteriorem* a saltu Castulonensi ad Anam duabus legionibus,
tertius ab Ana Vettonum agrum Lusitaniamque pari numero le-
gionum optinebat, officia inter se partiuntur, uti Petreius ex Lu- 2
sitania per Vettones cum omnibus copiis ad Afranium proficiscatur,
Varro cum iis, quas habebat, legionibus omnem ulteriorem Hi-
spaniam tueatur. His rebus constitutis equites auxiliaque toti Lu- 3
sitaniae a Petreio, Celtiberiae, Cantabris barbarisque omnibus,
qui ad Oceanum pertinent, ab Afranio imperantur. Quibus coa- 4
ctis celeriter Petreius per Vettones ad Afranium peruenit, consti-
tuuntque communi consilio bellum ad Ilerdam propter ipsius loci
opportunitatem gerere. Erant, ut supra demonstratum est, legio- 39
nes Afranii III, Petreii duae, praeterea scutatae [citerioris prouin-
ciae] et cetratae [ulterioris Hispaniae] cohortes circiter LXXX
equitumque [utriusque prouinciae] circiter V milia. Caesar legio- 2
nes in Hispaniam praemiserat [ad] VI [milia]. Auxilia peditum ..
milia, equitum III milia omnibus superioribus bellis habuerat et pa-
rem ex Gallia numerum, quam ipse pacauerat, nominatim ex omni-

3 Hyspaniam *a*. saltus Pyrenaeos *a*, Pyrenaeos saltus *edd.* (Pirenos *b*). 5 hyemabant *a*. 7 exaltu *a*. 8 L. *a 'ceteri'*, *om. b*. Vibulii *a*, Iubuli *e*: 'Vibuli, Bibuli, Vibelli, Vibili, Iubilii *mss.*' Hispania *a e*. 10 tribus legionibus, alter ulteriorem *ego suppleui*, *om. a* '*mss.* 8'. *P.* 137; *ubi quod me originem uulgatae scripturae ignorare dixi, ea Aldo debetur.* 12 ab *om. b c*. Bettonum *a*: 'Betonum, Bettonum, Vetonum, Vectonum *mss. hic et mox*'. 13 optinebat *a*. 15 cum is *a*. 16 toti *Stephanus*, totius *codd.* 17 Celtiberiae *a 'reliqui'*, Celtiberis 2 *dett. u.* 19 ad erarium *a b*. constituuntque *a b*, constituunt *u*. 20 Igerdam *a*. 22 *et* 23 *et* 24 *uncos ego posui. P.* 138. 24 equitumque *a b*, equitum *u*. *De* §. 2 *uid. P.* 139. 25 ad VI mil. auxilia peditum milla *a*. 26 omnibus *reliqui*, quae omnibus *d*. 27 quam *b d*, quamquam *a*; quem *u*. pacauerat *a b c d*, parauerat *u*.

bus ciuitatibus nobilissimo quoque euocato, † hinc optimi generis
hominum ex Aquitanis montanisque, qui Galliam prouinciam at-
3 tingunt .... † Audierat Pompeium per Mauritaniam cum legioni-
bus iter in Hispaniam facere confestimque esse uenturum. Simul
a tribunis militum centurionibusque mutuas pecunias sumpsit; has
4 exercitui distribuit. Quo facto duas res consecutus est, quod pi-
gnore animos centurionum deuinxit et largitione militum uolunta-
40 tes redemit. Fabius finitimarum ciuitatum animos litteris nuntiis-
que temptabat. In Sicore flumine pontes effecerat duos distantes
inter se milia passuum IIII. His pontibus pabulatum mittebat, quod
ea, quae citra flumen fuerant, superioribus diebus consumpserat.
2 Hoc idem fere atque eadem de causa Pompeiani exercitus duces
faciebant, crebroque inter se equestribus proeliis contendebant.
3 Huc cum cotidiana consuetudine egressae pabulatoribus praesidio
propiore *ponte* legiones Fabianae duae flumen transissent, impe-
dimentaque et omnis equitatus sequeretur, subito ui uentorum et
aquae magnitudine pons est interruptus et reliqua multitudo equi-
4 tum interclusa. Quo cognito a Petreio et Afranio ex aggere atque
cratibus, quae flumine ferebantur, celeriter suo ponte Afranius,
quem oppido castrisque coniunctum habebat, legiones III equita-
tumque omnem traiecit duabusque Fabianis occurrit legionibus.
5 Cuius aduentu nuntiato L. Plancus, qui legionibus praeerat, ne-
cessaria re coactus locum capit superiorem diuersamque aciem in
6 duas partes constituit, ne ab equitatu circumueniri posset. Ita
congressus impari numero magnos impetus legionum equitatusque
7 sustinet. Commisso ab equitibus proelio signa legionum duarum
procul ab utrisque conspiciuntur, quas C. Fabius ulteriore ponte
subsidio nostris miserat suspicatus fore id, quod accidit, ut duces
aduersariorum occasione et beneficio fortunae ad nostros oppri-
mendos uterentur. Quarum aduentu proelium dirimitur, ac suas

1 nobilissimo *a b c*, nobilissimo et fortissimo *u*. huic optimi *c*. 3 † audierat *seqq. P.* 138 *extr.* 4 Hyspaniam *a*. 7 militum uoluntates redemit *a Stephanus*, redemit militum uoluntates *reliquae edd.* 9 effecit *b*. distantes inter se *a*, distantes a se *b*; inter se distantes *u*. 10 is pontibus *a*. 11 diebus *om. a*. 14 huc *om. b*. egressae *Iurinius*, congressae *codd.* 15 propiore ponte legiones *ego*; proprio relegiones *cum punctis sub* re *a*, proprio legiones *reliqui. P.* 141. 16 ui uentorum *Noruicensis*, iumentorum *reliqui codd.* 20 III *a b*, IV *u*. 25 legionem *a*. 26 legionum duarum *a*, duarum legionum *edd.* 28 id *om. b*.

uterque legiones reducit in castra. Eo biduo Caesar cum equiti- 41
bus DCCCC, quos sibi praesidio reliquerat, in castra peruenit.
Pons, qui fuerat tempestate interruptus, paene erat refectus: hunc
nocte perfici iussit. Ipse cognita locorum natura ponti castrisque 2
praesidio sex cohortis reliquit atque omnia impedimenta et postero
die omnibus copiis triplici instructa acie ad Ilerdam proficiscitur
et sub castris Afranii constitit et ibi paulisper sub armis moratus
facit aequo loco pugnandi potestatem. Potestate facta Afranius
copias educit et in medio colle sub castris constituit. Caesar, ubi 3
cognouit per Afranium stare, quo minus proelio dimicaretur, ab
infimis radicibus montis intermissis circiter passibus CCCC castra
facere constituit et, ne in opere faciundo milites repentino hostium 4
incursu exterrerentur atque opere prohiberentur, uallo muniri ue-
tuit, quod eminere et procul uideri necesse erat, sed a fronte con-
tra hostem pedum XV fossam fieri iussit. Prima et secunda acies
in armis, ut ab initio constituta erat, permanebat; post hos opus
in occulto a III acie fiebat. Sic omne prius est perfectum, quam 5
intellegeretur ab Afranio castra muniri. Sub uesperum Caesar 6
intra hanc fossam legiones reducit atque ibi sub armis proxima
nocte conquiescit. Postero die omnem exercitum intra fossam 42
continet et, quod longius erat agger petendus, in praesentia simi-
lem rationem operis instituit singulaque latera castrorum singulis
attribuit legionibus munienda fossasque ad eandem magnitudinem
perfici iubet; reliquas legiones in armis expeditas contra hostem
constituit. Afranius Petreiusque terrendi causa atque operis im- 2
pediendi copias suas ad infimas montis radices producunt et proe-
lio lacessunt, neque idcirco Caesar opus intermittit confisus prae- 3
sidio legionum trium et munitione fossae. Illi non diu commorati 4
nec longius ab infimo colle progressi copias in castra reducunt.
Tertio die Caesar uallo castra communit; reliquas cohortes, quas 5
in superioribus castris reliquerat, impedimentaque ad se traduci

2 sibi *Aldus,* ibi *a b d.* 3 pene *a.* 4 nocte *a b c,* noctu *u.* 5 ex cohortis *a,* x cohortis *b.* reliquid *a et* reliquit *'mss. 2' edd. ante Graeu. praeter Steph.,* relinquit *Steph. Graeu. u.* 6 *ante* omnibus *add.* cum *b.* 10 per *om. a 'mss. 8'.* 11 infirmis *a.* 12 faciundo *a b, non* faciendo. 13 prohibentur *a.* metuit *a b.* 14 contra *Aldus,* castra contra *a 'mss. plerique'.* 16 post hoc *b.* 17 a III] XIII *a b.* 18 Caesar] castra *ante corr. a.* 21 praesentiam *b c.* 25 Petroniusque *ante corr. a.* terendi *a.* 26 suas copias *b.* 27 intermisit *c.* 29 infirmo *ante corr. a.* 30 quas *om. a.*

43 iubet. Erat inter oppidum Ilerdam et proximum collem, ubi castra
Petreius atque Afranius habebant, planicies circiter passuum CCC,
2 atque in hoc fere medio spatio tumulus erat paulo editior; quem
si occupauisset Caesar et communisset, ab oppido et ponte et com-
meatu omni, quem in oppidum contulerant, se interclusurum ad-
3 uersarios confidebat. Hoc sperans legiones III ex castris educit
acieque in locis idoneis instructa unius legionis antesignanos pro-
4 currere atque eum tumulum occupare iubet. Qua re cognita cele-
riter quae in statione pro castris erant Afrani cohortes breuiore
5 itinere ad eundem occupandum locum mittuntur. Contenditur
proelio, et quod prius in tumulum Afraniani uenerant, nostri re-
pelluntur atque aliis summissis subsidiis terga uertere seque ad si-
44 gna legionum recipere coguntur. Genus erat pugnae militum illo-
rum, ut magno impetu primo procurrerent, audacter locum cape-
rent, ordines suos non magnopere seruarent, rari dispersique pu-
2 gnarent; si premerentur, pedem referre et loco excedere non turpe
existimarent cum Lusitanis reliquisque barbaris genere quodam
3 pugnae adsuefacti; quod fere fit, quibus quisque in locis miles in-
ueterauerit, ut multum earum regionum consuetudine moueatur.
4 Haec tum ratio nostros perturbauit insuetos huius generis pugnae:
circumiri enim sese ab aperto latere procurrentibus singulis arbi-
trabantur; ipsi autem suos ordines seruare neque ab signis disce-
dere neque sine graui causa eum locum, quem ceperant, dimitti
5 consuerant oportere. Itaque perturbatis antesignanis legio, quae
in eo cornu constiterat, locum non tenuit atque in proximum col-
45 lem sese recepit. Caesar paene omni acie perterrita, quod prae-
ter opinionem consuetudinemque acciderat, cohortatus suos legio-

1 inter oppidum Ilerdam et proximum collem *Vascosanus*, in oppido Ilerda et proximo colle *codd.* 2 Preteius atque franius *a.* 'planicies *siue* planities *mei omnes*', planitia *a.* passuum *om. a,* pedum *b.* 4 occupauisset *a b,* occupasset *u.* communiuisset *a b.* 5 contulerat *a.* 7 structa *secundum Achaintrium a, quod Beyerlius non retulit, Oudendorpius in duobus dett. inuenit.* 8 eum tumulum occupare *a Stephanus,* occupare eum tumulum *ceterae edd.* 9 Afrani *a.* 12 summissis] summis *a b.* 17 reliquis barbaris *b.* 18 adsuefacti *a.* quisque *om. e.* in *om. b.* inueterauerit *a e edd. ante Graeu. alt.,* inueterauit *Graeu. alt. et sine annotatione u.* 19 ut *a 'mss. et edd. qdd.',* uti *u.* multum] militum *a.* 20 tum *c d e;* tam *a,* tamen *u.* perturbauit (*a*) *b c d e,* perturbat *u.* generis *om. b.* 24 consuerant *ego,* censuerant *codd.* oportuere *ante corr. a.* ita *b.* 25 locum continuit *a b c.* 26 pene *a.*

nem nonam subsidio ducit; hostem insolenter atque acriter nostros
insequentem subprimit rursusque terga uertere seque ad oppidum
Ilerdam recipere et sub muro consistere cogit. Sed nonae legio- 2
nis milites elati studio, dum sarcire acceptum detrimentum uolunt,
temere insecuti longius fugientis in locum iniquum progrediuntur
et sub montem, in quo erat oppidum positum Ilerda, succedunt.
Hinc se recipere cum uellent, rursus illi ex loco superiore nostros 3
premebant. Praeruptus locus erat, utraque ex parte directus ac 4
tantum in latitudinem patebat, ut tres instructae cohortes eum lo-
cum explerent, ut neque subsidia ab lateribus submitti neque equi-
tes laborantibus usui esse possent. Ab oppido autem decliuis lo- 5
cus tenui fastigio uergebat in longitudinem passuum circiter CCCC.
Hac nostris erat receptus, quod eo incitati studio inconsultius pro- 6
cesserant; hoc pugnabatur loco, et propter angustias iniquo et
quod sub ipsis radicibus montis constiterant, ut nullum frustra te-
lum in eos mitteretur. Tamen uirtute et patientia nitebantur atque
omnia uulnera sustinebant. Augebatur illis copia, atque ex castris 7
cohortes per oppidum crebro submittebantur, ut integri defessis
succederent. Hoc idem Caesar facere cogebatur, ut summissis in 8
eundem locum cohortibus defessos reciperet. Hoc cum esset modo **46**
pugnatum continenter horis quinque, nostrique grauius a multitu-
dine premerentur, consumptis omnibus telis gladiis destrictis im-
petum aduersus montem in cohortis faciunt paucisque deiectis re-
liquos sese conuertere cogunt. Submotis sub murum cohortibus 2
ac nonnulla parte propter terrorem in oppidum compulsis facilis
est nostris receptus datus. Equitatus autem noster ab utroque la- 3
tere, etsi deiectis atque inferioribus locis constiterat, tamen in
summum iugum uirtute conititur atque inter duas acies perequitans
commodiorem ac tutiorem nostris receptum dat. Ita uario certa- 4
mine pugnatum est. Nostri in primo congressu circiter LXX ceci-
derunt, in his Q. Fulginius ex primo hastato legionis XIIII, qui

1 nouam *a* '*mss.* 3'. sub dio ducit *b*. 2 subprimit *a*. 3 nouae '*mss.* 3'. 5 longius *a b, om. u.* fugientis *a*. 6 monte *c*. positum *int. uers. b*. 10 ut neque *a b*, et neque *u*. ab lateribus *a*, a lateribus *edd.* 11 decliuis *a c d et m. pr. b*, editus *sec. m. b*. 15 in eos telum *b*. 17 augebatur illis copia *a b c*, augebantur illis copiae *u*. 19 summissis *m. pr.*, submissis *sec. a*. 22 destrictis 3 *dett.*, districtis (*a*) *edd. ante u*. 23 cohortis *a b*. delectis *a*. 27 dilectis *a*. in summum *edd. ante u*, summam *a*; summum in *b u*. 28 conititur *a*. 30 nostri primo *b*. 31 Fulginius primus hastatus *Vascosanus: at uid. II,* 35, 1.

propter eximiam uirtutem ex inferioribus ordinibus in eum locum
5 peruenerat; uulnerantur amplius DC. Ex Afranianis interficiun-
tur T. Caecilius, primi pili centurio, et praeter eum centuriones
47 IIII, milites amplius CC. Sed haec eius diei praefertur opinio, ut
2 se utrique superiores discessisse existimarent: Afraniani, quod,
cum esse omnium iudicio inferiores uiderentur, comminus tam diu
stetissent et nostrorum impetum sustinuissent et initio locum tumu-
lumque tenuissent, quae causa pugnandi fuerat, et nostros primo
3 congressu terga uertere coëgissent; nostri autem, quod iniquo lo-
co atque impari congressi numero quinque horis proelium susti-
nuissent, quod montem gladiis destrictis ascendissent, quod ex lo-
co superiore terga uertere aduersarios coëgissent atque in oppi-
4 dum compulissent. Illi eum tumulum, pro quo pugnatum est, ma-
48 gnis operibus munierunt praesidiumque ibi posuerunt. Accidit
etiam repentinum incommodum biduo, quo haec gesta sunt. Tanta
enim tempestas cooritur, ut numquam illis locis maiores aquas
2 fuisse constaret. Tum autem ex omnibus montibus niues proluit
ac summas ripas fluminis superauit pontisque ambo, quos C. Fa-
3 bius fecerat, uno die interrupit. Quae res magnas difficultates
exercitui Caesaris attulit. Castra enim, ut supra demonstratum
est, cum essent inter flumina duo, Sicorim et Cingam, spatio mi-
lium XXX, neutrum horum transiri poterat, necessarioque omnes
4 his angustiis continebantur. Neque ciuitates, quae ad Caesaris
amicitiam accesserant, frumentum supportare, neque ii, qui pabu-
latum longius progressi erant, interclusi fluminibus reuerti, neque
maximi commeatus, qui ex Italia Galliaque ueniebant, in castra
5 peruenire poterant. Tempus erat autem difficillimum, quo neque
frumenta in hibernis erant neque multum a maturitate aberant, ac
ciuitates exinanitae, quod Afranius paene omne frumentum ante
Caesaris aduentum Ilerdam conuexerat, reliqui si quid fuerat,

2 uulneratur *a*. interficiunt *a*. 4 huius *ante corr. a*. 6 cominus (*a*). tam *a b c*, tamen *u*. 11 destrictis *a* 2 *dett.*, districtis *edd. ante u*. ascendissent (*a*). 14 praesidium ibi *b*. 15 gestas tanta *a*. 16 quo oritur *a*. nunquam (*a*). maioris *a*. 17 niues *a c d*, niuis *b*. proluit *a d*, proluitur *c*, pluit *b*. 18 pontisque ambo *a b*, *non* pontesque ambos. 22 transiri] transferri *b*. 23 ne ciuitates *b*. 24 amiciciam *a*. supportarent quod ii *a* (*is* hi) *b*. 26 commeatus *Beroaldus*, comitatus *codd. P.* 142. 27 erat autem *a* '*mss. quidam*'; autem erat anni *cod. Vrs. u*, *sed* 'anni *om. mss. plerique*'. 28 hybernis *a*. a ciuitate *a*, et ciuitates *b*. 29 pene *a*.

Caesar superioribus diebus consumpserat: pecora, quod secundum 6
poterat esse inopiae subsidium, propter bellum finitimae ciuitates
longius remouerant. Qui erant pabulandi aut frumentandi causa 7
progressi, hos leuis armaturae Lusitani peritique earum regionum
cetrati citerioris Hispaniae consectabantur; quibus erat procliue
tranare flumen, quod consuetudo eorum omnium est, ut sine utri-
bus ad exercitum non eant. At exercitus Afrani omnium rerum 49
abundabat copia. Multum erat frumentum prouisum et conuectum
superioribus temporibus, multum ex omni prouincia comportaba-
tur; magna copia pabuli suppetebat. Harum omnium rerum facul- 2
tates sine ullo periculo pons Ilerdae praebebat et loca trans flumen
integra, quo omnino Caesar adire non poterat. Hae permanse- 50
runt aquae dies complures. Conatus est Caesar reficere pontes:
sed nec magnitudo fluminis permittebat, neque ad ripam dispositae
cohortes aduersariorum perfici patiebantur; quod illis prohibere 2
erat facile cum ipsius fluminis natura atque aquae magnitudine,
tum quod ex totis ripis in unum atque angustum locum tela iacie-
bantur; atque erat difficile eodem tempore rapidissimo flumine 3
opera perficere et tela uitare. Nuntiatur Afranio magnos commea- 51
tus, qui iter habebant ad Caesarem, ad flumen constitisse. Vene-
rant eo sagittarii ex Rutenis, equites ex Gallia cum multis carris
magnisque impedimentis, ut fert Gallica consuetudo. Erant prae- 2
terea cuiusque generis hominum milia circiter VI cum seruis libe-
risque; sed nullus ordo, nullum imperium certum, cum suo quis-
que consilio uteretur, atque omnes sine timore iter facerent usi
superiorum temporum atque itinerum licentia. Erant complures 3
honesti adulescentes, senatorum filii et ordinis equestris; erant le-
gationes ciuitatum; erant legati Caesaris. Hos omnes flumina
continebant. Ad hos opprimendos cum omni equitatu tribusque 4
legionibus Afranius de nocte proficiscitur inprudentesque ante mis-
sis equitibus adgreditur. Celeriter sese tamen Galli equites expe-

2 inopiae] in opere *a* '*mss.* 6'. 6 tranare *a*, *non* transnare. earum *ante corr. a*. utribus *Aldus*, utrisque *a* '*mss.* 6'. 7 Afrani *a*. 10 omnium rerum *a Stephanus*, rerum omnium *ceterae edd.* 16 cum *a b*, tum *u*. 17 tum *om. a b*. 19 comitatus *codd. P.* 142. 23 libertisque *Hotomanus; sed liberos recte Apitzius τέκνα interpretatus est.* 25 consilio] iudicio *m. pr. b*. usu *a b d*. 27 adulescentes *a*. legiones *ante corr. a*. 29 et tribus *b*. 30 imprudentisque *b* (inpr. *a*). 31 adgreditur *a*. sese tamen *a*, tamen sese *edd.*

5 diunt proeliumque committunt. Ii, dum pari certamine res geri po-
tuit, magnum hostium numerum pauci sustinuere; sed, ubi signa
legionum appropinquare coeperunt, paucis amissis sese in proxi-
6 mos montes conferunt. Hoc pugnae tempus magnum attulit nostris
ad salutem momentum: nacti enim spatium se in loca superiora
receperunt. Desiderati sunt eo die sagittarii circiter CC, equites
52 pauci, calonum atque impedimentorum non magnus numerus. His
tamen omnibus annona creuit; quae fere res non solum inopia
praesentis, sed etiam futuri temporis timore ingrauescere consue-
2 uit. Iamque ad denarios L in singulos modios annona peruenerat,
3 et militum uires inopia frumenti deminuerat, atque incommoda in
dies augebantur, et tam paucis diebus magna erat rerum facta
commutatio ac se fortuna inclinauerat, ut nostri magna inopia ne-
cessariarum rerum conflictarentur, illi omnibus abundarent rebus
4 superioresque haberentur. Caesar iis ciuitatibus, quae ad eius
amicitiam accesserant, quod minor erat frumenti copia, pecus im-
perabat; calones ad longinquiores ciuitates dimittebat; ipse prae-
53 sentem inopiam quibus poterat subsidiis tutabatur. Haec Afra-
nius Petreiusque et eorum amici pleniora etiam atque uberiora
2 Romam ad suos perscribebant. Multa rumore adfingebantur, ut
3 paene bellum confectum uideretur. Quibus litteris nuntiisque Ro-
mam perlatis magni domum concursus ad Afranium magnaeque
gratulationes fiebant; multi ex Italia ad Cn. Pompeium proficisce-
bantur, alii, ut principes talem nuntium attulisse, alii, ne euentum
belli exspectasse aut ex omnibus nouissimi uenisse uiderentur.
54 Cum in his angustiis res esset, atque omnes uiae ab Afranianis
militibus equitibusque obsiderentur, nec pontes perfici possent, im-
perat militibus Caesar, ut naues faciant, cuius generis eum supe-
2 rioribus annis usus Britanniae docuerat. Carinae ac prima statu-

1 id dum *a d*, hi dum *edd.* 3 sese in proximos montes *a Stephanus*; in montes proximos se *b*, sese in montes proximos *ceterae edd.* 5 superiora loca *b.* 10 ad denarios L *Aldus*, ad XL *'mss. mei' et cum* a *super* x *a.* 11 deminuerat (*a*) *b*, diminuerat *u.* 13 mutatio *b.* hac *a.* necessarium *a.* 14 habundarent *a.* 15 Caesaris ciuitatibus *a.* 16 quod *Stephanus*, quo *codd. P.* 58, *ubi non recte a me hunc locum correctum dixi.* 20 multa rumore adfingebantur *ego* (multa rumor affingebat *Stephanus*); multarum rumore orat fingebant *a et, qui* fingebat, *b*, 'm. rumores fingebant *c*'; multa rumor fingebat *u.* 21 pene *a.* 22 magnaeque *a b*, magnae *u.* 24 tale *b.* 29 ac prima *ego*, ac primum *a b c d*; primum ac *u.*

mina leui materia fiebant; reliquum corpus nauium uiminibus con-
textum coriis integebatur. Has perfectas carris iunctis deuehit 3
noctu milia passuum a castris XXII milites que his nauibus flumen
transportat continentemque ripae collem improuiso occupat. Hunc 4
celeriter, priusquam ab aduersariis sentiatur, communit. Huc le-
gionem postea traicit atque ex utraque parte pontem instituit, bi-
duo perficit. Ita commeatus et qui frumenti causa processerant 5
tuto ad se recipit et rem frumentariam expedire incipit. Eodem 55
die equitum magnam partem flumen traiecit. Qui inopinantis pa-
bulatores et sine ullo dissipatos timore adgressi magnum numerum
iumentorum atque hominum intercipiunt cohortibusque cetratis 2
subsidio missis scienter in duas partes sese distribuunt, alii ut
praedae praesidio sint, alii ut uenientibus resistant atque eos pro-
pellant, unamque cohortem, quae temere ante ceteras extra aciem 3
procurrerat, seclusam ab reliquis circumueniunt atque interficiunt
incolumesque cum magna praeda eodem ponte in castra reuer-
tuntur.

Dum haec ad Ilerdam geruntur, Massilienses usi L. Domitii 56
consilio nauis longas expediunt numero XVII, quarum erant XI te-
ctae. Multa huc minora nauigia addunt, ut ipsa multitudine nostra 2
classis terreatur. Magnum numerum sagittariorum, magnum Al-
bicorum, de quibus supra demonstratum est, imponunt atque hos
praemiis pollicitationibusque incitant. Certas sibi deposcit naues 3
Domitius atque has colonis pastoribusque, quos secum adduxerat,
complet. Sic omnibus rebus instructa classe magna fiducia ad no-
stras naues procedunt, quibus praeerat D. Brutus. Hae ad insu-
lam, quae est contra Massiliam, stationes obtinebant. Erat multo 57
inferior numero nauium Brutus; sed electos ex omnibus legioni-
bus fortissimos uiros, antesignanos, centuriones, Caesar ei classi
adtribuerat, qui sibi id muneris depoposcerant. Hi manus ferreas 2

1 leui *b c d*, ex leui (*a*) *u*. intextum *b*. 6 transicit *a*, 'traiecit *uel* transiecit *aut* traiicit *mss. mei*'. ex] ab *b*. instituit *a b c*, institutum *u*. perficit biduo *c*. 7 commeatus *a 'reliqui'*, comitatus *c u*. *P*. 142. 9 inopinantis *a b*. pabulatoris *a*. 10 adgressi *a*. magnum *ego*; iam magnum *a b c*, quam magnum *u praeter usum Caesaris*. 11 cohortibus *a*. cetratis *P. Manutius*, centuriatis *codd*. 19 nauis *a*. 22 monstratum *b*. 23 et pollicitationibus *b*. 28 nauium numero *b u*. electos *a 'mss. plerique'*, delectos *u*. 30 adtribuerat *a*. hi *a edd. ante Ald. Stephanus*, ii *Aldus u*.

atque harpagones parauerant magnoque numero pilorum, tragula-
rum reliquorumque telorum se instruxerant. Ita cognito hostium
aduentu suas naues ex portu educunt, cum Massiliensibus confli-
3 gunt. Pugnatum est utrimque fortissime atque acerrime: neque
multum Albici nostris uirtute cedebant, homines asperi et monta-
4 ni, exercitati in armis; atque hi modo digressi *a* Massiliensibus
recentem eorum pollicitationem animis continebant, pastoresque
indomiti spe libertatis excitati sub oculis domini suam probare
58 operam studebant. Ipsi Massilienses et celeritate nauium et scien-
tia gubernatorum confisi nostros eludebant impetusque eorum de-
cipiebant et, quoad licebat latiore uti spatio, producta longius acie
circumuenire nostros aut pluribus nauibus adoriri singulas aut re-
2 mos transcurrentes detergere, si possent, contendebant; cum pro-
pius erat necessario uentum, ab scientia gubernatorum atque arti-
3 ficiis ad uirtutem montanorum confugiebant. *Nostri* quom minus
exercitatis remigibus minusque peritis gubernatoribus utebantur,
qui repente ex onerariis nauibus erant producti neque dum etiam
uocabulis armamentorum cognitis, tum etiam tarditate et grauitate
nauium impediebantur: factae enim subito ex humida materia non
4 eundem usum celeritatis habebant. Itaque, dum locus comminus
pugnandi daretur, aequo animo singulas binis nauibus obiciebant
atque iniecta manu ferrea et retenta utraque naue diuersi pugna-
bant atque in hostium naues transcendebant et magno numero Al-
bicorum et pastorum interfecto partem nauium deprimunt, non-
nullas cum hominibus capiunt, reliquas in portum compellunt. Eo
die naues Massiliensium cum iis, quae sunt captae, intereunt VIIII.
59 Hoc primum Caesari ad Ilerdam nuntiatur; simul perfecto
2 ponte celeriter fortuna mutatur. Illi perterriti uirtute equitum mi-
nus libere, minus audacter uagabantur, alias non longo a castris

1 numero *om. a, ante* instruxerant *ponit b.* 4 est utrimque *a Stephanus,* utrimque est *reliquae edd.* (utrinque (*a*)). 5 Albicci *a.* 6 *ante* exercitati *add.* et *a b.* hi *a edd. ante Ald. Stephanus,* ii *Aldus u.* degressi *a 'mss. 5'.* a *om. a 'mss. omnes'.* 7 eorundem *b c,* eodem *a.* 8 domini] dm̃ *b.* 10 decipiebant *ego,* excipiebant *codd. P.* 142. 11 uti *Vossius,* ut *a b c d e; om. u.* 13 deterrere *a b d,* deterere *c.* 14 artificis *'mei plerique'.* 15 nostri *Aldus, om. a d e 'mss.'* quom *Elberlingius,* quo *a b;* qui *e,* quod *u.* 18 tarditate et grauitate *a,* grauitate et tarditate *edd.* 19 subito *om. b.* umida *a.* 20 habuerant *a.* communis *a.* 22 naue *om. b.* 26 his *a.* 28 minus libere *errore om. u.* 29 longe *a b.* a *'mss.' edd. ante Ald. Stephanus;* ab (*a*) *Aldus u, om. b.*

progressi spatio, ut celerem receptum haberent, angustius pabula-
bantur, alias longiore circuitu custodias stationesque equitum ui- 3
tabant, aut aliquo accepto detrimento aut procul equitatu uiso ex
medio itinere proiectis sarcinis fugiebant. Postremo et plures in-
termittere dies et praeter consuetudinem omnium noctu constitue-
rant pabulari. Interim Oscenses et Calagurritani, qui erant cum **60**
Oscensibus contributi, mittunt ad eum legatos seseque imperata
facturos pollicentur. Hos Tarraconenses et Iacetani et Ausetani 2
et paucis post diebus Illurgauonenses, qui flumen Hiberum attin-
gunt, insecuntur. Petit ab his omnibus, ut se frumento iuuent. 3
Pollicentur atque omnibus undique conquisitis iumentis in castra
deportant. Transit etiam cohors Illurgauonensis ad eum cognito 4
ciuitatis consilio et signa ex statione transfert. Magna celeriter
commutatio rerum. Perfecto ponte, magnis quinque ciuitatibus 5
ad amicitiam adiunctis, expedita re frumentaria, extinctis rumori-
bus de auxiliis legionum, quae cum Pompeio per Mauritaniam ue-
nire dicebantur, multae longinquiores ciuitates ab Afranio desci-
scunt et Caesaris amicitiam sequuntur. Quibus rebus perterritis **61**
animis aduersariorum Caesar, ne semper magno circuitu per pon-
tem equitatus esset mittendus, nactus idoneum locum fossas pedum
XXX in latitudinem complures facere instituit, quibus partem ali-
quam Sicoris auerteret uadumque in eo flumine efficeret. His 2
paene effectis magnum in timorem Afranius Petreiusque perueni-
unt, ne omnino frumento pabuloque intercluderentur, quod multum
Caesar equitatu ualebat. Itaque constituunt ipsi *his* locis excede-
re et in Celtiberiam bellum transferre. Huic consilio subfragaba- 3
tur etiam illa res, quod ex duobus contrariis generibus quae su-
periore bello cum L. Sertorio steterant ciuitates uictae nomen at-
que imperium absentis Pompeii timebant, quae in amicitia manse-
rant magnis adfectae beneficiis eum diligebant; Caesaris autem
erat in barbaris nomen obscurius. Hic magnos equitatus magna-

1 pabulantur *a b*. 8 Terraconenses *b*. Auscitani *c*. 9 Hiberum *b*, Hyberum *a*; Iberum *ubique u*. 10 insecuntur *a*. 12 Lurgauonensis *a b*. 15 extinctis *a*. 18 amiciciam *a*. 21 latitudinem (*a*) *reliqui*, altitudinem *b*. 22 Sicores *a*, Sicoros *b*. 23 pene *a*. 25 ipsi his *Oudendorpius* (*sed* iis), ipsi *a 'mss. omnes'*. 26 subfragabatur *a*. 28 cum Sestorio *b*. 29 Pompeii *post* absentis *ponendum uidit Dauisius*, *ante* magnis (30) *ponunt codd.* 30 adfectae *a*. 31 erat in barbaris *a Stephanus*, in barbaris erat *ceterae edd.* hic *a b edd. ante Steph.*, hinc *Stephanus u*. magna

que auxilia expectabant et suis locis bellum in hiemem ducere co-
4 gitabant. Hoc inito consilio toto flumine Hibero naues conquirere
et Octogesam adduci iubent. Id erat oppidum positum ad Hiberum
miliaque passuum a castris aberat XX. Ad eum locum fluminis na-
uibus iunctis pontem imperant fieri legionesque duas flumen Sico-
62 rim traducunt, castra muniunt uallo pedum XII. Qua re per explo-
ratores cognita summo labore militum Caesar continuato diem no-
ctemque opere in flumine auertendo huc iam reduxerat rem, ut
equites, etsi difficulter atque aegre fiebat, possent tamen atque au-
2 derent flumen transire, pedites uero tantummodo humeris ac sum-
mo pectore extare et cum altitudine aquae tum etiam rapiditate
3 fluminis ad transeundum inpedirentur. Sed tamen eodem fere tem-
pore pons in Hibero prope effectus nuntiabatur, et in Sicori ua-
63 dum reperiebatur. Iam uero eo magis illi maturandum iter exi-
stimabant. Itaque duabus auxiliaribus cohortibus Ilerdae praesi-
dio relictis omnibus copiis Sicorim transeunt et cum duabus legio-
2 nibus, quas superioribus diebus traduxerant, castra iungunt. Re-
linquebatur Caesari nihil, nisi uti equitatu agmen aduersariorum
male haberet et carperet. Pons enim ipsius magnum circuitum
habebat, ut multo breuiore itinere illi ad Hiberum peruenire pos-
3 sent. Equites ab eo missi flumen transeunt et, cum de tertia ui-
gilia Petreius atque Afranius castra mouissent, repente sese ad
nouissimum agmen ostendunt et magna multitudine circumfusa mo-
64 rari atque iter impedire incipiunt. Prima luce ex superioribus lo-
cis, quae Caesaris castris erant coniuncta, cernebatur equitatus
nostri proelio nouissimos illorum premi uehementer ac nonnum-
2 quam sustinere extremum agmen atque inrumpi, alias inferri signa
et uniuersarum cohortium impetu nostros propelli, dein rursus

auxilia *b*. 1 expectabant *a*. hyemem *a*. 2 Hibero '*mss. semper*' et, *ubicumque tacebo, a*. nauis *cum* 3 *dett. et* '*aliis*' *u*. conquirere totogesma *a b*. 4 miliaque passuum a castris aberat xx *Stephanus;* milia v passuum a castris aberat xx *a edd. ante Steph.*, 'milia v p. aberat a c. xx *mss. omnes et edd. pp.*' ? 5 Sicorum *b*. 6 transducunt *a*. castra *a b*, castraque *u*. 8 reduxerat *a* '*ceteri*', duxerat *unus det.;* deduxerat *Achilles Statius u*. 11 exstare et *a c*, exstarent *b* (ext. *a*). 12 impedirentur 3 *dett.*, non impedirentur *a* '*plerique*' (inp. *a*). 13 Hybero *a*. 16 Sicoram *a*, Sicorum *b*. 17 traduxerunt *b*. iungunt *a b*, coniungunt *u*. 19 pons] post *a*. 20 Hyberum *a*. 24 locis] castris *illo suprasc. b*. 25 quae *om. a*. 26 (nonnunquam (*a*)) nunquam *b*. 27 inrumpi *ego*, interrumpi *codd. P.* 143. ferri *a* '*mss.* 4'.

conuersos insequi. Totis uero castris milites circulari et dolere 3
hostem ex manibus dimitti, bellum *non* necessario longius duci;
centuriones tribunosque militum adire atque obsecrare, ut per eos
Caesar certior fieret, ne labori suo neu periculo parceret: paratos
esse sese, posse et audere ea transire flumen, qua traductus esset
equitatus. Quorum studio et uocibus excitatus Caesar, etsi time- 4
bat tantae magnitudini fluminis exercitum obicere, conandum ta-
men atque experiendum iudicat. Itaque infirmiores milites ex omni- 5
bus centuriis deligi iubet, quorum aut animus aut uires uidebantur
sustinere non posse. Hos cum legione una praesidio castris relin- 6
quit; reliquas legiones expeditas educit magnoque numero iumen-
torum in flumine supra atque infra constituto traducit exercitum.
Pauci ex his militibus abrepti ui fluminis ab equitatu excipiuntur 7
ac subleuantur; interit tamen nemo. Traducto incolumi exercitu
copias instruit triplicemque aciem ducere incipit. Ac tantum fuit 8
in militibus studii, ut milium sex ad iter addito circuitu magnaque
ad uadum fluminis mora interposita eos, qui de tertia uigilia exis-
sent, ante horam diei VIIII consequerentur. Quos ubi Afranius 65
procul uisos cum Petreio conspexit, noua re perterritus locis su-
perioribus constitit aciemque instruit. Caesar in campis exercitum 2
reficit, ne defessum proelio obiciat: rursus conantes progredi in-
sequitur et moratur. Illi necessario maturius, quam constituerant, 3
castra ponunt. Suberant enim montes, atque a milibus passuum V
itinera difficilia atque angusta excipiebant. Hos montes intrare 4
cupiebant, ut equitatum effugerent Caesaris praesidiisque in angu-
stiis collocatis exercitum itinere prohiberent, ipsi sine periculo ac
timore Hiberum copias traducerent. Quod fuit illis conandum at- 5
que omni ratione efficiendum; sed totius diei pugna atque itineris
labore defessi rem in posterum diem distulerunt. Caesar quoque
in proximo colle castra ponit. Media circiter nocte iis, qui ada- 66

2 non 3 *dett., om. reliqui.* 5 eo *b.* 7 magnitudini fluminis *a b,* magnitudinis flumini *u.* 8 iudicabat *b.* infirmioris *a.* 13 paucis *a b c.* abrepti ui fluminis *ego,* arma in flumine *a b c;* ui fluminis abrepti *Aldus u.* 14 interit *a 'Lou. et* 3 *alii',* interiit *u.* 17 ad uadum *hic ponit c, post* addito (16) *a* (*is* adudum) *'reliqui'.* existent *a.* 18 'quos ubi uidit Afr. *cett. b*'. 20 constitit *codd.,* consistit *Ciacconius u.* 21 conantis *b.* progredi] proficisci *b.* 24 montes intrare cupiebant *ego,* montes intra se recipiebant *codd.;* intra montes se recipiebant *Aldus u. P.* 143. 27 Hyberum *a.* 28 sed *c,* et *reliqui.* 30 proximum collem *b.* his *a,* 'hi *uel* ii *b*'.

quandi causa longius a castris processerant, ab equitibus correptis
fit ab his certior Caesar duces aduersariorum silentio copias ca-
2 stris educere. Quo cognito signum dari iubet et uasa militari more
conclamari. Illi exaudito clamore ueriti, ne noctu impediti sub
onere confligere cogerentur aut ne ab equitatu Caesaris in angu-
stiis tenerentur, iter supprimunt copiasque in castris continent.
3 Postero die Petreius cum paucis equitibus occulte ad exploranda
loca proficiscitur. Hoc idem fit ex castris Caesaris. Mittitur L.
4 Decidius Saxa cum paucis, qui loci naturam perspiciat. Vterque
idem suis renuntiat: V milia passuum proxima intercedere itineris
campestris, inde excipere loca aspera et montuosa; qui prior has
angustias occupauerit, ab hoc hostem prohiberi nihil esse negotii.
67 Disputatur in consilio ab Petreio atque Afranio et tempus profe-
ctionis quaeritur. Plerique censebant, ut noctu iter facerent:
2 posse prius ad angustias ueniri, quam sentiretur. Alii, quod pri-
die noctu conclamatum esset in Caesaris castris, argumenti sume-
3 bant loco non posse clam exiri. Circumfundi noctu equitatum
Caesaris atque omnia loca atque itinera obsidere; nocturnaque
proelia esse uitanda, quod perterritus miles in ciuili dissensione
4 timori magis quam religioni consulere consueuerit. At lucem mul-
tum per se pudorem omnium oculis, multum etiam tribunorum mi-
litum et centurionum praesentiam adferre; quibus rebus coërceri
5 milites et in officio contineri soleant. Quare omni ratione esse in-
terdiu perrumpendum: etsi aliquo accepto detrimento, tamen sum-
6 ma exercitus salua locum, quem petant, capi posse. Haec uincit
in consilio sententia, et prima luce postridie constituunt proficisci.
68 Caesar exploratis regionibus albente caelo omnes copias castris
educit magnoque circuitu nullo certo itinere exercitum ducit. Nam
quae itinera ad Hiberum atque Octogesam pertinebant castris ho-

1 correpti *a b*. 2 castris *om. b*. 3 militaria more *a c et, qui* more *super uers. habet, b*. 10 intercidere *a itemque, puto, 'mss. 5', quos Oud.* intercedere *habere ait*. 12 prohibere *a 'mss. mei omnes praeter Voss.'* 13 ab Petreio atque *a b,* a Petreio et *u*. 15 sentiretur *c et 2 dett.,* sentirentur *reliqui*. 16 in *om. a b*. Caesaris castris *a,* castris Caesaris *edd*. 17 equitatu *b*. 18 atque itinera *in marg. b*. obsidere *a b c,* obsideri *u*. 20 consueuerit *a,* consueuit *'reliqui'*; consuerit 2 *dett. u*. ad lucem *codd*. 22 adferre *a*. coherceri *a*. 23 esse *om. b*. 24 aliquando *a,* aliquanto *b*. acceptã *a*. 25 uincit *Louaniensis,* euincit *a b*; euicit *c*. 26 consilio *'mss. omnes'*, concilio (*a*). sententiarum *a*. 27 coelo (*a*). 28 magnoque in circuitu *c*. ducit *Aldus,* educit *a b c*. nam quae *b c,* namque *a*. 29 Hyberum *a*. Otogesam *a*.

stium oppositis tenebantur. Ipsi erant transcendendae ualles ma- 2
ximae ac difficillimae, saxa multis locis praerupta iter impedie-
bant, ut arma per manus necessario traderentur, militesque in-
ermi subleuatique alii ab aliis magnam partem itineris confice-
rent. Sed hunc laborem recusabat nemo, quod eum omnium la- 3
borum finem fore existimabant, si hostem Hibero intercludere et
frumento prohibere potuissent. Ac primo Afraniani milites uisen- **69**
di causa laeti ex castris procurrebant contumeliosisque uocibus
prosequebantur: necessarii uictus inopia coactos fugere atque ad
Ilerdam reuerti. Erat enim iter a proposito diuersum, contrariam-
que in partem iri uidebatur. Duces uero eorum consilium suum 2
laudibus ferebant, quod se castris tenuissent; multumque eorum
opinionem adiuuabat, quod sine iumentis impedimentisque ad iter
profectos uidebant, ut non posse inopiam diutius sustinere confi-
derent. Sed, ubi paulatim retorqueri agmen ad dextram conspe- 3
xerunt iamque primos superare regionem castrorum animum ad-
uerterunt, nemo erat adeo tardus aut fugiens laboris, quin statim
castris exeundum atque occurrendum putaret. Conclamatur ad ar- 4
ma, atque omnes copiae paucis praesidio relictis cohortibus exe-
unt rectoque ad Hiberum itinere contendunt. Erat in celeritate **70**
omne positum certamen, utri prius angustias montesque occupa-
rent: sed exercitum Caesaris uiarum difficultates tardabant, Afra-
nii copias equitatus Caesaris insequens morabatur. Res tamen ab 2
Afranianis huc erat necessario deducta, ut, si priores montes,
quos petebant, attigissent, ipsi periculum uitarent, impedimenta
totius exercitus cohortisque in castris relictas seruare non possent;
quibus interclusis exercitu Caesaris auxilium ferri nulla ratione
poterat. Confecit prior iter Caesar atque ex magnis rupibus na- 3
ctus planiciem in hac contra hostem aciem instruit. Afranius,
cum ab equitatu nouissimum agmen premeretur, ante se hostem

3 ut *om. a b.* necessaria *ante corr. a.* inermi 3 *dett.*, inermis *a b*; inermes *edd. ante u.* 7 frumento *Vossianus,* frumentum *reliqui.* 9 necessarii *Aldus,* nec necessarii *a b d;* nec non necessarii 2 *dett. u.* ad *om. b.* 10 Ilerdar *a.* 11 in *om. a b.* consilium suum *a Stephanus,* suum consilium *reliquae edd.* 12 se *om. a b.* 14 possent *a* '*mss.* 3'. inopiam diutius *a,* diutius inopiam *edd.* 15 dexteram *a* '*alii*'. 16 animum aduerterunt (*a*) *b, non* animadu. 18 putarent *b u.* 20 Hyberum *a.* 21 utri (*a*), 'ut *uel* uti *mss.*' 24 Afranis *a.* ducta *a b.* montis *ex uno det. u.* 26 cohortisque *a, om. b.* relicta *b.* 29 planitiem (*a*). hac *Stephanus,* hanc *a* '*mss.* 7'. 30 ab *om. b.* ante *a,* et ante *edd.*

4 uideret, collem quendam nactus ibi constitit. Ex eo loco IIII ce-
tratorum cohortis in montem, qui erat in conspectu omnium excel-
sissimus, mittit. Hunc magno cursu concitatos iubet occupare,
eo consilio, uti ipse eodem omnibus copiis contenderet et mutato
5 itinere iugis Octogesam perueniret. Hunc cum obliquo itinere ce-
trati peterent, conspicatus equitatus Caesaris in cohortis impetum
fecit; nec minimam partem temporis equitum uim cetrati sustinere
potuerunt omnesque ab eis circumuenti in conspectu utriusque
71 exercitus interficiuntur. Erat occasio bene gerendae rei. Neque
uero id Caesarem fugiebat, tanto sub oculis accepto detrimento
perterritum exercitum sustinere non posse, praesertim circumda-
tum undique equitatu, cum in loco aequo atque aperto confligere-
2 tur; idque ex omnibus partibus ab eo flagitabatur. Concurrebant
legati, centuriones tribunique militum: Ne dubitaret proelium
3 committere. Omnium esse militum paratissimos animos. Afrania-
nos contra multis rebus sui timoris signa misisse: quod suis non
subuenissent, quod de colle non decederent, quod uix equitum in-
cursus sustinerent conlatisque in unum locum signis conferti ne-
4 que ordines neque signa seruarent. Quod si iniquitatem loci time-
ret, datum iri tamen aliquo loco pugnandi facultatem, quod certe
inde decedendum esset Afranio nec sine aqua permanere posset.
72 Caesar in eam spem uenerat, se sine pugna et sine uolnere suo-
rum rem conficere posse, quod re frumentaria aduersarios inter-
2 clusisset. Cur etiam secundo proelio aliquos ex suis amitteret?
cur uulnerari pateretur optime de se meritos milites? cur denique
fortunam periclitaretur? praesertim cum non minus esset impera-
3 toris consilio superare quam gladio. Mouebatur etiam misericor-
dia ciuium, quos interficiendos uidebat; quibus saluis atque inco-
4 lumibus rem optinere malebat. Hoc consilium Caesaris plerisque
non probabatur; milites uero palam inter se loquebantur, quoniam
talis occasio uictoriae dimitteretur, etiam cum uellet Caesar, sese

2 cohortis *a b*. excellentissimus *b*. 5 Octogensam *b*, Otogensam *a*. 6 cohortis *a b*. 7 fecit *b edd. ante Ald.*, facit *Aldus u; om. a*. nimiam *a*. cetrati *om. b*. 10 idem *a b*. 11 exercitum *om. b*. 12 equitatum *a*. 14 dubitarent *b*. 15 Afranios *a*. 16 misissed *a*, misisse scilicet *b*. 17 recederent *a b*. 18 conlatisque *a*. conferri *ante corr. a*. 20 ire *a* 'mss. 5'. 22 uolnere *ante corr. a*. 24 ex] de *b*. mitteret *a b*. 25 cur uulnerari — milites *om. a*. 29 optinere *a*. plerisque *a b*, a plerisque *u*. 30 colloquebantur *b*. 31 et cum *b*.

non esse pugnaturos. Ille in sua sententia perseuerat et paulum
ex eo loco degreditur, ut timorem aduersariis minuat. Petreius 5
atque Afranius oblata facultate in castra sese referunt. Caesar
praesidiis montibus dispositis omni ad Hiberum intercluso itinere
quam proxime potest hostium castris castra communit. Postero 73
die duces aduersariorum perturbati, quod omnem rei frumentariae
fluminisque Hiberi spem dimiserant, de reliquis rebus consultabant.
Erat unum iter, Ilerdam si reuerti uellent; alterum, si Tarraco- 2
nem peterent. Haec consiliantibus eis nuntiantur aquatores ab
equitatu premi nostro. Qua re cognita crebras stationes disponunt 3
equitum et cohortium alariarum legionariasque intericiunt cohortis
uallumque ex castris ad aquam ducere incipiunt, ut intra munitio-
nem et sine timore et sine stationibus aquari possent. Id opus in-
ter se Petreius atque Afranius partiuntur ipsique perficiundi ope-
ris causa longius progrediuntur. Quorum discessu liberam nacti 74
milites colloquiorum facultatem uulgo procedunt, et quem quisque
in castris notum aut municipem habebat conquirit atque euocat.
Primum agunt gratias omnes omnibus, quod sibi perterritis pridie 2
pepercissent: eorum se beneficio uiuere. Deinde imperatoris fidem
quaerunt, rectene se illi sint commissuri, et, quod non ab initio
fecerint armaque cum hominibus necessariis et consanguineis con-
tulerint, queruntur. His prouocati sermonibus fidem ab imperatore 3
de Petreii atque Afranii uita petunt, ne quod in se scelus conce-
pisse neu suos prodidisse uideantur. Quibus confirmatis rebus se
statim signa translaturos confirmant legatosque de pace primorum
ordinum centuriones ad Caesarem mittunt. Interim alii suos in 4
castra inuitandi causa adducunt, alii ab suis abducuntur, adeo ut
una castra iam facta ex binis uiderentur; compluresque tribuni
militum et centuriones ad Caesarem ueniunt seque ei commendant.
Idem hoc fit a principibus Hispaniae, quos euocauerant et secum 5
in castris habebant obsidum loco. Hi suos notos hospitesque quae-
rebant, per quem quisque eorum aditum commendationis haberet

1 paululum *cum* 2 *dett.* '*et* 3 *aliis*' *u.* 2 degreditur *a b*, digreditur *u.* 4 *ante* montibus *add.* in 2 *dett. u.* 9 nuntiantur *a b*, nuntiatur *u.* 11 (intericiunt *etiam e*) interficiunt *b.* (cohortis *a*) cohortibus *b.* 13 ut sine timore *a.* 14 perficiundi *a.* 21 arma quicum *a.* 24 prodidisset *ante corr. a.* 25 legatos de *b.* 27 ab suis adducuntur (*a*). 28 iam facta *om. b.* 29 et *om. a b.* 30 quos *a b,* quos illi *u.* 31 hi *a edd. ante Ald. Stephanus,* ii *Aldus u.*

6 ad Caesarem. Afranii etiam filius adulescens de sua ac parentis
7 sui salute cum Caesare per Sulpicium legatum agebat. Erant ple-
na laetitia et gratulatione omnia, eorum, qui tanta pericula uitasse,
et eorum, qui sine uulnere tantas res confecisse uidebantur, ma-
gnumque fructum suae pristinae lenitatis omnium iudicio Caesar
75 ferebat, consiliumque eius a cunctis probabatur. Quibus rebus
nuntiatis Afranio ab instituto opere discedit seque in castra reci-
pit, sic paratus, ut uidebatur, ut, quicumque accidisset casus, hunc
2 quieto et aequo animo ferret. Petreius uero non deserit sese. Ar-
mat familiam: cum hac et praetoria cohorte cetratorum barbaris-
que equitibus paucis, beneficiariis suis, quos suae custodiae causa
habere consuerat, improuiso ad uallum aduolat, conloquia militum
interrumpit, nostros repellit a castris, quos deprendit interficit.
3 Reliqui coëunt inter se et repentino periculo exterriti sinistras sa-
gis inuoluunt gladiosque destringunt atque ita se a cetratis equiti-
busque defendunt castrorum propinquitate confisi seque in castra
recipiunt et ab iis cohortibus, quae erant in statione ad portas,
76 defenduntur. Quibus rebus confectis flens Petreius manipulos cir-
cumit militesque appellat neu se neu Pompeium, imperatorem suum,
aduersariis ad supplicium tradant, obsecrat. Fit celeriter concur-
2 sus in praetorium. Postulat, ut iurent omnes se exercitum duces-
que non deserturos neque proditures neque sibi separatim a reli-
3 quis consilium capturos. Princeps in haec uerba iurat ipse; idem
iusiurandum adigit Afranium: subsequuntur tribuni militum centu-
4 rionesque; centuriatim producti milites idem iurant. Edicunt, pe-
nes quem quisque sit Caesaris miles, ut producatur: productos pa-
lam in praetorio interficiunt. Sed plerosque ii, qui receperant, ce-
5 lant noctuque per uallum emittunt. Sic terrore oblato a ducibus
crudelitas in supplicio, noua religio iurisiurandi spem praesentis
deditionis sustulit mentesque militum conuertit et rem ad pristi-
77 nam belli rationem redegit. Caesar qui milites aduersariorum in
castra per tempus colloquii uenerant summa diligentia conquiri et

1 adulescens *a*. 2 sui *om. b*. Sulpitium *a*. 5 lenitatis *om. b*. 8 quicunque (*a*). 10 praetoriam cohortem *a b*. 12 conloquia *a*. 13 a *a*, ac '*mss*. 4' (*i. e*. a c., *ni fallor*); ab *u*. deprendit *a, non* deprehendit. 17 ab his *a*. stationes *a*. 18 circumit *a* 2 *dett*., circuit *u*. 19 Pompeium *a b*, Pompeium absentem *u*. 21 postulant *codd*. iurent] uenirent *a* '*mss*. 2'. 26 sit *om. b*. 27 'ii *uel* hi *b c*', hi (*a*) *u*. 28 terrore oblato *a c et, qui* ablato, *b;* terror oblatus *u*.

remitti iubet. Sed ex numero tribunorum militum centurionumque 2
nonnulli sua uoluntate apud eum remanserunt. Quos ille postea
magno in honore habuit; centuriones in priores ordines, equites
Romanos in tribunicium restituit honorem. Premebantur Afra- 78
niani pabulatione, aquabantur aegre. Frumenti copiam legionarii
nonnullam habebant, quod dierum XXII ab Ilerda frumentum iussi
erant efferre, cetrati auxiliaresque nullam, quorum erant et facul- 2
tates ad parandum exiguae et corpora insueta ad onera portanda.
Itaque magnus eorum cotidie numerus ad Caesarem perfugiebat.
In his erat angustiis res. Sed ex propositis consiliis duobus expli- 3
citius uidebatur Ilerdam reuerti, quod ibi paulum frumenti relique-
rant. Ibi se reliquum consilium explicaturos confidebant. Tarraco 4
aberat longius; quo spatio plures rem posse casus recipere intelle-
gebant. Hoc probato consilio ex castris proficiscuntur. Caesar 5
equitatu praemisso, qui nouissimum agmen carperet atque impedi-
ret, ipse cum legionibus subsequitur. Nullum intercedebat tempus,
quin extremi cum equitibus proeliarentur. Genus erat hoc pugnae. 79
Expeditae cohortes nouissimum agmen claudebant pluresque in lo-
cis campestribus subsistebant. Si mons erat ascendendus, facile 2
ipsa loci natura periculum repellebat, quod ex locis superioribus
qui antecesserant suos ascendentes protegebant: cum uallis aut lo- 3
cus decliuis suberat, neque ii, qui antecesserant, morantibus opem
ferre poterant, equites uero ex loco superiore in auersos tela coni-
ciebant, tum magno erat in periculo res. Relinquebatur, ut, cum 4
eiusmodi locis esset appropinquatum, legionum signa consistere
iuberent magnoque impetu equitatum repellerent, eo summoto re-
pente incitati cursu sese in uallis uniuersi demitterent atque ita
transgressi rursus in locis superioribus consisterent. Nam tantum 5
ab equitum suorum auxiliis aberant, quorum numerum habebant

3 in priores *Ciacconius*, ampliores *a b c;* in ampliores *u. P.* 101. equitum in *b.* 4 tribunitium (*a*). 5 legionari *a.* 6 nonnullam *Gryphius*, nonnulli *codd.* 7 auxiliatoresque *b.* 8 ad prandium *a 'omnes mei'*. 10 explicitus *a et sic aut* explicitis *'mss. qdd.'*, expeditius *pro uar. lect. c.* 11 paulum *a 'mss. plerique'*, paululum *u.* 12 Terraquo *a b.* 16 intercidebat *b.* 18 pluriesque *Ciacconius u. P.* 144. 19 ascendendus (*a*). 21 *ante* suos *add.* desuper *ex* 5 *dett., quorum tres* suos *om., u.* adscendentis *b* (asc. (*a*)). 22 hi *a, om. b.* 23 auersos *Vrsinus,* aduersos *codd.* 24 res. Relinquebatur *Oudendorpius;* res rei inquirebatur *a,* res relinquirebantur *b,* rei tum inquirebatur *c.* 26 summoto *a, non* subm. 27 uallis *a 'mss.* 3', uallem *b.* dimitterent *a 'mss. plerique'*.

magnum, ut eos superioribus perterritos proeliis in medium reci-
perent agmen ultroque eos tuerentur; quorum nulli ex itinere
80 excedere licebat, quin ab equitatu Caesaris exciperetur. Tali dum
pugnatur modo, lente atque paulatim proceditur, crebroque, ut
2 sint auxilio suis, subsistunt; ut tum accidit. Milia enim progressi
IIII uehementiusque peragitati ab equitatu montem excelsum capi-
unt ibique una fronte contra hostem castra muniunt neque iumen-
3 tis onera deponunt. Vbi Caesaris castra posita tabernaculaque
constituta et dimissos equites pabulandi causa animum aduerte-
runt, sese subito proripiunt hora circiter sexta eiusdem diei et
spem nacti morae discessu nostrorum equitum iter facere incipiunt.
4 Qua re animum aduersa Caesar † relictis legionibus subsequitur,
praesidio impedimentis paucas cohortis relinquit; hora X subse-
qui pabulatores equitesque reuocari iubet. Celeriter equitatus ad
5 cotidianum itineris officium reuertitur. Pugnatur acriter ad no-
uissimum agmen, adeo ut paene terga conuertant, compluresque
milites, etiam nonnulli centuriones, interficiuntur. Instabat agmen
81 Caesaris atque uniuersum imminebat. Tum uero neque ad explo-
randum idoneum locum castris neque ad progrediendum data fa-
cultate consistunt necessario et procul ab aqua et natura iniquo
2 loco castra ponunt. Sed isdem de causis Caesar, quae supra sunt
demonstratae, proelio non lacessit et eo die tabernacula statui pas-
sus non est, quo paratiores essent ad insequendum omnes, siue
3 noctu siue interdiu erumperent. Illi animaduerso uitio castrorum
tota nocte munitiones proferunt castraque castris conuertunt. Hoc
idem postero die a prima luce faciunt totumque in ea re diem con-
sumunt. Sed quantum opere processerant et castra protulerant,
tanto aberant ab aqua longius, et praesenti malo aliis malis reme-
4 dia dabantur. Prima nocte aquandi causa nemo egreditur ex ca-
stris; proximo die praesidio in castris relicto uniuersas ad aquam
5 copias educunt, pabulatum emittitur nemo. His eos supplicis ma-
lis habere Caesar et necessariam subire deditionem quam proelio

3 exciperentur *b u*. 9 animum aduerterunt (*a*) *b*, *non* animadu. 12 animum aduersa *a b*, *non* animadu. † relictis *P*. 144. 13 cohortis *a b*. reliquit *b*. 14 celeriterque *b*. 16 pene *a*. 17 centuriones *om. b*. 20 natura *om. b*. 21 isdem *a*, *non* iisdem. 22 proelio] amplius *add. 'mss. 5' u*. 24 illi enim aduerso *a b c*. 31 supplices malis habere *Dauisius* (supplicis *Oudendorpius*); suppliciis male haberi *a b*, supplices male habere *c d*.

decertare malebat. Conatur tamen eos uallo fossaque circummu-
nire, ut quam maxime repentinas eorum eruptiones demoretur;
quo necessario descensuros existimabat. Illi et inopia pabuli ad 6
ducti et quo essent ad id expeditiores omnia sarcinaria iumenta
interfici iubent. In his operibus consiliisque biduum consumitur; 82
tertio die magna iam pars operis Caesaris processerat. Illi impe-
diendae rei [quae munitionis fiebat] causa hora circiter VIIII si-
gno dato legiones educunt aciemque sub castris instruunt. Caesar 2
ab opere legiones reuocat, equitatum omnem conuenire iubet, aciem
instruit: contra opinionem enim militum famamque omnium uideri
proelium defugisse magnum detrimentum adferebat. Sed eisdem 3
de causis, quae sunt cognitae, quo minus dimicare uellet, moueba-
tur, atque hoc etiam magis, quod spatii breuitas etiam in fugam
coniectis aduersariis non multum ad summam uictoriae iuuare pot-
erat. Non enim amplius pedum milibus duobus ab castris castra 4
distabant: hinc duas partes acies occupabant duae; tertia uacabat
ad incursum atque impetum militum relicta. Si proelium commit- 5
teretur, propinquitas castrorum celerem superatis ex fuga rece-
ptum dabat. Hac de causa constituerat signa inferentibus resistere,
prior proelio non lacessere. Acies erat Afraniana duplex legio- 83
num V; tertium in subsidiis locum alariae cohortes obtinebant:
Caesaris triplex; sed primam aciem quaternae cohortes ex V le- 2
gionibus tenebant, has subsidiariae ternae et rursus aliae totidem
suae cuiusque legionis subsequebantur; sagittarii funditoresque
media continebantur acie, equitatus latera cingebat. Tali instru- 3
cta acie tenere uterque propositum uidebatur: Caesar, ne nisi co-
actus proelium committeret; ille, ut opera Caesaris impediret.
Producitur tum res, aciesque ad solis occasum continentur: inde
utrique in castra discedunt. Postero die munitiones institutas Cae- 4

1 circummunire *a 'reliqui omnes'*, circumuenire 3 *dett. u.* 6 impedimenti rei *b.* 7 quae munitionis fiebat causa *a et, qui* munitiones, *b;* quae munitionis causa fiebat *reliqui: uncis inclusa spuria esse Faërnus uidit.* VIIII *a*, 'IX *mss.* 5'; VIII *u.* 8 educunt *Stephanus,* ducunt *a 'mss. plerique'.* 10 instruunt *a.* 11 proelium defugisse *Hotomanus,* proelio diffugisse *codd.* adferebat *a.* 16 duae *a c* 6 *dett. 'et alii', om. u.* uocabatur *d.* 17 occursum *b.* 19 desistere *a 'mss. plerique'.* 21 tertium *Ciacconius,* tertia *codd.* 23 et rursus aliae *om. a,* rursus aliae *om. b.* 24 legioñ *a,* legionum *b c.* 25 cingebant *b.* 26 ne nisi — committeret *ego,* nisi — committere *a b;* nisi — non committere *u.* 28 producuntur *b.* tum *ego,* tamen *codd.* 29 in castra *om. b.*

sar parat perficere; illi uadum fluminis Sicoris temptare, si trans-
5 ire possent. Qua re animaduersa Caesar Germanos leuis arma-
turae equitumque partem flumen traicit crebrasque in ripis custo-
84 dias disponit. Tandem omnibus rebus obsessi, quartum iam diem
sine pabulo retentis iumentis, aquae, lignorum, frumenti inopia
conloquium petunt et id, si fieri possit, semoto a militibus loco.
2 Vbi id a Caesare negatum et, palam si colloqui uellent, concessum
est, datur obsidis loco Caesari filius Afranii. Venitur in eum lo-
3 cum, quem Caesar delegit. Audiente utroque exercitu loquitur
Afranius: Non esse aut ipsis aut militibus succensendum, quod
fidem erga imperatorem suum Cn. Pompeium conseruare uolue-
4 rint. Sed satis iam fecisse officio satisque supplicii tulisse. Per-
pessos omnium rerum inopiam; nunc uero paene ut feras circum-
munitos prohiberi aqua, prohiberi ingressu, neque corpore dolorem
5 neque animo ignominiam ferre posse. Itaque se uictos confiteri:
orare atque obsecrare, si qui locus misericordiae relinquatur, ne
ad ultimum supplicium progredi necesse habeant. Haec quam pot-
85 est demississime et subiectissime exponit. Ad ea Caesar respon-
dit: Nulli omnium has partis uel querimoniae uel miserationis mi-
2 nus conuenisse. Reliquos enim omnis officium suum praestitisse:
se, qui etiam bona condicione, et loco et tempore aequo, confligere
noluerit, ut quam integerrima essent ad pacem omnia; exercitum
suum, qui iniuria etiam accepta suisque interfectis quos in sua po-
testate habuerit conseruarit et texerit; illius denique exercitus mi-
lites, qui per se de concilianda pace egerint; qua in re omnium
3 suorum uitae consulendum putarint. Sic omnium ordinum partis
in misericordia constitisse: ipsos duces a pace abhorruisse; eos
neque colloqui neque indutiarum iura seruasse et homines imperi-
4 tos et per colloquium deceptos crudelissime interfecisse. Accidisse
igitur his, quod plerumque hominum nimia pertinacia atque arro-

2 animum aduersa *ex uno det. u.* 6 colloquia *a b,* colloquio *c* (conl. *a*). 7 si quid loqui *b.* 11 uoluerint (*a*) *? Aldus,* uoluerunt '*mss. omnes*'. 13 pene *a.* feras *Vossius,* feminas *codd.* 14 prohyberi *altero loco a.* 15 ita se *b.* 18 demisissime *a.* et *a b,* atque *u.* 19 partis *a b.* 20 omnis *a b.* officium suum *a Stephanus,* suum officium *ceterae edd.* prestitisse *a.* 21 se *Aldus, om. a 'mss.'* conditione ne *a.* et loco *om. b.* 22 noluerit *Aldus,* noluerint *a b.* 26 partis *a b.* 28 neque colloquii *om. e ed. Graeu. et sine annotatione u* (colloqui *a*). induciarum (*a*). 29 et *om. b.* 30 hominum *a b c d,* hominibus *u.*

gantia accidere soleat, uti eo recurrant et id cupidissime petant,
quod paulo ante contempserint. Neque nunc se illorum humilitate 5
neque aliqua temporis opportunitate postulare, quibus rebus opes
augeantur suae; sed eos exercitus, quos contra se multos iam an-
nos aluerint, uelle dimitti. Neque enim sex legiones alia de causa 6
missas in Hispaniam septimamque ibi conscriptam neque † tot tan-
tasque classis paratas neque submissos duces rei militaris peritos.
Nihil horum ad pacandas Hispanias, nihil ad usum prouinciae pro- 7
uisum*, quae propter diuturnitatem pacis nullum auxilium deside-
rarit. Omnia haec iam pridem contra se parari: in se noui generis 8
imperia constitui, ut idem ad portas urbanis praesideat rebus et
duas bellicosissimas prouincias absens tot annis obtineat; in se 9
iura magistratuum commutari, ne ex praetura et consulatu, ut
semper, sed per paucos probati et electi in prouincias mittantur;
in se etiam aetatis excusationem nihil ualere, quom superioribus
bellis probati ad optinendos exercitus euocentur; in se uno non 10
seruari, quod sit omnibus datum semper imperatoribus, ut rebus
feliciter gestis aut cum honore aliquo aut certe sine ignominia do-
mum reuertantur exercitumque dimittant. Quae tamen omnia et 11
se tulisse patienter et esse laturum: neque nunc id agere, ut ab
illis abductum exercitum teneat ipse, quod tamen sibi difficile non
sit, sed ne illi habeant, quo contra se uti possint. Proinde, ut es- 12
set dictum, prouinciis excederent exercitumque dimitterent; si id
sit factum, se nociturum nemini. Hanc unam atque extremam esse
pacis condicionem. Id uero militibus fuit pergratum et iucundum, 86
ut ex ipsa significatione cognosci potuit, ut, qui aliquid iusti in-
commodi expectauissent, ultro praemium missionis ferrent. Nam 2
cum de loco et tempore eius rei controuersia inferretur, et uoce et
manibus uniuersi ex uallo, ubi constiterant, significare coeperunt,
ut statim dimitterentur, neque omni interposita fide firmum esse
posse, si in aliud tempus differretur. Paucis cum esset in utram- 3

2 humilitate *Aldus,* humanitate *codd.* 3 oportunitate *a.* 6 neque † tot *P.* 145. 7 classis *a b.* 8 quorum *a b.* Hyspanias *a.* 11 praesideat *Aldus,* praesidia *codd. Vid. Vell. II,* 48, 1. 12 annis *a b,* annos *u.* 14 sed *Aldus,* fit *codd.* 15 etiam *a b, om. u.* quom *ego,* quod *codd. P.* 145. 16 optinendos *a.* 23 si *Aldus,* sed si *codd.* 24 se nociturum *a 'mss. plerique',* nociturum se *Aldus u.* esse pacis *a Stephanus,* pacis esse *reliquae edd.* 26 cognosci potuit *a Stephanus,* potuit cognosci *reliquae edd.* aliqui *a 'mss. 4'.* iusti *a b c,* uicti *u.* 27 expectauissent *a.*

que partem uerbis disputatum, res huc deducitur, ut ei, qui ha-
beant domicilium aut possessionem in Hispania, statim, reliqui ad
4 Varum flumen dimittantur; ne quid eis noceatur, neu quis inuitus
87 sacramentum dicere cogatur, a Caesare cauetur. Caesar ex eo
tempore, dum ad flumen Varum ueniatur, se frumentum daturum
pollicetur. Addit etiam, ut, quod quisque eorum in bello amiserit,
quae sint penes milites suos, iis, qui amiserant, restituatur; mili-
tibus aequa facta aestimatione pecuniam pro his rebus dissoluit.
2 Quascumque postea controuersias inter se milites habuerunt, sua
3 sponte ad Caesarem in ius adierunt. Petreius atque Afranius cum
stipendium ab legionibus paene seditione facta flagitarentur, cuius
illi diem nondum uenisse dicerent, Caesar ut cognosceret, postu-
4 latum est, eoque utrique, quod statuit, contenti fuerunt. Parte
circiter tertia exercitus eo biduo dimissa duas legiones suas ante-
cedere, reliquas subsequi iussit, ut non longo inter se spatio ca-
stra facerent, eique negotio Q. Fufium Calenum legatum praeficit.
5 Hoc eius praescripto ex Hispania ad Varum flumen est iter factum,
atque ibi reliqua pars exercitus dimissa est.

1 ei *a b*, ii *u*. 2 possessionem *a b*, possessiones *u*. 4 sacramentum *a b c d*, sacramento *u*. 6 quod *ego*, quid *codd.* 7 his *a.* amiserant *codd.*, amiserint *u.* restituatur *Stephanus*, restituat *codd.* 8 his *a edd. priores*, iis *P. Manutius u.* 9 quascumque (*a*), *non* — cunque. habuerunt *a b c*, habuerint *u.* 10 in ius *Guilielmus*; intus *a et reliqui boni*, iustius *b.* Petreius] autem *add. a.* 11 pene *a.* flagitarentur *Aldus*, flagitaretur *codd.* 12 postulatum est '*reliqui*', postulatum *a unusque det.*; postulant 2 *dett. u.* 16 Fufium *cod. Urs.*; Fuscium *a et sic 'uel* Fuscium *meliores*', Fusenum *b.* Calenum (*a*) '*omnes*', Kalenum *u.* 17 Hyspania *a.* 18 dimissa est *a et reliqui*, dimissa *m. pr. b.* Explicit liber primus belli ciuilis *a.*

C. IVLII CAESARIS

DE BELLO CIVILI

COMMENTARIVS SECVNDVS.

Dum haec in Hispania geruntur, C. Trebonius legatus, qui
ad oppugnationem Massiliae relictus erat, duabus ex partibus ag-
gerem, uineas turresque ad oppidum agere instituit. Vna erat 2
proxima portui naualibusque, altera ad partem, qua est aditus ex
Gallia atque Hispania, ad id mare, quod adiacet ad ostium Rho-
dani. Massilia enim fere ex tribus oppidi partibus mari adluitur; 3
reliqua quarta est, quae aditum habeat ab terra. Huius quoque
spatii pars ea, quae ad arcem pertinet, loci natura et ualle altissi-
ma munita longam et difficilem habet oppugnationem. Ad ea per- 4
ficienda opera C. Trebonius magnam iumentorum atque hominum
multitudinem ex omni prouincia uocat; uimina materiamque com-
portari iubet. Quibus comparatis rebus aggerem in altitudinem
pedum LXXX extruit. Sed tanti erant antiquitus in oppido omni- 2
um rerum ad bellum apparatus tantaque multitudo tormentorum,
ut eorum uim nullae contextae uiminibus uineae sustinere possent.
Asseres enim pedum XII cuspidibus praefixi atque hi maximis bal- 2
listis missi per IIII ordines cratium in terra defigebantur. Itaque 3
pedalibus lignis coniunctis inter se porticus integebantur, atque
hac agger inter manus proferebatur. Antecedebat testudo pedum 4
LX aequandi loci causa facta item ex fortissimis lignis, conuoluta
omnibus rebus, quibus ignis iactus et lapides defendi possent. Sed 5
magnitudo operum, altitudo muri atque turrium, multitudo tormen-
torum omnem administrationem tardabat. Crebrae etiam per Al- 6

Incipit liber secundus eiusdem operis *a*. 1 legatus *om. c.* 4 portu *b.* quae est *a.* 5 adiacet *ego;* adigit *codd., nisi quod a ante corr.* adgit. *P.* 146. hostium *a.* 6 tribus ex '*mss. et edd. qdd.*' adluitur *a.* 7 ab terra *a,* ad terram *unus det. et* '3 *alii*'; a terra *u.* 11 euocat *Ciacconius.* 13 extruit *a.* 16 ballistis (*a*), *non* balistis. 20 conuoluta *a c,* euoluta *reliqui.* 23 crebrae etiam *ego,* crebrae tamen *codd.*

bicos eruptiones fiebant ex oppido, ignesque aggeri et turribus in-
ferebantur; quae facile nostri milites repellebant magnisque ultro
illatis detrimentis eos, qui eruptionem fecerant, in oppidum reicie-
3 bant. Interim L. Nasidius ab Cn. Pompeio cum classe nauium
XVI, in quibus paucae erant aeratae, L. Domitio Massiliensibus-
que subsidio missus freto Siciliae inprudente atque inopinante Cu-
2 rione peruehitur adpulsisque Messanam nauibus atque inde propter
repentinum terrorem principum ac senatus fuga facta † ex nauali-
3 bus eorum deducit. Hac adiuncta ad reliquas naues cursum Massi-
liam uersus perficit praemissaque clam nauicula Domitium Massi-
liensisque de suo aduentu certiores facit eosque magnopere horta-
tur, ut rursus cum Bruti classe additis suis auxiliis confligant.
4 Massilienses post superius incommodum ueteres ad eundem nume-
rum ex naualibus productas nauis refecerant summaque industria
armauerant (remigum, gubernatorum magna copia suppetebat)
2 piscatoriasque adiecerant atque contexerant, ut essent ab ictu te-
lorum remiges tuti: has sagittariis tormentisque compleuerunt.
3 Tali modo instructa classe omnium seniorum, matrum familiae,
uirginum precibus et fletu excitati, extremo tempore ciuitati sub-
uenirent, non minore animo ac fiducia, quam ante dimicauerant,
4 naues conscendunt. Communi enim fit uitio naturae, ut inuisis
[latitatis] atque incognitis rebus magis confidamus uehementiusque
exterreamur; ut tum accidit. Aduentus enim L. Nasidii summa
5 spe et uoluntate ciuitatem compleuerat. Nacti idoneum uentum
ex portu exeunt et Tauroënta, quod est castellum Massiliensium,
ad Nasidium perueniunt ibique naues expediunt rursusque se ad
confligendum animo confirmant et consilia communicant. Dextra
5 pars adtribuitur Massiliensibus, sinistra Nasidio. Eodem Brutus
contendit aucto nauium numero. Nam ad eas, quae factae erant
Arelate per Caesarem, captiuae Massiliensium accesserant sex.
Has superioribus diebus refecerat atque omnibus rebus instruxerat.

2 milites repellebant *a 'mss. plerique'*, repellebant milites *u*. 3 opidum *a*. 6 Ficiliae *ante corr. a*. inprudente *a*. 7 adpulsisque *a*. *ante* Messanam *add.* ad *c*. 8 ex naualibus eorum deducit *a b e et*, *qui* nauem *praemittit*, *c*; ex naualibus eorum unam deducit *u*. 10 Massiliensisque *a*. 14 nauis *a*. 15 gubernatorum *a b*, gubernatorumque *u*. 19 extremo *a b*, ut extremo *u*. 21 enim] etiam *a c*. 22 latitatis *a b e*, latitantibus *u*. *P*. 68. 28 attribuitur Massiliensibus *a 'plerique'*, Massiliensibus attribuitur *u* (adt. *a*). 31 diebus refecerat *a Stephanus*, refecerat diebus *ceterae edd.*

Itaque suos cohortatus, quos integros superauissent ut uictos con- 2
temnerent, plenus spei bonae atque animi aduersus eos proficisci-
tur. Facile erat ex castris C. Treboni atque omnibus superiori- 3
bus locis prospicere in urbem, ut omnis iuuentus, quae in oppido
remanserat, omnesque superioris aetatis cum liberis atque uxori-
bus † ex publicis custodiis quae aut muro ad caelum manus ten-
derent, aut templa deorum inmortalium adirent et ante simulacra
proiecti uictoriam ab dis exposcerent. Neque erat quisquam omni- 4
um, quin in eius diei casu suarum omnium fortunarum euentum
consistere existimaret. Nam et honesti ex iuuentute et cuiusque 5
aetatis amplissimi nominatim euocati atque obsecrati nauis conscen-
derant, ut, si quid aduersi accidisset, ne ad conandum quidem sibi
quicquam reliqui fore uiderent; si superauissent, uel domesticis
opibus uel externis auxiliis de salute urbis confiderent. Commisso 6
proelio Massiliensibus res nulla ad uirtutem defuit; sed memores
eorum praeceptorum, quae paulo ante ab suis acceperant, hoc ani-
mo decertabant, ut nullum aliud tempus ad conandum habituri ui-
derentur, et quibus in pugna uitae periculum accideret non ita
multo se reliquorum ciuium fatum antecedere existimarent; qui-
bus urbe capta eadem esset belli fortuna patienda. Diductisque 2
nostris paulatim nauibus artificio gubernatorum mobilitati nauium
locus dabatur, et si quando nostri facultatem nacti ferreis manibus
iniectis nauem religauerant, undique suis laborantibus succurre-
bant. Neque uero coniuncti Albicis comminus pugnando deficie- 3
bant neque multum cedebant uirtute nostris. Simul ex minoribus
nauibus magna uis eminus missa telorum multa nostris de impro-
uiso inprudentibus atque impeditis uulnera inferebant. Conspica- 4
taeque naues triremes duae nauem D. Bruti, quae ex insigni facile
agnosci poterat, duabus ex partibus sese in eam incitauerant. Sed
tantum re prouisa Brutus celeritate nauis enisus est, ut paruo mo-

1 ut *om. m. pr. b.* contempnerent *a.* 3 Treboni *a.* 6 ex publicis custodiis quae aut muro '*mss. plerique*', publicis custodiisque aut muro *a*; publicisque custodiis aut ex muro *Aldus u. P.* 146. coelum (*a*). manus *om. a.* 7 inmortalium *a.* 8 dis *a*, 'his *uel* hiis *mss.*'; diis *u.* 9 in *om. a b c.* 10 consistere] sustinere *b.* 11 nauis *a.* 13 quicquam *a, non* quidquam. 18 acciderat *a et sic* '*uel* accederet *mss. plerique*'. 20 pacienda *a.* 21 artificio *b* 2 *dett.*, et artificio *reliqui. P.* 147. 23 nauim *b.* 27 inprudentibus *a.* 28 insigni 2 *dett.*; igni *a c*, igne *d*, signis *b.* 29 agnoscere *a.* 30 denisus *b.*

5 mento antecederet. Illae adeo grauiter inter se incitatae conflixe-
runt, ut uehementissime utraque ex concursu laborarent, altera
6 uero praefracto rostro tota collabefieret. Qua re animaduersa
quae proximae ei loco ex Bruti classe naues erant in eas impedi-
7 tas impetum faciunt celeriterque ambas deprimunt. Sed Nasidia-
nae naues nullo usui fuerunt celeriterque pugna excesserunt: non
enim has aut conspectus patriae aut propinquorum praecepta ad
2 extremum uitae periculum adire cogebant. Itaque ex eo numero
nauium nulla desiderata est: ex Massiliensium classe V sunt de-
pressae, IIII captae, una cum Nasidianis profugit; quae omnes ci-
3 teriorem Hispaniam petiuerunt. At ex reliquis una praemissa
Massiliam huius nuntii perferendi gratia cum iam adpropinquaret
urbi, omnis sese multitudo effudit, et re cognita tantus luctus
4 excepit, ut urbs ab hostibus capta eodem uestigio uideretur. Mas-
silienses tamen nihilo secius ad defensionem urbis reliqua apparare
coeperunt.

8 Est animaduersum ab legionariis, qui dextram partem ope-
ris administrabant, ex crebris hostium eruptionibus magno sibi
esse praesidio posse, si ibi pro castello ac receptaculo turrim ex
latere sub muro fecissent. Quam primo ad repentinos incursus
2 humilem paruamque fecerunt. Huc se referebant; hinc, si qua
maior oppresserat uis, propugnabant; hinc ad repellendum et pro-
sequendum hostem procurrebant. Patebat haec quoque uersus pe-
3 des XXX, sed parietum crassitudo pedes V. Postea uero, ut est
rerum omnium magister usus, hominum adhibita solertia inuentum
est magno esse usui posse, si haec esset in altitudinem turris elata.
9 Id hac ratione perfectum est. Vbi turris altitudo perducta est ad
contabulationem, eam in parietes instruxerunt, ita ut capita tigno-
rum extrema parietum structura tegerentur, ne quid emineret, ubi
2 ignis hostium adhaeresceret. Hanc insuper contignationem, quan-

1 concitatae *b.* 2 utraque *a b f*, utraeque *u.* 3 praefracto *b u* (*fuerat* perfracto), praefecto (*sic*) *a.* animum aduersa *ex uno det. u.* 12 perferendi *in marg. b.* adpropinquaret *a.* 13 se *b.* effudit *a b c*, ad cognoscendum effudit *u.* et *a b*, ac *u.* 15 secius *a d dett. plerique*, segnius *b c.* parare *b.* 16 ceperunt *a.* 17 dextram *a 'mss. et edd. qdd.'*, dexteram *u.* 19 ibi *a b*, *om. u.* 21 fecerunt *a 'mss. et edd. qdd.'*, fecerant *u.* 23 quoque *ego*, *om. a b*; quoquo *u. P.* 72. 25 sollertia *a.* 27 ad *Aldus*; ut *a* 3 *dett.*, et *b*; id *edd. ante Ald.* 28 contabulationem eam *Aldus*; contabulationis causa *codd.* in *om. b.* 29 extrema (*a*) *e edd. ante u*, extenta *sine annotatione u.* 30 adheresceret *a.* super *puto.*

tum tectum plutei ac uinearum passum est, latericulo adstruxe-
runt supraque eum locum II tigna transuersa iniecerunt non longe
ab extremis parietibus, quibus suspenderent eam contignationem,
quae turri tegimento esset futura, supraque ea tigna directo trans-
uersas trabes iniecerunt easque axibus religauerunt (has paulo lon- 3
giores atque eminentiores, quam extremi parietes erant, effece-
rant, ut esset, ubi tegimenta praependere possent ad defendendos
ictus ac repellendos, cum inter eam contignationem parietes extrue-
rentur) eamque contabulationem summam lateribus lutoque con-
strauerunt, ne quid ignis hostium nocere posset, centonesque in-
super iniecerunt, ne aut tela tormentis immissa tabulationem per-
fringerent, aut saxa ex catapultis latericium discuterent. Storias 4
autem ex funibus ancorariis tres in longitudinem parietum turris
latas IIII pedes fecerunt easque ex tribus partibus, quae ad hostes
uergebant, eminentibus trabibus circum turrim praependentes re-
ligauerunt; quod unum genus tegimenti aliis locis erant experti
nullo telo neque tormento traici posse. Vbi uero ea pars turris, 5
quae erat perfecta, tecta atque munita est ab omni ictu hostium,
pluteos ad alia opera abduxerunt; turris tectum per se ipsum pres-
sionibus ex contignatione prima suspendere ac tollere coeperunt;
ubi, quantum storiarum demissio patiebatur, tantum eleuabant.
Intra haec tegimenta abditi atque muniti parietes lateribus extrue- 6
bant rursusque alia pressione ad aedificandum sibi locum expedie-
bant. Vbi tempus alterius contabulationis uidebatur, tigna item 7
ut primo tecta extremis lateribus instruebant exque ea contigna-
tione rursus summam contabulationem storiasque eleuabant. Ita 8
tuto ac sine ullo uulnere ac periculo sex tabulata extruxerunt fe-
nestrasque quibus in locis uisum est ad tormenta mittenda in stru-
endo reliquerunt. Vbi ex ea turri quae circum essent opera tueri 10

1 latericulo *codd.*, laterculo *u*. 2 non longe *Stephanus;* ut non longe *a* '*mei* 7', ii non longe *c*. 3 suspenderunt *a b c*. 4 derecto *a b*. 5 eaque *b*. has *a b c,* has trabes *u*. 6 effecerant *a b c,* effecerunt *u*. 8 interea *a*. extruerentur *a*. 9 castrauerunt *b et, qui pro uar. lect.* calcauerunt, *c*. 10 centones insuper *b*. 11 immissa *a b,* missa *u*. tribulationem *a*. 13 ancorariis *a, non* anch. 14 eosque *a*. qua ad hostes perurgebant *c et omisso* ad *a b*. 16 quod ad unum *a b c*. 19 pressionibus *a b c,* prehensionibus *u*. 20 ceperunt *a*. 21 paciebatur *a*. 22 extruebant *a*. 23 prensione *a c,* pensione *b*; prehensione *u*. 25 contignationem storiasque *omissis mediis c*. 27 extruxerunt *a*. 28 mittenda instruenda *a b*.

se posse confisi sunt, musculum pedes LX longum ex materia bi-
pedali, quem a turri latericia ad hostium turrim murumque perdu-
2 cerent, facere instituerunt; cuius musculi haec erat forma. Duae
primum trabes in solo aeque longae distantes inter se pedes IIII
collocantur, inque eis columellae pedum in altitudinem V defigun-
3 tur. Has inter se capreolis molli fastigio coniungunt, ubi tigna,
quae musculi tegendi causa ponant, collocentur. Eo super tigna
4 bipedalia iniciunt eaque laminis clauisque religant. Ad extremum
musculi tectum trabesque extremas quadratas regulas IIII patentis
digitos defigunt, quae lateres, qui super [musculo] struantur, con-
5 tineant. † Ita fastigato atque ordinatim structo, ut trabes erant in
capreolis collocatae, lateribus lutoque musculus, ut ab igni, qui ex
6 muro iaceretur, tutus esset, contegitur. Super lateres coria indu-
cuntur, ne canalibus aqua inmissa lateres diluere posset. Coria
autem, ne rursus igni ac lapidibus corrumpantur, centonibus con-
7 teguntur. Hoc opus omne tectum uineis ad ipsam turrim perfici-
unt subitoque inopinantibus hostibus machinatione nauali, phalan-
gis subiectis, ad turrim hostium admouent, ut aedificio iungatur.
11 Quo malo perterriti subito oppidani saxa quam maxima possunt
uectibus promouent praecipitataque muro in musculum deuoluunt.
Ictum firmitas materiae sustinet, et quidquid incidit fastigio mu-
2 sculi elabitur. Id ubi uident, mutant consilium: cupas taeda ac
pice refertas incendunt easque de muro in musculum deuoluunt.
Inuolutae labuntur, delapsae a lateribus longuriis furcisque ab opere
3 remouentur. Interim sub musculo milites uectibus infima saxa
turris hostium, quibus fundamenta continebantur, conuellunt. Mu-

1 pedes 2 *dett.*, pedum *reliqui. Vid. Maduig. obseru. ad gramm. Lat. p.* 81. XL *puto, cum trabes bipedales sexaginta pedes longae satis quidem firmae materiae reperiri non uideantur. Quod autem Lipsius musculum* IX *pedes longum fuisse putauit, id spatium neque idoneum hominum numerum neque uectes satis longos capiebat.* 2 quae *a 'mss. 4'*. lateritia (*a*). 4 longe *b*. pedum *b*. 5 columellae (*a*) 3 *dett.*, *non* columnellae. 7 eos super *b*. 8 immittunt ea laminis *b*. 9 tectique trabes *a b*, tecti trabes *c*. patentis *a 'plerique'*. 10 musculo *P. Manutius*, musculos *a 'mss. plurimi'*. *P.* 147. struantur] conantur *b*. 11 fastigato (*a*) 3 *dett.*, *non* fastigiato. 12 lateribus *Aldus*, in lateribus *a b c*. luto *omissa copula b c*. musculis *cum* o *super* i *a*. igni *'mss. potiores' et corr. a*, igne *ante corr. a*. 14 inmissa *a*. possit *b*. 16 ipsum *a*. perficiunt] perducunt *pro uar. lect. c*. 18 coniungatur *b*. 20 permouent *b*. 24 a lateribus *a 'mss. et edd. qdd.'*, ab lateribus *u*. furcis *omissa copula c*.

sculus ex turri katericia a nostris telis tormentisque defenditur;
hostes ex muro ac turribus submouentur [: non datur libera muri
defendendi facultas]. Compluribus iam lapidibus ex ea, quae sub- 4
erat, turri subductis repentina ruina pars eius turris concidit,
pars reliqua consequens procumbebat: cum hostes urbis direptione 12
perterriti inermes cum infulis se porta foras uniuersi proripiunt,
ad legatos atque exercitum supplices manus tendunt. Qua noua re 2
oblata omnis administratio belli consistit, militesque auersi a proe-
lio ad studium audiendi et cognoscendi feruntur. Vbi hostes ad 3
legatos exercitumque peruenerunt, uniuersi se ad pedes proiciunt;
orant, ut aduentus Caesaris expectetur. Captam suam urbem ui- 4
dere; opera perfecta, turrim subrutam: itaque ab defensione desi-
stere. Nullam exoriri moram posse, quo minus, cum uenisset, si
imperata non facerent ad nutum, e uestigio diriperentur. Docent, 5
si omnino turris concidisset, non posse milites contineri, quin spe
praedae in urbem irrumperent urbemque delerent. Haec atque
eiusdem generis complura ut ab hominibus doctis magna cum mi-
sericordia fletuque pronuntiantur. Quibus rebus commoti legati 13
milites ex opere deducunt, oppugnatione desistunt; operibus cu-
stodias relinquunt. Indutiarum quodam genere misericordia facto 2
aduentus Caesaris expectatur. Nullum ex muro, nullum a nostris
mittitur telum: ut re confecta omnes curam et diligentiam remit-
tunt. Caesar enim per litteras Trebonio magnopere mandauerat, 3
ne per uim oppidum expugnari pateretur, ne grauius permoti mi-
lites et defectionis odio et contemptione sui et diutino labore omnes
puberes interficerent; quod se facturos minabantur, aegreque tunc 4
sunt retenti, quin oppidum irrumperent, grauiterque eam rem tu-
lerunt, quod stetisse per Trebonium, quo minus oppido potirentur,
uidebatur. At hostes sine fide tempus atque occasionem fraudis 14
ac doli quaerunt interiectisque aliquot diebus nostris languentibus
atque animo remissis subito meridiano tempore, cum alius disces-

2 *uncis inclusa suspecta erant Grutero. P.* 148. 3 iam] tum *b.* ex illa *b.* 5 procombebat *a.* cum *a b c,* tum *u.* hostes urbis *a b d* 3 *dett.;* hostes turris repentina ruina commoti, inopinato malo turbati, deorum ira perculsi, urbis *u.* 6 se *a 'mss. plerique',* sese *u.* 10 proiiciunt (*a*). 11 expectetur *a.* captant *a.* 12 turrim *a,* turrem *u.* ab defensione *a* 3 *dett.,* ad defensionem *b;* a defensione *u.* 14 faceret *a.* 15 spe] se *a b.* 19 ex] ab *b.* diducunt *a b.* opugnatione *a.* operis custodias *a b.* 20 induciarum (*a*). 21 expectatur *a.* 25 contentione *a 'mss. plurimi'.*

sisset, alius ex diutino labore in ipsis operibus quieti se dedisset,
arma uero omnia reposita contectaque essent, portis se foras erum-
2 punt, secundo magnoque uento ignem operibus inferunt. Hunc
sic distulit uentus, uti uno tempore agger, plutei, testudo, turris,
tormenta flammam conciperent et prius haec omnia consumerentur,
3 quam, quemadmodum accidisset, animaduerti posset. Nostri re-
pentina fortuna permoti arma, quae possunt, arripiunt; alii ex ca-
stris sese incitant. Fit in hostis impetus [eorum]; sed *e* muro sa-
4 gittis tormentisque fugientes persequi prohibentur. Illi sub murum
se recipiunt ibique musculum turrimque latericiam libere incendunt.
Ita multorum mensium labor hostium perfidia et ui tempestatis
5 puncto temporis interiit. Temptauerunt hoc idem Massilienses po-
stero die. Eandem nacti tempestatem maiore cum fiducia ad al-
teram turrim aggeremque eruptione pugnauerunt multumque ignem
6 intulerunt. Sed ut superioris temporis contentionem nostri omnem
remiserant, ita proximi diei casu admoniti omnia ad defensionem
parauerant. Itaque multis interfectis reliquos infecta re in oppidum
15 repulerunt. Trebonius ea, quae sunt amissa, multo maiore mili-
tum studio administrare et reficere instituit. Nam ubi tantos suos
labores et apparatus male cecidisse uiderunt indutiisque per scelus
uiolatis suam uirtutem irrisui fore perdoluerunt, quod, unde agger
omnino comportari posset, nihil erat reliquum, omnibus arboribus
longe lateque in finibus Massiliensium excisis et conuectis agge-
rem noui generis atque inauditum ex latericiis duobus muris se-
num pedum crassitudine atque eorum murorum contignatione fa-
cere instituerunt aequa fere altitudine, atque ille congesticius ex
2 materia fuerat agger. Vbi aut spatium inter muros aut inbecillitas
materiae postulare uideretur, pilae interponuntur, trauersaria ti-
gna iniciuntur, quae firmamento esse possint, et quidquid est con-
3 tignatum cratibus consternitur, crates luto integuntur. Sub tecto

1 quieti dedisset *a.* 2 rumpunt *a b.* 6 aduerti *b,* animum aduerti *ex uno det. u.* 7 arripiunt] capiunt *b.* 8 hostis *a b.* eorum *a 'mss. plurimi': om. Stephanus.* e *suppleuit Ciacconius.* 13 maiore *a b,* maiori *u.* 14 turrim *a b,* turrem *u.* 18 reppulerunt *a.* militum studio *a Stephanus,* studio militum *ceterae edd.* 20 induciisque (*a*). proh scelus *b.* 25 contignatione *ego,* contignationem *codd. P.* 149. 26 altitudine *Vascosanus* (*falso hanc emendationem P.* 149 *Stephano tribui*), latitudine *codd.* congesticius *a b c d,* congestus *u* (— titius (*a*)). 27 inbecillitas *a.* 28 trauersaria *a, non* transu. 29 possent *b.* et] ut *a.* 30 crates *a b,* cratesque *u.*

miles dextra ac sinistra muro tectus, aduersus plutei obiectu operi
quaecumque sunt usui sine periculo subportat. Celeriter res admi- 4
nistratur: diuturni laboris detrimentum solertia et uirtute militum
breui reconciliatur. Portae quibus locis uidetur eruptionis causa
in muro relinquuntur. Quod ubi hostes uiderunt, ea, quae diu lon- 16
goque spatio refici non posse sperassent, paucorum dierum opera
et labore ita refecta, ut nullus perfidiae neque eruptioni locus esset
nec quicquam omnino relinqueretur, qua aut ui militibus aut igni
operibus noceri posset, eodemque exemplo sentiunt totam urbem, 2
qua sit aditus ab terra, muro turribusque circummuniri posse, sic
ut ipsis consistendi in suis munitionibus locus non esset, cum paene
inaedificata in muris ab exercitu nostro moenia uiderentur ac te-
lum manu coniceretur, suorumque tormentorum usum, quibus ipsi 3
magna sperauissent, spatio propinquitatis interire parique condi-
cione ex muro ac turribus bellandi data se uirtute nostris adae-
quare non posse intellegunt, ad easdem deditionis condiciones re-
currunt.

M. Varro in ulteriore Hispania initio cognitis iis rebus, quae 17
sunt in Italia gestae, diffidens Pompeianis rebus amicissime de
Caesare loquebatur: praeoccupatum sese legatione ab Cn. Pom- 2
peio, teneri obstrictum fide; necessitudinem quidem sibi nihilo mi-
norem cum Caesare intercedere, neque se ignorare, quod esset
officium legati, qui fiduciariam operam obtineret, quae uires suae,
quae uoluntas erga Caesarem totius prouinciae. Haec omnibus
ferebat sermonibus neque se in ullam partem mouebat. Postea 3
uero, cum Caesarem ad Massiliam detineri cognouit, copias Pe-
treii cum exercitu Afranii esse coniunctas, magna auxilia conue-
nisse, magna esse in spe atque expectari et consentire omnem ci-
teriorem prouinciam quaeque postea acciderant, de angustiis ad
Ilerdam rei frumentariae, accepit, atque haec ad eum latius atque

1 dextera (*a*) *u*: *at* dextra *hic quoque codd. tueri Schneiderus p.* 43 *affirmat.* obiectu *Aldus,* obiecto *a* '*mei* 5'. 2 quaecumque *a, non* — cunque. sunt usui *a,* usui sunt *edd.* subportat *a.* 3 sollertia *a.* 4 reconciliatur *codd.,* reconcinnatur *Aldus u.* 7 ita *om. b.* nullus *Stephanus,* nullius *a b.* 8 nec *a,* neque *edd.* quicquam *a, non* quidquam. qua *a* '*mss.* 7', quo *u.* ui] eis *a b,* ab eis *c.* 10 circummuniri *Aicardus,* circumiri *codd.* 11 pene *a.* 12 media *a.* telum — coniceretur *a b c,* tela — conicerentur *u.* 13 suorum *omissa copula b.* 14 conditione (*a*). 15 se uirtute *a,* uirtute se *edd.* 16 conditiones (*a*). 18 ulteriori *b.* Hyspania *a.* hiis *a.* 21 minus *b.* 28 expectari *a.*

inflatius Afranius perscribebat, se quoque ad motus fortunae mo-
18 uere coepit. Delectum habuit tota prouincia, legionibus completis
duabus cohortes circiter XXX alarias addidit. Frumenti magnum
numerum coëgit, quod Massiliensibus, item quod Afranio Petreio-
que mitteret. Naues longas X Gaditanis ut facerent imperauit,
2 complures praeterea Hispali faciendas curauit. Pecuniam omnem
omniaque ornamenta ex fano Herculis in oppidum Gadis contulit:
eo sex cohortes praesidii causa ex prouincia misit Gaiumque Gal-
lonium, equitem Romanum, familiarem Domitii, qui eo procuran-
dae hereditatis causa uenerat missus a Domitio, oppido Gadibus
praefecit; arma omnia priuata ac publica in domum Galloni con-
3 tulit. Ipse habuit graues in Caesarem contiones. Saepe ex tribu-
nali praedicauit aduersa Caesarem proelia fecisse, magnum nume-
rum ab eo militum ad Afranium perfugisse: haec se certis nuntiis,
4 certis auctoribus comperisse. Quibus rebus perterritos ciuis Ro-
manos eius prouinciae sibi ad rempublicam administrandam HS
CLXXX et argenti pondo XX milia, tritici modios CXX milia polli-
5 ceri coëgit. Quas Caesari esse amicas ciuitates arbitrabatur, his
grauiora onera iniungebat praesidiaque eo deducebat et iudicia in
priuatos reddebat, qui uerba atque orationem aduersus rempubli-
cam habuissent; eorum bona in publicum addicebat. Prouinciam
6 omnem in sua et Pompeii uerba iusiurandum adigebat. Cognitis
iis rebus, quae sunt gestae in citeriore Hispania, bellum parabat.
Ratio autem haec erat belli, ut se cum II legionibus Gadis confer-
ret, naues frumentumque omne ibi contineret: prouinciam enim
omnem Caesaris rebus fauere cognouerat. In insula frumento na-
7 uibusque comparatis bellum duci non difficile existimabat. Caesar,
etsi multis necessariisque rebus in Italiam reuocabatur, tamen con-
stituerat nullam partem belli in Hispaniis relinquere, quod magna
esse Pompeii beneficia et magnas clientelas in citeriore prouincia
19 sciebat. Itaque duabus legionibus missis in ulteriorem Hispaniam

1 praescribebat *a.* motus *a b,* motum *u.* 2 dilectum *a.* 4 Pompeioque *a 'mss. 7'.* 5 faceret *b.* 6 cumplures *a.* Hispali *P. Manutius,* in Hispali *codd.* 7 Gadis *'mss plerique',* Gades *a.* 8 Gaiumque Gallonium *a,* Gaium Callonium *b;* Caiumque Gallonium *u.* 11 Galloni *a.* 12 conciones (*a*). 15 perterritis *a,* perterritus *b.* ciuis *a b.* 16 HS] CH *a.* 18 Caesaris *a b c.* his *a edd. ante Ald.,* iis *Aldus u.* 20 orationes *b.* 21 prouincia *a.* 23 his *a.* 24 ratio enim haec erat *b c,* ratio haec enim erat *a.* Gadis *a et 'hic et infra b et plerique mss.'* 28 Italia *a.* 31 Hyspaniam *a.*

cum Q. Cassio, tribuno plebis, ipse DC equitibus magnis itineribus
progreditur edictumque praemittit, ad quam diem magistratus prin-
cipesque omnium ciuitatum sibi esse praesto Cordubae uellet. Quo 2
edicto tota prouincia peruulgato nulla fuit ciuitas, quin ad id tem-
pus partem senatus Cordubam mitteret, non ciuis Romanus paulo
notior, quin ad diem conueniret. Simul ipse Cordubae conuentus 3
per se portas Varroni clausit, custodias uigiliasque in turribus mu-
roque disposuit, cohortes duas, quae colonicae appellabantur, cum 4
eo casu uenissent, tuendi oppidi causa apud se retinuit. Isdem 5
diebus Carmonenses, quae est longe firmissima totius prouinciae
ciuitas, deductis tribus in arcem oppidi cohortibus a Varrone
praesidio per se cohortes eiecit portasque praeclusit. Hoc uero **20**
magis properare Varro, ut cum legionibus quam primum Gadis
contenderet, ne itinere aut traiectu intercluderetur: tanta ac tam
secunda in Caesarem uoluntas prouinciae reperiebatur. Progresso 2
ei paulo longius litterae Gadibus redduntur, simulatque sit cogni-
tum de edicto Caesaris, consensisse Gaditanos principes cum tri-
bunis cohortium, quae essent ibi in praesidio, ut Gallonium ex op-
pido expellerent, urbem insulamque Caesari seruarent. Hoc inito 3
consilio denuntiauisse Gallonio, ut sponte sua, dum sine periculo
liceret, excederet Gadibus; si id non fecisset, sibi consilium ca-
pturos. Hoc timore adductum Gallonium Gadibus excessisse. His 4
cognitis rebus altera ex duabus legionibus, quae uernacula appel-
labatur, ex castris Varronis adstante et inspectante ipso signa
sustulit seseque Hispalim recepit atque in foro et porticibus sine ma-
leficio consedit. Quod factum adeo eius conuentus ciues Romani 5
comprobauerunt, ut domum ad se quisque hospitio cupidissime re-
ciperet. Quibus rebus perterritus Varro, cum itinere conuerso 6
sese Italicam uenturum praemisisset, certior ab suis factus est
praeclusas esse portas. Tum uero omni interclusus itinere ad Cae- 7

1 DC equitibus *a b,* cum DC equitibus *u.* 2 praegreditur edictum praemittit *b.* 3 ciuitatuum *f.* presto *a.* 4 promulgato *b.* 5 Cordubae *a b.* non *a b,* nullusue *u.* 8 appellantur *m. pr. b.* 9 hisdem *a,* iisdem *u.* 11 diductis *b.* oppidi *post* totius (10) *ponit a.* 12 iniecit *a b c.* 13 Gadis *a.* 15 repperiatur *a.* 16 Gadibus *a* 3 *dett.;* ei a Gadibus *b,* a Gadibus *Aldus u.* fit *a b.* 18 in *om. b.* 20 sponte sua *a,* sua sponte *edd.* 21 Gadibus excederet *b.* ibi *a b.* 23 appellatur *b.* 24 ipse *a.* 25 Hispali *a b.* 27 a se *b.* 29 Italicam *Faërnus,* Italiam *codd.* uenturum] esse *add. b.* praemisisset *'uir doctus',* promisisset *codd.*

sarem mittit paratum se esse legionem, cui iusserit, tradere. Ille
8 ad eum Sextum Caesarem mittit atque huic tradi iubet. Tradita
legione Varro Cordubam ad Caesarem uenit; relatis ad eum pu-
blicis cum fide rationibus quod penes eum est pecuniae tradit et,
21 quid ubique habeat frumenti et nauium, ostendit. Caesar contione
habita Cordubae omnibus generatim gratias agit: ciuibus Romanis,
quod oppidum in sua potestate studuissent habere; Hispanis, quod
praesidia expulissent; Gaditanis, quod conatus aduersariorum in-
fregissent seseque in libertatem uindicassent; tribunis militum cen-
turionibusque, qui eo praesidii causa uenerant, quod eorum consi-
2 lia sua uirtute confirmassent. Pecunias, quas erant in publicum
Varroni ciues Romani polliciti, remittit; bona restituit iis, quos
liberius locutos hanc poenam tulisse cognouerat. Tributis quibus-
dam publicis priuatisque praemiis reliquos in posterum bona spe
3 complet biduumque Cordubae commoratus Gadis proficiscitur: pe-
cunias monimentaque, quae ex fano Herculis collata erant in pri-
uatam domum, referri in templum iubet. Prouinciae Q. Cassium
4 praeficit: huic IIII legiones attribuit. Ipse iis nauibus, quas M.
Varro quasque Gaditani iussu Varronis fecerant, Tarraconem
paucis diebus peruenit. Ibi totius fere citerioris prouinciae lega-
5 tiones Caesaris aduentum expectabant. Eadem ratione priuatim
ac publice quibusdam ciuitatibus habitis honoribus Tarracone dis-
cedit pedibusque Narbonem atque inde Massiliam peruenit. Ibi
legem de dictatore latam seseque dictatorem dictum a M. Lepido
praetore cognoscit.

22 Massilienses omnibus defessi malis, rei frumentariae ad summam inopiam adducti, bis nauali proelio superati, crebris eruptionibus fusi, graui etiam pestilentia conflictati ex diutina conclusione et mutatione uictus (panico enim uetere atque ordeo corrupto

1 sese *a.* cuius erit *a.* 2 Sextum *a,* Sex. *u.* tradere iubet *b.* 5 quid ubique *a b,* quod ubique *u.* et nauium *a b.* ac nauium *u.* concione (*a*). 6 agi *a.* 7 Hispaniis *b,* Hispalis *c.* 9 in *om. a.* 11 confirmauissent *b.* 12 remitti *a.* his *a.* 13 cognouit *b.* quibusdam popl'is *e.* 15 Gadis *a.* 16 monimentaque *a b, non* monum. 17 prouinciaeque Cassium *a,* prouinciaeque Q. Cassium *b.* 18 his *a.* 19 Tarraconam *a c.* 20 fere *om. b.* 21 expectabant *a.* 22 quibusquedam *e,* quibus quaedam *a;* quibusque *c.* 23 Narbonam *b.* 24 de dictatore] dedictionis *a,* deditionis *b c.* Lepido P. R. *a.* 27 nauali proelio *a,* proelio nauali *edd.* crebis *a.* 28 ex] et *b.* 29 ordeo '*mss.*', hordeo (*a*) *u.*

omnes alebantur, quod ad huiusmodi casus antiquitus paratum in
publicum contulerant) deiecta turri, labefacta magna parte muri,
auxiliis prouinciarum et exercituum desperatis, quos in Caesaris
potestatem uenisse cognouerant, sese dedere sine fraude constitu-
unt. Sed paucis ante diebus L. Domitius cognita Massiliensium 2
uoluntate nauibus III comparatis, ex quibus duas familiaribus suis
attribuerat, unam ipse conscenderat, nactus turbidam tempestatem
profectus est. Hunc conspicatae naues, quae missu Bruti consue- 3
tudine cotidiana ad portum excubabant, sublatis ancoris sequi coe-
perunt. Ex his unum ipsius nauigium contendit et fugere perse- 4
uerauit auxilioque tempestatis ex conspectu abiit, duo perterrita
concursu nostrarum nauium sese in portum receperunt. Massi- 5
lienses arma tormentaque ex oppido, ut est imperatum, proferunt,
nauis ex portu naualibusque educunt, pecuniam ex publico tradunt.
Quibus rebus confectis Caesar magis eos pro nomine et uetustate 6
quam pro meritis in se ciuitatis conseruans duas ibi legiones prae-
sidio reliquit, ceteras in Italiam mittit; ipse ad urbem proficiscitur.

Isdem temporibus C. Curio in Africam profectus ex Sicilia 23
et iam ab initio copias P. Atti Vari despiciens duas legiones ex
IIII, quas a Caesare acceperat, D equites transportabat biduoque et
noctibus tribus nauigatione consumptis adpellit ad eum locum, qui
appellatur Aquilaria. Hic locus abest a Clupeis passuum XXII mi- 2
lia habetque non incommodam aestate stationem et duobus eminen-
tibus promuntoriis continetur. Huius aduentum L. Caesar filius 3
cum X longis nauibus ad Clupeam praestolans, quas naues Vticae
ex praedonum bello subductas P. Attius reficiendas huius belli
causa curauerat, ueritus nauium multitudinem ex alto refugerat
adpulsaque ad proximum litus trireme constrata et in litore relicta

2 magna *om. b.* 5 Massiliensibus *a.* 8 profectus est *a 'mss. plerique'*, est profectus *u.* nauesque *a.* missu *a b 'et alii'*, iussu *u.* 9 anchoris (*a*) *u.* 10 his *a edd. ante Ald.*, iis *Aldus u.* 11 tempestatis *om. a.* conspecto abit *b.* 14 nauis *a b.* 17 reliquit *a b*, relinquit *u.* 18 isdem *a*, hisdem *'de more plerique'*; iisdem *u.* Curio] centurio *b c.* Affricam *a.* 19 Atti *a b.* Varri *a 'plurimi'.* 20 acceperat quas a Caesare *a.* D equites *a 'mss. 7'*, et D equites *u.* 21 adpellit *a.* 22 Aquillaria *b*; Anquilaria *a*, Anquillaria *c*; Anguillaria 5 *dett. et schol. Lucan. II*, 586. passus *b.* 23 incommoda *a b.* 24 promuntoriis *a, non* promont. filicum x *a.* 25 Clippeam *a.* 26 subductos *a.* P. Attius] Varrus *b.* 27 ueritus *Carrariensis*, ueritusque *reliqui.* 28 adpulsaque *a.* littore *a.*

4 pedibus Adrumetum perfugerat. Id oppidum C. Considius Longus
unius legionis praesidio tuebatur. Reliquae Caesaris naues eius
5 fuga se Adrumetum receperunt. Hunc secutus Marcius Rufus
quaestor nauibus XII, quas praesidio onerariis nauibus Curio ex
Sicilia eduxerat, postquam in litore relictam nauem conspexit,
24 hanc remulco abstraxit; ipse ad Curionem cum classe redit. Cu-
rio Marcium Vticam nauibus praemittit; ipse eodem cum exercitu
proficiscitur biduique iter progressus ad flumen Bagradam peruenit.
2 Ibi C. Caninium Rebilum legatum cum legionibus reliquit; ipse
cum equitatu antecedit ad castra exploranda Corneliana, quod is
3 locus peridoneus castris habebatur. Id autem est iugum directum
eminens in mare, utraque ex parte praeruptum atque asperum,
sed tamen paulo leniore fastigio ab ea parte, quae ad Vticam uer-
4 git. Abest directo itinere ab Vtica paulo amplius passus mille.
Sed hoc itinere est fons, quo mare succedit longius, lateque is lo-
cus restagnat; quem si qui uitare uoluerit, sex milium circuitu in
25 oppidum peruenit. Hoc explorato loco Curio castra Vari conspi-
cit muro oppidoque coniuncta ad portam, quae appellatur bellica,
admodum munita natura loci, una ex parte ipso oppido Vtica, al-
tera a theatro, quod est ante oppidum, substructionibus eius ope-
2 ris maximis, aditu ad castra difficili et angusto. Simul animaduer-
tit multa undique portari atque agi plenissimis uiis, quae repentini
3 tumultus timore ex agris in urbem conferantur. Huc equitatum
mittit, ut diriperet atque haberet loco praedae; eodemque tempore
his rebus subsidio DC equites Numidae ex oppido peditesque CCCC
mittuntur a Varo, quos auxilii causa rex Iuba paucis diebus ante
4 Vticam miserat. Huic et paternum hospitium cum Pompeio et si-

1 perfugerat *a b*, profugerat *u*. oppidium *a*. 3 se Adrumetum *a*, Adrumetum se *edd*. hanc *errore u*. consecutus *b*. Marcius *ego*, M. *codd. P.* 149. 4 honerariis *a*. 6 remulgo *b*, remilgo *a*. ad C. Curionem *c et omisso* ad *a*. 7 Marcium *a et* 'Martium *mss. plerique*', Marcum *P. Manutius u*. 8 Bragadam *b*. 9 reliquit '*mss.* 4', reliquid *a*; relinquit *Stephanus u*. 10 Caindiana (*sic*) *a*, Candiana *b*, Canidiana *c*. his locus perhidoneus *a*. 11 detectum *uel* desectum *a* (*puto* derectum). 13 leuiore *a b*. 14 derecto *a b*. passus '*mss.* 3', paš. *a*; passuum *ex Vrs. cod. Scaliger u*. mil. *a*, milia *b*. 15 quo *Vossianus*, quod *reliqui*. 16 res stagnat *a*. si qui 2 *dett. u* (*fuerat* si quis); sibi *a*, si *b*. uoluerunt *b*. 17 peruenit *a b*, perueniet *u*. 20 a theatro *a* '*mei omnes*', theatro *u*. substrationibus *a b c*. 24 dimittit *b*. 25 Numidiae *a*. 26 Varro *a*.

multas cum Curione intercedebat, quod tribunus plebis legem pro-
mulgauerat, qua lege regnum Iubae publicauerat. Concurrunt 5
equites inter se; neque uero primum impetum nostrorum Numidae
ferre potuerunt, sed interfectis circiter CXX reliqui se in castra ad
oppidum receperunt. Interim aduentu longarum nauium Curio 6
pronuntiare onerariis nauibus iubet, quae stabant ad Vticam nu-
mero circiter CC, se in hostium habiturum loco, qui non e uestigio
ad castra Corneliana uela direxisset. Qua pronuntiatione facta 7
temporis puncto sublatis ancoris omnes Vticam relinquunt et quo
imperatum est transeunt. Quae res omnium rerum copia comple-
uit exercitum. His rebus gestis Curio se in castra ad Bagradam 26
recipit atque uniuersi exercitus conclamatione imperator appella-
tur posteroque die exercitum Vticam ducit et prope oppidum castra
ponit. Nondum opere castrorum perfecto equites ex statione nun- 2
tiant magna auxilia equitum peditumque ab rege missa Vticam ue-
nire; eodemque tempore uis magna pulueris cernebatur, et uesti-
gio temporis primum agmen erat in conspectu. Nouitate rei Cu- 3
rio permotus praemittit equites, qui primum impetum sustineant
ac morentur; ipse celeriter ab opere deductis legionibus aciem in-
struit. Equitesque committunt proelium et, priusquam plane le- 4
giones explicari et consistere possent, tota auxilia regis impedita
ac perturbata, quod nullo ordine et sine timore iter fecerant, in
fugam coniciunt equitatuque omni fere incolumi, quod se per litora
celeriter in oppidum recepit, magnum peditum numerum interfici-
unt. Proxima nocte centuriones Marsi duo ex castris Curionis 27
cum manipularibus suis XXII ad Attium Varum perfugiunt. Hi, 2
siue uere quam habuerant opinionem ad eum perferunt, siue etiam
auribus Vari seruiunt (nam, quae uolumus, et credimus libenter

7 e uestigio (*a*), ex uestigio *cum 'mss.' u.* 8 uela direxisset *Stephanus;* uela duxisset *'mss. 4'*, traduxisset *a b c.* 9 anchoris (*a*) *u.* reliquerunt *b.* 10 repleuit *b.* 12 recipit *a* 3 *dett.,* recepit *'ceteri'.* 13 exercitum Vticam *a,* Vticam exercitum *edd.* 15 peruenire eodem tempore *b.* 16 uestigio *a 'mei* 10', e uestigio *u.* 20 equitesque *a e 'mss. omnes'*, equites *Scaliger u.* legiones *fortasse magistro debentur, cum explicari minus apte dicantur milites in opere dispersi, aptissime perturbatum auxiliorum regiorum agmen.* 23 coniciunt *Elberlingius;* coniciunt se *a* (*sed* coic.), se coniciunt *reliqui.* quod semper littera *cum* o *super* te *a.* 24 recipit *a.* interficiuntur *a.* 25 Curionis] centurionis *b.* 26 Atticum *a.* 27 siue uere *a 'mss.* 6', seu uere *u.* 28 namque uolumus *a.*

et, quae sentimus ipsi, reliquos sentire speramus), confirmant qui-
3 dem certe totius exercitus animos alienos esse a Curione maxime-
que opus esse in conspectum exercitum uenire et colloquendi dare
4 facultatem. Qua opinione adductus Varus postero die mane legio-
nes ex castris educit. Facit idem Curio, atque una ualle non ma-
28 gna interiecta suas uterque copias instruit. Erat in exercitu Vari
Sextus Quintilius Varus, quem fuisse Corfini supra demonstratum
est. Hic dimissus a Caesare in Africam uenerat, legionesque eas
traduxerat Curio, quas superioribus temporibus Corfinio receperat
Caesar, adeo ut paucis mutatis centurionibus idem ordines mani-
2 pulique constarent. Hanc nactus appellationis causam Quintilius
circuire aciem Curionis atque obsecrare milites coepit, ne primam
sacramenti, quod apud Domitium atque apud se quaestorem dixis-
3 sent, memoriam deponerent neu contra eos arma ferrent, qui ea-
dem essent usi fortuna eademque in obsidione perpessi, neu pro
his pugnarent, a quibus *cum* contumelia perfugae appellarentur.
Huc pauca ad spem largitionis addidit, quae ab sua liberalitate, si
4 se atque Attium secuti essent, expectare deberent. Hac habita
oratione nullam in partem ab exercitu Curionis fit significatio, at-
29 que ita suas uterque copias reducit. At in castris Curionis ma-
gnus omnium incessit timor. [nam] Is uariis hominum sermonibus
celeriter augetur. Vnusquisque enim opiniones fingebat et ad id,
2 quod ab alio audierat, sui aliquid timoris addebat. Hoc ubi uno
auctore ad plures permanauerat, atque alius alii tradiderat, plures
3 auctores eius rei uidebantur. Ciuile bellum; genus hominum, cui
liceret libere facere et sequi, quod uellet; legiones eae, quae paulo
ante apud aduersarios fuerant (nam etiam Caesaris beneficium mu-
4 tauerat consuetudo, qua offerrentur . . . . . municipia etiam

1 quidam *a.* 2 certe *om. b.* maximeque *a 'mss. plerique'*, maxime *P. Manutius u.* 3 conspectum *Stephanus,* conspectu *a b c.* et *om. a.* 4 postera *a b.* legionem *b.* 7 Quintilius *a 'mss.'*, Quinctilius *P. Manutius u.* Corfini *a 'mss.'* demonstrauimus *b.* 9 transduxerat *a.* Curio quas *Aldus,* quas Curio *a* (*is* quos) *b.* 10 idem *a b 'aliique'*, iidem *u.* 11 Quintilius *a,* Quinctilius *u.* 12 circuire *a b,* circumire *u.* primam 2 *dett. edd. ante Scal.*, prima *a* 3 *dett.*; primi *cod. Vrs. Scaliger u.* 16 his *a edd. priores,* iis *P. Manutius u.* cum contumelia *ego,* contumelia *a b c.* 17 huc *a b,* his *u.* 18 expectare *a.* abita *a.* 20 *De c.* 29 *uid. P.* 150 *sqq.* at *P. Manutius,* atque *codd.* 21 his *a e.* 25 cui *Oudendorpius,* quod *codd.* 26 licere *a.* uellet *b e,* uel *a.* hae *'mss. multi'.* 28 *Lacunarum signa hic et deinceps ego posui.*

aduersis partibus coniuncta († neque enim ex Marsis Pelignisque
ueniebant, ut qui superiore nocte . . . . . . in contuberniis † commi-
litesque nonnulli grauiora . . . . . . sermones militum dubii durius
accipiebantur, nonnulli etiam ab iis, qui diligentiores uideri uole-
bant, fingebantur. Quibus de causis consilio uocato de summa re- 30
rum deliberare incipit. Erant sententiae, quae conandum omnibus
modis castraque Vari oppugnanda censerent, quod *in* huiusmodi
militum consiliis otium maxime contrarium esse arbitrarentur:
postremo praestare dicebant per uirtutem in pugna belli fortunam 2
experiri, quam desertos et circumuentos ab suis grauissimum sup-
plicium perpeti. Erant, qui censerent de tertia uigilia in castra 3
Cornelia recedendum, ut maiore spatio temporis interiecto militum
mentes sanarentur, simul, si quid grauius accidisset, magna mul-
titudine nauium et tutius et facilius in Siciliam receptus daretur.
Curio utrumque improbans consilium, quantum alteri sententiae 31
deesset animi, tantum alteri superesse dicebat: hos turpissimae fu-
gae rationem habere, illos etiam iniquo loco dimicandum putare.
'Qua enim', inquit, 'fiducia et opere et natura loci munitissima 2
castra expugnari posse confidimus? Aut uero quid proficimus, si 3
accepto magno detrimento ab oppugnatione castrorum discedimus?
Quasi non felicitas rerum gestarum exercitus beneuolentiam im-
peratoribus et res aduersae odia colligant! Castrorum autem mu- 4
tatio quid habet nisi turpem fugam et desperationem omnium et
alienationem exercitus? Nam neque pudentes suspicari oportet
sibi parum credi, neque improbos scire sese timeri, quod illis li-
centiam timor augeat noster, his studia deminuat. Quod si iam', 5
inquit, 'haec explorata habeamus, quae de exercitus alienatione
dicuntur, quae quidem ego aut omnino falsa aut certe minora opi-

1 aduersis *Carrariensis,* diuersis *reliqui.* 2 commilitesque *codd.,* commilitonesque *P. Manutius u.* 3 grauiora *a b c e,* grauiores *u.* dubii 2 *dett.,* dubia *a b c e;* uulgo *u.* 4 accipiebantur nonnulli *a b c e;* accipiebant, nonnulla *u.* ab his *a.* 5 quibus] rebus *add. b.* uocato *a b,* conuocato *u.* 7 in *suppleuit Clarkius, om. codd.* 9 prestare *a.* 11 perpeti *a b,* pati. Porro *u.* 12 Cornelia *a b c,* Corneliana *u.* 13 si quid] quicquid *ante corr. a.* 15 quantum sententiae *a,* quantum uni sententiae *b.* 18 inquid *a.* 21 felicitas *'mei 7',* et felicitas (*a*) ? *Aldus u.* beniuolentiam *a 'mss.'* imperatori *c.* 22 colligant *b c,* colligent *a;* concilient *u.* 24 alienationem] desperationem *b.* pudentes *cod. Urs. 2 dett.;* prudentes *reliqui, sed* prudentis *b.* 26 diminuat *a 'mss. et edd. qdd.'* 27 inquid *a.* habeamus *a 2 dett.,* habemus *Aldus u.*

nione esse confido, quanto haec dissimulare et occultari, quam per
6 nos confirmari praestet? An non, uti corporis uulnera, ita exer-
citus incommoda sunt tegenda, ne spem aduersariis augeamus?
7 At etiam, ut media nocte proficiscamur, addunt, quo maiorem,
credo, licentiam habeant, qui peccare conentur. Namque huius-
modi res aut pudore aut metu tenentur; quibus rebus nox maxime
8 aduersaria est. Quare neque tanti sum animi, ut sine spe castra
oppugnanda censeam, neque tanti timoris, ut ipse deficiam, atque
omnia prius experienda arbitror magnaque ex parte iam me una
32 uobiscum de re iudicium facturum confido'. Dimisso consilio con-
tionem aduocat militum. Commemorat, quo sit eorum usus studio
ad Corfinium Caesar, ut magnam partem Italiae beneficio atque
2 auctoritate eorum suam fecerit. 'Vos enim uestrumque factum
omnia', inquit, 'deinceps municipia sunt secuta, neque sine causa
et Caesar amicissime de uobis et illi grauissime iudicauerunt.
Pompeius enim nullo proelio pulsus uestri facti praeiudicio demo-
tus Italia excessit; Caesar me, quem sibi carissimum habuit, pro-
uinciam Siciliam atque Africam, sine quibus urbem atque Italiam
3 tueri non potest, uestrae fidei commisit. Adsunt, qui uos horten-
tur, ut a nobis desciscatis. Quid enim est illis optatius, quam uno
tempore et nos circumuenire et uos nefario scelere obstringere?
4 aut quid irati grauius de uobis sentire possunt, quam ut eos pro-
datis, qui se uobis omnia debere iudicant, in eorum potestatem ue-
5 niatis, qui se per uos perisse existimant? An uero in Hispania
res gestas Caesaris non audistis? duos pulsos exercitus, duos su-
peratos duces, duas receptas prouincias? haec acta diebus XL, qui-
6 bus in conspectum aduersariorum uenerit Caesar? An, qui inco-
lumes resistere non potuerunt, perditi resistant? uos autem incerta
uictoria Caesarem secuti diiudicata iam belli fortuna uictum sequa-
7 mini, cum uestri officii praemia percipere debeatis? Desertos
enim se ac proditos a uobis dicunt et prioris sacramenti mentionem

1 hoc *b*. occultari (*a*) *b*, occultare *u*. 2 praestet *b* 5 *dett.*, praestat (*a*) (*is* prest.). 4 at *Aldus*, aut *codd.* 10 concionem (*a*). 14 omnia inquit *a* (*sed* inquid), inquit omnia *edd.* 15 amicissisme *a*. gauissime *ab*. 17 prouinciam *a* '*mei* 4', prouinciamque *u*. 18 urbem] urbs. ē. *ante corr. a*. 19 adsunt] nobis *add. a b*. 20 discedatis *b*. 24 periisse *Graeu. et sine annotatione u.* Hispaniam *b*. 27 conspectum 4 *dett.*, conspectu *reliqui*. 28 incerta *Aldus*, certa *a* '*mss. plurimi*'.

faciunt. Vosne uero L. Domitium, an uos Domitius deseruit? 8
Nonne extremam pati fortunam paratos proiecit ille? nonne sibi
clam uobis salutem fuga petiuit? nonne proditi per illum Caesaris
beneficio estis conseruati? Sacramento quidem uos tenere qui po- 9
tuit, cum proiectis fascibus et deposito imperio priuatus et captus
ipse in alienam uenisset potestatem? Relinquitur noua religio, ut
eo neglecto sacramento, quo tenemini, respiciatis illud, quod dedi-
tione ducis et capitis deminutione sublatum est. At, credo, si Cae- 10
sarem probatis, in me offenditis. Qui de meis in uos meritis prae-
dicaturus non sum, quae sunt adhuc et mea uoluntate et uestra
expectatione leuiora; sed tamen sui laboris milites semper euentu
belli praemia petiuerunt, qui qualis sit futurus, ne uos quidem du-
bitatis: diligentiam quidem nostram aut, quem ad finem adhuc res 11
processit, fortunam cur praeteream? An poenitet uos, quod sal- 12
uum atque incolumem exercitum nulla omnino naue desiderata
traduxerim? quod classem hostium primo impetu adueniens profli-
gauerim? quod bis per biduum equestri proelio superauerim? quod
ex portu sinuque aduersariorum CC naues onerarias adduxerim
eoque illos compulerim, ut neque pedestri itinere neque nauibus
commeatu iuuari possint? Hac uos fortuna atque his ducibus re- 13
pudiatis Corfiniensem ignominiam, Italiae fugam, Hispaniarum de-
ditionem, Africi belli praeiudicia sequimini! Equidem me Caesa- 14
ris militem dici uolui, uos me imperatoris nomine appellauistis.
Cuius si uos poenitet, uestrum uobis beneficium remitto, mihi me-
um nomen restituite, ne ad contumeliam honorem dedisse uidea-
mini'. Qua oratione permoti milites crebro etiam interpellabant, 33

1 uosne uero *deleto* ne *a*, uos uero *b*. Domitius *a* '*mss. multi*', L. Domitius *u*. 2 nonne sibi *a b*, non sibi *u*. 3 nonne proditi *a b*, non proditi *u*. 4 reseruati *b*. 6 religio *om. a b c*. 7 quo *a b*, quo nunc *u*. te memini *a*. 9 in me *Petauianus*, iam me *a* '*mss. plerique*'. praedicaturus *Stephanus*, praeiudicaturus *a c* 5 *dett*. 11 expectatione *a*. 13 res *om. e*. 14 fortunam *a b c e*, fortunamque *u*. praeterea *a*. penitet *a*. 16 adueniens *om. b*. 18 oneratas *a e*. 20 possent *b*. trepidatis *b*. 21 Italiae fugam, Hispaniarum deditionem, Africi belli praeiudicia *Ciacconius*: in Italiae fuga, in Hispaniarum deditionem, in Africi bellum praeiudicia *a et, qui* deditione *et* Africae, *b* (*praeterea Oud. haec de codd. tradit, cunctos habere* in Italiae fuga, *plerosque* an in H. deditione in *uel* an in Af. b. praeiudicio; *sed* deditionem *seruare c et* 3 *dett. et duos ex his* 3 *dett. cum b* praeiudicia); an Italiae fugam, an Hispaniarum deditionem, an Africi belli praeiudicia *Aldus u*. 24 penitet *a*. 25 nomen restituite *a*, restituite nomen *edd*. 26 etiam *a b*, etiam dicentem *u*.

ut magno cum dolore infidelitatis suspicionem sustinere uideren-
2 tur, discedentem uero ex contione uniuersi cohortantur, magno
sit animo, ne cubi dubitet proelium committere et suam fidem uir-
3 tutemque experiri. Quo facto commutata omnium et uoluntate et
opinione consensu summo constituit Curio, cum primum sit data
4 potestas, proelio rem committere posteroque die productos eodem
5 loco, quo superioribus diebus constiterat, in acie collocat. Ne
Varus quidem Attius dubitat copias producere, siue sollicitandi
milites siue aequo loco dimicandi detur occasio, ne facultatem prae-
34 termittat. Erat uallis inter duas acies, ut supra demonstratum
est, non ita magna, at difficili et arduo ascensu. Hanc uterque,
si aduersariorum copiae transire conarentur, expectabat, quo ae-
2 quiore loco proelium committeret. Simul ab sinistro cornu P. At-
tii equitatus omnis et una leuis armaturae interiecti complures,
3 cum se in uallem demitterent, cernebantur. Ad eos Curio equita-
tum et duas Marrucinorum cohortis mittit; quorum primum impe-
tum equites hostium non tulerunt, sed admissis equis ad suos re-
fugerunt: relicti ab his qui una procurrerant leuis armaturae cir-
cumueniebantur atque interficiebantur ab nostris. Huc tota Vari
4 conuersa acies suos fugere et concidi uidebat. Tunc Rebilus, le-
gatus Caesaris, quem Curio secum ex Sicilia duxerat, quod ma-
gnum habere usum in re militari sciebat, 'perterritum', inquit,
'hostem uides, Curio: quid dubitas uti temporis opportunitate?'
5 Ille unum elocutus, ut memoria tenerent milites ea, quae pridie
confirmassent, sequi] sese iubet et praecurrit ante omnes. Adeo
erat impedita uallis, ut in ascensu nisi subleuati a suis primi non
6 facile eniterentur. Sed praeoccupatus animus Attianorum militum
timore et fuga et caede suorum nihil de resistendo cogitabat,

2 concione (*a*). 3 ne cubi *a b c,* neu *u.* dubitent *b.* 4 et uoluntate *a 'mss. et edd. qdd.',* uoluntate *u.* 5 summo *Hotomanus,* suo *codd.* 6 posteroque *a* 3 *dett.,* postero *u.* 7 nec *a b.* 9 militis *a b c.* 11 est *om. m. pr. b.* magna *Ciacconius,* magno *codd. Vid. c.* 27, 4. at *Vossianus,* aut *reliqui.* ascensu (*a*). 12 expectabat *a.* 14 armaturae *Aldus,* armatura et *codd.* interiectio *a b c.* 15 dimitterent *codd.* cernebatur *b c.* 16 cohortis *a b.* 17 admissis 2 *dett.,* amissis *reliqui.* 18 armatura *a b.* 20 tunc *a b,* tum *Aldus u.* 23 uidens *a.* oportunitate *a.* 24 pridie *a;* pridie sibi *edd., sed* sibi pridie *Stephanus.* 25 se iubet *'mss. plerique'.* adeo *b,* adeoque *a edd.* 26 ascensu (*a*). ab suis *b.* 28 timore *Aldus,* tempore *a 'mss. 4'.*

omnesque se iam ab equitatu circumueniri arbitrabantur. Itaque
priusquam telum abici posset, aut nostri propius accederent, omnis
Vari acies terga uertit seque in castra recepit. Qua in fuga Fa- 35
bius Pelignus quidam ex infimis ordinibus de exercitu Curionis
primum agmen fugientium consecutus magna uoce Varum nomine
appellans requirebat, uti unus esse ex eius militibus et monere
uelle aliquid ac dicere uideretur. Vbi ille saepius appellatus aspe- 2
xit ac restitit et, quis esset aut quid uellet, quaesiuit, humerum
apertum gladio appetit paulumque afuit, quin Varum interficeret;
quod ille periculum sublato ad eius conatum scuto uitauit. Fabius
a proximis militibus circumuentus interficitur. Hac fugientium 3
multitudine ac turba portae castrorum occupantur atque iter impe-
ditur, pluresque in eo loco sine uulnere quam in proelio aut fuga
intereunt, neque multum afuit, quin etiam castris expellerentur, 4
ac nonnulli protinus eodem cursu in oppidum contenderunt. Sed 5
cum loci natura et munitio castrorum aditum prohibebant, tum quod
ad proelium egressi Curionis milites iis rebus indigebant, quae ad
oppugnationem castrorum erant usui. Itaque Curio exercitum in 6
castra reducit suis omnibus praeter Fabium incolumibus, ex nu-
mero aduersariorum circiter DC interfectis ac .. uulneratis; qui
omnes discessu Curionis multique praeterea per simulationem uul-
nerum ex castris in oppidum propter timorem sese recipiunt. Qua 7
re animaduersa Varus et terrore exercitus cognito bucinatore in
castris et paucis ad speciem tabernaculis relictis de tertia uigilia
silentio exercitum in oppidum reducit. Postero die Curio obsidere 36
Vticam et uallo circummunire instituit. Erat in oppido multitudo

1 se iam *a*, se *b*; iam se *edd.* 2 abici *a et sic* '*uel* abiici *mss.*', adici *cod. Vrs. u.* 6 esse *Aldus*, esset *a* '*mss. plerique*'. 7 uelle aliquid *a* (*sed* uellet *ante corr.*), aliquid uelle *edd.* aspexit (*a*). 9 afuit *f*, fuit *a b*; abfuit *u.* 11 interficitur circumuentus *a.* hac *d*, ac *reliqui boni.* 14 afuit *a f*, abfuit *u.* 16 'aditum prohib. tum *mss.*' *et* prohibebant 5 *dett. hoc est omnes, in quibus hoc uerbum legi constat;* adiri tunc *a et sic* '*uel* tum' *a b c d Vossianus*, adiri tunc non posset *Petauianus*, adiri tum non poterat *Louaniensis;* aditum prohibebat tum *u* (prohibebat *primus P. Manutius*). 17 his *a.* 19 educit *a.* incolominibus *a.* 20 ac uulneratis *reliqui praeter unum det.*, ac mille uulneratis *cod. Vrs. Parisinus tertius u. Vid. Appian. b. ciu. II*, 44. 21 praeterea ex simulatione u. in c. *b.* 23 animum aduersa *ex uno det. u.* bucinatore *a* '*mss. plerique*', *non* buccin. 24 castris paucisque *b.* tabernaculi *a* '*plerique*'. 25 obsidere Vticam *a*, Vticam obsidere *edd.* 26 circummuniri *b.* oppidum *a b.*

insolens belli diuturnitate otii, Vticenses pro quibusdam Caesaris
in se beneficiis illi amicissimi, conuentus is, qui ex uariis generi-
2 bus constaret, terror ex superioribus proeliis magnus. Itaque de
deditione omnes palam loquebantur et cum P. Attio agebant, ne
3 sua pertinacia omnium fortunas perturbari uellet. Haec cum age-
rentur, nuntii praemissi ab rege Iuba uenerunt, qui illum adesse
cum magnis copiis dicerent et de custodia ac defensione urbis hor-
37 tarentur. Quae res eorum perterritos animos confirmauit. Nun-
tiabantur haec eadem Curioni, sed aliquamdiu fides fieri non pote-
2 rat: tantam habebat suarum rerum fiduciam. Iamque Caesaris in
Hispania res secundae in Africam nuntiis et litteris perferebantur.
Quibus rebus omnibus sublatus nihil contra se regem ausurum
3 existimabat. Sed ubi certis auctoribus comperit minus V et XX
milibus longe ab Vtica eius copias abesse, relictis munitionibus
4 sese in castra Cornelia recepit. Huc frumentum comportare, ca-
stra munire, materiam conferre coepit statimque in Siciliam misit,
5 uti duae legiones reliquusque equitatus ad se mitteretur. Castra
erant ad bellum ducendum aptissima natura loci et munitione et
maris propinquitate et aquae et salis copia, cuius magna uis iam
6 ex proximis erat salinis eo congesta. Non materia multitudine
arborum, non frumentum, cuius erant plenissimi agri, deficere pot-
erat. Itaque omnium suorum consensu Curio reliquas copias
38 expectare et bellum ducere parabat. His constitutis rebus proba-
tisque consiliis ex perfugis quibusdam oppidanis audit Iubam reuo-
catum finitimo bello et controuersiis Leptitanorum restitisse in
regno, Saburram, eius praefectum, cum mediocribus copiis mis-
2 sum Vticae appropinquare. His auctoribus temere credens consi-
lium commutat et proelio rem committere constituit. Multum ad
hanc rem probandam adiuuat adolescentia, magnitudo animi, su-
3 perioris temporis prouentus, fiducia rei bene gerendae. His rebus

1 insollers *b.* ocii *a.* 2 is *Gruterus,* si *a b c d.* 4 omnes inpalam *a b c.* 6 adesse cum magnis copiis *a b,* cum magnis copiis adesse *u.* 9 aliquandiu *a.* 11 et *a,* ac *edd.* 12 rebus omnibus *a,* omnibus rebus *edd.* ausurum *Vossianus,* nisurum *reliqui.* 13 v. lxx *a.* 15 Cornelia *a b c,* Corneliana *u.* 17 reliquisque *a,* reliquique *b.* mitterentur *b.* 18 loci et *Marklandus,* et loci *codd.* mutatione *ante corr. a.* 20 ea *a b.* 23 expectare *a.* 24 profugis *b.* 26 Saburram *ubique a et 'mss. omnes hic et infra', item Appian. b. ciu. II,* 45; Saburam *ubique u, ut Lucan. IV,* 722. 28 mutat *b.* 29 superioris animi *a.*

inpulsus equitatum omnem prima nocte ad castra hostium mittit
ad flumen Bagradam; quibus praeerat Saburra, de quo ante erat
auditum, sed rex omnibus copiis insequebatur et sex milium pas-
suum interuallo a Saburra consederat. Equites missi nocte iter 4
conficiunt, inprudentis adque inopinantis hostis aggrediuntur. Nu-
midae enim quadam barbara consuetudine nullis ordinibus passim
consederant. Hos oppressos somno et dispersos adorti magnum 5
eorum numerum interficiunt; multi perterriti profugiunt. Quo fa-
cto ad Curionem equites reuertuntur captiuosque ad eum reducunt.
Curio cum omnibus copiis quarta uigilia exierat cohortibus V ca- **39**
stris praesidio relictis. Progressus milia passuum VI equites con- 2
uenit, rem gestam cognouit; e captiuis quaerit, quis castris ad
Bagradam praesit: respondent Saburram. Reliqua studio itineris 3
conficiendi quaerere praetermittit proximaque respiciens signa,
'Videtisne', inquit, 'milites, captiuorum orationem cum perfugis
conuenire? abesse regem, exiguas esse copias missas, quae paucis
equitibus pares esse non potuerint? Proinde ad praedam, ad glo-
riam properate, ut iam de praemiis uestris et de referenda gratia
cogitare incipiamus'. Erant per se magna, quae gesserant equites, 4
praesertim cum eorum exiguus numerus cum tanta multitudine
Numidarum conferretur. Haec tamen ab ipsis inflatius commemo-
rabantur, ut de suis homines laudibus libenter praedicant. Multa 5
praeterea spolia praeferebantur, capti homines equique produce-
bantur, ut, quidquid intercederet temporis, hoc omne uictoriam
morari uideretur. Ita spei Curionis militum studia non deerant.
Equites sequi iubet sese iterque accelerat, ut quam maxime ex fu- 6
ga perterritos adoriri posset. At illi itinere totius noctis confecti
subsequi non poterant, atque alii alio loco resistebant. Ne haec
quidem Curionem ad spem morabantur. Iuba certior factus a Sa- **40**
burra de nocturno proelio II milia Hispanorum et Gallorum equi-

1 inpulsus *a.* 2 Bragadam *b.* 3 pass. *a,* passus *b.* 4 a *inuito Oud. om. u.* 5 prudentisque ad inop. *a b c* (inopinantis hostis *a*). 6 enim] autem *a b.* 11 mil. passus *a,* mille passus *b.* 12 e captiuis *a b,* ex captiuis *u.* 13 respondens *a.* 14 conficiundi *ex uno det. u.* 15 inquid *a.* profugis *b.* 16 paucis] diebus *add. a b c.* 17 potuerint *a* 2 *dett.,* potuerunt *u.* 19 equites] milites *a b.* 21 inflatus *a.* 23 equique *Ciacconius,* equitesque *codd. P.* 152. 24 omni uictoria morari uteretur *a b.* 28 nec *a b.* 29 quidem *a b c,* quidem res *u.* morabantur *b c,* morabatur (*a*) *u.*

tum, quos suae custodiae causa circum se habere consuerat, et pe-
ditum eam partem, cui maxime confidebat, Saburrae summisit;
2 ipse cum reliquis copiis elephantisque LX lentius subsequitur.
3 Suspicatus praemissis equitibus ipsum affore Curionem Saburra
copias equitum peditumque instruit atque his imperat, ut simula-
tione timoris paulatim cedant ac pedem referant: sese, cum opus
esset, signum proelii daturum et quod rem postulare cognouisset
4 imperaturum. Curio ad superiorem spem addita praesentis tem-
poris opinione hostes fugere arbitratus copias ex locis superiori-
41 bus in campum ducit. Quibus ex locis cum longius esset progres-
2 sus, confecto iam labore exercitu XVI milium spatio constitit. Dat
suis signum Saburra, aciem constituit et circumire ordines atque
hortari incipit; sed peditatu duntaxat procul ad speciem utitur,
3 equites in aciem mittit. Non deest negotio Curio suosque horta-
tur, ut spem omnem in uirtute reponant. Ne militibus quidem ut
defessis neque equitibus ut paucis et labore confectis studium ad
pugnandum uirtusque deerat; sed hi erant numero CC, reliqui in
4 itinere substiterant. Hi, quamcumque in partem impetum fece-
rant, hostes loco cedere cogebant, sed neque longius fugientes
5 prosequi nec uehementius equos incitare poterant. At equitatus
hostium ab utroque cornu circuire aciem nostram et auersos pro-
6 terere incipit. Cum cohortes ex acie procucurrissent, Numidae
integri celeritate impetum nostrorum effugiebant rursusque ad or-
dines suos se recipientes circuibant et ab acie excludebant. Sic
neque in loco manere ordinesque seruare neque procurrere et ca-
7 sum subire tutum uidebatur. Hostium copiae summissis ab rege
auxiliis crebro augebantur; nostros uires lassitudine deficiebant,
simul ii, qui uulnera acceperant, neque acie excedere neque in lo-
cum tutum referri poterant, quod tota acies equitatu hostium cir-
8 cumdata tenebatur. Hi de sua salute desperantes, ut extremo

1 quod suae *a*. 2 submisit *a b c;* submittit *u* (summ. *a*).
3 elefantisque *a*. 4 afore *a*. 7 rem postulare] postulare tempus *b*.
10 ducit *a b,* deducit *u*. 12 circuire *'mss. et edd. qdd.'*
13 peditatum *b et secundum Achaintrium a, quod Beyerlius non retulit.*
14 immittit *'mss. 3' et corr. a*. 16 et *om. a*. 17 sed hi *a*
edd. ante Ald., sed ii *Aldus u*. erant *om. m. pr. b*. 18 substi-
terant] ·L· *add. a*. quamcunque (*a*). 20 nec *om. a*. potue-
runt *b*. 21 circuire *a 'mss. et edd. qdd.', non* circumire. 22 pro-
cucurrissent (*a*) *c, non* procurr. 24 circuibant *a 'mss. et edd. qdd.', non*
circumib. 25 seruarent quae procurrere *a*. 26 uidebantur *a*.
summissis *a, non* subm. 27 nostros *c,* nostris *a b*. 28 hi *a*.

uitae tempore homines facere consuerunt, aut suam mortem mise-
rabantur aut parentes suos commendabant, si quos ex eo periculo
fortuna seruare potuisset. Plena erant omnia timoris et luctus.
Curio, ubi perterritis omnibus neque cohortationes suas neque 42
preces audiri intellegit, unam ut in miseris rebus spem reliquam
salutis esse arbitratus proximos colles capere uniuersos atque eo
signa inferri iubet. Hos quoque praeoccupat missus a Saburra
equitatus. Tum uero ad summam desperationem nostri perueniunt 2
et partim fugientes ab equitatu interficiuntur, partim integri pro-
cumbunt. Hortatur Curionem Cn. Domitius, praefectus equitum, 3
cum paucis equitibus circumsistens, ut fuga salutem petat atque in
castra contendat, et se ab eo non discessurum pollicetur. At Cu- 4
rio numquam se amisso exercitu, quem a Caesare fidei commissum
acceperit, in eius conspectum reuersurum confirmat atque ita proe-
lians interficitur. Equites ex proelio perpauci se recipiunt; sed 5
ii, quos ad nouissimum agmen equorum reficiendorum causa sub-
stitisse demonstratum est, fuga totius exercitus procul animaduersa
sese incolumes in castra conferunt. Milites ad unum omnes inter-
ficiuntur. His rebus cognitis Marcius Rufus quaestor in castris 43
relictus a Curione cohortatur suos, ne animo deficiant. Illi orant
atque obsecrant, ut in Siciliam nauibus reportentur. Pollicetur
magistrisque imperat nauium, ut primo uespere omnes scaphas ad
litus adpulsas habeant. Sed tantus fuit omnium terror, ut alii ad- 2
esse copias Iubae dicerent, alii cum legionibus instare Varum
iamque se puluerem uenientium cernere, quarum rerum nihil omnino
acciderat, alii classem hostium celeriter aduolaturam suspicaren-
tur. Itaque perterritis omnibus sibi quisque consulebat. Qui in 3
classe erant, proficisci properabant. Horum fuga nauium oneraria-
rum magistros incitabat: pauci lenunculi ad officium imperiumque
conueniebant. Sed tanta erat completis litoribus contentio, qui 4
potissimum ex magno numero conscenderent, ut multitudine atque

2 eo] suo *a b*. 5 audire *sine annotatione u*. in miseris *a 'mss. et edd. qdd.'*, miseris in *u*. spem ad reliqua *b*. 9 partem integri *a*. 10 praefectus] PR *a*, pr. *b c d*. eque *b c d et secundum Achaintrium a, de quo tacet Beyerlius*. 13 nunquam (*a*). 14 acceperit se in *inuito Oud. u*. 15 ex proelio perpauci *a 'mss. plerique'*, perpauci ex proelio *u*. sed hi *a*. 19 Marcius *a*, Martius *b c*; M. *u*. 21 deportentur *b*. 22 scafas *a*. 23 adpulsas *a*. 29 imperium conueniebant *a*. 30 littoribus *a*.

onere nonnulli deprimerentur, reliqui hoc timore propius adire tar-
44 darentur. Quibus rebus accidit, ut pauci milites patresque fami-
liae, qui aut gratia aut misericordia ualerent aut naues adnare
possent, recepti in Siciliam incolumes peruenirent. Reliquae co-
piae missis ad Varum noctu legatorum numero centurionibus sese
2 ei dediderunt. Quarum cohortium milites postero die ante oppidum
Iuba conspicatus suam esse praedicans praedam magnam partem
eorum interfici iussit, paucos electos in regnum remisit, cum Va-
rus suam fidem ab eo laedi quereretur neque resistere auderet.
3 Ipse equo in oppidum uectus prosequentibus compluribus senatori-
bus, quo in numero erat Ser. Sulpicius et Licinius Damasippus,
paucis [diebus], quae fieri uellet, Vticae constituit atque impera-
uit diebusque post paucis se in regnum cum omnibus copiis recepit.

C. IVLII CAESARIS

DE BELLO CIVILI

COMMENTARIVS TERTIVS.

Dictatore habente comitia Caesare consules creantur Iulius
Caesar et P. Seruilius: is enim erat annus, quo per leges ei con-
2 sulem fieri liceret. His rebus confectis, cum fides tota Italia esset

1 reliqui — tardarentur *om. e.* hoc timore *a 'reliqui'*, ob timorem *cod. Vrs. u.* tardarent *b.* 2 rebus *om. a b.* patrisque *a.* 6 quarum cohortium milites *b c,* quarum cohortes milites militum *a;* quorum cohortes militum *u.* 7 praedem *a.* 9 ledi *a.* 11 Seru. (*a*). Sulpitius *a.* 12 [diebus] *P.* 152. 13 diebusque *cod. Vrs. 2 dett.,* diebus aeque *reliqui.* Explicit C. Caesaris belli ciuilis liber secundus *a.*

Incipit liber tertius eiusdem operis *a.* 2 leges] les *a.* 3 totam Italiam *a.*

angustior neque creditae pecuniae soluerentur, constituit, ut arbi-
tri darentur; per eos fierent aestimationes possessionum et rerum,
quanti quaeque earum ante bellum fuisset, atque hae creditoribus
traderentur. Hoc et ad timorem nouarum tabularum tollendum 3
minuendumque, qui fere bella et ciuiles dissensiones sequi consue-
uit, et ad debitorum tuendam existimationem esse aptissimum exi-
stimauit. Itemque praetoribus tribunisque plebis rogationes ad po- 4
pulum ferentibus nonnullos ambitus Pompeia lege damnatos illis
temporibus, quibus in urbe praesidia legionum Pompeius habuerat,
quae iudicia aliis audientibus iudicibus, aliis sententiam ferentibus
singulis diebus erant perfecta, in integrum restituit, qui se illi ini- 5
tio ciuilis belli optulerant, si sua opera in bello uti uellet, proinde
aestimans, ac si usus esset, quoniam sui fecissent potestatem.
Statuerat enim prius hos iudicio populi debere restitui, quam suo 6
beneficio uideri receptos, ne aut ingratus in referenda gratia aut
arrogans in praeripiendo populi beneficio uideretur. His rebus et **2**
feriis Latinis comitiisque omnibus perficiendis XI dies tribuit di-
ctaturaque se abdicat et ab urbe proficiscitur Brundisiumque per-
uenit. Eo legiones XII, equitatum omnem uenire iusserat. Sed 2
tantum nauium reperit, ut anguste † XV milia legionariorum mi-
litum, DC equites transportare possent. Hoc unum [inopia nauium]
Caesari ad celeritatem conficiendi belli defuit. Atque hae ipsae 3
copiae hoc infrequentiores imponuntur, quod multi Gallicis tot
bellis defecerant, longumque iter ex Hispania magnum numerum
deminuerat, et grauis autumnus in Apulia circumque Brundisium

3 fuisset *a b*, fuissent *u*. haec *a*, eae *Aldus u* (ea *edd. ante Ald.*). 4 tabulatarum *ante corr. a*. 5 ferre *a*. 7 itemque *a b*, item *u*. 8 dampnatos *a*. 9 urbem *a c*. 10 fererentibus *a*. 11 initio *Stephanus;* in ocio *a*, in otio *b*. 12 optulerant *a*. 13 usus] eius *b*. sui fecissent *Beroaldus*, suffecissent *codd.* 14 prius hos *a* (*sed* hoc, *ut 'mss. plerique'*), hos prius *edd.* 16 beneficio praeripiendo populi *a*. 17 comitiis omnibus *b*. perficiendis *'mss. plerique'*, perfaciendis *a b;* perficiundis *Aldus u*. 18 sese *b*. 19 equitatumque *b*, et equitatum (*a*) *? Cellarius*. 20 repperit *a*. † xv milia *P.* 153. legionarium *a b*. 21 DC *Ciacconius*, D *codd. P.* 156. equites] milites *b*. inopia nauium *spuria iudicauit Hotomanus. P.* 153. 22 ad celeritatem conficiendi belli *a;* a conficiendi belli celeritate *b*, ad conficiendi belli celeritatem *edd.* hae *Stephanus*, haec *a edd. ante Ald.;* eae *Aldus u*. 23 *ante* imponuntur *repetunt* copiae *a b*. Galli *codd.* 25 diminuerat *a 'mss. plerique'*.

ex saluberrimis Galliae et Hispaniae regionibus omnem exercitum
ualetudine temptauerat.
3 Pompeius annuum spatium ad comparandas copias nactus,
quod uacuum a bello atque ab hoste otiosum fuerat, magnam ex
Asia Cycladibusque insulis, Corcyra, Athenis, Ponto, Bithynia,
Syria, Cilicia, Phoenice, Aegypto classem coëgerat, magnam omni-
2 bus locis aedificandam curauerat; magnam imperatam Asiae, Sy-
riae regibusque omnibus et dynastis et tetrarchis et liberis Acha-
iae populis pecuniam exegerat, magnam societates earum prouin-
4 ciarum, quas ipse obtinebat, sibi numerare coëgerat. Legiones
effecerat ciuium Romanorum VIIII: V ex Italia, quas traduxerat;
unam ex Cilicia ueteranam, quam factam ex duabus gemellam ap-
pellabat; unam ex Creta et Macedonia ex ueteranis militibus, qui
dimissi a superioribus imperatoribus in his prouinciis consederant;
duas ex Asia, quas Lentulus consul conscribendas curauerat.
2 Praeterea magnum numerum ex Thessalia, Boeotia, Achaia Epi-
roque supplementi nomine in legiones distribuerat: his Antonia-
3 nos milites admiscuerat. Praeter has expectabat cum Scipione ex
Syria legiones II. Sagittarios Creta, Lacedaemone, ex Ponto at-
que Syria reliquisque ciuitatibus III milia numero habebat, fundi-
torum cohortes sexcenarias II, equitum VII milia. Ex quibus DC
Gallos Deiotarus adduxerat, D Ariobarzanes ex Cappadocia; ad
eundem numerum Cotys ex Thracia dederat et Sadalam filium mi-
4 serat; ex Macedonia CC erant, quibus Rhascypolis praeerat, excel-
lenti uirtute; D ex Gabinianis Alexandria, Gallos Germanosque,
quos ibi A. Gabinius praesidii causa apud regem Ptolemaeum re-

2 ualitudine *a 'mss. plerique ac semper'.* 4 bello et hoste *b.* 5 Cicladibusque *a.* Corcira *a.* Bithinia *a.* 6 Sicilia *b.* Foenice *a,* Fenice *b.* Egipto *a.* 7 Siriae *a.* 8 regibus omnibus *b.* dinastis et tetrharchis *a.* 9 magnam *Aldus,* magnas *a 'mss plerique'.* 10 obtinuerat *b.* 12 Cilicia *Ciacconius,* Sicilia *codd. P.* 157. 14 missi *b.* his *a edd. priores,* iis *P. Manutius u.* prouinciis] regionibus *b.* 16 Thaessalia *a.* Boetia *a 'mss. ut semper'.* Epirosque *a b.* 17 plementi *a.* 18 expectabat *a.* 19 Siria *a.* Creta *a 'mss. 4',* ex Creta *u.* Lacedemone *a.* ex Ponto *a 'mss. plerique',* Ponto *u.* 20 Siria *a.* milia *om. a.* 21 ex quibus *om. b.* 23 Cotys *Oudendorpius,* Cotus *codd.* Trachia *a.* Sadalam *Oudendorpius,* Sasalam *codd.* 24 erant *om. b.* Rhascypolis *Oudendorpius,* Rascipolis *a edd. ante u: 'mss. omnino omnes consentiunt in littera* I'. 25 Galilianis *a c,* Galienianis *b.* 26 Ptolomeum *a.*

liquerat, Pompeius filius cum classe adduxerat; DCCC ex † seruis
suis pastorumque suorum coëgerat; CCC Tarcondarius Castor et 5
Donnilaus ex Gallograecia dederant (horum alter una uenerat,
alter filium miserat); CC ex Syria a Commageno Antiocho, cui
magna Pompeius praemia tribuit, missi erant, in his plerique hip-
potoxotae. Huc Dardanos, Bessos partim mercenarios, partim 6
imperio aut gratia comparatos, item Macedones, Thessalos ac re-
liquarum gentium et ciuitatum adiecerat atque eum, quem supra
demonstrauimus, numerum expleuerat. Frumenti uim maximam 5
ex Thessalia, Asia, Aegypto, Creta, Cyrenis reliquisque regioni-
bus comparauerat. Hiemare Dyrrhachii, Apolloniae omnibusque 2
oppidis maritimis constituerat, ut mare transire Caesarem prohi-
beret, eiusque rei causa omni ora marituma classem disposuerat.
Praeerat Aegyptiis nauibus Pompeius filius, Asiaticis D. Laelius 3
et C. Triarius, Syriacis C. Cassius, Rhodiis C. Marcellus cum
C. Coponio, Liburnicae atque Achaicae classi Scribonius Libo et
M. Octauius. Toti tamen officio maritumo M. Bibulus praeposi- 4
tus cuncta administrabat: ad hunc summa imperii respiciebat.

Caesar, ut Brundisium uenit, contionatus apud milites, quo- 6
niam prope ad finem laborum ac periculorum esset peruentum, ae-
quo animo mancipia atque impedimenta in Italia relinquerent, ipsi
expediti naues conscenderent, quo maior numerus militum posset
imponi, omniaque ex uictoria et ex sua liberalitate sperarent,
conclamantibus omnibus, imperaret, quod uellet, quodcumque im- 2
perauisset, se aequo animo esse facturos, II Non. Ian. naues soluit.
Impositae, ut supra demonstratum est, legiones VI. Postridie

1 DCCC *a c:* DCCC, quos *u.* ex † seruis *cett. P.* 158. 2 suarum *a.* 3 Donnilaus *aut* Domnilaus '*mss. qdd.*', Domnilaus *a*; Donilaus *u.* Gallogrecia *a.* 4 Commageno '*mss.*', Comageno (*a*) *u.* Anthio *a.* 5 Pompeius praemia *a*, praemia Pompeius *edd.* 6 Bissos *a.* mercennarios *a.* 7 Macedones *a* '*mss. plerique*', Macedonas *u.* 10 Thesalia *a.* Aegipto *a.* Cirenis *a.* 11 hyemare *a.* Dyrrhachii *Stephanus*; Dyrrachium *b*, Dyrachium *a*; Dyrrachio '*ceteri*'. Apollonia *a* '*mss. cuncti*'. 12 transire Caesarem *a*, Caesarem transire *edd.* 13 eiusque '*mss. omnes*', eius (*a*)? *Lipsius.* hora *a.* marituma *a c.* 14 Aegiptiis *a.* Lelius *a.* 15 Trianus *a.* Siriacis *a.* 16 Coponio *Vrsinus*, Pomponio *a et sic* '*uel* Pompeio *mss.*' classis *a.* 17 maritumo *a.* 19 peruenit *b.* concionatus (*a*). 20 ad *om. b.* 23 et sua *b.* 24 quodcumque (*a*), *non* — cunque. 25 esse *om. b.* II *a* '*reliqui*', *om. c*; pridie *u. P.* 158. soluunt *a b c.* 26 impositae — legiones *a* (*is* leḡ) *b c*, impositis — legionibus *u.* VI *ego*, VII *codd. P.* 153—156. postpridie *a b c*, pridie *d.*

3 terram attigit Germiniorum. Saxa inter et alia loca periculosa
quietam nactus stationem et portus omnes timens, quod teneri ab
aduersariis arbitrabantur, ad eum locum, qui appellabatur † Phar-
salia, omnibus nauibus ad unam incolumibus milites exposuit.
7 Erant Orici Lucretius Vespillo et Minucius Rufus cum Asiaticis
nauibus XVIII, quibus iussu D. Laelii praeerant, M. Bibulus cum
2 nauibus CX Corcyrae. Sed neque illi sibi confisi ex portu prodire
sunt ausi, cum Caesar omnino XII naues longas praesidio duxis-
3 set, in quibus erant constratae IIII, neque Bibulus impeditis naui-
bus dispersisque remigibus satis mature occurrit, quod prius ad
continentem uisus est Caesar, quam de eius aduentu fama omnino
8 in eas regiones perferretur. Expositis militibus naues eadem no-
cte Brundisium a Caesare remittuntur, ut reliquae legiones equi-
2 tatusque transportari possent. Huic officio praepositus erat Fufius
Calenus legatus, qui celeritatem in transportandis legionibus adhi-
beret. Sed serius a terra prouectae naues neque usae nocturna
3 aura in redeundo offenderunt. Bibulus enim Corcyrae certior fa-
ctus de aduentu Caesaris sperans alicui se parti onustarum naui-
um occurrere posse inanibus occurrit et nactus circiter XXX in
eas indiligentiae suae ac doloris iracundiam erupit omnesque in-
cendit eodemque igne nautas dominosque nauium interfecit ma-
4 gnitudine poenae reliquos terreri sperans. Hoc confecto negotio
a Salonis ad Oricum portus, stationes litoraque omnia longe late-
que classibus occupauit custodiisque diligentius dispositis ipse gra-
uissima hieme in nauibus excubans neque ullum laborem aut
munus despiciens, ne quod subsidium expectanti Caesari in

1 Germiniorum *a b c d*, Cerauniorum *u. P.* 158. 2 timentes *a b.* quod *a b d*, quos *u.* 3 arbitrabantur *a b*, arbitrabatur *u.* appellabatur *a b*, appellatur *u.* † Pharsalia *P.* 159. 5 erant (*a*) *b*, erat *u.* Vespillo *Glandorpius*, Bispillo *a 'mss. plerique et meliores'.* Minutius *a.* 6 praeerant *P. Manutius*, praeerat *codd.* 7 illi *Iurinius*; IIII *a b c*, IIII[or] *d e*; ii *u.* 9 constratae IIII *Vrsinus*; constructae illi *c e et*, *qui* ille, *a b et*, *qui* illae, *d.* impedimentis *a.* 11 usus *a.* 12 eas] eius *b.* 14 Fufius (*a*) *c*, Fusius (*b*). 15 Calenus (*a*) *'omnes'*, Kalenus *u.* 16 profectae *b.* 17 Corcyre *a.* 20 indiligentiae *cod. Vrsini*, diligentiae *reliqui.* iracundiam *Faërnus*, iracundia *codd.* 21 interficit *c.* 22 terreri *a b*, deterreri *c*; deterrere *u.* 23 Sasonis *b c d.* ad Oricum portus *ego*; ad Orici portum *codd.*, *sed* Corici *a c d*, Coryci *b. P.* 159. littoresque *cum* a *super* es *a.* 24 disposuitis *ante corr. a.* 25 hyeme *a.* excubans *a 'mei omnes, si Vossianum excipias'*; excubabat *u.* 26 ne quod *Oudendorpius*, neque *codd.* expectanti Caesari in *ego*, exspectans si in Caesaris *codd.* (exp. *a*).

conspectum uenire posset . . . .
. . . .
. . . .

Discessu Liburnarum ex Illyrico M. Octauius cum iis, quas habe- 9
bat, nauibus Salonas peruenit. Ibi concitatis Dalmatis reliquisque
barbaris Issam a Caesaris amicitia auertit; conuentum Salonis 2
cum neque pollicitationibus neque denuntiatione periculi permo-
uere posset, oppidum oppugnare instituit. Est autem oppidum et
loci natura et colle munitum. Sed celeriter ciues Romani ligneis 3
effectis turribus his sese munierunt et, cum essent infirmi ad resi-
stendum propter paucitatem hominum crebris confecti uulneribus,
ad extremum auxilium descenderunt seruosque omnes puberes li-
berauerunt et praesectis omnium mulierum crinibus tormenta effe-
cerunt. Quorum cognita sententia Octauius quinis castris oppidum 4
circumdedit atque uno tempore obsidione et oppugnationibus eos
premere coepit. Illi omnia perpeti parati maxime a re frumentaria 5
laborabant. Cui rei missis ad Caesarem legatis auxilium ab eo
petebant; reliqua, ut poterant, incommoda per se sustinebant. Et 6
longo interposito spatio cum diuturnitas oppugnationis neglegen-
tiores Octauianos effecisset, nacti occasionem meridiani temporis
discessu eorum pueris mulieribusque in muro dispositis, ne quid
cotidianae consuetudinis desideraretur, ipsi manu facta cum iis,
quos nuper [maximi] liberauerant, in proxima Octaui castra in-
ruperunt. His expugnatis eodem impetu altera sunt adorti, inde 7
tertia et quarta et deinceps reliqua omnibusque eos castris expule-
runt et magno numero interfecto reliquos atque ipsum Octauium
in naues confugere coëgerunt. Hic fuit oppugnationis exitus. 8
Iamque hiems adpropinquabat, et tantis detrimentis receptis Octa-
uius desperata oppugnatione oppidi Dyrrhachium sese ad Pompe-
ium recepit.

1 conspectum 2 *dett.*, complexum *reliqui*. *Lacunam ego significaui. P.* 159. 4 *ante* discessu '*uidetur esse* post *in c*'. Illirico *a*. cum his *a*. 6 Issam *P. Manutius*, Hissam *a 'mss. plerique'*. *Vid. b. Alex.* 47, 3. 10 his *a cod. Vrs. edd. ante Ald.* (*is et reliqui ante Scal. om.*), iis *Scaliger u*. 12 buberes *a*. 17 cui rei missis *ego*, qui remissis *codd.*; quare missis *Brutus u*. 18 incommoda per se *a*, per se incommoda *edd.* 19 neglegentiores, *non* neglig., *a et ubicumque tacebo*. 21 depositis *a*. 22 cum his *a*. 23 maximi *a b c d, quod uncis seclusi*; manumissos *u. P.* 175. Octaui *a*. inruperunt *a*. 25 omnibus eos *b*. 28 hiemps *a*. adpropinquabat *a*. receptis *a 'reliqui'*, acceptis *cod. Vrs. u*. 29 Dirrachium *a*. se *b*. 30 recipit *a*.

10 Demonstrauimus L. Vibullium Rufum, Pompeii praefectum,
bis in potestatem peruenisse Caesaris atque ab eo esse dimissum,
2 semel ad Corfinium, iterum in Hispania. Hunc pro suis beneficiis
Caesar idoneum iudicauerat, quem cum mandatis ad Cn. Pompe-
ium mitteret, eundemque apud Cn. Pompeium auctoritatem habere
3 intellegebat. Erat autem haec summa mandatorum. Debere utrum-
que pertinaciae finem facere et ab armis discedere neque amplius
4 fortunam periclitari. Satis esse magna utrimque incommoda ac-
cepta, quae pro disciplina et praeceptis habere possent, ut reliquos
5 casus timerent: illum Italia expulsum amissa Sicilia et Sardinia
duabusque Hispaniis et cohortibus *in* Italia atque Hispania ciuium
Romanorum centum atque XXX; se morte Curionis et detrimento
6 Africani exercitus tanto militumque deditione ad Corcyram. Pro-
inde sibi ac reipublicae parcerent, *quom,* quantum in bello fortuna
7 posset, iam ipsi incommodis suis satis essent documento. Hoc
unum esse tempus de pace agendi, dum sibi uterque confideret et
pares ambo uiderentur; si uero alteri paulum modo tribuisset for-
tuna, non esse usurum condicionibus pacis eum, qui superior ui-
deretur, neque fore aequa parte contentum, qui se omnia habitu-
8 rum confideret. Condiciones pacis, quoniam antea conuenire non
9 potuissent, Romae ab senatu et a populo peti debere. Interea et
reipublicae et ipsis placere oportere, si uterque in contione statim
iurauisset se triduo proximo exercitum dimissurum. Depositis ar-
mis auxiliisque, quibus nunc confiderent, necessario populi sena-
10 tusque iudicio fore utrumque contentum. Haec quo facilius Pom-
peio probari possent, omnes suas terrestres † urbiumque copias
11 dimissurum. Vibullius his expositis [Corcyrae] non minus neces-
sarium esse existimauit de repentino aduentu Caesaris Pompeium
fieri certiorem, uti ad id consilium capere posset, antequam de
mandatis agi inciperetur, atque ideo continuato nocte ac die iti-

1 Vibullium *Aldus,* Bibulum *a e:* 'Iubilium, Bibulum, Bibullum, Bibulium *mss. hic et infra*'. 2 uenisse *c.* 4 iudicauit *b. P.* 163. 7 finem ponere atque ab *b.* 8 utrinque (*a*). 9 possint *a b.* 11 in *Vascosanus, om. codd.* 12 se *b c,* a *a.* 14 quom *ego suppleui. P.* 162. 16 agenda *ante corr. a.* 18 conditionibus (*a*). 20 conditiones (*a*). ante *b.* 21 ab populo *b.* 22 concione (*a*). 24 necessario *om. b.* 26 † urbiumque *P.* 162. 27 dimissuros *a.* Vibullius *Aldus,* Bibulus *a e 'omnes'. P.* 162. Corcyrae '*mss. mei omnes*', Corcire *a,* Cortyre *e;* a Caesare *P. Manutius* (*non Aldus, ut P.* 163 *dixi*) *u.* 29 addit *a.* 30 inciperetur *ego,* inciperet *codd.* ideo] eidem *codd.* nocte *a e 'mss. plerique'*, et nocte *u.* ac die *a b e,* et die *u.*

nere atque [omnibus copiis] mutatis ad celeritatem iumentis ad
Pompeium contendit et adesse Caesarem nuntiauit. Pompeius 2
erat eo tempore in Candauia iterque ex Macedonia in hiberna
Apolloniam Dyrrhachiumque habebat. Sed re noua perturbatus
maioribus itineribus Apolloniam petere coepit, ne Caesar orae maritumae ciuitates occuparet. At ille expositis militibus eodem die 3
Oricum proficiscitur. Quo cum uenisset, L. Torquatus, qui iussu
Pompeii oppido praeerat praesidiumque ibi Parthinorum habebat,
conatus portis clausis oppidum defendere, cum Graecos murum
ascendere atque arma capere iuberet, illi autem se contra imperi- 4
um populi Romani pugnaturos esse negarent, oppidani autem etiam
sua sponte Caesarem recipere conarentur, desperatis omnibus auxiliis portas aperuit et se atque oppidum Caesari dedidit incolumisque ab eo conseruatus est. Recepto Caesar Orico nulla inter- 12
posita mora Apolloniam proficiscitur. Cuius aduentu audito L.
Staberius, qui ibi praeerat, aquam comportare in arce atque eam
munire obsidesque ab Apolloniatibus exigere coepit. Illi uero da- 2
turos se negare neque portas consuli praeclusuros neque sibi iudicium sumpturos contra atque omnis Italia populusque Romanus
iudicauisset. Quorum cognita uoluntate clam profugit Apollonia 3
Staberius. Illi ad Caesarem legatos mittunt oppidoque recipiunt.
Hos secuntur Bullidenses, Amantini et reliquae finitimae ciuitates 4
totaque Epiros et legatis ad Caesarem missis, quae imperaret, facturos pollicentur. At Pompeius cognitis his rebus, quae erant 13
Orici atque Apolloniae gesta, Dyrrhachio timens diurnis eo nocturnisque itineribus contendit. Simul Caesar appropinquare dice- 2

1 omnibus copiis *hic ponunt codd., post* Caesarem (2) *Aldus u.*

2 et *a b e,* ut *u.* nuntiauit *ego,* nuntiaret *codd.* 3 iterque] ĩtque (*sic*) *a,* atque *b c.* hyberna Appolloniam Dirachiumque *a.* 5 Appolloniam *a.* maritumae *a.* 6 eodem die *om. b.* 7 Orscum *a.* 8 Partinorum *a.* 9 Grecos *a.* 10 ascendere (*a*). iussisset *b.* se *om. 'mss. 4', post* pugnaturos (11) *ponit b.* 11 esse *om. a.* autem *melius om. 7 dett.* 15 Appolloniam *a.* cuius *a b,* eius *u.* 16 Staberius *Aldus nepos,* Straberius *a 'mss. et edd. qdd.'* arce *a b,* arcem *u.* 19 populus Romanus *a* (*is* p. r.) *'mss. multi'.* 21 Straberius *a.* 22 hoc *a.* secuntur *a.* Bullidenses *Glareanus,* Billidenses *a et sic aut* 'Byllidenses, Bellidenses *mss.*' Amantini *Vascosanus,* Amathini *a et sic aut* Amatini *'mss.'*; Amantiani *Ciacconius u.* 23 Epiros *a b, non* Epirus. 24 his *a c,* iis *Stephanus u.* 25 gesta *a b,* gestae *u.* Dirachio *a.* diurnis seu nocturnisque *a,* diurnis seu nocturnis *b,* diurnis nocturnisque *c.* 26 simul *Oudendorpius,* simulac *codd. P.* 164.

batur: tantusque terror incidit eius exercitui, quod properans noctem diei coniunxerat neque iter intermiserat, ut paene omnes ex Epiro finitimisque regionibus signa relinquerent, complures arma
3 proicerent ac fugae simile iter uideretur. Sed cum prope Dyrrhachium Pompeius constitisset castraque metari iussisset, perterrito etiam tum exercitu princeps Labienus procedit iuratque se eum non deserturum eundemque casum subiturum, quemcumque
4 ei fortuna tribuisset. Hoc idem reliqui iurant legati; tribuni militum centurionesque secuntur, atque idem omnis exercitus iurat.
5 Caesar praeoccupato itinere ad Dyrrhachium finem properandi facit castraque ad flumen Apsum ponit in finibus Apolloniatium, ut castellis uigiliisque bene meritae ciuitates tutae essent [praesidio], ibique reliquarum ex Italia legionum aduentum expectare et sub
6 pellibus hiemare constituit. Hoc idem Pompeius fecit et trans flumen Apsum positis castris eo copias omnes auxiliaque conduxit.
14 Calenus legionibus equitibusque Brundisi in naues impositis, ut erat praeceptum a Caesare, quantum nauium facultatem habebat, naues soluit paulumque a portu progressus litteras a Caesare accipit, quibus est certior factus portus litoraque omnia classibus
2 aduersariorum teneri. Quo cognito se in portum recipit nauesque omnes reuocat. Vna ex his, quae perseuerauit neque imperio Caleni optemperauit, quod erat sine militibus priuatoque consilio ad-
3 ministrabatur, delata Oricum atque a Bibulo expugnata est; qui de seruis liberisque omnibus ad impuberes supplicium sumit et ad unum interficit. Ita exiguo tempore magnoque casu totius exercitus salus constitit.

15 Bibulus, ut supra demonstratum est, erat cum classe ad Ori-

1 tantusque *a e* 5 *dett.*, tantus *u.* eius exercitus *a b*, ei exercitus *e.* 2 pene *a.* ex *Iurinius*, in *codd.* 3 Epyro *a.* reliquerat *cum* en *super* a *a.* 4 Dirrachium *a.* 5 constituisset *a.* 7 quemcumque (*a*). 8 tribuni *a b*, hos tribuni *u.* 9 secuntur *a.* 10 praeoccupato *Aldus nepos et, 'si excerptis fides habenda'*, *c*; praefecto occupato *a b et*, *qui* profecto *uel* perfecto, *reliqui. P.* 175. Dirrachyum *a.* 11 Apsum *Aldus*: Habus sub *a et sic 'uel* Abus sub *mss.*, *alii* Tapsum *uel* Thapsum'. in] ut *a b.* 12 praesidioque ibi *e*: praesidio *deleuit P. Manutius.* 13 expectare *a.* 14 hyemare *a.* 15 Thapsum *a 'mss.'* 16 Kalenus *hic et deinceps contra codd. u.* Brundisi *a.* 18 a portu progressus *a edd. ante u 'contra mss. ordinem'?*, progressus a portu *u.* 19 est *om. b.* portum *a b.* 20 recepit *b.* 21 omnes *om. b.* his *a edd. priores*, iis *P. Manutius u.* 22 optemperauit *a.* 25 unum] omnes *add. b.* itaque *b.* 27 erat cum *om. a.*

cum et, sicuti mari portibusque Caesarem prohibebat, ita ipse
omni terra earum regionum prohibebatur: praesidiis enim disposi- 2
tis omnia litora a Caesare tenebantur, neque lignandi atque aquandi
neque naues ad terram religandi potestas fiebat. Erat res in ma- 3
gna difficultate, summisque angustiis rerum necessariarum preme-
bantur, adeo ut cogerentur sicuti reliquum commeatum ita ligna
atque aquam Corcyra nauibus onerariis subportare, atque etiam 4
uno tempore accidit, ut difficilioribus usi tempestatibus ex pellibus,
quibus erant tectae naues, nocturnum excipere rorem cogerentur;
quas tamen difficultates patienter atque aequo animo ferebant ne- 5
que sibi nudanda litora et relinquendos portus existimabant. Sed 6
cum essent in quibus demonstraui angustiis, ac se Libo cum Bi-
bulo coniunxisset, loquuntur ambo ex nauibus cum M'. Acilio et
Statio Murco legatis; quorum alter oppidi muris, alter praesidiis
terrestribus praeerat: uelle se de maximis rebus cum Caesari lo-
qui, si eis facultas detur. Huc addunt pauca rei confirmandae 7
causa, ut de compositione acturi uiderentur. Interim postulant,
ut sint indutiae, atque ab iis impetrant. Magnum enim, quod ad- 8
ferebant, uidebatur, et Caesarem id summe sciebant cupere, et
profectum aliquid Vibullii mandatis existimabatur. Caesar eo tem- **16**
pore cum legione una profectus ad recipiendas ulteriores ciuitates
et rem frumentariam expediendam, qua anguste utebatur, erat ad
Buthrotum, oppositum Corcyrae. Ibi certior ab Acilio et Murco 2
per litteras factus de postulatis Libonis et Bibuli legionem relin-
quit; ipse Oricum reuertitur. Eo cum uenisset, euocantur illi ad 3
colloquium. Prodit Libo atque excusat Bibulum, quod is iracun-
dia summa erat inimicitiasque habebat etiam priuatas cum Caesare
ex aedilitate et praetura conceptas: ob eam causam colloquium ui-
tasse, ne res maximae spei maximaeque utilitatis eius iracundia
impedirentur. Pompeii summam esse ac fuisse semper uoluntatem, 4

3 littora *a*. ligandi *a*. atque aquandi (*a*) *b*, neque aquandi *u*. 7 Corcyram *a c*. (subportare *a*) deportare *b*. etiam uno *a* '*mss. quidam*', uno etiam *u*. 11 litora portusque relinquendos *b*. 13 M'. *Vrsinus*, M. *codd. Vid. c.* 39, 1. Acilicio *a*. 15 maximis de *ex uno det. u*. 16 eis *ego*, ei *a b*; sibi eius *u*. 18 induciae (*a*). ab his *a*. adferebant *a*. 20 aliquem *b*. Vibullii *Ciacconius*, Bibuli *codd.* existimabant *b*. 23 Burtotum *a*. oppositum *b*; oppidum *a* '*reliqui*', *om. c*. 24 reliquit *b*. 26 atque *Aldus et*, '*nisi me fallo*', *b*; neque (*a*) '*reliqui*'. 28 causam *a* 4 *dett.*, rem *u*. 29 speique *a*. 30 semper] per *a*.

ut componeretur atque ab armis discederetur, sed potestatem eius
rei nullam habere, propterea quod de consilii sententia summam
5 belli rerumque omnium Pompeio permiserint. Sed postulatis Cae-
saris cognitis missuros ad Pompeium, atque illum reliqua per se
acturum hortantibus ipsis. Interea manerent induliae, dum ab
illo rediri posset, neue alter alteri noceret. Huc addit pauca de
17 causa et de copiis auxiliisque suis. Quibus rebus neque tum re-
spondendum Caesar existimauit, neque nunc, ut memoriae pro-
2 dantur, satis causae putamus. Postulabat Caesar, ut legatos sibi
ad Pompeium sine periculo mittere liceret, idque ipsi fore recipe-
3 rent aut acceptos per se ad eum perducerent. Quod ad indutias
pertineret, sic belli rationem esse diuisam, ut illi classe naues au-
4 xiliaque sua impedirent, ipse ut aqua terraque eos prohiberet. Si
hoc sibi remitti uellent, remitterent ipsi de maritumis custodiis;
si illud tenerent, se quoque id retenturum. Nihilo minus tamen
agi posse de compositione, ut haec non remitterentur, neque hanc
5 rem esse impedimenti loco. Ille neque legatos Caesaris recipere
neque periculum praestare eorum, sed totam rem ad Pompeium
reicere: unum instare de indutiis uehementissimeque contendere.
6 Quem ubi Caesar intellexit praesentis periculi atque inopiae ui-
tandae causa omnem orationem instituisse neque ullam spem aut
condicionem pacis afferre, ad reliquam cogitationem belli sese re-
18 cepit. Bibulus multos dies terra prohibitus et grauiore morbo ex
frigore ac labore inplicitus, cum neque curari posset neque susce-
2 ptum officium deserere uellet, uim morbi sustinere non potuit. Eo
mortuo ad neminem unum summa imperii redit, sed separatim su-
3 am quisque classem ad arbitrium suum administrabat. Vibullius
sedato tumultu, quem repentinus aduentus Caesaris concitauerat,
ubi primum *e re* uisu*mst*, adhibito Libone et L. Lucceio et Theo-

1 componeretur *Vascosanus*, componerentur *codd.* eius rei *a b e*, eius rei se *reliqui.* 2 consilii (*a*) *e reliqui*, concilii *unus det. et 'mss. a Grutero consulti, si fides excerptis'.* summa *e 'mss. 5'.* 5 induciae (*a*). 6 ne uel *a.* 7 et *om. b.* 8 memoria *pro uar. lect. in marg. b.* prodantur *Petauianus*, prodatur *reliqui.* 11 inducias (*a*). 12 classem *a b e.* 14 maritumis *a.* 17 esse *Aldus*, illis esse *codd.* ille *Stephanus, om codd.*; illi *Aldus u.* 19 stare *a.* induciis (*a*). 20 quem 2 *dett.*, quae *reliqui*; quos *Aldus u.* 22 conditionem (*a*). 24 ac] et *b.* inplicitus *a.* 25 morbo *ante corr. a.* 26 rediit *unus det.* 27 Vibullius (*a*) *e*; 'Bibullius, Bibullus, Bibulus *mss.*' 29 e re uisumst *Elberlingius*, rursus *codd.* adhibitoque *a b.* Luceio *a.*

phane, quibus*cum* communicare de maximis rebus Pompeius con-
sueuerat, de mandatis Caesaris agere instituit. Quem ingressum
in sermonem Pompeius interpellauit et loqui plura prohibuit.
'Quid mihi', inquit, 'aut uita aut ciuitate opus est, quam beneficio 4
Caesaris habere uidebor? cuius rei opinio tolli non poterit, cum in
Italiam, ex qua profectus sum, reductus existimabor'. Bello per- 5
fecto ab iis Caesar haec facta cognouit, qui sermoni interfuerunt;
conatus tamen nihilo minus est aliis rationibus [per colloquia] de
pace agere. Inter bina castra Pompei atque Caesaris unum flumen 19
tantum intererat Apsus, crebraque inter se colloquia milites habe-
bant, neque ullum interim telum per pactiones loquentium traicie-
batur. Mittit P. Vatinium legatum ad ripam ipsam fluminis, qui 2
ea, quae maxime ad pacem pertinere uiderentur, ageret et crebro
magna uoce pronuntiaret, liceretne ciuibus ad ciues de pace [duo]
legatos mittere, quod etiam fugitiuis ab saltu Pyrenaeo praedoni-
busque licuisset, praesertim cum id agerent, ne ciues cum ciuibus
armis decertarent? Multa suppliciter locutus *est*, ut de sua atque 3
omnium salute debebat, silentioque ab utrisque militibus auditus.
Responsum est ab altera parte Aulum Varronem profiteri se altera
die ad conloquium uenturum atque eund*em* uisurum, quemadmo-
dum tuto legati uenire et quae uellent exponere possent; certum-
que ei rei tempus constituitur. Quo cum esset postero die uentum, 4
magna utrimque multitudo conuenit, magnaque erat expectatio
eius rei, atque omnium animi intenti esse ad pacem uidebantur.
Qua ex frequentia Titus Labienus prodit, summissa oratione lo- 5
qui de pace atque altercari cum Vatinio incipit. Quorum mediam 6

1 quibuscum *Io. Fr. Gronouius,* quibus *codd.* 2 quem *a b c e,* eum *u.* 4 inquid *a.* 7 ab his *a.* facta *a cod. Vrs.* 5 *dett.,* dicta *u.* 8 [per colloquia] *P.* 165. 9 inter *Aldus;* ut inter *a c et, qui* ut *int. uers. habet, b.* Pompei *a.* 10 Thapsus *a et sic 'uel* Tapsus *mss.'* 11 loquentium *a 'mss.* 7', colloquentium *u.* 12 legatum *om. b.* 14 duo (*a*), duos *'mss. omnes': deleuit Aldus.* 15 Pyreno *b.* praedonibus *omissa copula b.* 16 praesertim cum *a b d,* praesertim ut *u.* ageret *b.* 17 est *Noruicensis, om. reliqui.* 19 Aulum *a,* A. *u.* 20 conloquium *a.* atque eundem *ego;* atque una *codd., sed* utque *b 'plerique'?* uisurum quemadmodum *Elberlingius,* uis utrumque admodum *a b e 'plerique'. P.* 165. 23 utrinque (*a*). exspectatio eius rei *a b,* eius rei exspectatio *u* (exp. *a*). 24 animi intenti *a Stephanus,* intenti animi *ceterae edd.* esse ad pacem *a,* ad pacem *b;* ad pacem esse *edd.* 25 Titus *a,* T. *u.* summissa *a, non* subm.

orationem interrumpunt subito undique tela inmissa; quae ille
obtectus armis militum uitauit: uulnerantur tamen complures, in
his Cornelius Balbus, M. Plotius, L. Tiburtius, centuriones mili-
7 tesque nonnulli. Tum Labienus: 'desinite ergo de compositione
loqui: nam nobis nisi Caesaris capite relato pax esse nulla potest'.

20 Isdem temporibus M. Coelius Rufus praetor causa debitorum
suscepta initio magistratus tribunal suum iuxta C. Treboni, prae-
toris urbani, sellam collocauit et, si quis appellauisset de aestima-
tione et de solutionibus, quae per arbitrum fierent, ut Caesar
2 praesens constituerat, fore auxilio pollicebatur. Sed fiebat aequi-
tate decreti et humanitate Treboni, qui his temporibus clementer
et moderate ius dicendum existimabat, ut reperiri non possent, a
3 quibus initium appellandi nasceretur. Nam fortasse inopiam excu-
sare et calamitatem aut propriam suam aut temporum queri et
difficultates auctionandi proponere etiam mediocris est animi; in-
tegras uero tenere possessiones, qui se debere fateantur, cuius
4 animi aut cuius inpudentiae est? Itaque, hoc qui postularet, re-
periebatur nemo. Atque ipsis, ad quorum commodum pertinebat,
durior inuentus est Coelius. Sed ab hoc profectus initio, ne fru-
stra ingressus turpem causam uideretur, legem promulgauit, ut
21 sexenni die sine usuris creditae pecuniae soluantur. Cum resiste-
ret Seruilius consul reliquique magistratus, et minus opinione sua
efficeret, ad hominum excitanda studia sublata priore lege duas
promulgauit: unam, qua mercedes habitationum annuas conducto-
2 ribus donauit, aliam tabularum nouarum, impetuque multitudinis
in C. Trebonium facto et nonnullis uulneratis eum de tribunali
deturbauit. De quibus rebus Seruilius consul ad senatum retulit,
3 senatusque Coelium ab republica remouendum censuit. Hoc de-
creto eum consul senatu prohibuit et contionari conantem de ro-

1 subito undique *a Stephanus*, undique subito *reliquae edd.* inmissa *a.* 2 intectus *b.* 3 Plocius *a.* Tyburtius *a.* centurionesque *b.* 4 ergo] inquit *b.* 5 nisi a Caesaris *a.* 6 isdem *a,* iisdem *u.* temporibus *codd.*, temporibus Romae *Aldus u.* 7 Treboni *a.* 8 appellauisset *a 'mss. plerique'*, appellasset *Aldus nepos u.* 10 aequitate] celeritate *b.* 11 Trebani (*sic*) *a.* his *om. a b.* 12 moderate eius *a,* moderata eius *b.* repperiri *a.* possent *Stephanus*; posset *codd., nisi quod* possit *b.* 14 propriam *om. b.* 17 inpudentiae *a.* repperiebatur *a.* 19 sed *Ciacconius,* et *codd.* 21 sexenni die *P. Manutius,* sexies seni dies *codd.* 23 efficere *b.* 25 aliam *a b,* alteram *Faërnus u.* 29 contionare *'mss. 4'*, concionari (*a*).

stris deduxit. Ille ignominia et dolore permotus palam se profi- 4
cisci ad Caesarem simulauit; clam nuntiis ad Milonem missis,
qui Clodio interfecto eo nomine erat damnatus, atque eo in Italiam
euocato, quod magnis muneribus datis gladiatoriae familiae reli-
quias habebat, sibi coniunxit atque eum in Thurinum ad sollici-
tandos pastores praemisit. Ipse cum Casilinum uenisset, unoque 5
tempore signa eius militaria atque arma Capuae essent comprensa
et familia Neapoli, uis atque proditio oppidi appareret, patefactis
consiliis exclusus Capua et periculum ueritus, quod conuentus ar-
ma ceperat atque eum hostis loco habendum existimabat, consilio
destitit atque eo itinere sese auertit. Interim Milo dimissis circum 22
municipia litteris, ea, quae faceret, iussu atque imperio facere
Pompei, quae mandata ad se per Vibullium delata essent, quos ex
aere alieno laborare arbitrabatur, sollicitabat. Apud quos cum 2
proficere nihil posset, quibusdam solutis ergastulis Cosam in agro
Thurino oppugnare coepit. Eo cum a Q. Pedio praetore cum le-
gione . . . . . lapide ictus ex muro periit. Et Coelius profectus, 3
ut dictitabat, ad Caesarem peruenit Thurios. Vbi cum quosdam
eius municipii sollicitaret equitibusque Caesaris Gallis atque Hi-
spanis, qui eo praesidii causa missi erant, pecuniam polliceretur,
ab his est interfectus. Ita magnarum initia rerum, quae occupa- 4
tione magistratuum et temporum sollicitam Italiam habebant, ce-
lerem et facilem exitum habuerunt.

Libo profectus ab Orico cum classe, cui praeerat, nauium L, 23
Brundisium uenit insulamque, quae contra portum Brundisinum
est, occupauit, quod praestare arbitrabatur unum locum, qua ne-
cessarius nostris erat egressus, quam omnia litora ac portus cu-
stodia clausos teneri. Hic repentino aduentu naues onerarias 2

3 eo nomine *Scaliger*, eius nomine *a 'mss. plerique'*. dampnatus *a*. 4 gladiatores *b*. reliquas quas habebat *b*. 5 Thurinum (*a*) *b c, non* Turinum. 7 comprensa *a*, compressa *b*; comprehensa *u*. 8 uis atque 3 *dett.*; uisaque *a b*, uisa et *c*; uisa atque *Stephanus u*. proditione *b c*. appareret *Stephanus*, apparere *a b c*. 10 coeperat *a*. 13 Pompeique mandata *a*. Vibullium *ante Vossium Vrsinus*, Bibullium *a e*; Bibulum *u. P.* 166. 15 nihib *ante corr. a*. 16 Thurino *b c*, Turino *a*. Pedio *a*, Paedio *u*. 17 *lacunam notauit Scaliger*. perit *a b*. 18 dictabat *b*. Thurios *b c*, Turios *a*. 20 praesidii *P. Manutius*, praedandi *codd.* 21 his *a edd. priores*, iis *P. Manutius u*. 22 habebat *a*. 23 exitum habebant *ante corr. a*. 25 portum Brundisinum *a*, Brundisinum portum *edd.* 27 omnia *Ciacconius*, omnium *codd.* 28 teneri *P. Manutius*, tueri *a b c d*.

quasdam nactus incendit et unam frumento onustam abduxit ma-
gnumque nostris terrorem iniecit et noctu militibus ac sagittariis
3 in terram expositis praesidium equitum deiecit et adeo loci oppor-
tunitate profecit, uti ad Pompeium litteras mitteret, naues reli-
quas, si uellet, subduci et refici iuberet: sua classe auxilia sese
24 Caesaris prohibiturum. Erat eo tempore Antonius Brundisii; *qui*
uirtute militum confisus scaphas nauium magnarum circiter LX
cratibus pluteisque contexit eoque milites delectos inposuit atque
eas in litore pluribus locis separatim disposuit nauesque triremes
duas, quas Brundisi faciendas curauerat, per causam exercendo-
2 rum remigum ad fauces portus prodire iussit. Has cum audacius
progressas Libo uidisset, sperans intercipi posse quadriremes V
ad eas misit. Quae cum nauibus nostris *ap*propinquassent, nostri
ueterani in portum refugiebant: illi studio incitati incautius seque-
3 bantur. Iam ex omnibus partibus subito Antonianae scaphae signo
dato se in hostes incitauerunt primoque impetu unam ex his qua-
driremem cum remigibus defensoribusque suis ceperunt, reliquas
4 turpiter refugere coëgerunt. Ad hoc detrimentum accessit, ut
equitibus per oram maritumam ab Antonio dispositis aquari prohi-
berentur. Qua necessitate et ignominia permotus Libo discessit a
Brundisio obsessionemque nostrorum omisit.

25 Multi iam menses erant et hiems praecipitauerat, neque Brun-
disio naues legionesque ad Caesarem ueniebant. Ac nonnullae
eius rei praetermissae occasiones Caesari uidebantur, quod certe
saepe flauerant uenti, quibus necessario committendum existima-
2 bat. Quantoque eius amplius processerat temporis, tanto erant
alacriores ad custodias, qui classibus praeerant, maioremque fidu-
3 ciam prohibendi habebant, et crebris Pompeii litteris castigaban-
tur, quoniam primo uenientem Caesarem non prohibuissent, ut re-
liquos eius exercitus impedirent; duriusque cotidie tempus ad trans-
4 portandum lenioribus uentis non spectabat. Quibus rebus permo-

1 quasdaꝑ *a*. 3 terra *b*. oportunitate *a*. 5 sese] esse *a*. 6 qui *om*. *a b* 5 *dett.* 7 uirtute *a c*, uirtuti '*plurimi et uetustissimi*' ? *u*. schaphas *a*. 8 delectos *om*. *b*. inposuit *a*. 9 pluribus in locis *b*. separatim *om*. *b*. 10 Brundisi *a*. 13 propinquassent *a b* 5 *dett.* 15 Antonianes *a*. 19 per ora maritima *a et omisso* per *b* (marituma *a*). 22 erant *a b*, transierant *u*. hiems *a b*, hiems iam *u* (hyems *a*). 25 sepe *a*. 26 processerant *b*. 27 custodiam *b*. 30 impedirent] prohiberent *b*. 31 non spectabat *ego*, exspectabant *codd.* (exp. *a*). *P*. 166.

tus Caesar Brundisium ad suos seuerius scripsit, nacti idoneum
uentum ne occasionem nauigandi dimitterent, si uel ad litora Apol-
loniatium cursum dirigere atque eo naues eicere possent. Haec a 5
custodiis classium loca maxime uacabant, quom se longius *a* por-
tibus committere non auderent. Illi adhibita audacia et uirtute 26
administrantibus M. Antonio et Fufio Caleno, multum ipsis mili-
tibus hortantibus neque ullum periculum pro salute Caesaris recu-
santibus nacti austrum naues soluunt atque altero die Apolloniam
[Dyrrhachium] praeteruehuntur. Qui cum essent ex continenti 2
uisi, Coponius, qui Dyrrhachi classi Rhodiae praeerat, naues ex
portu educit, et cum iam nostris remissiore uento adpropinquasset,
idem auster increbuit nostrisque praesidio fuit. Neque uero ille 3
ob eam causam conatu desistebat, sed labore et perseuerantia nau-
tarum et uim tempestatis superari posse sperabat praeteruectosque
Dyrrhachium magna ui uenti nihilo secius sequebatur. Nostri usi 4
fortunae beneficio tamen impetum classis timebant, si forte uentus
remisisset. Nacti portum, qui appellatur Nymphaeum, ultra Lis-
sum milia passuum III eo naues introduxerunt (qui portus ab Africo
tegebatur, ab austro non erat tutus) leuiusque tempestatis quam
classis periculum aestimauerunt. Quo simulatque intro est itum, 5
incredibili felicitate auster, qui per biduum flauerat, in Africum
se uertit. Hic subitam commutationem fortunae uidere licuit. Qui 27
modo sibi timuerant, hos tutissimus portus recipiebat; qui nostris
nauibus periculum intulerant, de suo timere cogebantur. Itaque 2
tempore commutato tempestas et nostros texit et naues Rhodias
afflixit, ita ut ad unam omnes, constratae numero XVI, eliderentur
et naufragio interirent, et ex magno remigum propugnatorumque

2 si uel *Hotomannus,* siue *codd.* littora *a.* 3 eicere *Aldus;* elicere *b et plerique,* dicere *d,* eligere *a.* 4 custodiis *Ciacconius,* custodibus *a 'mss. et edd. qdd.'* quom *ego,* quod *codd. P.* 25. a *Vossius, om. codd.* 6 Kaleno *contra codd. u.* 8 altero die *a b e, om. c;* altera die *u.* 9 Dyrrhachium *a (is* Dirrach.) *b c e,* Dyrrhachiumque *u: uncos Elberlingius posuit. P.* 167. ex] in *b.* 10 Coponius *a b c,* Q. Coponius *reliqui;* C. Coponius *Ciacconius u.* Dirrachi *a.* 11 nostris *d 4 dett.,* nostri *a e reliqui.* appropinquasset *Vascosanus,* appropinquassent *codd.* (adpr. *a*). 12 increbruit *b.* 13 conata *a.* 14 et uim *a b c e,* se uim *u.* superari *a c e,* superare *u.* 15 Dirrachium *a.* 17 Nympheum *a.* 20 aestimauerunt] metuebant *m. pr. b.* intro *a c* 5 *dett.,* intus *u: de b non constabat Oudendorpio.* 21 per *om. b.* 22 hinc *a b.* 23 reiciebat *a b.*

numero pars ad scopulos adlisa interficeretur, pars ab nostris
28 detraheretur; quos omnes conseruatos Caesar domum remisit. No-
strae naues duae tardius cursu confecto in noctem coniectae, cum
ignorarent, quem locum reliquae cepissent, contra Lissum in an-
2 coris constiterunt. Has scaphis minoribusque nauigiis compluri-
bus summissis Otacilius Crassus, qui Lissi praeerat, expugnare
parabat; simul de deditione eorum agebat et incolumitatem deditis
3 pollicebatur. Harum altera nauis CCXX e legione tironum sustu-
4 lerat, altera ex ueterana paulo minus CC. Hic cognosci licuit,
quantum esset hominibus praesidii in animi firmitudine. Tirones
enim multitudine nauium perterriti et salo nauseaque confecti iu-
reiurando accepto, nihil iis nocituros hostes, se Otacilio dediderunt;
qui omnes ad eum perducti contra religionem iurisiurandi in eius
5 conspectu crudelissime interficiuntur. At ueteranae legionis mili-
tes item conflictati et tempestatis et sentinae uitiis neque ex pri-
stina uirtute remittendum aliquid putauerunt, et tractandis condi-
cionibus et simulatione deditionis extracto primo noctis tempore
6 gubernatorem in terram nauem eicere cogunt, ipsi idoneum locum
nacti reliquam noctis partem ibi confecerunt et luce prima missis
ad eos ab Otacilio equitibus, qui eam partem orae maritumae ad-
seruabant, circiter CCCC quique eos armati ex praesidio secuti
sunt se defenderunt et nonnullis eorum interfectis incolumes se
29 ad nostros receperunt. Quo facto conuentus ciuium Romanorum,
qui Lissum obtinebant, quod oppidum iis antea Caesar adtribue-
rat muniendumque curauerat, Antonium recipit omnibusque rebus
iuuit. Otacilius sibi timens *ex* oppido fugit et ad Pompeium per-
2 uenit. Ex*positis* omnibus copiis Antonius, quarum erat summa
ueteranarum trium legionum uniusque tironum et equitum DCCC,

1 adlisa *a.* 2 detraheretur *cod. Vrs.* 3 *dett.*, distraheretur *reliqui.* 4 coepissent *a.* Lyssum *a.* anchoris *a.* 6 summisso tacilius *a:* 'Octacilius, Octalicus *mss. plerique semper*'. 7 *ante* parabat *add.* x *a b c.* 8 horum *a.* cccxxx *b.* e legione *a b*, ex legione *u.* tyronum *a.* 9 ueteranis *b.* cc *per notam a 'mss. cuncti'*, ccc *b.* hic *Aldus in corrig.*, his *codd.* 10 fortitudine *b.* 11 nausiaque *a 'mss. qdd.'* 12 his *a.* Octacilio *a.* 13 producti (*a*) *b cod. Vrs.* 4 *dett.* 14 conspectum *a c* 4 *dett.* 15 idem *a b c.* 16 et *Morus,* sed *codd.* conditionibus (*a*). 18 gubernatorum *a.* eicere nauem *b.* 20 adeo *b.* equitibus] nuntiis *b.* maritumae *a.* obseruabant *b* (ads. *a*). 21 qui eos *b.* 24 is *a.* adtribuerat *a.* 25 recipit *a 'mss. 4'*, recepit *u.* 26 luit *a et m. pr. b.* Octacilius *a.* ex oppido *ego,* oppido *codd.* 27 expositis *Achilles Statius,* ex *codd.*

plerasque naues in Italiam remittit ad reliquos milites equitesque
transportandos, pontones, quod est genus nauium Gallicarum, Lissi 3
relinquit, hoc consilio, ut si forte Pompeius uacuam existimans
Italiam eo traiecisset exercitum, quae opinio erat edita in uulgus,
aliquam Caesar ad insequendum facultatem haberet, nuntiosque ad 4
eum celeriter mittit, quibus regionibus exercitum exposuisset et
quid militum transuexisset. Haec eodem fere tempore Caesar at- **30**
que Pompeius cognoscunt. Nam praeteruectas Apolloniam Dyr-
rhachiumque naues uiderant, ipsi iter secundum eas terra direxe-
rant, sed quo essent eae delatae, primis diebus ignorabant. Co- 2
gnitaque re diuersa sibi ambo consilia capiunt: Caesar, ut quam
primum se cum Antonio coniungeret; Pompeius, ut uenientibus in
itinere se opponeret, si imprudentes ex insidiis adoriri posset,
eodemque die uterque eorum ex castris statiuis a flumine Apso 3
exercitum educunt: Pompeius clam et noctu, Caesar palam atque
interdiu. Sed Caesari circuitu maiore iter erat longius, aduerso 4
flumine, ut uado transire posset: Pompeius, quia expedito itinere
flumen ei transeundum non erat, magnis itineribus ad Antonium
contendit atque eum ubi appropinquare cognouit, idoneum locum 5
nactus ibi copias collocauit suosque omnes in castris continuit ignes-
que fieri prohibuit, quo occultior esset eius aduentus. Haec ad An- 6
tonium statim per Graecos deferuntur. Ille missis ad Caesarem
nuntiis unum diem sese castris tenuit; altero die ad eum peruenit
Caesar. Cuius aduentu cognito Pompeius, ne duobus circumclu- 7
deretur exercitibus, ex eo loco discedit omnibusque copiis ad
Asparagium Dyrrhachinorum peruenit atque ibi idoneo loco ca-
stra ponit.

His temporibus Scipio detrimentis quibusdam circa montem **31**
Amanum acceptis imperatorem se appellauerat. Quo facto ciuita- 2
tibus tyrannisque magnas imperauerat pecunias, item ab publica-
nis suae prouinciae debitam biennii pecuniam exegerat et ab isdem

3 relinquid *a*. 4 oppinio *a*. 5 ad eos *b*. 8 Dirrachiumque *a*. 9 terra *cod. Vrs.*, terras *a* '*plerique*'. duxerant '*mss. plerique*'. 10 eae (*a*), 'hae *uel* hec *mss.*' 11 diuisa *a*. 13 si *Lipsius*, et si *codd.* 14 statutis *a b c*. Thapso *a* '*mss.*' 15 atque] et *b*. 20 in castris *a b*, castris *u*. obtinuit *ante corr. a*. 21 ad *om. a*. 22 Grecos defer̃ *a*. 26 Dirrachinorum *a*, Dyrrachiorum *b c*. 29 imperatorem se *a et*, *qui* sese, *Stephanus*; sese imperatorem *ceterae edd.* 30 ad publicanis *a*, a publicanis *edd.* 31 isdem *a b*, eisdem *u*.

insequentis anni mutuam praeceperat equitesque toti prouinciae
3 imperauerat. Quibus coactis finitimis hostibus Parthis post se re-
lictis, qui paulo ante M. Crassum imperatorem interfecerant et
M. Bibulum in obsidione habuerant, legiones equitesque ex Syria
4 deduxerat. Summamque in sollicitudinem ac timorem Parthici
belli prouincia cum uenisset, ac nonnullae militum uoces cum
audirentur, sese, contra hostem si ducerentur, ituros, contra ci-
uem et consulem arma non laturos, deductis Pergamum atque in
locupletissimas urbes in hiberna legionibus maximas largitiones
fecit et confirmandorum militum causa diripiendas his ciuitates de-
32 dit. Interim acerbissime imperatae pecuniae tota prouincia exi-
gebantur. Multa praeterea generatim ad auaritiam excogitaban-
2 tur. In capita singula seruorum ac liberorum tributum inponeba-
tur; columnaria, ostiaria, frumentum, milites, arma, remiges,
tormenta, uecturae imperabantur; cuius modo rei nomen reperiri
3 poterat, hoc satis esse ad cogendas pecunias uidebatur. Non so-
lum urbibus, sed paene uicis castellisque singulis cum imperio
praeficiebantur. Qui horum quid acerbissime crudelissimeque fe-
4 cerat, is et uir et ciuis optimus habebatur. Erat plena lictorum
et imperiorum prouincia, differta praefectis atque exactoribus; qui
praeter imperatas pecunias suo etiam priuato compendio seruie-
bant: dictitabant enim se domo patriaque expulsos omnibus neces-
sariis egere rebus, ut honesta praescriptione rem turpissimam te-
5 gerent. Accedebant ad haec grauissimae usurae, quod in bello
plerumque accidere consueuit uniuersis imperatis pecuniis; quibus
in rebus prolationem diei donationem esse dicebant. Itaque aes
6 alienum prouinciae eo biennio multiplicatum est. Neque minus ob
eam causam ciuibus Romanis eius prouinciae, sed in singulos con-
uentus singulasque ciuitates certae pecuniae imperabantur, mu-
tuasque illas ex senatusconsulto exigi dictitabant; publicanis, ut

1 perceperat *b*. 2 Parchis posse relictis *a*. 4 Siria *a*. 5 summamque in sollicitudinem ac timorem *Elberlingius*, summaque in sollicitudine ac timore *codd.* Parchici *a*. 6 prouincia *b e*, prouinciam *a*; in prouinciam *u*. cum audirentur *a b c e*, tum audirentur *u*. 10 diripiundas *cum uno det. u*. his *a edd. priores*, iis *P. Manutius u*. 13 inponebatur *a*. 14 colupnaria *a*. arma remiges *a 'mss. plerique'*, remiges arma *u*. 15 cuius modo *Aldus in corrig.*, cuiusmodi *codd.* repperiri *a*. 16 cognoscendas pecunias *a*, copias pecunias *b* (*nisi potius* cogendas copias). 17 pene (*a*). 18 acerb. faceret et crudelissime is *b*. 19 plane *a*. 20 praefectis *Aldus*, praeceptis *codd.* 30 illas ex senatusconsulto *Aldus*; ex illo s' consulto *a*, ex illo se consulto *'mss.'* ut *a b*, uti *u*.

in Syria fecerant, insequentis anni uectigal promutuum. Praeter- 33
ea Ephesi a fano Dianae depositas antiquitus pecunias Scipio tolli
iubebat. Certaque eius rei die constituta cum in fanum uentum
esset adhibitis compluribus senatorii ordinis, quos aduocauerat
Scipio, litterae ei redduntur a Pompeio, mare transisse cum legio-
nibus Caesarem: properaret ad se cum exercitu uenire omniaque
post[ea quae]haberet. His litteris acceptis quos aduocauerat di- 2
mittit; ipse iter in Macedoniam parare incipit paucisque post die-
bus est profectus. Haec res Ephesiae pecuniae salutem attulit.
Caesar Antoni exercitu coniuncto deducta Orico legione, 34
quam tuendae orae maritumae causa posuerat, temptandas sibi
prouincias longiusque procedendum existimabat et, cum ad eum 2
ex Thessalia Aetoliaque legati uenissent, qui praesidio misso pol-
licerentur earum gentium ciuitates imperata facturas, L. Cassium
Longinum cum legione tironum, quae appellabatur XXVII, atque
equitibus CC in Thessaliam, C. Caluisium Sabinum cum cohorti-
bus V paucisque equitibus in Aetoliam misit; maxime eos, quod
erant propinquae regiones, de re frumentaria ut prouiderent, hor-
tatus est. Cn. Domitium Caluinum cum legionibus duabus, XI et 3
XII, et equitibus D in Macedoniam proficisci iussit; cuius prouin- 4
ciae ab ea parte, quae libera appellabatur, Menedemus, princeps
earum regionum, missus legatus omnium suorum excellens studi-
um profitebatur. Ex his Caluisius primo aduentu summa omnium 35
Aetolorum receptus uoluntate *a* praesidiis aduersariorum Calydone
et Naupacto relictis omni Aetolia potitus est. Cassius in Thes- 2
saliam cum legione peruenit. Hic cum essent factiones duae, ua-
ria uoluntate ciuitatum utebatur: Hegesaretos, ueteris homo po-
tentiae, Pompeianis rebus studebat; Petraeus, summae nobilitatis

1 in Syria *Stephanus,* in sorte *codd.* 2 tolli — (5) Scipio *om. a.* 3 certaque eius rei die constituta *Vrsinus,* ceteraque eius diei constituta *d* (*is* ceterasque) *cod. Vrs.* 4 *dett.*: '*in b haec non legas*' (*uidetur autem eadem omittere atque a*). 7 ea quae *a b c*: *deleuit Aldus.* 8 incipit] dimittit *ante corr. a.* 10 Antoni *a.* Origo *a.* 11 maritumae *a.* tentandas (*a*)? 13 Thesalia *a.* 14 gentium] regionum *b.* 15 tyronum *a.* 16 in Thessaliam *Aldus*: in Thesalum ire *a,* in Thessaliam ire *c*; *om. b.* 20 et *om. b.* iussit *a* 7 *dett.*, iubet *u.* 24 a praesidiis *ego,* praesidiis *codd. P.* 168. Calidone *a.* 25 relictis *codd.*, reiectis *u.* Aetholia *a.* Thessalia *b.* 27 ciuitacium *f.* Hegesaretos *a,* 'Haegesaretos *uel* Haegesartos *uel* Hages. *mss.*: *per* os *mss. omnes' praeter unum det.* 28 Petraeus *M. Hauptius,* Petreius *codd. P.* 168.

36 adolescens, suis ac suorum opibus Caesarem enixe iuuabat. Eo-
demque tempore Domitius in Macedoniam uenit; et cum ad eum
frequentes ciuitatum legationes conuenire coepissent, nuntiatum
est adesse Scipionem cum legionibus magna opinione et fama omni-
2 um: nam plerumque in nouitate fama rem excedit. Hic nullo in
loco Macedoniae moratus magno impetu tetendit ad Domitium et,
cum ab eo milia passuum XX afuisset, subito se ad Cassium Lon-
3 ginum in Thessaliam conuertit. Hoc adeo celeriter fecit, ut si-
mul abisse et uenire nuntiaretur, et quo iter expeditius faceret,
M. Fauonium ad flumen Aliacmonem, quod Macedoniam a Thes-
salia diuidit, cum cohortibus VIII praesidio impedimentis legionum
4 reliquit castellumque ibi muniri iussit. Eodem tempore equitatus
regis Cotyis ad castra Cassi aduolauit, qui circum Thessaliam
5 esse consuerat. Tum timore perterritus Cassius cognito Scipionis
aduentu uisisque equitibus, quos Scipionis esse arbitrabatur, ad
montes se conuertit, qui Thessaliam cingunt, atque ex his locis
6 Ambraciam uersus iter facere coepit. At Scipionem properantem
sequi litterae sunt consecutae a M. Fauonio, Domitium cum le-
gionibus adesse neque se praesidium, ubi constitutus esset, sine
7 auxilio Scipionis tenere posse. Quibus litteris acceptis consilium
Scipio iterque commutat; Cassium sequi desistit, Fauonio auxili-
8 um ferre contendit. Itaque die ac nocte continuato itinere ad eum
peruenit, tam opportuno tempore, ut simul Domitiani exercitus
puluis cerneretur, et primi antecursores Scipionis uiderentur. Ita
Cassio industria Domitii, Fauonio Scipionis celeritas salutem at-
37 tulit. Scipio biduum castris statiuis moratus ad flumen, quod in-
ter eum et Domitii castra fluebat, Aliacmonem, tertio die prima

1 obnixe *b*. 3 ciuitacium *f*. legiones *a*. 4 legionibus *Glareanus*, legione *a e 'mss.'* opinione *a 'mss. 4'*, et opinione *u*. 5 rem excedit *ego*, antecedit *codd. P.* 169. nullo loco *m. pr. b*. 6 tetendit *d*, tendit *a b c*. 7 affuisset *a*, abfuisset *u*. Cassium] castra *a*. 8 Thesaliam *a*. ideo *a 'mss.'* ut *om. a b*. 9 abisse *M. Hauptius*, adesse *codd. P.* 169. 10 Fabonium *a 'mss.'* Alcmonem *a*; *'sine aspir. mss. hic et infra praeter solum d, ac infra etiam'* [*d?*] *'sine aspir.'*; Haliacmonem *Aldus u*. Macedoniam et Thessaliam *b*. 11 legionum *Glareanus*, legionis *a e 'mss.'* 13 Cotyis *ego*, Cottis *a et sic 'uel* Cottys' *b c*; Cotys *u*. Cassi *a*. euolauit *b*. 14 consuerat *a b*, consueuerat *u*. cum *b*. 16 Tesaliam *a*. 17 Ambrachiam *a*. ad *cum* t *super* d *a*. 18 sequi *om. b*. 21 commutauit *b*. 23 oportuno *a*. 26 statutis *a b c*. 27 Alisacam *a et sic 'uel* Alisacum, Alisicam, Alisiacam *mss.'*; Haliacmonem *Aldus u*.

luce exercitum uado traducit et castris positis postero die mane
copias ante frontem castrorum instruit. Domitius tum quoque sibi 2
dubitandum non putauit, quin productis legionibus proelio decer-
taret. Sed cum esset inter bina castra campus circiter milium pas-
suum VI, Domitius castris Scipionis aciem suam subiecit; ille a
uallo non discedere perseuerauit. Ac tamen aegre retentis Domi- 3
tianis militibus est factum, ne proelio contenderetur, et maxime,
quod riuus difficilibus ripis subiectus castris Scipionis progressus
nostrorum impediebat. Quorum studium alacritatemque pugnandi 4
cum cognouisset Scipio, suspicatus fore, ut postero die aut inuitus
dimicare cogeretur aut magna cum infamia castris se contineret,
qui magna expectatione uenisset, temere progressus turpem ha-
buit exitum et noctu ne conclamatis quidem uasis flumen transit
atque in eandem partem, ex qua uenerat, redit ibique prope flumen
edito natura loco castra posuit. Paucis diebus interpositis noctu 5
insidias equitum collocauit, quo in loco superioribus fere diebus
nostri pabulari consuerant; et cum cotidiana consuetudine Q. Va-
rus, praefectus equitum Domitii, uenisset, subito illi ex insidiis
consurrexerunt. Sed nostri fortiter impetum eorum tulerunt, ce- 6
leriterque ad suos quisque ordines redit, atque ultro uniuersi in
hostes impetum fecerunt; ex his circiter LXXX interfectis, reliquis 7
in fugam coniectis duobus amissis in castra se receperunt. His 38
rebus gestis Domitius sperans Scipionem ad pugnam elici posse
simulauit sese angustiis rei frumentariae adductum castra mouere
uasisque militari more conclamatis progressus milia passuum III
loco idoneo et occulto omnem exercitum equitatumque collocauit.
Scipio ad sequendum paratus equitum magnam partem ad exploran- 2
dum iter Domitii et cognoscendum praemisit. Qui cum essent pro- 3

2 instruit *cod. Vrs. unusque det.*, struit *reliqui.* 6 ualle *a 'mss. 5'.* descendere *m. pr. b.* ac tamen *ego,* attamen *codd. P.* 169. 8 subiectus castris Scipionis *a 'mss.'*, castris Scipionis subiectus *u.* 11 contineret *a 'mss. plerique'*, continere *cod. Ciacconii u.* 12 expectatione *a.* 13 ne *Stephanus,* neque *a b* 5 *delt.* transiit *b.* 14 redit *a 'mss. tantum non omnes'*, rediit *u.* 17 consuerant *a c,* consueuerant *u.* 19 impetum eorum *a,* eorum impetum *edd.* 20 redit *a b,* rediit *u.* 22 duobus *a 'mss.'*, nostri duobus *u.* 23 gestis] confectis *b.* 25 militaribus *a b c.* mil. III pass. *a :* passuum *om. unus det.* 27 sequendum (*a*) e *edd. ante Graeu.*, insequendum *Graeuius u.* equitum magnam partem *ego,* equitatum magnamque partem *codd.;* equitatum magnamque partem leuis armaturae *u. P.* 169 *extr.*

gressi, primaeque turmae insidias intrauissent, ex fremitu equo-
rum inlata suspicione ad suos se recipere coeperunt, quique hos
4 sequebantur celerem eorum receptum conspicati restiterunt. No-
stri cognitis [hostium] insidiis, ne frustra reliquos expectarent,
duas nacti turmas exceperunt (in his fuit M. Opimius, praefectus
equitum), reliquos omnes earum turmarum aut interfecerunt aut
captos ad Domitium deduxerunt.

39 Deductis orae maritimae praesidiis Caesar, ut supra demon-
stratum est, III cohortes Orici oppidi tuendi causa reliquit isdem-
que custodiam nauium longarum tradidit, quas ex Italia traduxerat.
2 Huic officio oppidoque Manius Acilius legatus praeerat. Is naues
nostras interiorem in portum post oppidum reduxit et ad terram
deligauit faucibusque portus nauem onerariam submersam obiecit
et huic alteram coniunxit; super quas turrim effectam ad ipsum
introitum portus opposuit et militibus compleuit tuendamque ad
40 omnes repentinos casus tradidit. Quibus cognitis rebus Cn. Pom-
peius filius, qui classi Aegyptiae praeerat, ad Oricum uenit sub-
mersamque nauim remulco multisque contendens funibus adduxit
2 atque alteram nauem, quae erat ad custodiam ab Acilio posita,
pluribus adgressus nauibus, in quibus ad libram fecerat turres, ut
ex superiore pugnans loco integrosque semper defagitatis summit-
tens et reliquis partibus simul ex terra scalis et classe moenia op-
pidi temptans, uti aduersariorum manus diduceret, labore et mul-
3 titudine telorum nostros uicit deiectisque defensoribus, qui omnes
4 scaphis excepti refugerant, eam nauem expugnauit eodemque tem-
pore ex altera parte † molem tenuit naturalem obiectam, quae
paene insulam oppidum effecerat, IIII biremes subiectis suculis

1 turbae *a b c.* 2 inlata *a.* suspicione in suos recipere *b.* 3 receptum] conspectum *add. b.* 4 hostium *hic ponunt codd., ante* turmas (5) *Aldus et sequentes: delendum suspicatus est Oudendorpius. P.* 170; *ubi falsa de Vascosano tradidi.* expectarent *a.* 7 perduxerunt *ex uno det. u.* 9 isdemque *a,* iisdemque *u et 'sic omnes mss. uel* isdemque'. 10 transduxerat (*a*). 11 Manius Acilius *Achaintrius;* Caninianus *a,* Canianus *b* (*errore apud Oud. Leid. sec. ponitur*), Caninius *dett.;* Acilius *Faërnus u.* 12 nostri *a b.* portum *Ciaconius,* partem *codd.* 14 quas *a 'mss.',* qua *P. Manutius u. P.* 148. ipsius *b.* 17 Aegiptiae *a.* 18 nauem *a.* 19 posita *int. uers. b.* 20 adgressus *a.* 21 ex *'om. b in textu'.* superiore *Kreyssigius,* superiori (*a*) *ceterae edd.* summittens (*a*), *non* subm. 24 deiectisque *Aldus in corrig.,* defectisque *codd.* 25 eam *a b c,* etiam *u.* 26 † molem *cett. P.* 170. obiectamque paene *a* (*is* pene) *'mss.'* 27 oppidum *a b c,* contra oppidum *u.* suculis *Ciaconius,* scutulis *codd.*

inpulsas uectibus in interiorem partem traduxit. Ita ex utraque
parte naues longas adgressus, quae erant deligatae ad terram at-
que inanes, IIII ex his abduxit, reliquas incendit. Hoc confecto 5
negotio D. Laelium ab Asiatica classe abductum reliquit, qui com-
meatus Bullide atque Amantia inportari in oppidum prohibeat.
Ipse Lissum profectus naues onerarias XXX a M. Antonio relictas
intra portum aggressus omnes incendit; Lissum expugnare cona- 6
tus defendentibus ciuibus Romanis, qui eius conuentus erant, mi-
litibusque, quos praesidii causa miserat Caesar, triduum moratus
paucis in oppugnatione amissis re infecta inde discessit.

Caesar, postquam Pompeium ad Asparagium esse cognouit, **41**
eodem cum exercitu profectus expugnato in itinere oppido Parthi-
norum, in quo Pompeius praesidium habebat, tertio die in Mace-
doniam ad Pompeium peruenit iuxtaque eum castra posuit et po-
stridie eductis omnibus copiis acie instructa decernendi potestatem
Pompeio fecit. Vbi illum suis locis se tenere animaduertit, redu- 2
cto in castra exercitu aliud sibi consilium capiendum existimauit.
Itaque postero die omnibus copiis magno circuitu difficili angusto- 3
que itinere Dyrrhachium profectus est sperans Pompeium aut
Dyrrhachium compelli aut ab eo intercludi posse, quod omnem
commeatum totiusque belli apparatum eo contulisset; ut accidit.
Pompeius enim primo ignorans eius consilium, quod diuerso ab ea 4
regione itinere profectum uidebat, angustiis rei frumentariae com-
pulsum discessisse existimabat; postea per exploratores certior
factus postero die castra mouit breuiore itinere se occurrere ei
posse sperans. Quod fore suspicatus Caesar militesque adhorta- 5
tus, ut aequo animo laborem ferrent, parua parte noctis itinere
intermisso mane Dyrrhachium uenit, cum primum agmen Pompeii
procul cerneretur, atque ibi castra posuit. Pompeius interclusus **42**
Dyrrhachio, ubi propositum tenere non potuit, secundo usus con-
silio edito loco, qui appellatur Petra aditumque habet nauibus me-

1 inpulsas *a.* ita] ut *add. b.* 2 adgressus *a.* delegatae *a.* 3 adduxit *a* '*mss.* 6'. 4 Lelium *a.* 5 Bullide atque Amantia *Vascosanus,* Biblide atque Mantinea *codd.* inportari *a.* prohibeat *ego,* prohibebat *codd. P.* 171. 8 ciuibus] cum *a.* 12 in *om. a.* Partinorum *a* '*mss. quidd.*' 13 in *ante* Macedoniam *om. codd. praeter unum det.* 15 instituta *b.* 16 animum aduertit (*a*) *et cum uno det. u.* 17 capiundum *ex* 2 *dett. u.* 19 Dirrachium *a et deinceps, ubicumque tacebo.* 20 ut ab eo *a.* 21 eo *a* '*mss. plerique antiquiores*', is eo *cod. Ciacconii u.* 31 auditumque *a.*

diocrem atque eas a quibusdam protegit uentis, castra communit.
2 Eo partem nauium longarum conuenire, frumentum commeatum-
que ab Asia atque omnibus regionibus, quas tenebat, comportari
3 imperat. Caesar longius bellum ductum iri existimans et de Ita-
licis commeatibus desperans, quod tanta diligentia omnia litora a
Pompeianis tenebantur, classesque ipsius, quas hieme in Sicilia,
Gallia, Italia fecerat, morabantur, in Epirum rei frumentariae
4 causa Q. Tillium et L. Canuleium legatum misit, quodque hae
regiones aberant longius, locis certis horrea constituit uecturasque
frumenti finitimis ciuitatibus descripsit. Item Lisso Parthinisque
5 et omnibus castellis quod esset frumenti conquiri iussit. Id erat
perexiguum cum ipsius agri natura, quod sunt loca aspera et mon-
tuosa, ac plerumque frumento utuntur inportato, tum quod Pom-
peius haec prouiderat et superioribus diebus praedae loco Parthi-
nos habuerat frumentumque omne conquisitum spoliatis effossisque
43 eorum domibus per equites comportarat. Quibus rebus cognitis
Caesar consilium capit ex loci natura. Erant enim circum castra
Pompeii permulti editi atque asperi colles. Hos primum praesidiis
2 tenuit castellaque ibi communit. Inde, ut loci cuiusque natura fe-
rebat, ex castello in castellum perducta munitione circumuallare
Pompeium instituit, haec spectans, quod angusta re frumentaria
utebatur, quodque Pompeius multitudine equitum ualebat, quo mi-
nore periculo undique frumentum commeatumque exercitui sub-
3 portare posset, simul, uti pabulatione Pompeium prohiberet equi-
4 tatumque eius ad rem gerendam inutilem efficeret, tertio, ut aucto-
ritatem, qua ille maxime apud exteras nationes niti uidebatur, mi-
nueret, cum fama per orbem terrarum percrebuisset, illum a Cae-
44 sare obsideri neque audere proelio dimicare. Pompeius neque a
mari Dyrrhachioque discedere uolebat, quod omnem apparatum
belli, tela, arma, tormenta ibi collocauerat frumentumque exerci-
tui nauibus subportabat, neque munitiones Caesaris prohibere pot-
erat, nisi proelio decertare uellet; quod eo tempore statuerat non

3 atque ab omnibus *b*. 6 classeque *a*. hyeme *a*. 7 fecerant *a b*. 8 Tillium *a c*; Titium *d*, Tullium *b*. 9 aberat *a*. 10 scripsit *b*. 12 et] ac *b*. 13 importatu quod *a b* (inp. *a*). 14 prouiderat *Aldus in corrig.*, prouidebat *a 'mss. plerique'*. 15 conquisitum — domibus *in marg. ead. m. supplet a*. 16 *ante* comportarat *add.* importa *a*. 19 communit (*a*) *'mei codd.'*, communiit *Stephanus u*. 21 spectans *Stephanus*, expectans *codd.* 23 subportare *a*. 27 percrebruisset *b*. 31 subportabat *a*.

esse faciendum. Relinquebatur, ut extremam rationem belli sequens 2
quam plurimos colles occuparet et quam latissimas regiones prae-
sidiis teneret Caesarisque copias, quam maxime posset, distineret;
idque accidit. Castellis enim XXIIII effectis XV milia passuum cir- 3
cuitu amplexus hoc spatio pabulabatur; multaque erant intra eum
locum manu sata, quibus interim iumenta pasceret. Atque ut no- 4
stri perpetuas munitiones † uidebant perductas ex castellis in pro-
xima castella, ne quo loco erumperent Pompeiani ac nostros post
tergum adorirentur [timebant], ita illi interiore spatio perpetuas
munitiones efficiebant, ne quem locum nostri intrare atque ipsos a
tergo circumuenire possent. Sed illi operibus uincebant, quod et 5
numero militum praestabant et interiore spatio minorem circuitum
habebant. Quae cum erant loca Caesari capienda, etsi prohibere 6
Pompeius totis copiis et dimicare non constituerat, tamen suis lo-
cis sagittarios funditoresque mittebat, quorum magnum habebat
numerum, multique ex nostris uulnerabantur, magnusque incesse- 7
rat timor sagittarum, atque omnes fere milites aut ex coactis aut
ex centonibus aut ex coriis tunicas aut tegimenta fecerant, quibus
tela uitarent. In occupandis praesidiis magna ui uterque niteba- 45
tur: Caesar, ut quam angustissime Pompeium contineret; Pom-
peius, ut quam plurimos colles quam maximo circuitu occuparet,
crebraque ob eam causam proelia fiebant. In his cum legio Cae- 2
saris nona praesidium quoddam occupauisset et munire coepisset,
huic loco propinquum et contrarium collem Pompeius occupauit
nostrosque opere prohibere coepit et, cum una ex parte prope ae- 3
quum aditum haberet, primum sagittariis funditoribusque circum-
iectis, postea leuis armaturae magna multitudine missa tormentis-
que prolatis munitiones impediebat; neque erat facile nostris uno
tempore propugnare et munire. Caesar, cum suos ex omnibus 4
partibus uulnerari uideret, recipere se iussit et loco excedere.
Erat per decliue receptus. Illi autem hoc acrius instabant neque 5

4 idque *reliqui,* id quod (*a*)? *et cum* 2 *dett. u.* xxiv (*a*). 6 manus atque a quibus *a.* pascerent *c.* nostri *codd.*, nostri qui *Vascosanus u.* 7 uidebant *reliqui,* habebant *cod. Hotomanni u. P.* 172. 8 neque loco *a.* ac *a b,* et *u.* 9 timebant *delendum uidit Faërnus.* 10 ne quem locum *b c,* neque locum *a;* ne quo loco *u.* 15 funditores *omissa copula b.* mittebant *ante corr. a.* 17 exco-actis centonibus *b.* 19 nitebatur *d,* uidebatur *a b.* 20 angustissimae *a.* 21 maxime *a.*

regredi nostros patiebantur, quod timore adducti locum relinquere
6 uidebantur. Dicitur eo tempore glorians apud suos Pompeius di-
xisse: non recusare se, quin nullius usus imperator existimaretur,
se sine maximo detrimento legio Caesaris sese recepisset inde, quo
46 temere esset progressa. Caesar receptui suorum timens crates
ad extremum tumulum contra hostem proferri et aduersas locari,
intra has mediocri latitudine fossam tectis militibus obduci iussit
2 locumque in omnes partes quam maxime impediri. Ipse idoneis
locis funditores instruxit, ut praesidio nostris se recipientibus es-
3 sent. His rebus †completis legionem reduci iussit. Pompeiani
hoc insolentius atque audacius nostros premere et instare coepe-
runt cratesque pro munitione obiectas propulerunt, ut fossas tran-
4 scenderent. Quod cum animaduertisset Caesar, ueritus, ne non
reducti, sed reiecti uiderentur, maiusque detrimentum caperetur,
a medio fere spatio suos per Antonium, qui ei legioni praeerat,
cohortatus tuba signum dari atque in hostes impetum fieri iussit.
5 Milites legionis VIIII subito conspirati pila coniecerunt et ex infe-
riore loco aduersus cliuum incitati cursu praecipites Pompeianos
egerunt et terga uertere coëgerunt; quibus ad recipiendum crates
directae longuriique obiecti et institutae fossae magno impedimento
6 fuerunt. Nostri uero, qui satis habebant sine detrimento disce-
dere, compluribus interfectis V omnino suorum amissis quietissime
se receperunt pauloque citra eum locum aliis comprehensis colli-
47 bus munitiones perfecerunt. Erat noua et inusitata belli ratio cum
tot castellorum numero tantoque spatio et tantis munitionibus et
2 toto obsidionis genere tum etiam reliquis rebus. Nam quicumque
alterum obsidere conati sunt, perculsos atque infirmos hostes adorti
aut proelio superatos aut aliqua offensione permotos continuerunt,
3 cum ipsi numero equitum militumque praestarent; causa autem

4 legio — recepisset — (5) esset progressa *Ciacconius* (*sed male* legio nona); legiones — recepissent — essent progressae *codd.*, *nisi quod* legionum *b*. 6 aduersa *a b*. 8 impedire *b*. 10 completis] confectis *Marklandus*. legionem *Faërnus*, legiones *codd.* 14 deiecti *a b*. 15 legionem *a*. 17 conspirati *a d*, conspicati *b*. *Neque uero ego conspiratos conglobatos interpretor, sed qui animo in eundem impetum conspirauerant.* 18 cliuum *P. Manutius*, pilum *codd.* 19 egerunt] gerunt *a*. 20 derectae *b*, derete *a*. longurique *a* '*mss. plerique*'. obtecti *a*. 23 se *om. a b*. citra (*a*) *cod. Vrs.*, circa '*mss. et edd. qdd.*' 26 quicumque (*a*), *non* — cunque. 29 equitum militumque *a*, equitum *b*; militum equitumque *edd.*

obsidionis haec fere esse consueuit, ut frumento hostes prohibe-
rent. At tum integras atque incolumes copias Caesar inferiore
militum numero continebat, cum illi omnium rerum copia abunda-
rent: cotidie enim magnus undique nauium numerus conueniebat, 4
quae commeatum subportarent, neque ullus flare uentus poterat,
quin aliqua ex parte secundum cursum haberent. Ipse autem con- 5
sumptis omnibus longe lateque frumentis summis erat in angustiis.
Sed tamen haec singulari patientia milites ferebant. Recordaban- 6
tur enim eadem se superiore anno in Hispania perpessos labore et
patientia maximum bellum confecisse, meminerant ad Alesiam ma-
gnam se inopiam perpessos, multo etiam maiorem ad Auaricum
maximarum gentium uictores discessisse. Non, illis ordeum cum 7
daretur, non legumina recusabant; pecus uero, cuius rei summa
erat ex Epiro copia, magno in honore habebant. Est etiam genus 48
radicis inuentum ab iis, qui fuerant † ualeribus, quod appellatur
chara, quod admixtum lacte multum inopiam leuabat. Id ad simi-
litudinem panis efficiebant. Eius erat magna copia. Ex hoc effe- 2
ctos panes, cum in colloquiis Pompeiani famem nostris obiectarent,
uulgo in eos iaciebant, ut spem eorum minuerent. Iamque fru- 49
menta maturescere incipiebant, atque ipsa spes inopiam sustenta-
bat, quod celeriter se habituros copiam confidebant; crebraeque 2
uoces militum in uigiliis colloquiisque audiebantur, prius se cor-
tice ex arboribus uicturos, quam Pompeium e manibus dimissuros.
Libenter etiam ex perfugis cognoscebant equos eorum tolerari, 3
reliqua uero iumenta interisse; uti autem ipsos ualetudine non
bona cum angustiis loci et odore taetro ex multitudine cadauerum
et cotidianis laboribus insuetos operum tum aquae summa inopia
adfectos. Omnia enim flumina atque omnes riuos, qui ad mare 4
pertinebant, Caesar aut auerterat aut magnis operibus obstruxe-

1 prohiberent *a b c*, prohibeantur *u*. 2 tum *a b*, contra *u*. Caesari *a*. inferiores *a b et ille etiam* milites *ante corr.* 3 habundarent *a*. 5 cummeatum *a*. subportarent *a*. 6 haberent *b et unus det.*, haberet *reliqui*. 7 summis] submissis *ante corr. a*. 9 eandem *a*. Hyspania *a*. 12 maximarum *Dauisius*, maximarum se *codd.* ordeum *a 'mss. omnes'*, hordeum *u*. 14 etiam] autem *a*. 15 ab his *a*. ualeribus *a b c d*, cum Valerio *u*. *P*. 172. 16 admyxtum *a*. lacti *b*. 17 affectos *ante corr. a*. 20 inopia sustentabant *cum puncto sub altero* n *a*. 24 profugis *b*. eos *b*. tolerari *codd.*, uix tolerari *P. Manutius u*. 25 ualitudine *a*. 26 bona — multitudine *om. a, nisi praeterea* (25) non *abesse Beyerlium fugit*. 28 adfectos *a*.

rat, atque ut erant loca montuosa et ad specus angustiae uallium,
has sublicis in terram demissis praesepserat terramque adiecerat,
5 ut aquam contineret. Itaque illi necessario loca sequi demissa ac
palustria et puteos fodere cogebantur atque hunc laborem ad coti-
diana opera addebant; qui tamen fontes a quibusdam praesidiis
6 aberant longius et celeriter aestibus exarescebant. At Caesaris
exercitus optima ualetudine summaque aquae copia utebatur, tum
commeatus omni genere praeter frumentum abundabat; quibus co-
tidie melius † subterere tempus maioremque spem maturitate fru-
50 mentorum proponi uidebant. In nouo genere belli nouae ab utris-
que bellandi rationes reperiebantur. Illi, cum animaduertissent ex
ignibus nocte cohortes nostras ad munitiones excubare, silentio
adgressi uniuersi intra multitudinem sagittas coniciebant et se con-
2 festim ad suos recipiebant. Quibus rebus nostri usu docti haec
reperiebant remedia, ut alio loco ignes facerent . . . . .

. . . .

. . . .

. . . .

51 Interim certior factus P. Sulla, quem discedens castris praefece-
rat Caesar, auxilio cohorti uenit cum legionibus duabus; cuius
2 aduentu facile sunt repulsi Pompeiani. Neque uero conspectum
aut impetum nostrorum tulerunt, primisque deiectis reliqui se uer-
terunt et loco cesserunt. Sed insequentes nostros, ne longius pro-
3 sequerentur, Sulla reuocauit. At plerique existimant, si acrius
4 insequi uoluisset, bellum eo die potuisse finire. Cuius consilium
reprehendendum non uidetur. Aliae enim sunt legati partes atque
imperatoris: alter omnia agere ad praescriptum, alter libere ad
5 summam rerum consulere debet. Sulla a Caesare castris relictus

1 ad specus] *P.* 172 *extr.* 2 dimissis *codd. praeter unum det.* adiecerat *a b,* aggesserat *u.* 3 contineret *a b,* continerent *u.* ita *a 'mss.* 2', atque *b.* dimissa *a 'mss. plerique'.* 6 erant *b.* 9 subterere *a d,* subterrere *b;* succedere *u. P.* 173. 11 repperiebantur *a.* animum aduertissent *cum uno det. u.* 13 aggressi 5 *dett.,* aduersi *reliqui.* uniuersi *ego,* uniuersas *codd. P.* 173 *extr.* inter *d.* coiciebant *a.* 14 reiciebant *a.* 15 repperiebantur *a.* *Lacunam post* facerent *Aldus notauit. P.* 161. 19 Sylla (*a*) *et deinceps.* 20 cohortu *ante corr. a.* 22 reliquis euerterunt *a.* 23 insequentis, *'ut fere semper', b.* prosequentur *a.* 25 sequi uoluissent *b.* finire *a b,* finiri *u.* 26 reprehendum *a.* 28 relictis *ante corr. a.*

liberatis suis hoc fuit contentus neque proelio decertare uoluit,
quae res tamen fortasse aliquem reciperet casum, ne imperatorias
sibi partes sumpsisse uideretur. Pompeianis magnam res ad rece- 6
ptum difficultatem adferebat. Nam ex iniquo progressi loco in
summo constiterant: si per decliue sese reciperent, nostros ex su- 7
periore insequentes loco uerebantur; neque multum ad solis occa-
sum temporis supererat: spe enim conficiendi negotii prope in no-
ctem rem duxerant. Ita necessario atque ex tempore capto con- 8
silio Pompeius tumulum quendam occupauit, qui tantum aberat a
nostro castello, ut telum tormento missum adigi non posset. Hoc
consedit loco atque eum communiuit omnesque ibi copias continuit.
Eodem tempore duobus praeterea locis pugnatum est: nam plura 52
castella Pompeius pariter distinendae manus causa temptauerat,
ne ex proximis praesidiis succurri posset. Vno loco Volcatius 2
Tullus impetum legionis sustinuit cohortibus tribus atque eam loco
depulit; altero Germani munitiones nostras egressi compluribus
interfectis sese ad suos incolumes receperunt. Ita uno die VI 53
proeliis factis, tribus ad Dyrrhachium, tribus ad munitiones, cum
horum omnium ratio haberetur, ad duorum milium numero ex
Pompeianis cecidisse reperiebamus, euocatos centurionesque com-
plures (in eo fuit numero Valerius Flaccus, L. filius, eius, qui 2
praetor Asiam obtinuerat); signaque sunt militaria sex relata.
Nostri non amplius XX omnibus sunt proeliis desiderati. Sed in 3
castello nemo fuit omnino militum, quin uulneraretur, quattuor-
que ex una cohorte centuriones oculos amiserunt. Et cum laboris 4
sui periculique testimonium adferre uellent, milia sagittarum cir-
citer XXX in castellum coniecta Caesari renumerauerunt, scuto-
que ad eum relato Scaeuae centurionis inuenta sunt in eo forami-

3 magnam *P. Manutius,* magna *a 'mss. plerique'.* 4 adferebat *a.* 5 recipere *a.* 7 temporis supererat *a edd. ante u,* supererat temporis *sine annotatione u.* 8 duxerant *b* 5 *dett.,* deduxerant *reliqui.* atque] et *b.* 10 tormento 4 *dett.;* tormentum *a,* tormentorum *b;* tormentumue *u.* 11 communiuit *a b,* communiit *u.* 19 duorum milia *a,* duo milia *'mss. plerique'.* 20 repperiebamus *a.* 21 Val. *a.* eius *om. c.* 22 militaria sex *a Stephanus,* sex militaria *ceterae edd.* 24 qui *b.* quattuorque *a, non* quatuorque. 26 periculi *omissa copula a b.* adferre *a.* milia sagittarum circiter xxx] centum ac triginta milia *Sueton. Caes.* 68. 27 castellam *a.* contexta *a b c.* renumerauerunt *Scaliger;* remunerauerunt *a et sic aut* 'numerau. renunciau. *mss. quidam'.*

5 na CXX. Quem Caesar, ut erat de se meritus et de republica,
donatum milibus CC † atque ab octauis ordinibus ad primipilum se
traducere pronuntiauit (eius enim opera castellum magna ex parte
6 conseruatum esse constabat) cohortemque postea duplici stipendio,
frumento † uespeciariis militaribusque donis amplissime donauit.
54 Pompeius noctu magnis additis munitionibus reliquis diebus turres
extruxit et in altitudinem pedum XV effectis operibus uineis eam
2 partem castrorum obtexit et quinque intermissis diebus alteram
noctem subnubilam nactus obstructis omnibus *rebus* castrorum
portis et ad impediendum obiectis tertia inita uigilia silentio exer-
citum eduxit et se in antiquas munitiones recepit.

55 Aetolia, Acarnania, Amphilochis per Cassium Longinum et
Caluisium Sabinum, ut demonstrauimus, receptis temptandam sibi
Achaiam ac paulo longius progrediendum existimabat Caesar.
Itaque eo Calenum misit eique Sabinum et Cassium cum cohorti-
2 bus adiungit. Quorum cognito aduentu Rutilius Lupus, qui Acha-
iam missus a Pompeio obtinebat, Isthmum praemunire instituit,
3 ut Achaia Fufium prohiberet. Calenus Delphos, Thebas, Orcho-
menum uoluntate ipsarum ciuitatum recepit, nonnullas urbes per
uim expugnauit, reliquas ciuitates circummissis legationibus ami-
citia Caesari conciliare studebat. In his rebus fere erat Fufius
occupatus.

56 Omnibus deinceps diebus Caesar exercitum in aciem aequum

1 cxx 2 *dett.*, ccxx *a b c*; ccxxx *u*. *Secutus sum consensum Val. Max. III*, 2, 23. *Sueton. Caes.* 68. *Flor. IV*, 2, 40. *Appian. II*, 60: cxxx *Plut. Caes.* 16. 2 militibus cc *a*. atque *codd.*, aeris *u*. *Vtrum ante* atque *quaedam exciderint, ut Elberlingio uisum est, an post id uocabulum, incertum est.* ordinibus] militibus *a illo suprascripto.* primipilum '*mei codd.*', primum pilum (*a*)? *et* '*antiquus cardinalis Borromaei*' *Ald. nep.* 3 opere *b*, ope *a* '*mei* 5'. 4 esse *om. b*. 5 frumento uespeciariis *a e*, 'frumentoue speciariis *mss. mei*'; frumentoue et speciariis *u*. militibusque *b*. 7 extruxit *a*. 9 obstructis *b c*, obstruxit *a*; extructis *u*. rebus *ego suppleui. P.* 174. 10 initia *a*. 12 *Caput* 55 *aptius post* 56 *legeretur.* Aetholia *a*. Amfilochis *a*, Amphilocis '*mss. qdd.*' Cas. *a*. et *om. a b*. 13 ut] supra *add. b*. 14 Achaiam] existimabat *add. b*. 15 Calenum *a b*, Fufium Calenum *u* (*sed* Kalenum *contra codd. et hic et deinceps*). eique *Glandorpius*, et q. *a*; et Q. *edd. P.* 154. 17 sthumum *a et sic aut* stumum '*mss.*' 18 fluuium *a b c*. Thebas *Scaliger*, Thebas et *a* '*mss. plerique*'. Orchomenum *Aldus*, Orcomeneum *a et sic* '*uel* Orcomoneum *b*'. 19 ciuitacium *f*. 20 amicitiae '*forte b*'. 21 Caesari (*a*) *Hotomannus*, Caesaris *reliqui*. Fusius *a*.

in locum produxit, si Pompeius proelio decertare uellet, ut paene
castris Pompei legiones subiceret; tantumque a uallo eius prima
acies aberat, uti ne telo tormentoue adici posset. Pompeius autem, 2
ut famam opinionemque hominum teneret, sic pro castris exerci-
tum constituebat, ut tertia acies uallum contingeret, omnis quidem
instructus exercitus telis ex uallo abiectis protegi posset. Haec 57
cum in Achaia atque apud Dyrrhachium gererentur, Scipionemque
in Macedoniam uenisse constaret, non oblitus pristini instituti Cae-
sar mittit ad eum *A.* Clodium, suum atque illius familiarem, quem
ab illo traditum initio et commendatum in suorum necessariorum
numero habere instituerat. Huic dat litteras mandataque ad eum; 2
quorum haec erat summa: Sese omnia de pace expertum nihil ad-
huc arbitrari uitio factum eorum, quos esse auctores eius rei uo-
luisset, quod sua mandata perferre non opportuno tempore ad Pom-
peium uererentur. Scipionem ea esse auctoritate, ut non solum 3
libere quae probasset exponere, sed etiam ex magna parte com-
pellere atque errantem regere posset; praeesse autem suo nomine
exercitui, ut praeter auctoritatem uires quoque ad coërcendum ha-
beret. Quod si fecisset, quietem Italiae, pacem prouinciarum, sa- 4
lutem imperii uni omnes acceptam relaturos. Haec ad eum man- 5
data Clodius refert ac primis diebus, ut uidebatur, libenter auditus
reliquis ad colloquium non admittitur castigato Scipione a Fauo-
nio, ut postea confecto bello reperiebamus, infectaque re sese ad
Caesarem recepit. Caesar, quo facilius equitatum Pompeianum ad 58
Dyrrhachium contineret et pabulatione prohiberet, aditus duos,
quos esse angustos demonstrauimus, magnis operibus praemuniuit
castellaque his locis posuit. Pompeius, ubi nihil profici equitatu 2
cognouit, paucis intermissis diebus rursum eum nauibus ad se intra
munitiones recipit. Erat summa inopia pabuli, adeo ut foliis ex 3

1 pene (*a*). 2 Pompei *a*. subicere *a b*. 3 ne *a b c*, ne in eam *u*. telo tormentoue *reliqui codd.*, telo tormentumue *a silente de extremo Beyerlio*; telum tormentumue *Stephanus u*. adici *Scaliger*, adigi *codd. Non acies, sed ad aciem adici potuisse negatur.* Pompeius — (6) posset *om. b*. 4 opinionemque *a* 5 *dett.*, et opinionem *u*. si *a*. 6 abiectis *'mss. omnes'*, proiectis *a*. 9 A. *suppleuit Marklandus*. 12 experta *a b*. 13 uitio factum *a edd. ante Scal.*, factum uitio *Scaliger u*. 14 oportuno *a*. 16 ex magna *a*; magna ex *u et 'sic mss., non* ex m.' ? compellare *a 'mss. 3'*. 18 cohercendum *a*. 20 imperii *Stephanus*, imperio *a b*. relatione *ante corr. a*. 23 repperiebamus *a*. 26 angustissimos *b*. 29 recepit *'mss. et edd. qdd.'*

arboribus strictis et teneris harundinum radicibus contusis equos
alerent (frumenta enim, quae fuerant intra munitiones sata, con-
4 sumpserant); cogebantur Corcyra atque Acarnania longo inter-
iecto nauigationis spatio pabulum subportare, quodque erat eius
rei minor copia, hordeo adaugere atque his rationibus equitatum
5 tolerare. Sed postquam non modo hordeum pabulumque omnibus
locis herbaeque desectae, sed etiam frons ex arboribus deficiebat,
corruptis equis macie conandum sibi aliquid Pompeius de eruptione
59 existimauit. Erant apud Caesarem equitum numero Allobroges II
fratres, Raucillus et Egus, Adbucilli filii, qui principatum in ciui-
tate multis annis obtinuerat, singulari uirtute homines, quorum
opera Caesar omnibus Gallicis bellis optima fortissimaque erat
2 usus. His domi ob has causas amplissimos magistratus mandaue-
rat atque eos extra ordinem in senatum legendos curauerat agros-
que in Gallia ex hostibus captos praemiaque rei pecuniariae magna
3 tribuerat locupletesque ex egentibus fecerat. Hi propter uirtutem
non solum apud Caesarem in honore erant, sed etiam apud exer-
citum cari habebantur; sed freti amicitia Caesaris et stulta ac bar-
bara arrogantia elati despiciebant suos stipendiumque equitum
4 fraudabant et praedam omnem domum auertebant. Quibus illi re-
bus permoti uniuersi Caesarem adierunt palamque de eorum iniu-
riis sunt questi et ad cetera addiderunt falsum ab his equitum nu-
60 merum deferri, quorum stipendium auerterent. Caesar neque
tempus illut animaduersionis esse existimans et multa uirtuti eo-
rum concedens rem totam distulit; illos secreto castigauit, quod
quaestui equites haberent, monuitque, ut ex sua amicitia omnia
2 expectarent et ex praeteritis suis officiis reliqua sperarent. Ma-
gnam tamen haec res illis offensionem et contemptionem ad omnes
attulit, idque ita esse cum ex aliorum obiectationibus tum etiam

1 arboris *b.* tenera *a b.* harundinum *a b, non* ar. 3 cogebantur *a b,* et cogebantur *u.* Corcina *a,* a Corcyra *b.* 4 subportare *a.* quodque *unus det.,* quoque *reliqui. P.* 58. 5 adiungere *ante corr. a.* 7 desectae — ex arboribus *om. b.* frons *Cellarius,* fructus *codd. P.* 55. deficiebat *a c,* deficiebant *b d.* 9 equitum *a b c,* ex equitum *u.* 10 Raucillus *a b c,* Roscilius *u.* Egus *a* '*mss.*', Aegus *Aldus u.* Adbuci *a:* 'Abducilli, Abucilli, Adbucilii, Adbualli *mss.*' ciuitatem *b c.* 12 Gallis *a c.* 14 ordinẽs *a,* ordines *b.* 15 ex] et *a.* 24 illut *a.* aduersionis *a c.* 26 quaestu *b.* 27 expectarent *a.* 29 obiectionibus *ante corr. a.* etiam] aut *b* (*i. e.* autem).

ex domestico iudicio atque animi conscientia intellegebant. Quo 3
pudore adducti et fortasse non se liberari, sed in aliud tempus re-
seruari arbitrati discedere a nobis et nouam temptare fortunam
nouasque amicitias experiri constituerunt. Et cum paucis collo- 4
cuti clientibus suis, quibus tantum facinus committere audebant,
primum conati sunt praefectum equitum C. Volusenum interfi-
cere, ut postea bello confecto cognitum est, ut cum munere aliquo
perfugisse ad Pompeium uiderentur; postquam id difficilius uisum 5
est, neque facultas perficiendi dabatur, quam maximas potuerunt
pecunias mutuati, proinde ac suis satisfacere et fraudata restituere
uellent, multis coëmptis equis ad Pompeium transierunt cum iis,
quos sui consilii participes habebant. Quos Pompeius, quod erant **61**
honesto loco nati et instructi liberaliter magnoque comitatu et
multis iumentis uenerant uirique fortes habebantur et in honore
apud Caesarem fuerant, quodque nouum et praeter consuetudinem
acciderat, omnia sua praesidia circumduxit atque ostentauit. Nam 2
ante id tempus nemo aut miles aut eques a Caesare ad Pompeium
transierat, cum paene cotidie a Pompeio ad Caesarem perfugerent,
uulgo uero uniuersi in Epiro atque Aetolia conscripti milites ea-
rumque regionum omnium, quae a Caesare tenebantur. Sed hi 3
cognitis omnibus rebus, seu quid in munitionibus perfectum non
erat, seu quid a peritioribus rei militaris desiderari uidebatur,
temporibusque rerum et spatiis locorum, custodiarum uaria dili-
gentia animaduersa, prout cuiusque eorum, qui negotiis praeerant,
aut natura aut studium ferebat, haec ad Pompeium omnia detule-
runt. Quibus ille cognitis eruptionisque iam ante capto consilio, **62**
ut demonstratum est, tegimenta galeis milites ex uiminibus facere
atque aggerem iubet comportare. His paratis rebus magnum nu- 2
merum leuis armaturae et sagittariorum aggeremque omnem noctu
in scaphas et naues actuarias inponit et de media nocte cohortes
LX ex maximis castris praesidiisque deductas ad eam partem mu-
nitionum ducit, quae pertinebant ad mare longissimeque a maxi-

2 liberare *a*. 4 amicitias experiri *a*, experiri amicitias *edd.* collocutis *a*. 6 interfecere *ante corr. a*. 8 facilius *a b et m. pr. c*. 10 proinde ‘*omnes*’, perinde (*a*). 11 cum his *a*. 15 fuerunt ‘*mss. 6*’. 16 *post* praesidia *repetit* sua *a*. 18 pene (*a*). 20 hic *a*. 23 custodiarum *ego*, in custodiarum *a b c d*: et custodiarum *u*. uiria *a b d*, uir *uacuo spatio excipiente e*. 25 detulerant *a* ‘*mss. plerique et uetustiores*’. 28 iubet comportare *a*, comportare iubet *edd.* comparatis *b*. 30 inponit *a*. 31 ex] et *a*.

3 mis castris Caesaris aberant. Eodem naues, quas demonstraui-
mus aggere et leuis armaturae militibus completas, quasque ad
Dyrrhachium naues longas habebat, mittit et, quid a quoque fieri
4 uelit, praecipit. Ad eas munitiones Caesar Lentulum Marcelli-
num quaestorem cum legione VIIII positum habebat. Huic, quod
ualetudine minus commoda utebatur, Fuluium Postumum adiuto-
63 rem summiserat. Erat eo loco fossa pedum XV et uallum contra
hostem in altitudinem pedum X, tantundemque eius ualli agger in
2 latitudinem patebat: ab eo intermisso spatio pedum DC alter con-
uersus in contrariam partem erat uallus humiliore paulo munitione.
3 Hoc enim superioribus diebus timens Caesar, ne nauibus nostri
circumuenirentur, duplicem eo loco fecerat uallum, ut, si ancipiti
4 proelio dimicaretur, posset resisti. Sed operum magnitudo et con-
tinens omnium dierum labor, quod milia passuum in circuitu [mu-
5 nitiones] XVII erat complexus, perficiendi spatium non dabat. Ita-
que contra mare transuersum uallum, qui has duas munitiones
coniungeret, nondum perfecerat. Quae res nota erat Pompeio, de-
lata per Allobrogas perfugas, magnumque nostris attulerat incom-
6 modum. Nam ut ad mare nostrae cohortes nonae legionis excu-
buerant, accessere subito prima luce Pompeiani [exercitus aduen-
tus extitit]; simul nauibus circumuecti milites in exteriorem ual-
lum tela iaciebant, fossaeque aggere complebantur, et legionarii
interioris munitionis defensores scalis admotis tormentis cuiusque
generis telisque terrebant, magnaque multitudo sagittariorum ab
7 utraque parte circumfundebatur. Multum autem ab ictu lapidum,
quod unum nostris erat telum, uiminea tegimenta galeis inposita
8 defendebant. Itaque cum omnibus rebus nostri premerentur atque

3 a quoque] atque *b*. 4 uellet *b*. praecepit *a b*. Marcellum *a b c*. 5 legiones *a*, legionibus *b*. praepositum *c*. 6 ualitudine *a*. Postumum *a*, 'Postumium *uel* Posthumium *mss. et edd. qdd.*' 7 summiserat *a*, *non* subm. pedes *a b*. uallum *a b d*, uallus *Aldus u*. 8 tantumdemque (a). 9 altitudinem *b*. 10 paululum *b*. 11 nostris *a*. 14 mil. pass. *a 'mss. nonnulli'*. munitiones XVII '*mss. plerique*'; XVII munitiones *a*, XVII munitione *Clarkius u: uncos Oudendorpii suasu posui.* 17 coniungeret *Ciacconius*, contingeret *codd.* 18 Allobrogas *a c*, *non* Allobroges. attulerat *a b*, attulit *u*. 19 nostrae] n *c*. nonae legiones *b*, nona legiones *a*. excubauerant *b*. 20 exercitus aduentus exstitit *a b d* 3 *dett*, exercitus nouusque eorum aduentus exstitit *u: uncos ego circumdedi. P.* 174 (extitit *a*). 21 simul] ex *errore add. u.* 23 munitiones *a*. 26 inposita *a*.

aegre resisterent, animaduersum est uitium munitionis, quod supra
demonstratum est, atque inter duos uallos, qua perfectum opus
non erat, per mare nauibus expositi in auersos nostros impetum
fecerunt atque ex utraque munitione deiectos terga uertere coëge-
runt. Hoc tumultu nuntiato Marcellinus cohortes subsidio nostris 64
laborantibus submittit ex castris; quae fugientes conspicatae ne-
que illos suo aduentu confirmare potuerunt neque ipsae hostium
impetum tulerunt. Itaque quodcumque addebatur subsidio, id cor- 2
ruptum timore fugientium terrorem et periculum augebat: homi-
minum enim multitudine receptus impediebatur. In eo proelio cum 3
graui uulnere esset affectus aquilifer et a uiribus deficeretur, con-
spicatus equites nostros, 'Hanc ego', inquit, 'et uiuus multos per
annos magna diligentia defendi et nunc moriens eadem fide Cae-
sari restituo. Nolite, obsecro, committere, quod ante in exercitu 4
Caesaris non accidit, ut rei militaris dedecus admittatur, incolu-
memque ad eum deferte'. Hoc casu aquila conseruatur omnibus
primae cohortis centurionibus interfectis praeter principem prio-
rem. Iamque Pompeiani magna caede nostrorum castris Marcel- 65
lini adpropinquabant non mediocri terrore inlato reliquis cohorti-
bus, et M. Antonius, qui proximum locum praesidiorum tenebat, 2
ea re nuntiata cum cohortibus XII descendens ex loco superiore
cernebatur. Cuius aduentus Pompeianos compressit nostrosque
firmauit, ut se ex maximo timore colligerent. Neque multo post 3
Caesar significatione per castella fumo facta, ut erat superioris
temporis consuetudo, deductis quibusdam cohortibus ex praesidiis
eodem uenit. Qui cognito detrimento cum animaduertisset Pom- 4
peium extra munitiones egressum, ut libere pabulari posset nec
minus aditum nauibus haberet, commutata ratione belli, quoniam
propositum non tenuerat, castra secundum mare iuxta Pompeium
munire iussit. Qua perfecta munitione animaduersum est a specu- 66
latoribus Caesaris cohortes quasdam, quod instar legionis uideretur,

1 resistere *a*. 3 expositis *a* '*mss. qdd.*' auersos *Faërnus*, aduersos *codd.* nostri *a b c*. 4 deletos *a*. 5 Marcellus *a b c*. 6 ex castris quae *Heldius*, ex castrisque *a b*; quae ex castris *u*. fugentes *a*. conspicati *b*. 8 quodcunque (*a*). adebatur *a*. 12 inquid *a*. 13 magno *a*. 16 referte *b*. 19 adpropinquabant *a*. inlato *a*. 27 fabulari *a b*. 29 castra secundum mare *hic collocaui*, *post* egressum (27) *ponunt codd. P.* 175. 30 ab *ex uno det. u.* 31 uideretur] ualeret *supra ascriptis* ur *a*, ualerent *b*.

2 esse post siluam et in uetera castra duci. Castrorum hic situs
erat. Superioribus diebus nona Caesaris legio, cum se obie-
cisset Pompeianis copiis atque opere, ut demonstrauimus, circum-
3 muniret, castra eo loco posuit. Haec siluam quandam continge-
4 bant neque longius a mari passibus CCC aberant. Post mutato
consilio quibusdam de causis Caesar paulo ultra eum locum castra
transtulit, paucisque intermissis diebus eadem Pompeius occupaue-
rat et, quod eo loco plures erat legiones habiturus, relicto inte-
5 riore uallo maiorem adiecerat munitionem. Ita minora castra
6 inclusa maioribus castelli atque arcis locum obtinebant. Item ab
angulo castrorum sinistro munitionem ad flumen perduxerat circi-
ter passus CCCC, quo liberius a periculo milites aquarentur. Sed
is quoque mutato consilio quibusdam de causis, quas commemorari
7 necesse non est, eo loco excesserat. Ita complures dies manse-
67 rant castra; munitiones quidem omnes integrae erant. Eo signo
legionis inlato speculatores Caesari rem nuntiarunt. Hoc idem ui-
2 sum ex superioribus quibusdam castellis confirmauerunt. Is locus
aberat a nouis Pompeii castris circiter passus quingentos. Hanc
legionem sperans Caesar se opprimere posse et cupiens eius diei
detrimentum sarcire reliquit in opere † cohortes duas, quae spe-
3 ciem munitionis praeberent; ipse diuerso itinere quam potuit oc-
cultissime reliquas cohortes, numero XXXIII, in quibus erat legio
nona multis amissis centurionibus deminutoque militum numero,
4 ad legionem Pompei castraque minora duplici acie eduxit. Neque
eum prima opinio fefellit. Nam et peruenit prius, quam Pompeius
sentire posset, et tametsi erant munitiones castrorum magnae,
tamen sinistro cornu, ubi erat ipse, celeriter adgressus Pompeia-
5 nos ex uallo deturbauit. Erat obiectus portis ericius. Hic pau-
lisper est pugnatum, cum inrumpere nostri conarentur, illi castra

1 reduci *b*. 2 non *a*, II *b* (*i. e.* ñ). legio *super uers. a*. 3 opera *ex* 4 *dett. u. P.* 176. 5 ccc *a b c*, CD *u*. 6 quibus *a*. Caesar *om. a*. 7 eadem *a b*, eadem haec *reliqui*. 8 erant *a*. 10 castellis *a b*. 12 liberius a periculo *a b et, qui* liberi, *c*; liberius ac sine periculo *u*. 13 his quoque *a*, hocque *b*. 15 omnes integrae *a*, integrae omnes *edd*. 16 inlato *a*. rem nuntiarunt *ego*, renuntiarunt *codd*. 17 confirmauerunt *ego*, confirmauerant *codd*. *P*. 177. his *a*. 20 resarcire *b*. reliquid *a*. † cohortes duas] *P*. 177. 21 qua *b*. 23 non *a*. centum *a b*. diminutoque *a 'mss. plerique'*. 24 Pompei *a*. castra minora *b*. eduxit *a b c*, duxit *u*. 26 et tametsi] etiam etsi *a*, aut etsi *b*. 27 adgressus *a*. 28 ualle *b*. 29 inrumpere *a*.

defenderent fortissime Tito Pulione, cuius opera proditum exer-
citum C. Antoni demonstrauimus, e loco propugnante. Sed tamen 6
nostri uirtute uicerunt excisoque ericio primo in maiora castra,
post etiam in castellum, quod erat inclusum maioribus castris, in-
ruperunt et, quod eo pulsa legio sese receperat, nonnullos ibi re-
pugnantes interfecerunt. Sed fortuna, quae plurimum potest cum 68
in reliquis rebus tum praecipue in bello, paruis momentis magnas
rerum commutationes efficit; ut tum accidit. Munitionem, quam 2
pertinere a castris ad flumen supra demonstrauimus, dextri Cae-
saris cornus cohortes ignorantia loci sunt secutae, cum portam
quaererent castrorumque eam munitionem esse arbitrarentur.
Quod cum esset animaduersum coniunctam esse flumini, prorutis 3
munitionibus defendente nullo transcenderunt, omnisque noster
equitatus eas cohortes est secutus. Interim Pompeius hac satis 69
longa interiecta mora et re nuntiata V legiones ab opere deductas
subsidio suis duxit, eodemque tempore equitatus eius nostris equi-
tibus adpropinquabat, et acies instructa a nostris, qui castra oc-
cupauerant, cernebatur, omniaque sunt subito mutata. Legio 2
Pompeiana celeris spe subsidii confirmata ab decumana porta re-
sistere conabatur atque ultro in nostros impetum faciebat. Equi-
tatus Caesaris, quod angusto itinere per aggeres ascendebat, re-
ceptui suo timens initium fugae faciebat. Dextrum cornu, quod 3
erat a sinistro seclusum, terrore equitum animaduerso, ne intra
munitionem opprimeretur, ea parte, quam proruerat, sese recipie-
bat, ac plerique ex his, ne in angustias inciderent, *ex* X pedum
munitione se in fossas praecipitabant, primisque oppressis reliqui

1 fortissimeque *a*. Tito *a*, T. *u*. Pulione *a b*, Pulcione *u*. 2 Antoni *a*. *ante* demonstrauimus *add.* supra *b*. 4 inruperunt *a*. 5 et *om. a b*. pugnantes *b*. 6 cum] tum *b*. 8 quae *a*, qua *b*. 10 cornus *Aldus*, cornu (*a*) *u*. 11 castrorum eam *b*. 12 coniuncta *a b*. prorutis *Ciacconius*, prout his *a c cod. Vrs.*; protinus his *u*. 15 v *supra ascripta* a *a*. legiones — deductas *ego*; legione — deducta *b c et*, *qui secundum Beyerlii silentium* legionem, *a*; legionem — deductam *u*. *P*. 179. 17 adpropinquabat *a*. 18 legio Pompeiana *a*; Pompeiana enim legio *edd.*, *sed* enim *om. b* 2 *dett.* 19 celeris *Faërnus*, celeri *a* '*mss. plerique*' (*nam* ceteri *typothetae debentur*). 20 conabatur *Stephanus*, conatur *a* '*mss. plerique*'. ultra *a*. 21 ascendebat (*a*). 23 animaduersi *b*. 24 ea parte, quam proruerat *ego*; ex parte, qua proruebat *codd. P*. 179. 25 his *a edd. ante Ald.*, iis *Aldus u*. ex x pedum munitione *ego*, x pedum munitionis *codd. P*. 179. 26 praecipitabant *P. Manutius*, praecipitant *a* '*mss. tantum non omnes*'.

4 per horum corpora salutem sibi atque exitum pariebant. Sinistro
cornu milites, cum ex uallo Pompeium adesse et suos fugere cer-
nerent, ueriti, ne angustiis intercluderentur, cum extra et intus
hostem haberent, eodem, quo uenerant, receptu sibi consulebant,
omniaque erant tumultus, timoris, fugae plena, adeo ut, cum Cae-
sar signa fugientium manu prenderet et consistere iuberet, alii
[dimissis equis] eundem cursum coniungerent, alii ex metu etiam
70 signa dimitterent, neque quisquam omnino consisteret. His tantis
malis haec subsidia succurrebant, quo minus omnis deleretur exer-
citus, quod Pompeius insidias timens, credo, quod haec praeter
spem acciderant eius, qui paulo ante ex castris fugientes suos con-
spexerat, munitionibus adpropinquare aliquamdiu non audebat,
equitesque eius angustiis [portis] atque his ab Caesaris militibus
2 occupatis ad insequendum tardabantur. Ita paruae res magnum in
utramque partem momentum habuerunt. Munitiones enim a castris
ad flumen perductae expugnatis iam castris Pompei propriam ex-
peditamque Caesaris uictoriam interpellauerunt, eadem res celeri-
71 tate insequentium tardata nostris salutem attulit. Duobus his unius
diei proeliis Caesar desiderauit milites DCCCCLX et *equites* . . .
Tuticanum Gallum, senatoris filium, notos equites Romanos C.
Fleginatem Placentia, A. Granium Puteolis, M. Sacratiuirum
2 Capua, tribunos militum et centuriones XXXII; sed horum omni-
um pars magna in fossis munitionibusque et fluminis ripis op-
pressa suorum in terrore ac fuga sine ullo uulnere interiit: signa-
3 que sunt militaria amissa XXXII. Pompeius eo proelio imperator
est appellatus. Hoc nomen optinuit atque ita se postea salutari

3 extra intus *a*. 4 receptu *Vascosanus*, receptui *codd*. *P*. 179 *extr*. 5 plenum *a*. 6 prenderet *a b*, prehenderet *u*. 7 [dimissis equis] *P*. 180. coniungerent *ego*, confugerent *a b cod. Vrs*. 5 *dett*.; conficerent *u*. etiam *om*. *b*. 8 consistere *a*. 12 adpropinquare *a*. aliquandiu (*a*). 13 angustis portis atque his (*a*) *b d* 6 *dett*., angustiis portisque *Aldus u*. *P*. 181; *ubi non recte* 4 *dett*. *posui*. ad *a*, a *edd*. 15 utraque parte *b*. 16 Pompei *a*. expeditamque *a b c*, et expeditam *u*. 19 Caesar *Aldus*, Caesaris *codd*. et equites . . . Tuticanum Gallum, senatoris filium, notos equites Romanos *ego*; et notos equites R. Felginatem Tuticanum Gallum, senatoris filium *u cum optimis, sed* Flegmatem *a*, Fleginatem *b*. *P*. 156. 21 Fleginatem *b*, Flecmatem *a*; Felginatem *u*. 24 in terrore *a b*, terrore *u*. interit *a*. 25 amissa XXXII *a*, XXXII amissa *edd*. 26 optinuit *a*. postea] post modum *b*. salutur *a*.

passus neque in litteris, quas scribere est solitus, neque in fasci-
bus insignia laureae praetulit. At Labienus, cum ab eo impetra- 4
uisset, ut sibi captiuos tradi iuberet, omnes productos ostentatio-
nis, ut uidebatur, causa, quo maior perfugae fides haberetur,
commilitones appellans et magna uerborum contumelia interro-
gans, solerentne ueterani milites fugere, in omnium conspectu
interfecit.

His rebus tantum fiduciae ac spiritus Pompeianis accessit, ut 72
non de ratione belli cogitarent, sed uicisse iam uiderentur. Non 2
illi paucitatem nostrorum militum, non iniquitatem loci atque an-
gustias praeoccupatis castris et ancipitem terrorem intra extraque
munitiones, non abscisum in duas partes exercitum, cum altera
alteri auxilium ferre non posset, causae fuisse cogitabant. Non 3
ad haec addebant non concursu acri facto, non proelio dimicatum,
sibique ipsos multitudine atque angustiis maius attulisse detrimen-
tum, quam ab hoste accepissent. Non denique communis belli ca- 4
sus recordabantur, quam paruulae saepe causae uel falsae suspi-
cionis uel terroris repentini uel obiectae religionis magna detri-
menta intulissent, quotiens uel culpa ducis uel tribuni uitio in exer-
citu esset offensum; sed, proinde ac si uirtute uicissent, neque
ulla commutatio rerum posset accidere, per orbem terrarum fama
ac litteris uictoriam eius diei concelebrabant. Caesar a superiori- 73
bus consiliis depulsus omnem sibi commutandam belli rationem
existimauit. Itaque uno tempore praesidiis omnibus deductis et
oppugnatione dimissa coactoque in unum locum exercitu contionem
apud milites habuit hortatusque est, ne ea, quae accidissent, gra- 2
uiter ferrent neue his rebus terrerentur multisque secundis proe-
liis unum aduersum et id mediocre opponerent. Habendam fortu- 3

1 passus *a b*, passus est *u*. neque (*ante* in litteris) *ego*, sed *a b* 5 *dett.*; sed neque *u*. 2 ad Labienus *a*, ad Labienum *b*. impetrauisset] peteret *b*. 3 productos *Stephanus*, reductos *a* '*mss.* 4'. 4 causa *inter uers. b*. profugae *d*. 6 soleretne *a*. 7 interfecit *a* '*mss. et edd. qdd.*', interficit *u*. 9 iam *a b*, iam sibi *u*. 10 atque in angustias *a b c*. 12 abscisum *a b*, abscissum *u*. partis *cum* '*mss. aliquot*' *u*. altera alteri (*a*) 3 *dett.*, alter alteri *reliqui*. 13 fuisse *om. b*. 14 concursu *Morus*, ex concursu *codd.* agri *a b*. 16 communis *unus det.*, communi *a b*; communes *u*. 17 recordabant *a*. 19 quotiens *a*. ducis uitio uel culpa tribuni *a*. exercitum *c*. 22 ab *cum* 2 *dett. u*. 25 concionem (*a*). 26 acciderant *b*.

nae gratiam, quod Italiam sine aliquo uulnere cepissent, quod duas
Hispanias bellicosissimorum hominum peritissimis atque exercita-
tissimis ducibus pacauissent, quod finitimas frumentariasque pro-
uincias in potestatem redegissent; denique recordari debere, qua
felicitate inter medias hostium classes oppletis non solum portibus,
4 sed etiam litoribus omnes incolumes essent transportati. Si non
omnia caderent secunda, fortunam esse industria subleuandam.
Quod esset acceptum detrimenti, cuiusuis potius quam suae culpae
5 debere tribui. Locum se aecum ad dimicandum dedisse, potitum
esse hostium castris, expulisse ac superasse pugnantes. Sed siue
ipsorum perturbatio siue error aliquis siue etiam fortuna partam
iam praesentemque uictoriam interpellauisset, dandam omnibus
6 operam, ut acceptum incommodum uirtute sarciretur. Quod si
esset factum, detrimentum in bonum uerteret, uti ad Gergouiam
accidisset, atque ei, qui ante dimicare timuissent, ultro se proelio
74 offerrent. Hac habita contione nonnullos signiferos ignominia no-
2 tauit ac loco mouit. Exercitu quidem omni tantus incessit ex in-
commodo dolor tantumque studium infamiae sarciendae, ut nemo
aut tribuni aut centurionis imperium desideraret, et sibi quisque
etiam poenae loco grauiores inponeret labores, simulque omnes
arderent cupiditate pugnandi, cum superioris etiam ordinis non-
nulli ratione permoti manendum eo loco et rem proelio committen-
3 dam existimarent. Contra ea Caesar neque satis militibus perter-
ritis confidebat spatiumque interponendum ad recreandos animos
putabat, *et* relictis munitionibus magnopere rei frumentariae time-
75 bat. Itaque nulla interposita mora sauciorum modo et aegrorum
habita ratione impedimenta omnia silentio prima nocte ex castris
Apolloniam praemisit. Haec conquiescere ante iter confectum ue-

1 coepissent *a.* 2 Hyspanias *a.* 6 etiam] aut *b.* littoribus *a.* essent *om. b.* transportatis iñ omnia *a,* transportati sin omnia *b.* 7 fortuna — subleuanda *a b.* 8 cuiusuis *codd. praeter paucos dett.,* eius iuri *u.* 9 se aecum *Victorius,* secum *a b c d.* potitum] se *add. a b.* 11 aliqui *c.* etiam] aut *b.* partem *a.* 14 factum] ut *add. a b. P.* 181. uerteretur *b.* 15 ei *a et sic aut* 'eis, is, hi *mss. quidam*', ii *u.* 16 concione (*a*). 17 monuit *a b.* exercitui *codd. et edd. P.* 150. 19 centuriones *a.* 20 pene *a.* inponeret *a.* 21 arderent] in *add. a b.* etiam] autem *b.* 22 ratione *a* '*mss.* 5', oratione *u. P.* 182. 25 et relictis *Iurinius,* relictis *a b;* relictisque *u. P.* 183. 26 Graecorum *c.* 27 impedimenta *om. a b.* 28 haec *a b c,* ac *u.*

tuit. His una legio missa praesidio est. His explicitis rebus duas 2
in castris legiones retinuit, reliquas de quarta uigilia compluribus
portis eductas eodem itinere praemisit paruoque spatio intermisso,
ut et militare institutum seruaretur, et quam serissime eius pro-
fectio cognosceretur, conclamari iussit statimque egressus et no-
uissimum agmen consecutus celeriter ex conspectu castrorum dis-
cessit. Neque uero Pompeius cognito consilio eius moram ullam 3
ad insequendum intulit; sed † eadem spectans, si itinere impeditos
perterritos deprehendere posset, exercitum e castris eduxit equi-
tatumque praemisit ad nouissimum agmen demorandum neque con-
sequi potuit, quod multum expedito itinere antecesserat Caesar.
Sed cum uentum esset ad flumen Genusum, quod ripis erat impe- 4
ditis, consecutus equitatus nouissimos proelio detinebat. Huic suos 5
Caesar equites opposuit expeditosque antesignanos admiscuit CCCC;
qui tantum profecerunt, ut equestri proelio commisso pellerent
omnes compluresque interficerent ipsique incolumes se ad agmen re-
ciperent. Confecto iusto itinere eius diei, quod proposuerat, Cae- **76**
sar traductoque exercitu flumen Genusum *in* ueteribus suis castris
contra Asparagium consedit militesque omnes intra castrorum mu-
nitionem continuit equitatumque per causam pabulandi emissum
confestim decumana porta in castra se recipere iussit. Simili ra- 2
tione Pompeius confecto eius diei itinere in suis ueteribus castris
ad Asparagium consedit. Eius milites, quod ab opere integris mu-
nitionibus uacabant, alii lignandi pabulandique causa longius pro-
grediebantur, alii, quod subito consilium profectionis ceperant
magna parte impedimentorum et sarcinarum relicta, ad haec repe-
tenda inuitati propinquitate superiorum castrorum depositis in con-
tubernio armis uallum relinquebant. Quibus ad sequendum inpe- 3
ditis Caesar, quod fore prouiderat, meridiano fere tempore signo
profectionis dato exercitum educit duplicatoque eius diei itinere
VIII milia passuum ex eo loco procedit; quod facere Pompeius dis-

4 serissime *Scaliger,* suetissime *a b c d.* 6 secutus *b.* 8 † eadem] *P.* 183. exspectans *b.* si in itinere *b.* 9 perterritos *a b c,* et perterritos *u.* ex *b.* 11 expedimento *a.* 13 nouissimo *b.* 16 ipsique *a 'mss. mei'*, ipsi *cod. Urs. u.* 18 in *ego; om. a b c, post* suis *ponit u.* 19 castrorum munitionem *b et m. pr. c,* castrorum *a;* uallum castrorum *ceteri.* 22 eius diei *a 'mss. 4'*, eiusdem diei *u.* 23 eius milites *a b c,* eiusque milites *u.* 24 ligandi *a.* 25 aliquid subito *b.* 26 magna in parte *a.* 28 inpeditis *a.* 31 milia 4 *dett.,* mil. *a 'alii'.* passum *a.*

77 cessu militum non potuit. Postero die Caesar similiter praemissis
prima nocte impedimentis de quarta uigilia ipse egreditur, ut, si
qua esset imposita dimicandi necessitas, subitum casum expedito
2 exercitu subiret. Hoc idem reliquis fecit diebus. Quibus rebus
perfectum est, ut altissimis fluminibus atque impeditissimis itineri-
3 bus nullum acciperet incommodum. Pompeius primi diei mora in-
lata et reliquorum dierum frustra labore suscepto, cum se magnis
itineribus extenderet et praegressos consequi cuperet, quarto die
finem sequendi fecit atque aliud sibi consilium capiendum existi-
78 mauit. Caesari ad saucios deponendos, stipendium exercitui dan-
dum, socios confirmandos, praesidium urbibus relinquendum ne-
2 cesse erat adire Apolloniam. Sed his rebus tantum temporis tri-
buit, quantum erat properanti necesse: timens Domitio, ne ad-
uentu Pompeii praeoccuparetur, ad eum omni celeritate et studio
3 incitatus ferebatur. Totius autem rei consilium his rationibus ex-
plicabat, ut, si Pompeius eodem contenderet, abductum illum a
mari atque ab iis copiis, quas Dyrrhachii comparauerat, frumento
ac commeatu abstractum pari condicione belli secum decertare co-
4 geret; si in Italiam transiret, coniuncto exercitu cum Domitio per
Illyricum Italiae subsidio proficisceretur; si Apolloniam Oricum-
que obpugnare et se omni marituma ora excludere conaretur, ob-
5 sesso Scipione necessario illum suis auxilium ferre cogeret. Itaque
praemissis nuntiis ad Cn. Domitium Caesar scripsit et, quid fieri
uellet, ostendit praesidioque Apolloniae cohortibus IIII, Lissi I, III
Orici relictis quique erant ex uulneribus aegri depositis per Epi-
6 rum atque Athamaniam iter facere coepit. Pompeius quoque de
Caesaris consilio coniectura iudicans ad Scipionem properandum
sibi existimabat: si Caesar iter illo haberet, ut subsidium Scipioni
ferret; si ab ora marituma Oricoque discedere nollet, quod legio-

1 postera *b.* 3 subito *b.* expedita *b.* 4 exercitus *a b.* 6 Pompeius *a,* Pompeius enim *edd.* inlata *a.* 7 reliquis diebus *b.* 8 praegressos (*a*) *unus det.,* progressos *reliqui.* quarta *a 'mss. plerique'.* 11 *ante* praesidium *add.* et *b.* *ante* reliquendum *add.* imponendum *b.* 12 ire *b et* ad *initio suprascripto a.* 13 timens *a b c,* timensque *u.* 14 omnem *a.* 15 incitatus *om. b.* 17 ab his *a.* Dyrrachii *a.* 18 conditione (*a*). 20 si *'mss. 4' iidemque 'plerique et optimi',* sin (*a*) *u.* 21 (obpugnare *a*) expugnare *b.* et si omni *a.* marituma *a.* obsesso *a b,* obsesso tamen *u.* 23 Caesari *a.* 24 cohortium *a b.* 26 Athamaniam *Drumannus,* Acarnaniam *codd. P.* 178 *et Plut. Pomp.* 66. 28 subsidium] auxilium *b.* 29 marituma *a.* Oricoque *ego,* Coriciaque *a b;* Corcyraque *u. P.* 183.

nes equitatumque ex Italia expectaret, ipse ut omnibus copiis Do-
mitium adgrederetur. His de causis uterque eorum celeritati stu- 79
debat, et suis ut esset auxilio, et ad opprimendos aduersarios ne
occasioni temporis deesset. Sed Caesarem Apollonia a directo iti- 2
nere auerterat; Pompeius per Candauiam iter in Macedoniam
expeditum habebat. Accessit etiam ex improuiso aliut incommo- 3
dum, quod Domitius, qui dies complures castris Scipionis castra
collata habuisset, rei frumentariae causa ab eo discesserat et He-
racliam [Senticam], quae est subiecta Candauiae, iter fecerat, ut
ipsa fortuna illum obicere Pompeio uideretur. Haec ad id tempus
Caesar ignorabat. Simul a Pompeio litteris per omnes prouincias 4
ciuitatesque dimissis proelio ad Dyrrhachium facto latius inflatius-
que multo, quam res erat gesta, fama percrebuerat: pulsum fugere
Caesarem paene omnibus copiis amissis. Haec itinera infesta red-
diderat, haec ciuitates nonnullas ab eius amicitia auertebat. Qui- 5
bus accidit rebus, ut pluribus dimissi itineribus a Caesare ad Do-
mitium et a Domitio ad Caesarem nulla ratione iter conficere pos-
sent. Sed Allobroges, Raucilli atque Egi familiares, quos perfu- 6
gisse ad Pompeium demonstrauimus, conspicati in itinere explora-
tores Domitii seu pristina sua consuetudine, quod una in Gallia
bella gesserant, seu gloria elati cuncta, ut erant acta, exposuerunt
et Caesaris profectionem, aduentum Pompei docuerunt. A quibus 7
Domitius certior factus uix IIII horarum spatio antecedens hostium
beneficio periculum uitauit et ad Aeginium, quod est oppidum op-
positum Thessaliae, Caesari uenienti occurrit. Coniuncto exercitu 80
Caesar Gomphos peruenit, quod est oppidum primum Thessaliae

1 spectaret *a b.* 2 adgrederetur *a.* his *a edd. priores,* iis *P. Manutius u.* 3 et *ante* ad *om.* '*mss.* 6'. 4 occasioni *Vascosanus,* occasione *a b c.* Apollonia '*mss. meliores et plerique*', Apolloniam *a* '*mei* 3'. 'a dir. *uel* a derecto' *b d,* a erecto *a.* 6 etiam] autem *a b c.* aliut *a.* 7 qui *om. a b.* 8 Heracliam *a,* Heracleam *u.* 9 Senticam *spurium iudicauit Cellarius.* 10 fortuna obiicere eum Pomp. *b.* 12 missis *b.* proelio — facto *a c,* proelium — factum *b;* de proelio — facto *Scaliger u.* lacius inflaciusque *a.* 14 pene *a.* reddiderat (*a*) 4 *dett. u* (*fuerat* reddiderant). 15 auertebat *a b,* auerterat *u.* 16 ut] in *a.* dimissi *Stephanus,* dimissis *codd.* 17 a Domitio *a* '*mss. et edd. qdd.*', ab Domitio *u.* 18 Rouici *a b c,* Roscilli *u.* atque] et *b.* Egi *b,* Eci *a,* Eti *c;* Aegi *u.* 19 in *om. a* '*mss.* 4'. 22 aduentum *a c,* et aduentum *u.* Pompei *a.* 23 VI .X. IIII *a.* 24 Eginium '*mss.*' oppidum oppositum *ego,* obiectum oppositumque *codd. P.* 184. 26 Gonphos *a.* Thesaliae *a.*

uenientibus ab Epiro; quae gens paucis ante mensibus ultro ad
Caesarem legatos miserat, ut suis omnibus facultatibus uteretur,
2 praesidiumque ab eo militum petierat. Sed eo fama iam praecur-
rerat, quam supra docuimus, de proelio Dyrrhachino, quod multis
3 auxerat partibus. Itaque Androsthenes, praetor Thessaliae, cum
se uictoriae Pompei comitem esse mallet quam socium Caesaris in
rebus aduersis, omnem ex agris multitudinem seruorum ac libero-
rum in oppidum cogit portasque praecludit et ad Scipionem Pom-
peiumque nuntios mittit, ut sibi subsidio ueniant: se confidere
munitionibus oppidi, si celeriter succurratur; longinquam oppugna-
4 tionem sustinere non posse. Scipio discessu exercituum ab Dyr-
rhachio cognito Larisam legiones adduxerat; Pompeius nondum
Thessaliae adpropinquabat. Caesar castris munitis scalas muscu-
losque ad repentinam oppugnationem fieri et crates parari iussit.
5 Quibus rebus effectis cohortatus milites docuit, quantum usum ha-
beret ad subleuandam omnium rerum inopiam potiri oppido pleno
atque opulento, simul reliquis ciuitatibus huius urbis exemplo in-
ferre terrorem et id fieri celeriter, priusquam auxilia concurre-
6 rent. Itaque usus singulari militum studio eodem, quo uenerat,
die post horam nonam oppidum altissimis moenibus oppugnare ad-
gressus ante solis occasum expugnauit et ad diripiendum militibus
concessit statimque ab oppido castra mouit et Metropolim uenit,
81 sic ut nuntios expugnati oppidi famamque antecederet. Metropo-
litae primum eodem usi consilio isdem permoti rumoribus portas
clauserunt murosque armatis compleuerunt; sed postea casu ciui-
tatis Gomphensis cognito ex captiuis, quos Caesar ad murum pro-
2 ducendos curauerat, portas aperuerunt. Quibus diligentissime con-
seruatis collata fortuna Metropolitum cum casu Gomphensium nulla
Thessaliae fuit ciuitas praeter Larisaeos, qui † magnis exercitibus
Scipionis tenebantur, quin Caesari parerent atque imperata face-

1 Epyro *a*. 3 petierat] occeperat *b*. 4 Dyrrachino *a*. 5 auxerant *b c*. Androstenes *a*. dum *b*. 6 Pompei *a*. 10 longinquamque *a*. expugnationem *b*. 11 exercitus *c*. ab Dyrrhachio *unus det.*; ad Dirrachio *a*, ad Dyrrachium *b*; a Dyrrhachio *reliqui*. 12 Larisam *a*, Larissam *u*. 13 adpropinquabat *a*. 20 muris *b*. adgressus *a*. 23 nuntius *b*. expugnanti *ante corr. a*, expugnandi *b*. oppidum *b*. autecedere *a*. 24 primo *ante corr. a*. isdem *a*, iisdem *u*. 26 Gomphensis *Ciacconius*; 'comprehensis *uel* comprensis *mss. mei*', compressis *a*, compressae *b*. 28 Gomfensium *a*, *qui cum b c add.* uenit. 29 Larisá eos *a*; Larissam eosque *b*, Larissaeos *u*. † magnis exercitibus] *P*. 184.

rent. Ille idoneum locum in agris nactus . . ., quae prope iam ma- 3
tura erant, ibi aduentum expectare Pompei eoque omnem belli ra-
tionem conferre constituit.

Pompeius paucis post diebus in Thessaliam peruenit contio- 82
natusque apud cunctum exercitum suis agit gratias, Scipionis mi-
lites cohortatur, ut parta iam uictoria praedae ac praemiorum ue-
lint esse participes, receptisque omnibus in una castra legionibus
suum cum Scipione honorem partitur classicumque apud eum cani
et alterum illi iubet praetorium tendi. Auctis copiis Pompei duo- 2
busque magnis exercitibus coniunctis pristina omnium confirmatur
opinio, et spes uictoriae augetur, adeo ut, quidquid intercederet
temporis, id morari reditum in Italiam uideretur, et si quando quid 3
Pompeius tardius aut consideratius faceret, unius esse negotium
diei, sed illum delectari imperio et consulares praetoriosque ser-
uorum habere numero dicerent. Iamque inter se palam de prae- 4
miis ac sacerdotiis contendebant in annosque consulatum definie-
bant, alii domos bonaque eorum, qui in castris erant Caesaris, pe-
tebant; magnaque inter eos in consilio fuit controuersia, oporte- 5
retne Lucili Hirri, quod is a Pompeio ad Parthos missus esset,
proximis comitiis praetoriis absentis rationem haberi, cum eius
necessarii fidem implorarent Pompei, praestaret, quod proficiscenti
recepisset, ne per eius auctoritatem deceptus uideretur, reliqui, in
labore pari ac periculo ne unus omnes antecederet, recusarent.
Iam de sacerdotio Caesaris Domitius, Scipio Spintherque Lentu- 83
lus cotidianis contentionibus ad grauissimas uerborum contumelias
palam descenderunt, cum Lentulus aetatis honorem ostentaret,
Domitius urbanam gratiam dignitatemque iactaret, Scipio adfini-
tate Pompei confideret. Postulauit etiam L. Afranium proditionis 2
exercitus Acutius Rufus apud Pompeium, quod gestum in Hispania
diceret. Et L. Domitius in consilio dixit placere sibi bello con- 3
fecto ternas tabellas dari ad iudicandum iis, qui ordinis essent se-

1 ille *a b c* 3 *dett.*, ille segetis *u.* *lacunam ego notaui: excidere potuit* copia frumentorum. 2 erant *a b c* 4 *dett.*, erat *u.* expectare Pompei *a.* belli rationem *a,* rationem belli *edd.* 4 concionatusque (*a*). 9 (Pompei *a*) *om. b.* 15 palam *om. b.* 17 patebant *a.* 19 Lucili *ego,* Luci *a;* L. *u.* *P.* 136. Hirrii *c.* arthos *a c,* asthos *b.* 21 necessari *a.* Pompei *a.* 23 labore] honore *b.* 24 Spintherque *Aldus,* Spinther Q. *a b c d.* 27 adfinitate Pompei *a.* 28 etiam] autem *b.* 29 Acutius *a b c,* Attius *u.* 31 tabulas *b.* is *a.*

natorii belloque una cum ipsis interfuissent sententiasque de sin-
gulis ferrent, qui Romae remansissent quique intra praesidia Pom-
4 pei fuissent neque operam in re militari praestitissent: unam fore
tabellam, qui liberandos omni periculo censerent; alteram, qui ca-
5 pitis damnarent; tertiam, qui pecunia multarent. Postremo omnes
aut de honoribus suis aut de praemiis pecuniae aut de persequen-
dis inimicitiis agebant nec, quibus rationibus superare possent,
sed, quemadmodum uti uictoria deberent, cogitabant.

84 Re frumentaria praeparata confirmatisque militibus et satis
longo spatio temporis a Dyrrhachinis proeliis intermisso, quo satis
perspectum habere militum animum uideretur, temptandum Caesar
existimauit, quidnam Pompeius propositi aut uoluntatis ad dimi-
2 candum haberet. Itaque ex castris exercitum eduxit aciemque
instruxit, primo suis locis pauloque a castris Pompei longius, con-
tinentibus uero diebus, ut progrederetur a castris suis collibusque
Pompeianis aciem subiceret. Quae res in dies confirmatiorem eius
3 exercitum efficiebat. Superius tamen institutum in equitibus, quod
demonstrauimus, seruabat, ut, quoniam numero multis partibus
esset inferior, adulescentes atque expeditos ex antesignanis electis
[milites] ad pernicitatem armis inter equites proeliari iuberet, qui
cotidiana consuetudine usum quoque eius generis proeliorum per-
4 ciperent. His erat rebus effectum, ut equitum mille etiam apertio-
ribus locis VII milium Pompeianorum inpetum, cum adesset usus,
sustinere auderent neque magnopere eorum multitudine terreren-
5 tur. Namque etiam per eos dies proelium secundum equestre fecit
atque unum Allobrogem ex duobus, quos perfugisse ad Pompeium
85 supra docuimus, cum quibusdam interfecit. Pompeius, qui castra
in colle habebat, ad infimas radices montis aciem instruebat sem-
per, ut uidebatur, expectans, si iniquis locis Caesar se subiceret.
2 Caesar nulla ratione ad pugnam elici posse Pompeium existimans

2 Pompei *a*. 5 dampnarent *a*. 7 inimicitiis *a c*, inimicis (*b*). ne *a*. 9 comparata *b*. 10 intermissi *a*. 11 perspectis *ante corr. a*. animum *om. a 'mss.* 3'. Caesar *om. a*. 14 primo *a c*, primum *u*. Pompei *a*. 16 confirmationis *a b*. 19 adulescentes *a*. ex *om. b*. electis *a 'mss.* 6', electos *u*. 20 [milites] *P.* 184. iubet *a 'mss.* 4'. 22 effectus *b*. equitum *a b* 4 *dett.*, equites *u*. etiam apertioribus *a*, apertioribus etiam *edd.* 23 milia *a*. inpetum *a*. 26 uncum *a*. 27 qui *a b*, quia *u*. 28 colle] monte *b*. 29 exspectans *a 'mss.'*, spectans *P. Manutius u* (exp. *a*). 30 Caesar *om. a b*. eligi *a*. Pompeius *a*.

hanc sibi commodissimam belli rationem iudicauit, uti castra ex
eo loco moueret semperque esset in itineribus, haec spectans, ut
mouendis castris pluribusque adeundis locis commodiore re frumen-
taria uteretur, simulque in itinere ut aliquam occasionem dimicandi
nancisceretur et insolitum ad laborem Pompei exercitum cotidianis
itineribus defatigaret. His constitutis rebus signo iam profectionis 3
dato tabernaculisque detensis animaduersum est paulo ante extra
cotidianam consuetudinem longius a uallo esse aciem Pompei pro-
gressam, ut non iniquo loco posse dimicari uideretur. Tunc Cae- 4
sar apud suos, cum iam esset agmen in portis, ‘Differendum est’,
inquit, ‘iter in praesentia nobis et de proelio cogitandum, sicut
semper depoposcimus. Animo simus ad dimicandum parati: non
facile occasionem postea reperiemus’ confestimque expeditas co-
pias educit. Pompeius quoque, ut postea cognitum est, suorum **86**
omnium hortatu statuerat proelio decertare. Namque etiam in
consilio superioribus diebus dixerat, priusquam concurrerent acies,
fore, uti exercitus Caesaris pelleretur. Id cum essent plerique ad- 2
mirati, ‘Scio me’, inquit, ‘paene incredibilem rem polliceri; sed
rationem consilii mei accipite, quo firmiore animo in proelium prod-
eatis. Persuasi equitibus nostris (idque mihi facturos confirma- 3
uerunt), ut, cum propius sit accessum, dextrum Caesaris cornu
ab latere aperto adgrederentur et circumuenta ab tergo acie prius
perturbatum exercitum pellerent, quam a nobis telum in hostem
iaceretur. Ita sine periculo legionum et paene sine uulnere bellum 4
conficiemus. Id autem difficile non est, cum tantum equitatu ualea-
mus’. Simul denuntiauit, ut essent animo parati in posterum et, 5
quoniam fieret dimicandi potestas, ut saepe cogitauissent, ne usu
manuque reliquorum opinionem fallerent. Hunc Labienus excepit **87**

2 haec *a b*, hoc *u*. spectans *Stephanus*, sperans *codd. P.* 185. 3 commodiore re frumentaria *ego*; commodio re frumentarie *a*, commodo rei frumentariae *b*; commodiore frumentaria re *u*. 4 dimicandi *om. b*. 5 Pompei *a*. 6 fatigaret *b*. 7 animum aduersum *a*. ante — consuetudinem *om. b*. extra [consuetudinem | conditionem] longius *a*. 8 Pompei *a*. 11 inquid *a*. sicut semper *Aldus*, si ut semper *a b c*. 12 simus *P. Manutius*, sumus *a b c*. 13 repperiemus *a*. 14 cognitum] compertum *b*. 15 etiam] autem *b*. 16 diebus *om. a*. 17 pelleretur *om. a b*, expugnaretur *c*. 18 inquid pene *a*. 19 in *om. a b*. 20 mihi] inibi *a b*. facturos *a b* 3 *dett.* ‘*alii*’, se facturos *u*. 22 adgrederentur *a*. et *a b*, ut *u*. 24 pene *a*. 27 sepe *a*, semper *b*. 28 manu *a b e*, manuum *d. P.* 186.

et, cum Caesaris copias despiceret, Pompei consilium summis lau-
2 dibus efferret, 'Noli', inquit, 'existimare, Pompei, hunc esse exer-
citum, qui Galliam Germaniamque deuicerit. Omnibus interfui
3 proeliis neque temere incognitam rem pronuntio. Perexigua pars
illius exercitus superest; magna pars deperiit, quod accidere tot
proeliis fuit necesse, multos autumni pestilentia in Italia consum-
psit, multi domum discesserunt, multi sunt relicti in continenti.
4 An non audistis ex iis, qui per causam ualetudinis remanserunt,
5 cohortes esse Brundisi factas? Hae copiae, quas uidetis, ex de-
lectibus horum annorum in citeriore Gallia sunt refectae, et ple-
rique sunt ex coloniis Transpadanis. Ac tamen quod fuit roboris
6 duobus proeliis Dyrrhachinis interiit'. Haec cum dixisset, iurauit
se nisi uictorem in castra non reuersurum reliquosque, ut idem fa-
cerent, hortatus est. Hoc laudans Pompeius idem iurauit; nec
7 uero ex reliquis fuit quisquam, qui iurare dubitaret. Haec cum
facta sunt in consilio, magna spe et laetitia omnium discessum est;
ac iam animo uictoriam praecipiebant, quod de re tanta et a tam
88 perito imperatore nihil frustra confirmari uidebatur. Caesar, cum
Pompei castris adpropinquasset, ad hunc modum aciem eius instru-
ctam animaduertit. Erant in sinistro cornu legiones duae traditae
a Caesare initio dissensionis ex senatusconsulto; quarum una
prima, altera tertia appellabatur. In eo loco ipse erat Pompeius.
2 Mediam aciem Scipio cum legionibus Syriacis tenebat. Ciliciensis
legio coniuncta cum cohortibus Hispanis, quas traductas ab Afra-
3 nio docuimus, in dextro cornu erant collocatae. Has firmissimas
se habere Pompeius existimabat. Reliquas inter aciem mediam
4 cornuaque interiecerat numeroque cohortes CX expleuerat. Haec
erant milia XLV, euocatorum circiter duo, quae ex beneficiariis
superiorum exercituum ad eum conuenerant; quae tota acie disper-
serat. Reliquas cohortis VII in castris propinquisque castellis prae-

1 Pompei *a.* 7 continentia *a b.* 8 exaudistis *a b* 4 *dett.* his *a.* ualitudinis *a.* 9 Brundisi *a.* dilectibus *b,* dilectis *a;* delectu *c.* 11 coloniis (*a*) *b,* colonis *u.* ac tamen *a b,* attamen *u.* 12 Dyrrachenis *b.* 13 non *om. b.* 16 sunt *a* '*mss. omnes*', essent *u.* omnium *om. b.* 18 *ante* nihil *add.* et *a.* 19 Pompei *a.* adpropinquasset *a.* 20 animum aduertit *a* 2 *dett. u.* 22 tertia] *P.* 121. 23 Siriacis *a.* Cilicensis *a* '*mss.* 4'. 24 Aeronio *a,* Acronio *b,* Exonio *pr. et* Petronio *sec. m. c.* 25 his *a.* 26 acies *a.* 27 interiecerant *a b.* 29 conuerterant *a* '*mss.* 4'. 30 reliquasque *b.* cohortis *a.* in castris *a b c,* castris *u.*

sidio disposuerat. Dextrum cornu eius riuus quidam impeditis ripis 5
muniebat; quam ob causam cunctum equitatum, sagittarios funditoresque omnes sinistro cornu obiecerat. Caesar superius institu- **89**
tum seruans X legionem in dextro cornu, nonam in sinistro collocauerat, tametsi erat Dyrrhachinis proeliis uehementer adtenuata, et huic sic adiunxit octauam, ut paene unam ex duabus efficeret,
atque alteram alteri praesidio esse iusserat. Cohortes in acie LXXV 2
constitutas habebat, quae summa erat milium XXII; cohortes II castris praesidio reliquerat. Sinistro cornu Antonium, dextro P. Sullam, media acie Cn. Domitium praeposuerat. Ipse contra
Pompeium constitit. Simul his rebus animaduersis, quas demon- 3
strauimus, timens, ne a multitudine equitum dextrum cornu circumueniretur, celeriter ex tertia acie singulas cohortes detraxit atque ex his quartam instituit equitatuique opposuit et, quid fieri uellet, ostendit monuitque eius diei uictoriam in earum cohortium
uirtute constare. Simul tertiae aciei totique exercitui imperauit, 4
ne iniussu suo concurreret: se, cum id fieri uellet, uexillo signum
daturum. Exercitum cum militari more ad pugnam cohortaretur **90**
suaque in eum perpetui temporis officia praedicaret, inprimis com-
memorauit: Testibus se militibus uti posse, quanto studio pacem 2
petisset; quae per Vatinium in colloquiis, quae per Aulum Clodium cum Scipione egisset, quibus modis ad Oricum cum Libone de mit-
tendis legatis contendisset. Neque se umquam abuti militum san- 3
guine neque rempublicam alterutro exercitu priuare uoluisse. Hac 4
habita oratione exposcentibus militibus et studio pugnae ardentibus
tuba signum dedit. Erat Crastinus euocatus in exercitu Caesaris, **91**
qui superiore anno apud eum primum pilum in legione X duxerat, uir singulari uirtute. Hic signo dato, 'Sequimini me', inquit, 'manipulares mei qui fuistis, et uestro imperatori quam consti-
tuistis operam date. Vnum hoc proelium superest; quo confecto 2
et ille suam dignitatem et nos nostram libertatem recuperabimus'.

3 sinistro *a b c*, in sinistro *u*. 4 nonam] non iam *a*. 5 erat — attenuata *c cod. Vrs.* 3 *dett.*, erant — attenuatae *a 'alii'* (adt. *a*). Dyrracinis *a*. 6 et huic *a reliqui*, huic *d* 3 *dett.* adiunxit] ad *a b*. pene *a*. 7 LXXV *a secundum Achaintrium*, LXXX *a secundum Beyerlium et edd. P.* 154. 8 mil. *a*. 10 Syllam (*a*). Cn. Domitium — (13) acie *om. a*. 17 iniusso *b*. 19 perpetuum *a*. in primis (*a*). 21 Aulum *a*, A. *u*. Clodium (*a*) *Stephanus*, Claudium *'mss. omnes'*. 23 umquam *a*, *non* unq. 28 inquid *a*.

3 Simul respiciens Caesarem, 'faciam', inquit, 'hodie, imperator, ut
aut uiuo mihi aut mortuo gratias agas'. Haec cum dixisset, pri-
mus ex dextro cornu procucurrit, atque eum electi milites circiter
92 CXX uoluntarii eiusdem centuriae sunt prosecuti. Inter duas acies
tantum erat relictum spatii, ut satis esset ad concursum utriusque
exercitus. Sed Pompeius suis praedixerat, ut Caesaris impetum
exciperent neue se loco mouerent aciemque eius distrahi pateren-
2 tur; idque admonitu C. Triarii fecisse dicebatur, ut primus ex-
cursus uisque militum infringeretur, aciesque distenderetur, atque
in suis ordinibus dispositi dispersos adorirentur; leuiusque casura
pila sperabat in loco retentis militibus, quam si ipsi inmissis telis
occucurrissent, simul fore, ut duplicato cursu Caesaris milites
3 exanimarentur et lassitudine conficerentur. Quod nobis quidem
nulla ratione factum a Pompeio uidetur, propterea quod est
quaedam animi incitatio atque alacritas naturaliter innata omnibus,
quae studio pugnae incenditur. Hanc non reprimere, sed augere
inperatores debent; neque frustra antiquitus institutum est, ut
signa undique concinerent, clamoremque uniuersi tollerent; quibus
93 rebus et hostes terreri et suos incitari existimauerunt. Sed nostri
milites dato signo cum infestis pilis procucurrissent atque animad-
uertissent non concurri a Pompeianis, usu periti ac superioribus
pugnis exercitati sua sponte cursum represserunt et ad medium
fere spatium constiterunt, ne consumptis uiribus adpropinquarent,
paruoque intermisso temporis spatio ac rursus renouato cursu pila
miserunt celeriterque, ut erat praeceptum a Caesare, gladios
2 strinxerunt. Neque uero Pompeiani huic rei defuerunt. Nam et
tela missa exceperunt et impetum legionum tulerunt et ordines
3 conseruarunt pilisque missis ad gladios redierunt. Eodem tempore
equites ab sinistro Pompei cornu, ut erat imperatum, uniuersi pro-
cucurrerunt, omnisque multitudo sagittariorum se profudit; quo-
rum impetum noster equitatus non tulit, sed paulatim loco motus

1 inquid *a*. 5 utrisque *a*. 6 ut] ne *d*. 10 leniusque (*a*)? 11 pilas parebat *a*. inmissis *a*. 12 occucurrissent *a*, occurrissent *edd*. 13 exanimarentur *Aldus*, existimarentur *a b et suprascripto* exaestuarent *c*. *ante* et *add*. quod *a b*. 14 uideretur *a b*. 17 inperatores *a*. 20 procucurrissent (*a*) *c*, procurrissent *'alii'*. animum aduertissent *a*. 23 adpropinquarent *a*. 24 pila] tela *b*. 26 defuerant *a b*. 28 conseruarunt *a 'mss*. 3', conseruauerunt *u*. 29 equites *om*. *b*. Pompei *a*. procucurrerunt (*a*) *c*, procurr. *'alii'*. 31 paulatim *unus det*.; paulo de *b*, paulum *reliqui*. *P*. 186.

cessit: equitesque Pompei hoc acrius instare et se turmatim ex-
plicare aciemque nostram a latere aperto circumire coeperunt.
Quod ubi Caesar animaduertit, quartae aciei, quam instituerat sex 4
cohortium, dedit signum. Illi celeriter procucurrerunt infestisque 5
signis tanta ui in Pompei equites impetum fecerunt, ut eorum nemo
consisteret, omnesque conuersi non solum loco excederent, sed
protinus incitati fuga montes altissimos peterent. Quibus submotis
omnes sagittarii funditoresque destituti inermes sine praesidio in-
terfecti sunt. Eodem impetu cohortes sinistrum cornu pugnanti- 6
bus etiam tum ac resistentibus in acie Pompeianis circumierunt
eosque a tergo sunt adorti. Eodem tempore tertiam aciem Caesar, **94**
quae quieta fuerat et se ad id tempus loco tenuerat, procurrere
iussit. Ita cum recentes atque integri defessis successissent, alii 2
autem a tergo adorirentur, sustinere Pompeiani non potuerunt,
atque uniuersi terga uerterunt. Neque uero Caesarem fefellit, 3
quin ab iis cohortibus, quae contra equitatum in quarta acie col-
locatae essent, initium uictoriae oriretur, ut ipse in cohortandis
militibus pronuntiauerat. Ab his enim primum equitatus est pul- 4
sus, ab isdem factae caedes sagittariorum ac funditorum, ab isdem
acies Pompeiana a sinistra parte [erat] circumita atque initium
fugae factum. Sed Pompeius, ut equitatum suum pulsum uidit at- 5
que eam partem, cui maxime confidebat, perterritam animaduertit,
aliis quoque diffisus acie excessit protinusque se in castra equo
contulit et iis centurionibus, quos in statione ad praetoriam por- 6
tam posuerat, clare, ut milites exaudirent, 'Tuemini', inquit,
'castra et defendite diligenter, si quid durius acciderit. Ego reli-
quas portas circumeo et castrorum praesidia confirmo'. Haec cum 7
dixisset, se in praetorium contulit summae rei diffidens et tamen
euentum expectans. Caesar Pompeianis ex fuga intra uallum com- **95**

1 Pompei *a,* Pompeii '*mss. aliquot*'; Pompeiani *u.* 2 circumire *a* '*mss. et edd. qdd.*', circumuenire *b;* circuire *u.* 3 animum auertit *a,* animum aduertit *ex uno det. u.* sex *Faërnus,* ex *codd. P.* 155. 4 cohortibus *a b c,* cohortium numero *reliqui.* dedit signum *a edd. ante Ald.,* signum dedit *Aldus u.* ille *b.* procucurrerunt (*a*) *c,* procurr. '*alii*'. 5 Pompei *a.* 9 impugnantibus *a b c.* 12 procucurrere *a.* 16 his *a.* 19 *bis* isdem *a* '*mss. uetustiores, ut solet*', iisdem *u.* ac *a b,* atque *u.* 20 erat *om. unus det.* 22 fidebat *b.* animum aduertit (*a*) *et ex uno det. u.* 23 aliis quoque *ego,* aliisque *a b c;* aliis *u.* 24 his *a.* praetorium posuerat *a b c.* 25 inquid *a.* 29 expectans *a.* inter *c.*

pulsis nullum spatium perterritis dare oportere existimans milites
cohortatus est, ut beneficio fortunae uterentur castraque oppugna-
rent. Qui, etsi magno aestu (nam ad meridiem res erat perducta),
2 tamen ad omnem laborem animo parati imperio paruerunt. Castra
a cohortibus, quae ibi praesidio erant relictae, industrie defende-
3 bantur, multo etiam acrius a Thracibus barbarisque auxiliis. Nam
qui *ex* acie refugerant milites, et animo perterriti et lassitudine
confecti missis plerique armis signisque militaribus magis de reli-
4 qua fuga quam de castrorum defensione cogitabant. Neque uero
diutius, qui in uallo constiterant, multitudinem telorum sustinere
potuerunt, sed confecti uulneribus locum reliquerunt, protinusque
omnes ducibus usi centurionibus tribunisque militum in altissimos
96 montes, qui ad castra pertinebant, confugerunt. In castris Pompei
uidere licuit trichilas structas, magnum argenti pondus expositum,
recentibus cespitibus tabernacula constrata, Lucii etiam Lentuli et
nonnullorum tabernacula protecta edera multaque praeterea, quae
nimiam luxuriam et uictoriae fiduciam designarent, ut facile existi-
mari posset nihil eos de euentu eius diei timuisse, qui non neces-
2 sarias conquirerent uoluptates. At hi miserrimo ac patientissimo
exercitu Caesaris luxuriem obiciebant, cui semper omnia ad ne-
3 cessarium usum defuissent. Pompeius, iam cum intra uallum
nostri uersarentur, equum nactus detractis insignibus imperatoris
decumana porta se ex castris eiecit protinusque equo citato Lari-
4 sam contendit. Neque ibi constitit, sed eadem celeritate paucos
suos ex fuga nactus nocturno itinere non intermisso comitatu equi-
tum XXX ad mare peruenit nauemque frumentariam conscendit
saepe, ut dicebatur, querens tantum se opinionem fefellisse, ut, a
quo genere hominum uictoriam sperasset, ab eo initio fugae facto
97 paene proditus uideretur. Caesar castris potitus a militibus con-
tendit, ne in praeda occupati reliqui negotii gerendi facultatem di-
2 mitterent. Qua re impetrata montem opere circummunire insti-
tuit. Pompeiani, quod is mons erat sine aqua, diffisi ei loco relicto

1 oportere *om. b.* 3 aestu *a b c,* aestu fatigati *u.* 7 ex *suppleuit Stephanus.* 13 montis *corr. a.* Pompei *a.* 14 structas *Salmasius,* stratas *codd.* 15 Lucii *a,* L. *u.* 16 edera *omnes codd. praeter* 2 *dett.* 17 existimari *a unus det. 'et* 3 *alii',* aestimari *u.* 18 eos *om. b.* 19 patientissimo *Aldus,* potentissimo *codd.* 20 exercitu *a b c.* 23 Larissam (*a*)*u.* 25 equitatu *b.* 27 sepe *a.* 29 pene *a.* 30 in *om. b.* 31 circummunire *a et reliqui,* circumuenire 2 *dett. u.* 32 eo loco *b.*

monte uniuersi iugis eius Larisam uersus se recipere coeperunt.
Qua re animaduersa Caesar copias suas diuisit partemque legio- 3
num in castris Pompei remanere iussit, partem in sua castra re-
misit, IIII secum legiones duxit commodioreque itinere Pompeia-
nis occurrere coepit et progressus milia passuum VI aciem in-
struxit. Qua re animaduersa Pompeiani in quodam monte consti- 4
terunt. Hunc montem flumen subluebat. Caesar milites cohorta-
tus, etsi totius diei continenti labore erant confecti, noxque iam
suberat, tamen munitione flumen a monte seclusit, ne noctu aquari
Pompeiani possent. Quo perfecto opere illi de deditione missis le- 5
gatis agere coeperunt. Pauci ordinis senatorii, qui se cum iis con-
iunxerant, nocte fuga salutem petiuerunt. Caesar prima luce **98**
omnes eos, qui in monte consederant, ex superioribus locis in pla-
niciem descendere atque arma proicere iussit. Quod ubi sine re- 2
cusatione fecerunt passisque palmis proiecti ad terram flentes ab
eo salutem petiuerunt, consolatus consurgere iussit et pauca apud
eos de lenitate sua locutus, quo minore essent timore, omnes con-
seruauit militibusque suis commendauit, ne qui eorum uiolaretur,
neu quid sui desiderarent. Hac adhibita diligentia ex castris sibi 3
legiones alias occurrere et eas, quas secum duxerat, in uicem re-
quiescere atque in castra reuerti iussit eodemque die Larisam per-
uenit. In eo proelio non amplius CC milites desiderauit, sed cen- **99**
turiones, fortes uiros, circiter XXX amisit. Interfectus est etiam
fortissime pugnans Crastinus, cuius mentionem supra fecimus,
gladio in os aduersum coniecto. Neque id fuit falsum, quod ille 2
in pugnam proficiscens dixerat. Sic enim Caesar existimabat, eo
proelio excellentissimam uirtutem Crastini fuisse, optimeque eum
de se meritum iudicabat. Ex Pompeiano exercitu circiter milia 3
XV cecidisse uidebantur, sed in deditionem uenerunt amplius milia
XXIIII (namque etiam cohortes, quae praesidio in castellis fuerant,

1 iugis *Wassius;* iuris *reliqui boni,* uires *b.* Larissam (*a*) *u.* se *om. a b.* 2 re *unus det.*, spe *reliqui.* 3 Pompei *a.* 7 cohortatus *Stephanus,* cohortatus est *a b 'mss.'* 8 ut si *b.* 10 quo *a 'mss. mei'*, quo iam *Aldus u.* 11 coeperant *a.* cum his *a.* 12 petiuerunt *a 'mss. 5'*, petierunt *u.* 13 planitiem (*a*). 15 ad] in *b.* 16 petiuerunt *a 'mss. plerique'*, petierunt *u.* surgere *b.* 18 commendauit] conserdauit *ante corr. a.* qui — uiolaretur *a et cum linea super* e *d,* quis — uiolaretur *'mss. 6'*; qui — uiolarentur *u.* 19 habita *b.* 20 duxerat] habebat *b.* 21 Larisam *a,* Larissam *u.* 22 cc *suprasc.* tos *a.* 23 xxx *suprasc.* ta *a.* etiam] autem *b.* 27 eum *om. b.*

sese Sullae dediderunt), multi praeterea in finitimas ciuitates re-
4 fugerunt; signaque militaria ex proelio ad Caesarem sunt relata
CLXXX et aquilae VIIII. L. Domitius ex castris in montem refu-
giens, cum uires eum lassitudine defecissent, ab equitibus est in-
terfectus.

100 Eodem tempore D. Laelius cum classe ad Brundisium uenit
eademque ratione, qua factum a Libone antea demonstrauimus, in-
2 sulam obiectam portui Brundisino tenuit. Similiter Vatinius, qui
Brundisio praeerat, tectis instructisque scaphis elicuit naues Lae-
lianas atque ex his longius productam unam quinqueremem et mi-
nores duas in angustiis portus cepit, itemque per equites dispositos
3 aqua prohibere classiarios instituit. Sed Laelius tempore anni
commodiore usus ad nauigandum onerariis nauibus Corcyra Dyr-
rhachioque aquam suis subportabat neque a proposito deterrebatur
4 neque ante proelium in Thessalia factum cognitum aut ignominia
amissarum nauium aut necessariarum rerum inopia ex portu insu-
101 laque expelli potuit. Isdem fere temporibus Cassius cum classe
Syrorum et Phoenicum et Cilicum in Siciliam uenit, et cum esset
Caesaris classis diuisa in duas partes, dimidiae parti praeesset P.
Sulpicius praetor Vibone ad fretum, dimidiae M. Pomponius ad
Messanam, prius Cassius ad Messanam nauibus aduolauit, quam
2 Pomponius de eius aduentu cognosceret, perturbatumque eum
nactus nullis custodiis neque ordinibus certis magno uento et se-
cundo completas onerarias naues taeda et pice et stupa reliquisque
rebus, quae sunt ad incendia, in Pomponianam classem inmisit at-
que omnes naues incendit XXXV; e quibus erant XX constratae.
3 Tantusque eo facto timor incessit, ut, cum esset legio praesidio
Messanae, uix oppidum defenderetur, et nisi eo ipso tempore qui-
dam nuntii de Caesaris uictoria per dispositos equites essent allati,
4 existimabant plerique futurum fuisse, uti amitteretur. Sed oppor-
tunissime nuntiis adlatis oppidumst defensum; Cassiusque ad Sul-

1 Syllae (*a*), P. Sullae *b*. 9 Brundisii '*mss.* 3'. scha-
phis *a*. 11 coepit *a*. dispositos *om. b*. 12 aquas *b*.
13 Dyrrachioque quam suis *a*. 14 (subportabat *a*) portabat *b*.
17 isdem *a*, iisdem *u*. Casius *a*. 18 Phenicum *a*. Celicum
ante corr. a. 19 dimidiae parti *a b* 5 *dett.*, et dimidiae parti *u*.
20 Vibonem *a b d*. 21 prius — Messanam *om. a*. 24 naues et
taeda *ante corr. a*. 25 sunt] *falso Achaintrius in a* apta *addi narrat.*
Pomponiam *b*, Pompeianam *a* '*mss. et edd. qdd.*' inmisit *a*.
30 fuisse] esse *b*. admitteretur *a*. oportunissime *a*.
31 adlatis *a*. oppidumst *ego*, oppidum fuit *codd. P.* 187. Casiusque *a*.

picianam inde classem profectus est Vibonem adplicatisque nostris 5
ad terram nauibus circiter XL propter eundem timorem pari atque
antea ratione [egerunt] secundum nactus uentum onerarias naues
praeparatas ad incendium inmisit, et flamma ab utroque cornu
comprensa naues sunt combustae quinque. Cumque ignis magni- 6
tudine uenti latius serperet, milites, qui ex ueteribus legionibus
erant relicti praesidio nauibus ex numero aegrorum, ignominiam
non tulerunt, sed sua sponte naues conscenderunt et a terra sol-
uerunt impetuque facto in Cassianam classem quinqueremis duas,
in quarum altera erat Cassius, ceperunt; sed Cassius exceptus
scapha refugit: praeterea duae sunt depressae triremes. Neque 7
multo post de proelio facto in Thessalia cognitum est, ut ipsis
Pompeianis fides fieret: nam ante id tempus fingi a legatis amicis-
que Caesaris arbitrabantur. Quibus rebus cognitis ex his locis
Cassius cum classe discessit.

Caesar omnibus rebus relictis persequendum sibi Pompeium 102
existimauit, quascumque in partes se ex fuga recepisset, ne rursus
copias comparare alias et bellum renouare posset, et quantumcum-
que itineris equitatu efficere poterat cotidie progrediebatur legio-
nemque unam minoribus itineribus subsequi iussit. Erat edictum 2
Pompeii nomine Amphipoli propositum, uti omnes eius prouinciae
iuniores, Graeci ciuesque Romani, iurandi causa conuenirent.
Sed utrum auertendae suspicionis causa Pompeius proposuisset, ut 3
quam diutissime longioris fugae consilium occultaret, an nouis de-
lectibus, si nemo premeret, Macedoniam tenere conaretur, existi-
mari non poterat. Ipse ad ancoram una nocte constitit et uocatis 4
ad se Amphipoli hospitibus et pecunia ad necessarios sumptus cor-
rogata cognito Caesaris aduentu ex eo loco discessit et Mytilenas

1 adplicatisque *a*. 2 circiter XL *hic posui, ante* praeparatas (4) *collocant codd. P.* 187. 3 egerunt *b c*, egerunt Cassius *a*; egit *u*. *Vncos ego posui. P.* 186. 4 inmisit *a*. 5 comprensa *unus det.*, compressa *a b*; comprehensa *u*. sunt *om. a b*. 9 quinqueremis *a*. 10 coeperunt *a*. 11 schapha *a*. refugiit praeteriit duae *a b*. depressae *Vascosanus in marg.*, depresente *a b*; deprehensae *u*. triremes] tirones *b*. 14 arbitrabatur *a*. ex his *a edd. ante Ald.*, ex iis *Aldus u*. 17 quacumque in parte *b et, qui* quãcunque, *a*. se ex fuga *a*, ex fuga se *edd.* 18 compararet *a*. quantumcunque (*a*). 21 Amphilopoli *a et 'hic et infra b c'*. 22 Greci *a*. 24 dilectibus (*a*) *b*. 26 anchoram (*a*). unam *a*. 28 cognito *Aldus*, cognitoque *a 'mss. plerique'*. Mithilas *a 'mss. plerique et uetustiores'*.

5 paucis diebus uenit. Biduum tempestate retentus nauibusque aliis
6 additis actuariis in Ciliciam atque inde Cyprum peruenit. Ibi co-
gnoscit consensu omnium Antiochensium ciuiumque Romanorum,
qui illic negotiarentur, arcem captam esse excludendi sui causa
nuntiosque dimissos ad eos, qui se ex fuga in finitimas ciuitates
recepisse dicerentur, ne Antiochiam adirent: id si fecissent, magno
7 eorum capitis periculo futurum. Idem hoc L. Lentulo, qui supe-
riore anno consul fuerat, et P. Lentulo consulari ac nonnullis
aliis acciderat Rhodi; qui cum ex fuga Pompeium sequerentur atque
in insulam uenissent, oppido ac portu recepti non erant missisque
ad eos nuntiis, ut ex his locis discederent, contra uoluntatem su-
8 am naues soluerunt. Iamque de Caesaris aduentu fama ad ciuita-
103 tes perferebatur. Quibus cognitis rebus Pompeius deposito ad-
eundae Syriae consilio pecunia societatis sublata et a quibusdam
priuatis sumpta et aeris magno pondere ad militarem usum in na-
ues inposito duobusque milibus hominum armatis, partim quos ex
familiis societatum delegerat, partim a negotiatoribus coëgerat,
quosque ex suis quisque ad hanc rem idoneos existimabat, Pelu-
2 sium peruenit. Ibi casu rex erat Ptolemaeus, puer aetate, magnis
copiis cum sorore Cleopatra bellum gerens, quam paucis ante men-
sibus per suos propinquos atque amicos regno expulerat; castra-
3 que Cleopatrae non longo spatio ab eius castris distabant. Ad
eum Pompeius misit, ut pro hospitio atque amicitia patris Alexan-
4 dria reciperetur atque illius opibus in calamitate tegeretur. Sed
qui ab eo missi erant, confecto legationis officio liberius cum mili-
tibus regis colloqui coeperunt eosque hortari, ut suum officium
5 Pompeio praestarent neue eius fortunam despicerent. In hoc erant
numero complures Pompei milites, quos ex eius exercitu acceptos
in Syria Gabinius Alexandriam traduxerat belloque confecto apud
104 Ptolemaeum, patrem pueri, reliquerat. His tunc cognitis rebus

2 adductis *b*. 3 Antiocensium *a*. 4 aram *a b c d*. 5 dimissis *ante corr. a*. 6 dicerentur] uiderentur *b*. 7 adfuturum *a*, affuturum *b*. hoc *om. b*. 9 qui cum *c*, quicunque *a b*. 11 ut *om. a*. ex his *a edd. priores*, ex iis *P. Manutius u*. suas *a*. 12 soluerunt *cod. Urs. et secundum Beyerlii silentium a*, soluerent *b c et secundum Achaintrium a* (soluerant *Vascosanus*). 14 a *om. a b*. 15 magno pondere] magnopere *ante corr. a*. 16 inposito *a*. 19 erat *om. a*. Ptolemaeus *Aldus*; Ptholomeus *ubique a*, Ptolomeus *'mss. semper'*. 24 operibus *a b*. 25 fuerant *b*. 27 praestaret — despiceret *a b c*. 28 Pompei *a*. 29 Syriam *a b*. Gauinius *a*, Gauinus *b*.

amici regis, qui propter aetatem eius in curatione erant regni, siue
timore adducti, ut postea praedicabant, sollicitato exercitu regio ne
Pompeius Alexandriam Aegyptumque occuparet, siue despecta
eius fortuna, ut plerumque in calamitate ex amicis inimici existunt,
his, qui erant ab eo missi, palam liberaliter responderunt eumque
ad regem uenire iusserunt; ipsi clam consilio inito Achillam, prae- 2
fectum regium, singulari hominem audacia, et L. Septimium, tri-
bunum militum, ad interficiendum Pompeium miserunt. Ab his 3
liberaliter ipse appellatus et quadam notitia Septimii productus,
quod bello praedonum apud eum ordinem duxerat, nauiculam par-
uulam conscendit cum paucis suis: ibi ab Achilla et Septimio
interficitur. Item L. Lentulus comprehenditur ab rege et in cu-
stodia necatur.

Caesar, cum in Asiam uenisset, reperiebat T. Ampium co- **105**
natum esse pecunias tollere Epheso ex fano Dianae eiusque rei
causa senatores omnes ex prouincia euocasse, ut his testibus in
summa pecuniae uteretur, sed interpellatum aduentu Caesaris pro-
fugisse. Ita duobus temporibus Ephesiae pecuniae Caesar auxili-
um tulit. Item constabat Elide in templo Mineruae repetitis atque 2
enumeratis diebus, quo die proelium secundum Caesar fecisset,
simulacrum Victoriae, quod ante ipsam Mineruam conlocatum es-
set et ante ad simulacrum Mineruae spectauisset, ad ualuas se
templi limenque conuertisse. Eodemque die Antiochiae in Syria 3
bis tantus exercitus clamor et signorum sonus exauditus est, ut in
muris armata ciuitas discurreret. Hoc idem Ptolemaide accidit.
Pergami in occultis ac reconditis templi, quo praeter sacerdotes 4
adire fas non est, quae Graeci ἄδυτα appellant, tympana sonue-

1 curatione *a b c,* procuratione *u.* 3 Aegiptumque *a.* 4 existunt *a.* 5 his *a edd. ante Ald.,* iis *Aldus u.* 6 Achillan *ubique sine auctoritate u.* *ante* praefectum *add.* in *a b.* 7 singium *post* regium *an post* singulari *add. b.* 10 paruam ascendit *b.* 11 ibi *a b,* et ibi *u.* 14 *ante* uenisset *repetit* cum *a.* repperiebat *a.* Ampium *cod. Urs.,* Apium *a et sic 'uel* Appium *alii'.* 15 pecunias tollere *a Stephanus,* tollere pecunias *ceterae edd.* 16 euocauisse *c.* his *a edd. priores,* iis *P. Manutius u.* 20 Caesar fecisset *a 'al.' edd. ante Ald.* (*sed hae* fecit) *Stephanus,* fecisset Caesar *Aldus u.* 21 *et* 22 simulachrum *a.* 21 conlocatum *a.* esset — (22) spectauisset *a b,* erat — spectabat *u.* 22 ad *post* ante *om. b.* 23 conuertisset *ante corr. a.* Siria *a.* 25 Ptholomaide *a.* 26 reconditis *aliquot dett.;* conditis *d,* recognitis *a b;* remotis *u, et 'ex c nihil uarietatis enotatum est'.* templi 4 *dett.,* templis *a 'mss. plerique'.* 27 ἄδυτα] adita *a b c 'reliqui fere'.* timphana *a.*

5 runt. Item Trallibus in templo Victoriae, ubi Caesaris statuam
consecrauerant, palma per eos dies [in tecto] inter coagmenta la-
106 pidum ex pauimento extitisse ostendebatur. Caesar paucos dies
in Asia moratus, cum audisset Pompeium Cypri uisum, coniectans
eum Aegyptum iter habere propter necessitudines regni reliquas-
que eius loci opportunitates cum legione una, quam se ex Thes-
salia sequi iusserat, et altera, quam ex Achaia a Q. Fufio legato
euocauerat, equitibusque DCCC et nauibus longis Rhodiis X et Asia-
2 ticis paucis Alexandriam peruenit. In his erant legionibus homi-
num milia tria CC; reliqui uulneribus ex proeliis et labore ac ma-
3 gnitudine itineris confecti consequi non potuerant. Sed Caesar
confisus fama rerum gestarum infirmis auxiliis proficisci non dubi-
4 tauerat aeque omnem sibi locum tutum fore existimans. Alexan-
driae de Pompei morte cognoscit atque ibi primum e naue egre-
diens clamorem militum audit, quos rex in oppido praesidii causa
reliquerat, et concursum ad se fieri uidet, quod fasces anteferren-
tur. In hoc omnis multitudo maiestatem regiam minui praedica-
5 bat. Hoc sedato tumultu crebrae continuis diebus ex concursu
multitudinis concitationes fiebant, compluresque milites huius ur-
107 bis omnibus partibus interficiebantur. Quibus rebus animaduersis
legiones sibi alias ex Asia adduci iussit, quas ex Pompeianis mi-
litibus confecerat. Ipse enim necessario etesiis tenebatur; qui
2 nauigantibus Alexandria sunt aduersissimi uenti. Interim contro-
uersias regum ad populum Romanum et ad se, quod esset consul,
pertinere existimans atque eo magis officio suo conuenire, quod
superiore consulatu cum patre Ptolemaeo et lege et senatusconsulto
societas erat facta, ostendit sibi placere regem Ptolemaeum atque
eius sororem Cleopatram exercitus, quos haberent, dimittere et
de controuersiis iure apud se potius quam inter se armis disceptare.
108 Erat in procuratione regni propter aetatem pueri nutricius eius,

1 Trailibus *a*. 2 [in tecto] *P*. 187. 3 ex] in (*a*)? extitisse *a*. 4 moratus est cum *b*. 5 Aegyptum *codd.*, in Aegyptum *u* (Aegipt. *a*). *Vid. Maduig. obseru. ad gramm. Lat. p.* 22. 6 oportunitates *a*. legione *a e*, legionibus *u*. se ex Thessalia *a Stephanus*, ex Thessalia se *reliquae edd.* 10 mil. III. cc *a*, III milia cc *edd.* 13 aeque *ego*, atque *reliqui codd.*; *om.* 4 *dett.* existimans *a b c* 4 *dett.*, existimabat *Aldus u*. 14 Pompei *a*. e] de *b*. naue *a b*, naui *u*. 22 ethesiis *a*, ethesus *e*. tenebantur *a*. 23 nauigantibus Alexandria *a edd. ante Ald.*, Alexandria nauigantibus *Aldus u*. fiunt *a*. 28 eius sororem *a*, sororem eius *edd.* 30 procurationi *a*.

eunuchus nomine Pothinus. Is primum inter suos queri atque in-
dignari coepit regem ad causam dicendam euocari; deinde adiuto- 2
res quosdam consili sui nactus ex regis amicis exercitum a Pelu-
sio clam Alexandriam euocauit atque eundem Achillam, cuius su-
pra meminimus, omnibus copiis praefecit. Hunc incitatum suis et
regis inflatum pollicitationibus, quae fieri uellet, litteris nuntiisque
edocuit. In testamento Ptolemaei patris heredes erant scripti ex 3
duobus filiis maior et ex duabus filiabus ea, quae aetate antecede-
bat. Haec uti fierent, per omnes deos perque foedera, quae Ro-
mae fecisset, eodem testamento Ptolemaeus populum Romanum
obtestabatur. Tabulae testamenti unae per legatos eius Romam 4
erant allatae, ut in aerario ponerentur (hae, cum propter publicas
occupationes poni non potuissent, apud Pompeium sunt depositae),
alterae eodem exemplo relictae atque obsignatae Alexandriae pro-
ferebantur. De his rebus cum ageretur apud Caesarem, isque **109**
maxime uellet pro communi amico atque arbitro controuersias re-
gum componere, subito exercitus regius equitatusque omnis uenire
Alexandriam nuntiatur. Caesaris copiae nequaquam erant tantae, 2
ut eis extra oppidum, si esset dimicandum, confideret. Relinque-
batur, ut se suis locis oppido teneret consiliumque Achillae co-
gnosceret. Milites tamen omnes in armis esse iussit regemque 3
hortatus est, ut ex suis necessariis quos haberet maximae aucto-
ritatis legatos ad Achillam mitteret et, quid esset suae uoluntatis,
ostenderet. A quo missi Dioscorides et Serapion, qui ambo legati 4
Romae fuerant magnamque apud patrem Ptolemaeum auctoritatem
habuerant, ad Achillam peruenerunt. Quos ille, cum in conspe- 5
ctum eius uenissent, priusquam audiret aut, cuius rei causa missi
essent, cognosceret, corripi atque interfici iussit; quorum alter
accepto uulnere occupatus per suos pro occiso sublatus, alter in-
terfectus est. Quo facto regem ut in sua potestate haberet, Cae- 6
sar efficit magnam regium nomen apud suos auctoritatem habere
existimans et ut potius priuato paucorum et latronum quam regio

1 Pothinus *d*, Photinus *a* '*reliqui*'. inter se et suos *b*. 2 causam dicendam *a*, dicendam causam *edd*. 3 consili sui *Aicardus*, conscii sui *b et*, *qui* suis, *a*; conscios sui *u*. ex *om*. *a b*. Pulesio *a*. 5 praeficit *a*. 8 filiabus *b*, *om*. *reliqui*. *P*. 188. aetate *om*. *b*. 11 una *a* '*mss*. 3'. Romae *a b* 6 *dett*. 15 rebus *om*. *b*. 16 arbitrio *ante corr*. *a*. 25 magnaque *a*. 26 conspectu *a b*. 27 adiret *a*. 29 accepto — alter *om*. *a b*. 31 efficit *a* '*mss*. 7', effecit *u*. magnam *unus det*., magnamque *reliqui*. *P*. 20.

110 consilio susceptum bellum uideretur. Erant cum Achilla copiae,
ut neque numero neque genere hominum neque usu rei militaris
2 contemnendae uiderentur. Milia enim XX in armis habebat. Haec
constabant ex Gabinianis militibus, qui iam in consuetudinem Ale-
xandrinae uitae ac licentiae uenerant et nomen disciplinamque
populi Romani dedidicerant uxoresque duxerant, ex quibus pleri-
3 que liberos habebant. Huc accedebant collecti ex praedonibus la-
tronibusque Syriae Ciliciaeque prouinciae finitimarumque regio-
num. Multi praeterea capitis damnati exulesque conuenerant:
4 fugitiuis omnibus nostris certus erat Alexandriae receptus certa-
que uitae condicio, ut dato nomine militum essent numero; si quis
a domino prehenderetur, consensu militum eripiebatur, qui uim
suorum, quod in simili culpa uersabantur, ipsi pro suo periculo
5 defendebant. Hi regum amicos ad mortem deposcere, hi bona lo-
cupletum diripere, stipendii augendi causa regis domum obsidere,
regno expellere, alios arcessere uetere quodam Alexandrini exer-
citus instituto consuerant. Erant praeterea equitum milia duo.
6 Inueterauerant hi omnes compluribus Alexandriae bellis; Ptole-
maeum patrem in regnum reduxerant, Bibuli filios duos interfece-
rant, bella cum Aegyptiis gesserant. Hunc usum rei militaris ha-
111 bebant. His copiis fidens Achillas paucitatemque militum Caesa-
ris despiciens occupabat Alexandriam praeter eam oppidi partem,
quam Caesar cum militibus tenebat, primo impetu domum eius in-
rumpere conatus; sed Caesar dispositis per uias cohortibus impe-
2 tum eius sustinuit. Eodemque tempore pugnatum est ad portum,
ac longe maximam ea res attulit dimicationem. Simul enim didu-
ctis copiis pluribus uiis pugnabatur, et magna multitudine nauis
3 longas occupare hostes conabantur; quarum erant L auxilio mis-
sae ad Pompeium proelioque in Thessalia facto domum redierant,
illae triremes omnes et quinqueremes aptae instructaeque omnibus

3 contempnendae *a*. haec *a b* '2 *alii*', hae *u*. 4 militibus] milibus *a*. 5 licentia *a b*. 6 dedidicerant *Aldus*, didicerant *a* '*mss. plerique*'. 8 Cyliciaeque *a*. finitimarum regionumque *a*. 9 multi *om. b*. dampnati *a*. exsulesque (*a*). 10 fugitiuis *reliqui*, fugitiuisque *unus det. u*. 11 conditio (*a*). si quis *a b*, quorum si quis *u*. 12 consensu *a* '*mss. mei*', concursu *Aldus u*. 13 culpa *om. b*. 14 rerum *a* '*mss. 4*'. morem *a* '*mss. 3*', bona *b*. 15 augendi *om. b*. 16 expellere *a cod. Vrs. 4 dett.*, expellere alios *u*. 17 consuerant *a b c*, consueuerant *u*. 18 hi omnes] homines *a b c*. 22 praeter eam *unus det.*, praeterea *reliqui*. 23 inrumpere *a*. 26 diductus *ante corr. a*. 27 nauis *a*.

rebus ad nauigandum, praeter has XXII, quae praesidii causa Ale-
xandriae esse consuerant, constratae omnes; quas si occupauis- 4
sent, classe Caesari erepta portum ac mare totum in sua potestate
haberent, commeatu auxiliisque Caesarem prohiberent. Itaque 5
tanta est contentione actum, quanta agi debuit, cum illi celerem
in ea re uictoriam, hi salutem suam consistere uiderent. Sed rem 6
optinuit Caesar omnesque eas naues et reliquas, quae erant in na-
ualibus, incendit, quod tam late tueri parua manu non poterat,
confestimque ad Pharum nauibus milites exposuit. Pharus est in **112**
insula turris magna altitudine, mirificis operibus extructa; quae
nomen ab insula accepit. Haec insula obiecta Alexandriae portum 2
efficit; sed a superioribus regionibus in longitudinem passuum DCCCC
in mare iactis molibus angusto itinere et ponte cum oppido con-
iungitur. In hac sunt insula domicilia Aegyptiorum et uicus op- 3
pidi magnitudine; quaeque ibi cumque naues inprudentia aut tem-
pestate paulum suo cursu decesserunt, has more praedonum diri-
pere consuerunt. Iis autem inuitis, a quibus Pharus tenetur, non 4
potest esse propter angustias nauibus introitus in portum. Hoc 5
tum ueritus Caesar hostibus in pugna occupatis militibus expositis
Pharum prehendit atque ibi praesidium posuit. Quibus est rebus 6
effectum, uti tuto frumentum auxiliaque nauibus ad eum subpor-
tari possent. Dimisit enim circum omnes propinquas prouincias
atque inde auxilia euocauit. Reliquis oppidi partibus sic est pu- 7
gnatum, ut aequo proelio discederetur, et neutri pellerentur (id
efficiebant angustiae loci), paucisque utrimque interfectis Caesar
loca maxime necessaria complexus noctu praemuniit. Haec tractu 8
oppidi pars erat regiae exigua, in quam ipse habitandi causa initio

1 xxix *b*. 2 consuerant *a b c*, consueuerant *u*. 3 Caesaris '*mss. plerique*'. 5 illi *unus det.*, ille *reliqui*. 7 optinuit *a*. 8 parua *a* '*mss.* 5', tam parua *u*. 10 extructa *a*. 13 cingitur *b*. 14 Aegiptiorum *a*. 15 quaeque ibi cumque *ego*; quaequi ubique *a*, qñcumque *b*, quaeque ubique *u*. *P*. 188. inprudentia *a*. 16 paulum 3 *dett.*, paulo *a b*; paululum *u*. decesserunt *a* '*mss.* 4', decesserint *u*. 17 consuerunt *a b c*, consueuerunt *u*. is autem *a*. Pharos *ex uno det. u*. 19 militibus *Scaliger*, militibusque *codd*. 20 Pharon *ex* 3 *dett. u*. prehendit *a b c*, apprehendit *u*. 21 subportari *a*. 22 dimisit *Scaliger* (demisit *P. Manutius*); deauxit *a b c d*, misit *pro uar. lect. d*. prouincias *a b c omnesque, de quibus constat*; regiones *u et* '*forsan d*'. 25 utrimque *a*, *non* utrinq. 26 praemuniti *a*, praemuniri *b*; praemunit *edd*. haec *unus det.*, nec *reliqui*.

erat inductus, et theatrum coniunctum domui, quod arcis tenebat
locum aditusque habebat ad portum et ad reliqua naualia. Has mu-
nitiones insequentibus auxit diebus, ut pro muro obiectas haberet
9 neu dimicare inuitus cogeretur. Interim filia minor Ptolemaei re-
gis uacuam possessionem regni sperans ad Achillam sese ex regia
10 traiecit unaque bellum administrare coepit. Sed celeriter est inter
eos de principatu controuersia orta; quae res apud milites largi-
tiones auxit: magnis enim iacturis sibi quisque eorum animos con-
11 ciliabat. Haec dum apud hostes geruntur, Pothinus, nutricius pu-
eri et procurator regni, in parte Caesaris, cum ad Achillam nun-
tios mitteret hortareturque, ne negotio desisteret neue animo defi-
ceret, indicatis deprehensisque internuntiis a Caesare est inter-
fectus. Haec initia belli Alexandrini fuerunt.

BELLVM ALEXANDRINVM.

Bello Alexandrino conflato Caesar Rhodo atque ex Syria Ci-
liciaque omnem classem arcessit; Creta sagittarios, equites ab
rege Nabataeorum Malcho euocat; tormenta undique conquiri et
2 frumentum mitti, auxilia adduci iubet. Interim munitiones cotidie
operibus augentur, atque omnes oppidi partes, quae minus esse
firmae uidentur, testudinibus ac musculis temptantur; ex aedifi-
ciis autem per foramina in proxima aedificia arietes inmittuntur,
quantumque aut ruinis deicitur aut per uim recipitur loci, in tan-
3 tum munitiones proferuntur. Nam incendio fere tuta est Ale-
xandria, quod sine contignatione ac materia sunt aedificia et

9 Pothinus *hic a.* 10 partem *a b.* nuntians *ante corr. a.* 12 indicatus *b,* et indicatis *a.* Explicit liber III belli ciuilis *a.*

Incipit C. Caesaris bellum Alexandrinum feliciter *a, et Caesaris nomen in quibusdam suis inuenit Oud.* 3 Nauateorum *a et* Nauat. *etiam b.* Malco *a.* 4 auxilia *a 'mss. plerique'*, auxiliaque *Aldus u.* 5 esse firmae *a,* firmae esse *edd.* 6 uidentur *a 'mss. 6'*, uiderentur *u.* temptantur *ego,* aptantur *codd. P.* 188. 7 per *om. a.* inmittuntur *a.*

structuris ac fornicibus continentur tectaque sunt rudere aut pa-
uimentis. Caesar maxime studebat, ut, quam angustissimam par- 4
tem oppidi palus a meridie interiecta efficiebat, hanc operibus ui-
neisque agendis ab reliqua parte urbis excluderet, illud spectans, 5
primum, ut, cum in duas partes esset urbs diuisa, acies uno con-
silio atque imperio administraretur, deinde, ut laborantibus suc-
curri atque ex altera oppidi parte auxilium ferri posset, inprimis 6
uero, ut aqua pabuloque abundaret, quarum alterius rei copiam
exiguam, alterius nullam omnino facultatem habebat; quod utrum-
que large palus praebere poterat. Neque uero Alexandrinis in **2**
gerendis negotiis cunctatio ulla aut mora inferebatur. Nam in
omnes partes, per quas fines Aegypti regnumque pertinet, legatos
conquisitoresque delectus habendi causa miserant, magnumque nu-
merum in oppidum telorum atque tormentorum conuexerant et in-
numerabilem multitudinem adduxerant. Nec minus in urbe maxi- 2
mae armorum erant institutae officinae. Seruos praeterea pube-
res armauerant; quibus domini locupletiores uictum cotidianum
stipendiumque praebebant. Hac multitudine disposita munitiones 3
semotarum partium tuebantur; ueteranas cohortes uacuas in cele-
berrimis urbis locis habebant, ut, quacumque regione pugnaretur,
integris uiribus ad auxilium ferendum opponi possent. Omnibus 4
uiis atque angiportis triplicem uallum obduxerant (erat autem qua-
drato extructus saxo neque minus XL pedes altitudinis habebat),
quaeque partes urbis inferiores erant, has altissimis turribus de-
norum tabulatorum munierant. Praeterea alias ambulatorias toti- 5
dem tabulatorum confixerant subiectisque eas rotis funibus iumen-
tisque obiectis directis plateis in quamcumque erat uisum partem
mouebant. Vrbs fertilissima et copiosissima omnium rerum appa- **3**
ratus suggerebat. Ipsi homines ingeniosissimi atque acutissimi,
quae a nostris fieri uiderant, ea solertia efficiebant, ut nostri illo-

1 instructuris *b*. ac fornicibus *a* '*mss*. 5', atque fornicibus *u*. aut] ac *b*. 4 spectans *Vascosanus*, exspectans *codd*. (exp. *a*). 5 in duas partes esset *a Stephanus*, esset in duas partes *reliquae edd*. urbis *b*. 7 in primis (*a*). 10 large palus *a*, palus large *edd*. 12 fines *om*. *b*. Aegypti *a* '*mss. tantum non omnes*', Aegyptii *Lipsius u*. regnum *b*. 13 dilectus (*a*) *b*. 19 semotorum *a*. 20 quacunque (*a*). 21 opponi possent *a b c d*, opportunae essent *u*. 23 extructus *a*. pedum *b*. 25 communierant *b*. 26 confecerant *b*. 27 derectis *a f*. quamcunque (*a*). erant *a*. 29 ingeniosi *a* '*mss*. 6'. 30 a nostris *ego*, a nobis *codd*. *P*. 11. sollertia *a*.

2 rum opera imitati uiderentur, et sua sponte multa reperiebant uno-
que tempore et nostras munitiones infestabant et suas defendebant.
3 Atque haec principes in consiliis contionibusque agitabant: Popu-
lum Romanum paulatim in consuetudinem eius regni occupandi
4 uenire. Paucis annis antea Gabinium cum exercitu fuisse in Ae-
gypto; Pompeium se ex fuga eodem recepisse; Caesarem uenisse
cum copiis, neque morte Pompeii quicquam profectum, quo minus
5 apud se Caesar commoraretur. Quem si non expulissent, futuram
ex regno prouinciam; idque agendum mature: namque eum inter-
clusum tempestatibus propter anni tempus recipere transmarina
4 auxilia non posse. Interim dissensione orta inter Achillan, qui
ueterano exercitui praeerat, et Arsinoën, regis Ptolemaei mino-
rem filiam, ut supra demonstratum est, cum uterque utrique insi-
diaretur et summam imperii ipse obtinere uellet, praeoccupat Ar-
sinoë per Ganymeden eunuchum, nutricium suum, atque Achillan
2 interficit. Hoc occiso sine ullo socio et custode ipsa omne impe-
rium obtinebat; exercitus Ganymedi traditur. Is suscepto officio
largitionem in milites auget et reliqua pari diligentia administrat.
5 Alexandria est fere tota suffossa specusque habet a Nilo per-
tinentes, quibus aqua in priuatas domos inducitur, quae paulatim
2 spatio temporis liquescit ac subsidit. Hac uti domini aedificiorum
atque eorum familiae consuerunt: nam quae flumine Nilo fertur,
adeo est limosa ac turbida, ut multos uariosque morbos efficiat;
3 sed ea plebes ac multitudo contenta est necessario, quod fons urbe
tota nullus est. Hoc tamen flumen in ea parte erat urbis, quae ab
4 Alexandrinis tenebatur. Quo facto est admonitus Ganymedes
posse nostros aqua intercludi; qui distributi munitionum tuendarum
causa uicatim ex priuatis aedificiis specubus ac puteis extracta
6 aqua utebantur. Hoc probato consilio magnum ac difficile opus
adgreditur. Interseptis enim specubus atque omnibus urbis parti-

1 imitati *a c;* imitari *'alii',* mirari *b.* repperiebant *a.* 3 conciliis *'mss. et edd. qdd.'* concionibusque (*a*). 7 quicquam *a, non* quidq. 11 descensione *cum* i *super* de *a.* 11 *et* 15 Achillan *et* 15 Ganymeden *a* (*sed is* Ganim. *ubique*) *et sine annotatione u.* 13 demonstrauimus cum *b.* 14 ipse *om. b.* 16 interfecit *a.* ipsa *hic ponunt a b, ante* sine *u.* 17 his *a.* 18 militem *b c.* et reliqua *a b,* reliqua *u.* 19 fere] pene *b.* a Nilo *a b,* ad Nilum *u.* 20 *ante* quibus *add.* a *b.* 22 consuerunt *a 'mss. 3',* consueuerunt *u.* namque flumine *a.* 25 erat urbis *a,* urbis erat *edd.* 27 distribuendi munitionem *cum punctis sub* endi *a.* 28 specibus *a.* 30 adgreditur *a.* specibus *a.*

bus exclusis, quae ab ipso tenebantur, aquae magnam uim ex mari
rotis ac machinationibus exprimere contendit: hanc locis superio-
ribus fundere in partem Caesaris non intermittebat. Quam ob 2
causam salsior paulo praeter consuetudinem aqua trahebatur ex
proximis aedificiis magnamque hominibus admirationem praebebat,
quam ob rem id accidisset; nec satis sibi ipsi credebant, cum se 3
inferiores eiusdem generis ac saporis aqua dicerent uti, atque ante
consuessent, uulgoque inter se conferebant et degustando, quan-
tum inter se differrent aquae, cognoscebant. Paruo uero temporis 4
spatio haec propior bibi omnino non poterat, illa inferior corru-
ptior iam salsiorque reperiebatur. Quo facto dubitatione sublata 7
tantus incessit timor, ut ad extremum casum periculi omnes dedu-
cti uiderentur, atque alii morari Caesarem dicerent, quin naues
conscendere iuberet, alii multo grauius extimescerent [casum],
quod neque celari Alexandrini possent in apparanda fuga, cum
tam paruo spatio distarent ab ipsis, neque illis inminentibus atque
insequentibus ullus in naues receptus daretur. Erat autem magna 2
multitudo oppidanorum in parte Caesaris, quam domiciliis ipsorum
non mouerat, quod ea se fidelem palam nostris esse simulabat et
desciuisse a suis uidebatur: ut mihi defendendi essent Alexandrini
neque fallaces esse neque temerarii, multaque oratio frustra absu-
meretur; cum uero uno tempore et natio eorum et natura cogno- 3
scatur, aptissimum esse hoc genus ad proditionem dubitare nemo
potest. Caesar suorum timorem consolatione et ratione minuebat. 8
Nam puteis fossis aquam dulcem reperiri posse adfirmabat. Omnia
litora naturaliter aquae dulcis uenas habere. Quod si alia esset 2
litoris Aegyptii natura atque omnium reliquorum, tamen, quoniam
mare libere tenerent, neque hostes classem haberent, prohiberi

4 causam *a b,* rem *u.* 6 rem *a b,* causam *u.* 7 digerent *a,* digererent *b.* antea *b.* 8 consuescent *cum puncto sub altera* c *a.* 9 different *a.* 11 iam *om. b.* repperiebatur *a.* 14 iuberent *a.* grauius *codd.,* grauiorem *P. Manutius u.* casum *M. Hauptii suasu inclusi. P.* 189. 15 Alexandrini *a c,* Alexandrinis *'reliqui'.* possint *a.* 16 illi *a.* inminentibus *a.* 19 non nouerat *a.* 20 ut mihi *a et reliqui plerique,* ut si mihi *P. Manutius u.* 21 neque fallaces *codd.,* quod neque fallaces *u* (faciles *b*). esse *ego,* essent *codd.* temerari *a.* multaque *a b c,* multa *u.* 23 dubitare nemo *a Stephanus,* nemo dubitare *reliquae edd.* 24 consolatione] collatione *b c.* 25 puteus *a.* reperiri posse *a* (*is* repp.) *Stephanus,* posse reperiri *reliquae edd.* adfirmabat *a.* omnia *a,* omnia enim *edd.* 27 Aegypti *a 'mss. qdd.'* 28 haberent] tenerent *a, om. b.* probibere *a b.*

sese non posse, quo minus cotidie nauibus aquam peterent uel a
sinistra parte a Paraetonio uel a dextra ab insula; quae diuersae
nauigationes numquam uno tempore aduersis uentis praecluderen-
3 tur. Fugae uero nullum esse consilium non solum iis, qui primam
dignitatem haberent, sed ne iis quidem, qui nihil praeterquam de
4 uita cogitarent. Magno negotio impetus hostium aduersos munitio-
nibus sustinere; quibus relictis nec loco nec numero pares esse
5 posse. Magnam autem moram et difficultatem ascensum in naues
habere praesertim ex scaphis: summam esse contra in Alexandri-
6 nis uelocitatem locorumque et aedificiorum notitiam. Hos praeci-
que in uictoria insolentes praecursuros et loca excelsiora atque ae-
dificia occupaturos; ita tamen fuga nauibusque nostros prohibitu-
ros. Proinde eius consilii obliuiscerentur atque omni ratione esse
9 uincendum cogitarent. Hac oratione apud suos habita atque omni-
um mentibus excitatis dat centurionibus negotium, ut reliquis ope-
ribus intermissis ad fodiendos puteos animum conferant neue quam
2 partem nocturni temporis intermittant. Quo suscepto negotio at-
que omnium animis ad laborem incitatis magna una nocte uis aquae
dulcis inuenta est. Ita operosis Alexandrinorum machinationibus
maximisque conatibus non longi temporis labore occursum est.
3 Eo biduo legio XXXVII ex dediticiis Pompeianis militibus cum fru-
mento, armis, telis, tormentis inposita in naues a Domitio Caluino
4 ad litora Africae paulo *ultra* Alexandriam delata est. Hae naues
euro, qui multos dies continenter flabat, portum capere prohibe-
bantur; sed loca sunt egregia omni illa regione ad tenendas an-
coras. Hi cum diu retinerentur atque aquae inopia premerentur,
10 nauigio actuario Caesarem faciunt certiorem. Caesar, ut per se
consilium caperet, quid faciendum uideretur, nauem conscendit
atque omnem classem se sequi iussit nullis nostris militibus impo-

1 sese non *om. b.* possent *a b.* nauibus aquam *a Stephanus,* aquam nauibus *reliquae edd.* peterent *Aldus,* petere *a b c.* 2 Paraetonio *Aldus;* Paratonio *a 'mss. plerique',* Paratonis *b c.* uel dextra *a.* 3 nunquam (*a*). 4 non solum hiis *a.* 5 ne his quidem nihil *a.* 6 *ante* magno *add.* sine *c.* impetum *b.* aduersus munitionibus *a et, qui* aduersis, *b;* aduersos ex munitionibus *u.* 7 sustinere *ego,* sustineri *codd. P.* 189. 8 ascensum (*a*). 9 schaphis *a.* 10 aedificationum *b.* 11 praecurrituros *b.* 12 tamen *a b, om. u.* fugam *a.* 18 uisaque dulcis *a.* 21 deditiis *a.* 22 inposita *a.* Caluicio *a.* 23 littora *a.* ultra *ego, om. a b c;* supra *u.* 25 anchoras *a.* 28 nauem *a 'mss. plerique',* nauim *u.*

sitis, quod, cum longius paulo discederet, munitiones nudare nole-
bat. Cumque ad eum locum accessisset, qui appellatur Chersone- 2
sus aquandique causa remiges in terram exposuisset, nonnulli ex
eo numero, cum longius a nauibus praedatum processissent, ab
equitibus hostium sunt excepti. Ex his cognouerunt Caesarem 3
ipsum in classe uenisse neque ullos milites in nauibus habere.
Qua re comperta magnam sibi facultatem fortunam obtulisse bene
gerendae rei crediderunt. Itaque naues omnes, quas paratas ha- 4
buerant ad nauigandum, propugnatoribus instruxerunt Caesarique
redeunti cum classe occurrerunt. Qui duabus de causis eo die di- 5
micare nolebat, quod et nullos milites in nauibus habebat, et post
horam X diei res agebatur; nox autem allatura uidebatur maiorem
fiduciam illis, qui locorum notitia confidebant: sibi etiam hortandi
suos auxilium defuturum, quod nulla satis idonea esset hortatio,
quae neque uirtutem posset notare neque inertiam. Quibus de 6
causis naues, quas potuit, Caesar ad terram detrahit; quem in lo-
cum illos successuros non existimabat. Erat una nauis Rhodia in **11**
dextro Caesaris cornu longe ab reliquis collocata. Hanc conspi-
cati hostes non tenuerunt sese, magnoque impetu IIII ad eam con-
stratae naues et complures apertae contenderunt. Cui coactus est 2
Caesar ferre subsidium, ne turpem in conspectu contumeliam ac-
ciperet, quamquam, si quid grauius illis accidisset, merito casurum
iudicabat. Proelium commissum est magna contentione Rhodio- 3
rum; qui cum in omnibus dimicationibus et scientia et uirtute
praestitissent, tum maxime illo tempore totum onus sustinere non
recusabant, ne quod suorum culpa detrimentum acceptum uidere-
tur. Ita proelium secundissimum est factum. Capta est una ho- 4
stium quadriremis, depressa est altera, duae omnibus epibatis nu-
datae; magna praeterea multitudo in reliquis nauibus propugna-
torum est interfecta. Quod nisi nox proelium diremisset, tota 5

1 nudari *d.* 2 accessisset *Aldus,* accessissent *a 'mss.* 8'. Chersonesus *'uel* Chersonensus *b c',* Chersonensus *a.* 3 exposuisset *Aldus,* exposuissent *a 'mss.* 6'. 5 his *a edd. ante Ald. Stephanus,* iis *Aldus u.* 6 neque *ego,* nec (*a*) *edd. Nusquam in toto commentariorum corpore* seu, neu, nec *ponuntur ante uocalem, nisi quod auctor b. Hisp.* necopinans *dixit.* 10 occurrerant *a.* 14 quo nulla *a.* 17 succensuros *cum puncto sub* o *et suprasc.* e *a,* succensores *c.* 19 non terunt *a,* uerterunt *b.* 22 quanquam (*a*). casum *b.* 23 est *om. c.* contentio *a c.* 24 qui tum *b.* 25 maxime in illo *b.* 28 depressa altera *b.* duae *Turnebus,* deinde *codd.*

6 classe hostium Caesar potitus esset. Hac calamitate perterritis
hostibus aduerso uento leniter flante naues onerarias Caesar re-
12 mulco uictribus suis nauibus Alexandriam deducit. Eo detrimento
adeo sunt fracti Alexandrini, cum iam non uirtute propugnatorum,
sed scientia classiariorum se uictos uiderent, quibus . . . . . . et su-
perioribus locis subleuabantur, ut ex aedificiis defendi possent, et
materiam cunctam obicerent, quod nostrae classis oppugnationem
2 etiam ad terram uerebantur. Idem, posteaquam Ganymedes in
concilio confirmauit sese et eas, quae essent amissae, restituturum
et numerum adaucturum, magna spe et fiducia ueteres reficere
naues accuratiusque huic rei studere atque inseruire instituerunt.
3 Ac tametsi amplius CX nauibus longis in portu naualibusque ami-
serant, tamen reparandae classis cogitationem non deposuerunt.
Videbant enim non auxilia Caesari, non commeatus subportari
4 posse, si classe ipsi ualerent: praeterea nautici homines, urbis et
regionis maritimae cotidianoque usu a pueris exercitati, ad natu-
rale ac domesticum bonum refugere cupiebant; et quantum paruu-
lis nauigiis profecissent, sentiebant: itaque omni studio ad paran-
13 dam classem incubuerunt. Erant omnibus ostiis Nili custodiae
exigendi portorii causa dispositae. Naues ueteres erant in occul-
tis regiae naualibus, quibus multis annis ad nauigandum non erant
2 usi. Has reficiebant, illas Alexandriam reuocabant. Deerant re-
mi: porticus, gymnasia, publica aedificia detegebant; asseres re-
morum usum obtinebant: aliut naturalis solertia, aliud urbis copia
3 subministrabat. Postremo non longam nauigationem parabant,
sed praesentis temporis necessitati seruiebant et in ipso portu con-
fligendum uidebant. Itaque paucis diebus contra omnium opinio-
4 nem quadriremes XXII, quinqueremes V confecerunt; ad has mi-
nores apertasque complures adiecerunt et in portu periclitati re-
migio, quid quaeque earum efficere posset, idoneos milites impo-

2 remulgo *a b*. 4 pugnatorum *b*. 5 *lacunam post* quibus *notaui, ante* quibus *significauerat Dauisius*. 8 idem *a et sic* '*et* item *mss. et edd. qdd.*', iidem *u*. 9 ut eas *a b*. 10 adacturum *a*. 12 cx *Aldus* (*sed litteris*), ex *a* '*mss. aliquot*'. amiserant *Aldus,* miserant *a* '*mss.* 5'. 13 non *post* cogitationem *ponit a, ante* tamen *Aldus et sqq.* (*priores om.*). deposuerant *a b*. 14 Caesari (*a*) *Stephanus,* Caesaris '*mss. omnes*'. subportari *a*. 16 naturalem *a*. 18 reparandam *b*. 20 portarii '*mss. quid.*' *et ante corr. a*. 23 ginnasia *a*. publica aedificia *a edd. ante Ald.*, aedificia publica *Aldus u*. 24 usu *b*. aliut *priore loco a*. sollertia *a*. 25 ministrabat *b*. 29 quam plures *b*.

suerunt seque ad confligendum omnibus rebus parauerunt. Cae- 5
sar Rhodias naues VIIII habebat (nam decem missis una in cursu
[litore] Aegyptio defecerat), Ponticas VIII, Lycias V, ex Asia XII.
Ex his erant quinqueremes et quadriremes X, reliquae infra hanc
magnitudinem et pleraeque apertae. Tamen uirtute militum con-
fisus cognitis hostium copiis se ad dimicandum parabat. Postquam 14
eo uentum est, ut sibi uterque confideret, Caesar Pharon classe
circumuehitur aduersasque naues hostibus constituit: in dextro
cornu Rhodias collocat, in sinistro Ponticas. Inter has spatium
CCCC passuum relinquit, quod satis esse ad explicandas naues ui-
debatur. Post hunc ordinem reliquas naues subsidio distribuit; 2
quae quamque earum sequatur et cui subueniat, constituit atque
imperat. Non dubitanter Alexandrini classem producunt atque in- 3
struunt: in fronte collocant XXII, reliquas subsidiarias in secundo
ordine constituunt. Magnum praeterea numerum minorum naui- 4
giorum et scapharum producunt cum malleolis ignibusque, si quid
ipsa multitudo et clamor et flamma nostris terroris adferre possent.
Erant inter duas classes uada transitu angusto, quae pertinent ad 5
regionem Africae (sic enim praedicant, partem esse Alexandriae
dimidiam Africae), satisque diu inter ipsos est expectatum, ab 6
utris fieret transeundi initium, propterea quod ei, qui intrassent,
et ad explicandam classem et ad receptum, si durior accidisset ca-
sus, impeditiores fore uidebantur. Rhodiis nauibus praeerat Eu- 15
phranor, animi magnitudine ac uirtute magis cum nostris homini-
bus quam cum Graecis comparandus. Hic ob notissimam scien- 2
tiam atque animi magnitudinem delectus est ab Rhodiis, qui impe-
rium classis obtineret. Qui ubi Caesaris animum aduertit, 'Vide- 3
ris mihi', inquit, 'Caesar, uereri, si haec uada primis nauibus in-
traris, ne prius dimicare cogaris, quam reliquam classem potueris
explicare. Nobis rem committe: nos proelium sustinebimus (ne- 4

2 viii habebat *a*. 3 littore *a*. *P*. 190. Aegypto *b*, Aegipto *a*. Licias *a*. 4 erant *om. d*. v.remes *a et sic uel* quinqueremes '*mss. omnes*', quinqueremes quinque *Aldus u*. 7 uterque *a et, ut puto, b*; uterque eorum *u*: uterque (*potius* eorum) '*non comparet in b*'. Pharon (*a*) '*mss.*', *non* Pharum. classi *a*. 9 Rhodios *a*. locat *b*. Ponticos inter hos *a*. 17 adferre *a*. 20 ipso sé expectatum *a*. 21 fieret transeundi *a*, transeundi fieret *edd*. ei *a b c d*, eis *u*. 23 expeditiores *a d*. 25 Grecis *a*. tatissimam *ante corr. a*. 28 inquid *a*. intraris *a b*, intraueris *u*. 29 potueris *a cod. Vrs*. 3 *dett*., possis *u*.

que tuum iudicium fallemus), dum reliqui subsequantur. Hos qui-
dem diutius in nostro conspectu gloriari magno nobis et dedecori
5 et dolori est'. Caesar illum adhortatus atque omnibus laudibus
6 prosecutus dat signum pugnae. Progressas ultra uadum IIII Rho-
dias naues circumsistunt Alexandrini atque in eas impetum faci-
unt. Sustinent illi atque arte solertiaque se explicant; ac tantum
doctrina potuit, ut in dispari numero nulla transuersa hosti obice-
retur, nullius remi detergerentur, sed semper uenientibus aduer-
7 sae occurrerent. Interim sunt reliquae subsecutae. Tum neces-
sario discessum ab arte est propter angustias loci, atque omne cer-
8 tamen in uirtute constitit. Neque uero Alexandriae fuit quisquam
aut nostrorum aut oppidanorum, qui aut in opere aut in pugna
occupatum animum haberent, quin altissima tecta peteret atque ex
omni prospectu locum spectaculo caperet precibusque et uotis ui-
16 ctoriam suis ab diis inmortalibus exposceret. Minime autem par
erat proelii certamen. Nostris enim [pulsis] neque terra neque
mari effugium dabatur uictis, omniaque uictoribus erant futura in
2 incerto: illi, si superassent nauibus, omnia tenerent; si inferiores
3 fuissent, reliquam tamen fortunam periclitarentur. Simul illud
graue ac miserum uidebatur, perpaucos de summa rerum ac de sa-
lute omnium decertare; quorum si qui aut animo aut uirtute ces-
sisset, reliquis etiam esset cadendum, quibus pro se pugnandi fa-
4 cultas non fuisset. Haec superioribus diebus saepenumero Caesar
suis exposuerat, ut hoc maiore animo contenderent, quod omnium
5 salutem sibi commendatam uiderent. Eadem suum quisque contu-
bernalem, amicum, notum prosequens erat obtestatus, ne suam at-
que omnium falleret opinionem, quorum iudicio delectus ad pugnam
6 proficisceretur. Itaque hoc animo est decertatum, ut neque mari-
timis nauticisque solertia atque ars praesidium ferret, neque nume-
ro nauium praestantibus multitudo prodesset, neque flexi ad uirtu-
tem e tanta multitudine uiri uirtuti nostrorum possent adaequare.
7 Capitur hoc proelio quinqueremis una et biremis cum defensoribus

4 pugna *b*. progressis *b et ante corr. a*. 6 atque rate *a*. 12 pugna *a b c*, oppugnatione *u*. 13 haberent *a c*, haberet *u*. 15 inmortalibus *a*. 16 pulsis *codd.*, prorsus *Stephanus u. P.* 190. 20 de summa rerum *om. a b*. 22 cadendum *Aldus*, cauendum *codd.* 24 maiore *'mss. et edd. qdd.'*, maiori (*a*) *u*. 29 nauticisque] neque nauticis *b*. sollertia *a*. 30 flecti *a b*. *P.* 190. 31 e *a b*, ex *u*. adaequare 2 *dett.*, adaequarent *a c*; adaequari *u*.

remigibusque, et deprimuntur tres nostris incolumibus omnibus.
Reliquae propinquam fugam ad oppidum capiunt; quas protexerunt 8
ex molibus atque aedificiis inminentibus et nostros adire propius
prohibuerunt. Hoc ne sibi saepius accidere posset, omni ratione 17
Caesar contendendum existimauit, ut insulam molemque ad insu-
lam pertinentem in suam redigeret potestatem. Perfectis enim 2
magna ex parte munitionibus in oppido etiam illa urbem uno tem-
pore temptari posse confidebat. Quo capto consilio cohortes 3
X et leuis armaturae electos quos*que* idoneos ex equitibus Gal-
lis arbitrabatur in nauigia minora scaphasque inponit; alteram
insulae partem distinendae manus causa constratis nauibus adgre-
ditur praemiis magnis propositis, qui primus insulam cepisset. Ac 4
primum impetum nostrorum pariter sustinuerunt. Vno enim tem-
pore et ex tectis aedificiorum propugnabant et litora armati defen-
debant, quo propter asperitatem loci non facilis nostris aditus da-
batur, et scaphis nauibusque longis quinque mobiliter et scienter
angustias loci tuebantur. Sed ubi primum locis cognitis uadisque 5
pertemptatis pauci nostri in litore constiterunt atque hos sunt alii
subsecuti constanterque in eos, qui in litore aequo institerant, im-
petum fecerunt, omnes Pharitae terga uerterunt. His pulsis custo- 6
diae portus relicti naues ad litora et uicum adplicarunt seque ex
nauibus ad tuenda aedificia eiecerunt. Neque uero diutius ea mu- 18
nitione se continere potuerunt, etsi erat non dissimile atque Alexan-
driae genus aedificiorum, ut minora maioribus conferantur, tur-
resque editae et coniunctae muri locum optinebant, neque nostri
aut scalis aut cratibus aut reliquis rebus parati uenerant ad op-
pugnandum. Sed terror hominibus mentem consiliumque eripit et 2
membra debilitat, ut tunc accidit. Qui se in aequo loco ac plano 3

1 incolomibus *cum* u *super* lo *a*. 3 inminentibus *a*. 7 etiam illa urbem *ego;* et illam urbem *a*, et illa in urbem *b c d*. *P*. 190 *extr*. tempore *om*. *a*. 9 quosque *Lipsius*, quos *codd*. *P*. 191. 10 inponit *a*. alteram *Aldus*, in alteram *a b*. 11 destinendae *a et sic aut* detinendae '*mss. qdd.*' constractis *a*. adgreditur *a*. 12 praemiisque *a b*. 13 primum *a b*, primo *u*. 14 aedificiorum *om*. *b*. littora *a*. 16 schaphis *a*. 18 *et* 19 littore *a*. 19 constiterant *b*. 20 custodiae portus relicti *Iurinius*, custodia portus relicta *codd*. *P*. 192. 21 naues *a et*, '*si excerptis fides habenda, mss. plerique*'; *om*. *b*. littora *a*. adplicarunt *a*, applicauerunt *u*. 22 diutius *a b c*, diutius ipsi *u*. ea *Dauisius*, ex *codd*. 24 maioribus] minoribus *a b*. circumferantur *b*. 25 coniunctae] munitae *m. pr. b*. optinebant *a*.

pares esse confidebant, idem perterriti fuga suorum et caede pau-
corum XXX pedum altitudine in aedificiis consistere ausi non sunt
seque per molem in mare praecipitauerunt et DCCC passuum inter-
uallum ad oppidum enatauerunt. Multi tamen ex his capti inter-
19 fectique sunt; sed numerus captiuorum omnino fuit sexcenti. Cae-
sar praeda militibus concessa aedificia diripi iussit castellumque ad
pontem, qui propior erat Pharo, communiuit atque ibi praesidium
2 posuit. Hunc fuga Pharitae reliquerant; certiorem illum propio-
remque oppido Alexandrini tuebantur. Sed eum postero die simili
ratione adgreditur, quod his optentis duobus omnem nauigiorum
3 excursum et repentina latrocinia sublatum iri uidebat. Iamque
eos, qui praesidio eum locum tenebant, tormentis ex nauibus sa-
gittisque depulerat atque in oppidum redegerat et cohortium trium
instar in terram exposuerat (non enim plures consistere angustiae
loci patiebantur); reliquae copiae in nauibus stationem optinebant.
4 Quo facto imperat pontem aduersus hostem praeuallari et, qua
exitus nauibus erat fornice exstructo, quo pons sustinebatur, la-
5 pidibus oppleri atque obstrui. Quorum altero opere effecto, ut
nulla omnino scapha egredi posset, altero instituto omnes Alexan-
drinorum copiae ex oppido se eiecerunt et contra munitiones pon-
tis latiore loco constiterunt, eodemque tempore quae consueuerant
nauigia per pontes ad incendia onerariarum emittere ad molem
6 constituerunt. Pugnabatur a nostris ex ponte, ex mole; ab illis
ex area, quae erat aduersus pontem, et ex nauibus contra molem.
20 In his rebus occupato Caesare militesque hortante remigum ma-
gnus numerus et classiariorum ex longis nauibus nostris in molem
2 se eiecit. Pars eorum studio spectandi ferebatur, pars etiam cu-
piditate pugnandi. Hi primum nauigia hostium lapidibus ac fundis
a mole repellebant ac multum proficere multitudine telorum uide-
3 bantur. Sed postquam ultra eum locum ab latere eorum aperto
ausi sunt egredi ex nauibus Alexandrini pauci, ut sine signis cer-

1 idem *a*, iidem *u*. 2 pedum] in *add. b*. constare *b*. 3 seque] sed *c*. interuallum *b cod. Vrs.* 2 *dett.*, interuallo (*a*) *u*. 4 his *a edd. priores*, iis *P. Manutius u*. 5 sexcenti *edd.*; vı *superducta linea a et sic* '*mss. uel* sex mil. *seu* milium, *ut dat d*'. 7 communit *b*. 8 certiorem *a b c*, fortiorem *Aldus u*. 10 adgreditur *a*. quod *om. a b*. optentis *a*. 11 uidebat *Th. Bentleius*; uidebantur *a b*, uidebatur *Aldus u*. 15 optinebant *a*. 17 instructo *b*. 19 schapha *a*. 23 a nobis *codd. P.* 11. 24 archa *b*. 25 remigium *a*.

tisque ordinibus, sine ratione prodierant, sic temere in naues
fugere coeperunt. Quorum fuga incitati Alexandrini plures ex na- 4
uibus egrediebantur nostrosque acrius perturbatos insequebantur.
Simul, qui in nauibus longis remanserant, scalas rapere nauesque
a terra repellere properabant, ne hostes nauibus potirentur. Qui- 5
bus omnibus rebus perturbati milites nostri cohortium trium, quae
in ponte ac prima mole constiterant, cum post se clamorem exau-
dirent, fugam suorum uiderent, magnam uim telorum aduersi susti-
nerent, ueriti, ne ab tergo circumuenirentur et discessu nauium
omnino reditu intercluderentur, munitionem in ponte institutam re-
liquerunt et magno cursu incitati ad naues contenderunt. Quorum 6
pars proximas nacta naues multitudine hominum atque onere de-
pressa est, pars resistens et dubitans, quid esset capiendum con-
silii, ab Alexandrinis interfecta est; nonnulli feliciore exitu expe- 7
ditas ad ancoram naues consecuti incolumes discesserunt, pauci
adleuatis scutis et animo ad conandum nisi ad proxima nauigia ad-
natarunt. Caesar, quoad potuit cohortando suos ad pontem ac **21**
munitiones continere, eodem in periculo uersatus est; postquam
uniuersos cedere animaduertit, in suum nauigium se recepit. Quo 2
multitudo hominum insecuta cum inrumperet, neque administrandi
neque repellendi a terra facultas daretur, fore, quod accidit, suspi-
catus sese ex nauigio eiecit atque ad eas, quae longius constite-
rant, naues adnatauit. Hinc suis laborantibus subsidio scaphas 3
mittens nonnullos conseruauit. Nauigium quidem eius multitudine
depressum militum una cum hominibus interiit. Hoc proelio de- 4
siderati sunt ex numero legionariorum militum circiter CCCC et
paulo *ultra* eum numerum classiarii et remiges. Alexandrini eo 5
loco castellum magnis munitionibus multisque tormentis confirma-
runt atque egestis ex mari lapidibus libere sunt usi postea ad mit-
tenda nauigia. Hoc detrimento milites nostri tantum afuerunt ut **22**
perturbarentur, ut incensi atque incitati magnas accessiones fece-
rint in operibus hostium expugnandis in proeliis cotidianis, quan-

2 fugere *a b*, refugere *u*. 3 perturbantes *a*. 10 ponte *unus det.*, pontem *reliqui*. 15 anchoram *a*. 16 alleuatis *a b c*, alleuati *u* (adl. *a*). nisi *a b*, nixi *u*. adnatauerunt *b*. 18 munitionem *b*. continere *Iurinius*, contendere *codd. P.* 192. 20 inrumperet *a*. 23 scafas *a*. 25 una cum hominibus *om. b*. 27 ultra *Stephanus et, 'si excerptis fides est, c'; om. a b*. 28 confirmarunt *a 'mss. et edd. qdd.'*, confirmauerunt *u*. 30 fuerunt *a b c*, abfuerunt *u*. 31 incensi *a b* 4 *dett.*, incensi potius *u*. 32 quan-

documque fors obtulerat, procurrentibus et erumpentibus Alexan-
drinis manum . . . . comprehendi multum operibus . . . . et ar-
2 dentibus studiis militum, nec diuulgata Caesaris hortatio subsequi
legionum aut laborem aut pugnandi poterat cupiditatem, ut magis
deterrendi et continendi a periculosissimis essent dimicationibus
23 quam incitandi ad pugnandum. Alexandrini, cum Romanos et se-
cundis rebus confirmari et aduersis incitari uiderent neque ullum
belli tertium casum nossent, quo possent esse firmiores, ut con-
iectura consequi possumus, aut admoniti a regis amicis, qui in
Caesaris erant praesidiis, aut suo priore consilio per occultos nun-
tios regi probato legatos ad Caesarem miserunt, ut dimitteret re-
2 gem transireque ad suos pateretur: paratam enim multitudinem
esse confectam taedio puellae fiduciaria dominatione crudelissima
3 Ganymedis facere id, quod rex imperasset; quo si auctore in Cae-
saris fidem amicitiamque uenturi essent, nullius periculi timorem
24 multitudini fore impedimento, quo minus se dederent. Caesar,
etsi fallacem gentem semperque alia cogitantem, alia simulantem
bene cognitam habebat, tamen petentibus dare ueniam utile esse
2 statuit, quod, si quo pacto sentirent ea, quae postularent, mansu-
rum in fide dimissum regem credebat, sin, id quod magis illorum
naturae conueniebat, ducem ad bellum gerendum regem habere
uellent, splendidius atque honestius se contra regem quam contra
3 conuenarum ac fugitiuorum manum bellum esse gesturum. Itaque
regem cohortatus, ut consuleret regno paterno, parceret praecla-
rissimae patriae, quae turpibus incendiis et ruinis esset deformata,
ciues suos primum ad sanitatem reuocaret, deinde conseruaret,
fidem populo Romano sibique praestaret, cum ipse tantum ei cre-
deret, ut ad hostes armatos eum mitteret, dextra dextram tenens
4 dimittere coepit adulta iam aetate puerum. At regius animus di-
sciplinis fallacissimis eruditus, ne a gentis suae moribus degene-
raret, flens orare contra Caesarem coepit, ne se dimitteret: non
5 enim sibi regnum ipsum conspectu Caesaris esse iucundius. Com-

docunque (*a*). 2 *lacunas ego significaui. P.* 193. multum] militum *b*. 6 cum *om. a*. 8 qui *a c*. 11 regi *cod. Vrs.*, regis *reliqui*. 12 multitudinem *a b*, omnem multitudinem *u*. 13 fiduciaria *ego*, fiduciario *a b c;* fiduciario regno *u*. 15 amiciciamque *a*, atque amicitiam *b*. 17 si *a*. 19 pacto *P. Manutius*, facto *codd.* sentiret *a 'mss. plerique'*. 22 se *a edd. priores*, sese *Aldus nepos u*. 24 parceret] et *add. a b*. 32 sibi regnum ipsum *a Stephanus*, regnum ipsum sibi *ceterae edd.* iocundius *a*.

pressis pueri lacrimis Caesar ipse commotus celeriter, si illa sen-
tiret, fore eum secum adfirmans ad suos dimisit. Ille ut ex car- 6
ceribus in liberum cursum emissus adeo contra Caesarem acriter
bellum gerere coepit, ut lacrimas, quas in colloquio proiecerat,
gaudio uideretur profudisse. Accidisse hoc complures Caesaris le- 7
gati, amici, centuriones militesque laetabantur, quod nimia bonitas
eius fallaciis pueri elusa esset. Quasi uero id Caesar bonitate
tantum adductus ac non prudentissimo consilio fecisset. Cum duce 25
adsumpto Alexandrini nihilo se firmiores factos aut languidiores
Romanos animaduerterent eludentibusque militibus regis aetatem
atque infirmitatem magnum dolorem acciperent neque se quicquam
proficere uiderent, rumoresque existerent, magna Caesari praesidia
terrestri itinere, Syria Ciliciaque, adduci, quod nondum auditum
Caesari erat, commeatum, qui mari nostris subportabatur, inter-
cipere statuerunt. Itaque expeditis nauigiis locis idoneis ad Cano- 2
pum in statione dispositis nauibus insidiabantur nostris commea-
tu*que*. Quod ubi Caesari nuntiatum est, suam classem iubet ex- 3
pediri atque instrui. Praeficit huic Tiberium Neronem. Profici-
scuntur in ea classe Rhodiae naues atque in his Euphranor, sine
quo nulla umquam dimicatio marituma, nulla etiam parum feliciter
confecta erat. At fortuna, quae plerumque eos, quos plurimis be- 4
neficiis ornauit, ad duriorem casum reseruat, superiorum tempo-
rum dissimilis Euphranorem prosequebatur. Nam cum ad Cano- 5
pum uentum esset, instructaque utrimque classis conflixisset, et
sua consuetudine Euphranor primus proelium commisisset et tri-
remem hostium perforasset ac demersisset, proximam longius in-
secutus parum celeriter insequentibus reliquis circumuentus ab
Alexandrinis est. Cui subsidium nemo tulit, siue quod in ipso sa- 6
tis praesidii pro uirtute ac felicitate eius putarent esse, siue quod

2 adfirmans *a*. 4 lacrymas (*a*). 9 adsumpto *a*. 10 aduerterent *a b c*. 11 quicquam *a, non* quidq. 12 existerent (*a*). Caesar *a*. 13 Cyliaque *a*. auditum Caesari *a 'mss. et edd. qdd.'*, Caesari auditum *Aldus u*. 14 mari nostris *a 'mss. et edd. qdd.'*, nostris mari *u*. subportabatur *a*. 16 commeatuque *ego*, commeatu *a b c*; commeatibus *u*. *P*. 193. 17 suam *ego*, unam *a b c*; *om. u*. 18 Tyberium *a*, Tib. *u*. 20 umquam *a, non* unq. (marituma *a c*) marina *b*. 23 prosequebatur (*a*) *c* 2 *dett.*, persequebatur *'reliqui'*. 24 utrimque *a, non* utrinque. classe *b*. 25 triremem *ego*, illi triremem *a b c*; illic triremem *u*. *P*. 194. 26 perforassent ac demersissent *a b c*. 28 est *om. a*.

ipsi sibi timebant. Ita qui unus ex omnibus eo proelio bene rem
gessit, solus cum sua quadriremi uictrice perit.
26 Sub idem tempus Mithridates Pergamenus, magnae nobilitatis
domi scientiaeque in bello et uirtutis, fidei dignitatisque in amicitia
Caesaris, missus in Syriam Ciliciamque initio belli Alexandrini
ad auxilia arcessenda cum magnis copiis, quas celeriter et propen-
sissima ciuitatum uoluntate et sua diligentia confecerat, itinere pe-
2 destri, quo coniungitur Aegyptus Syriae, Pelusium adducit idque
oppidum firmo praesidio occupatum Achillae propter opportunita-
tem loci (namque tota Aegyptos maritumo accessu Pharo, pedestri
Pelusio uelut claustris munita existimatur) repente magnis cir-
cumdatum copiis multiplici praesidio pertinaciter propugnantibus
et copiarum magnitudine, quas integras uulneratis defessisque
subiciebat, et perseuerantia constantiaque oppugnandi, quo die est
adgressus, in suam redegit potestatem praesidiumque ibi suum col-
3 locauit. Inde re bene gesta Alexandream ad Caesarem contendit
omnesque eas regiones, per quas iter faciebat, auctoritate ea, quae
plerumque adest uictori, pacarat atque in amicitiam Caesaris re-
27 degerat. Locus est fere regionum illarum nobilissimus non ita
longe ab Alexandrea, qui nominatur Delta; quod nomen a simili-
2 tudine litterae accepit: nam pars quaedam fluminis Nili deriuata
inter se duobus itineribus paulatim medium inter se spatium re-
3 linquens diuersissimo ad litus interuallo mari coniungitur. Cui
loco cum adpropinquare Mithridaten rex cognouisset et transeun-
dum ei flumen sciret, magnas aduersus eum copias misit, quibus
uel superari delerique Mithridaten uel sine dubio retineri posse
4 credebat. Quemadmodum autem optabat eum uinci, sic satis habe-
5 bat interclusum a Caesare a se retineri. Quae primae copiae flu-
men a Delta transire et Mithridati occurrere potuerunt, proelium
commiserunt festinantes praeripere subsequentibus uictoriae so-
6 cietatem. Quorum impetum Mithridates magna cum pruden-

1 ita qui *M. Hauptius,* itaque *codd.* 2 perit *a 2 dett.,* periit *u.* 5 missis *a b.* Siriam *a.* initi *b.* 7 ciuitatium *c.* 8 Aegiptus *a.* adducit] aduenit *Dauisius.* 9 Achilliae *a.* oportunitatem *a.* 10 Aegiptos *a,* Aegyptus *u.* maritumos *cum puncto super* s *a.* 11 magnis *om. b.* 12 pugnantibus *b.* 15 adgressus *a.* 16 Alexandream *a c,* Alexandriam *u.* 18 pacarat *unus det. et corr. a,* pacaret *ante corr. a;* placarat *'ceteri mss.'* 19 ita *om. b.* 20 Alexandrea *a c,* Alexandria *u.* 21 accepit *a b,* cepit *u.* deriuata *a b c 4 dett.,* mire deriuata *u.* 23 mari *b,* a mari *reliqui.* 24 adpropinquare *a.* Mithridaten, *non* — tem, *ubique* (*a*) *Graeu. u.* 26 Mitridaten *et* 29 Mitridati *et* 31 Mitridates *a.* 31 pruden-

tia [constantiaque uirtutum et Alexandrinorum inprudentia] consue-
tudine nostra castris uallatis sustinuit: cum uero incaute atque in- 7
solenter succedere eos munitionibus uideret, eruptione undique
facta magnum numerum eorum interfecit. Quod nisi locorum no- 8
titia reliqui se texissent partimque in naues, quibus flumen trans-
ierant, recepissent, funditus deleti essent. Qui ut paulum ab
illo timore se recrearunt, adiuncti his qui subsequebantur rursus
oppugnare Mithridaten coeperunt. Mittitur a Mithridate nuntius 28
Caesari, qui rem gestam perferret. Cognoscit ex suis eadem haec
accidisse rex. Ita paene sub idem tempus et rex ad opprimendum
Mithridaten proficiscitur et Caesar ad recipiendum. Celeriore flu- 2
minis Nili nauigatione rex est usus, in quo magnam et paratam
classem habebat. Caesar eodem itinere uti noluit, ne nauibus in
flumine dimicaret, sed circumuectus est eo mari, quod Africae par-
tis esse dicitur, sicuti supra demonstrauimus; prius tamen regis
copiis occurrit, quam is Mithridaten adgredi posset, eumque ad se
uictorem incolumi exercitu recepit. Consederat cum copiis rex 3
loco natura munito, quod erat ipse excelsior planicie ex omnibus
partibus subiecta; tribus autem ex lateribus uariis † generum mu- 4
nitionibus tegebatur: unum latus erat adiectum flumini Nilo, al-
terum editissimo loco ductum, ut partem castrorum obtineret, ter-
tium palude cingebatur. Inter castra et Caesaris iter flumen inter- 29
cedebat angustum altissimis ripis, quod in Nilum influebat, aberat
autem ab regis castris milia passuum circiter VII. Rex cum hoc 2
itinere uenire Caesarem comperisset, equitatum omnem expeditos-
que delectos pedites ad id flumen misit, qui transitu Caesarem pro-
hiberent et eminus ex ripis proelium impar inirent: nullum enim
processum uirtus habebat aut periculum ignauia subibat. Quae 3
res incendit dolore milites equitesque nostros, quod tam diu pari
proelio cum Alexandrinis certaretur. Itaque eodem tempore equi- 4

tia] potentia *illo suprasc. a.* 1 constantiaque uirtutum et Alexandrinorum imprudentia *a b c d reliquique; om. edd. et, 'si excerptis credendum', unus det.* (inprud. *a*). 2 caute *a.* 6 paulum *a b,* paululum *Aldus u.* 7 adiuncti *a b c,* adiunctis *u.* his *a edd. ante Ald.,* iis *Aldus u.* 9 haec *om. b.* 10 itaque *b.* pene *a.* 11 Mitridaten *a.* 12 quo 4 *dett.,* qua *reliqui.* 14 est *a b c* 4 *dett., om. u.* 16 Mitridaten *a.* adgredi *a.* 17 considerat *a et m. pr. b.* lex *a.* 18 planitie (*a*). 19 generum *a b c d,* genere *u. P.* 194. 22 castra *a b c,* castra regis *u.* 24 'a castris regis *mss. plerique*'. 25 equitatem *a.* 30 certarentur *ante corr. a,* decertarent *b.*

tes Germani dispersi uada [fluminum] quaerentes partim demissio-
ribus ripis flumen tranarunt, et legionarii magnis arboribus exci-
sis, quae longitudine utramque ripam contingerent, proiectis *iis*
5 repentinoque aggere iniecto flumen transierunt. Quorum impetum
adeo pertimuerunt hostes, ut in fuga spem salutis collocarent, sed
id frustra: namque ex ea fuga pauci ad regem refugerunt paene
30 omni reliqua multitudine interfecta. Caesar re praeclarissime gesta,
cum subitum aduentum suum iudicaret magnum terrorem Alexan-
2 drinis iniecturum, protinus uictor ad castra regis pertendit. Haec
cum et opere magno uallata et loci natura munita animaduerteret
confertamque armatorum multitudinem collocatam in uallo uideret,
lassos itinere ac proeliando milites ad oppugnanda castra succe-
dere noluit. Itaque non magno interuallo relicto ab hoste castra
3 posuit. Postero die castellum, quod rex in proximo uico non longe
a suis castris munierat brachiisque cum opere castrorum con-
iunxerat uici obtinendi causa, Caesar adgressus omnibus copiis
expugnat, non quod minore numero militum consequi difficile factu
putaret, sed ut ab ea uictoria perterritis Alexandrinis protinus
4 castra regis oppugnaret. Itaque eo cursu, quo refugientes Alexan-
drinos ex castello in castra sunt milites insecuti, munitionibus
5 successerunt acerrimeque eminus proeliari coeperunt. Duabus ex
partibus aditus oppugnationis nostris dabatur: una, quam liberum
accessum habere demonstraui; altera, quae mediocre interuallum
6 inter castra et flumen Nilum habebat. Maxima et electissima mul-
titudo Alexandrinorum defendebat eam partem, quae facillimum
7 aditum habebat; plurimum proficiebant in repellendis uulnerandis-
que nostris, qui regione fluminis Nili propugnabant: diuersis enim
telis nostri figebantur, aduersi ex uallo castrorum, auersi ex flu-
mine, in quo multae naues, instructae funditoribus et sagittariis
31 nostros inpugnabant. Caesar, cum uideret milites acrius proeliari
non posse nec tamen multum profici propter locorum difficultatem

1 fluminum *a b*, fluminis *u. P.* 194. 3 iis *ego, om. codd. P.* 194. 6 pene *a.* 10 animaduerteret *a* 5 *dett.*; animum aduerteret *c*, aduerteret *b.* 12 ac proeliando *om. b.* 16 adgressus *a.* 17 quod *a et sic 'uel* quod id *mss. mei'*, quo id *unus det. u.* minore *a 'mss. et edd. qdd.'*, minori *u.* factum *b.* 24 multitudo Alexandrinorum *a*, Alexandrinorum multitudo *edd.* 26 plurimum *a b c* 4 *dett.*, plurimum autem *u.* 28 auersi ex flumine *cod. Brantii;* mersi ex flumine *a*, 'mersi *uel* mersique flum. *mss. mei'.* 30 inpugnabant *a.* 31 tamen *om. b.*

cumque animum aduerteret excelsissimum locum castrorum re-
lictum esse ab Alexandrinis, quod et per se munitus esset, et stu-
dio partim pugnandi partim spectandi decucurrissent in eum locum,
in quo pugnabatur, cohortes illo circumire castra et summum lo-
cum adgredi iussit iisque Carfulenum praefecit, et animi magnitu-
dine et rei militaris scientia uirum praestantem. Quo ut uentum 2
est, paucis defendentibus munitionem, nostris contra militibus
acerrime pugnantibus diuerso clamore et proelio perterriti Alexan-
drini trepidantes in omnes partes castrorum discurrere coeperunt.
Quorum perturbatione nostrorum animi adeo sunt incitati, ut paene 3
eodem tempore ex omnibus partibus, primi tamen editissimum ca-
strorum locum caperent; ex quo decurrentes magnam multitudi-
nem hostium in castris interfecerunt. Quod periculum plerique 4
Alexandrini fugientes aceruatim se de uallo praecipitarunt in eam
partem, quae flumini erat adiuncta. Horum primis in ipsa fossa 5
munitionis magna ruina oppressis ceteri faciliorem fugam habue-
runt. Constat fugisse ex castris regem ipsum receptumque in na- 6
uem multitudine eorum, qui ad proximas naues adnatabant, de-
merso nauigio perisse. Re felicissime celerrimeque gesta Caesar 32
magnae uictoriae fiducia proximo terrestri itinere Alexandream
cum equitibus contendit atque ea parte oppidi uictor introiit, quae
praesidio hostium tenebatur. Neque eum consilium suum fefellit, 2
quin hostes eo proelio audito nihil iam de bello essent cogitaturi.
Dignum aduenians fructum uirtutis et animi magnitudinis tulit.
Omnis enim multitudo oppidanorum armis proiectis munitionibus- 3
que suis relictis ueste ea sumpta, qua supplices dominantes depre-
cari consuerunt, sacrisque omnibus prolatis, quorum religione pre-
cari offensos iratosque animos regum erant soliti, aduenienti Cae-
sari occurrerunt seque ei dediderunt. Caesar in fidem receptos 4
consolatus per hostium munitiones in suam partem oppidi magna
gratulatione uenit suorum; qui non tantum bellum ipsum ac dimi-
cationem, sed etiam talem aduentum eius felicem fuisse laetabantur.

Caesar Aegypto atque Alexandria potitus reges constituit, 33

1 animaduerteret '*mss.* 4'. 4 circumire *a* '*mss. et edd. qdd.*', circuire *Aldus u.* 5 adgredi *a.* isque *a.* 10 pene *a.* 11 castrorum locum *a*, locum castrorum *edd.* 14 Alexandrinorum *b.* praecipitarunt *a* '*mss.* 3', praecipitauerunt *u.* 19 celeriterque *b.* 20 magna *Ciacconius.* Alexandream *a c*, Alexandriam *u.* 21 intrat *b.* 24 magnitudinis] multitudinis *a b c.* 26 dominationes *b.* 27 consuerunt *a* 2 *dett.*, consueuerunt *u.* sacris omnibus *b.* 33 Aegipto *a.* constituit] ut *add. a b c d.*

quos Ptolemaeus testamento scripserat atque obtestatus erat po-
2 pulum Romanum, ne mutarentur. Nam maiore ex duobus pueris,
rege, amisso minori tradidit regnum maiorique ex duabus filiis,
3 Cleopatrae, quae manserat in fide praesidiisque eius: minorem,
Arsinoën, cuius nomine diu regnasse inpotenter Ganymeden do-
cuimus, deducere ex regno statuit, ne qua rursus noua dissensio,
priusquam diuturnitate confirmarentur regum imperia, per homines
4 seditiosos nasceretur. Legiones ibi ueterana sexta secum reducta
ceteras reliquit, quo firmius esset eorum regum imperium, qui ne-
que amorem suorum habere poterant, quod fideliter permanserant
in Caesaris amicitia, neque uetustatis auctoritatem paucis diebus
5 reges constituti. Simul ad imperii nostri dignitatem utilitatemque
publicam pertinere existimabat, si permanerent in fide reges, prae-
sidiis eos nostris esse tutos; si essent ingrati, posse isdem prae-
6 sidiis coërceri. Sic rebus omnibus confectis et collocatis ipse
[itinere terrestri] profectus est in Syriam.

34 Dum haec in Aegypto geruntur, rex Deiotarus ad Domitium
Caluinum, cui Caesar Asiam finitimasque prouincias administran-
das tradiderat, uenit oratum, ne Armeniam minorem, regnum
suum, neue Cappadociam, regnum Ariobarzanis, possideri uastari-
que pateretur a Pharnace; quo malo nisi liberarentur, imperata se
facere pecuniamque promissam Caesari non posse persoluere.
2 Domitius non tantum ad explicandos sumptus rei militaris cum
pecuniam necessariam esse iudicaret, sed etiam turpe populo Ro-
mano et C. Caesari uictori sibique infame esse statueret regna socio-
rum atque amicorum ab externo rege occupari, nuntios confestim
ad Pharnacem misit, Armenia Cappadociaque decederet neue oc-
cupatione belli ciuilis populi Romani ius maiestatemque temptaret.
3 Hanc denuntiationem cum maiorem uim habituram existimaret, si
propius eas regiones cum exercitu accessisset, ad legiones pro-
fectus unam ex tribus XXXVI secum ducit, duas in Aegyptum ad

1 populum Romanum] pater *b*. 3 filiabus *b*. 5 inpotenter *a*. Ganymeden (*a*) *et sine annotatione u*. 7 diuturnitates *ante corr. a*. regum *Stephanus*, regi *a b*; regis *u*. 8 legiones ibi — (9) reliquit *a b* 3 *dett. et, qui* legione, 3 *alii*; legione — ibi reliquit *u* (reliquid *a*). 9 quod *a b*. 13 praesidio eos nostros *b*. 14 esse tutos *ego*; essent ut hos *a*, esse (?) ut hos *b*, esse tutos (?) ut hos *c*; esse tutos et hos *u* (*Quae ut suspecta notaui, ea in b c legi silentio Oudendorpii credendum esset*). isdem *a*, iisdem *u*. 16 [itinere terrestri] *P*. 195. 17 Aegipto *a*. 20 Aribarzanis *b*. 22 promissam *om. b*. 25 C. *a b, om. u*. statuerat *b*. 27 Pharnacen *sine annotatione u*. 28 magestatemque *a*. 31 Aegiptum *a*.

Caesarem mittit litteris eius euocatas; quarum altera in bello Ale-
xandrino non occurrit, quod itinere terrestri per Syriam erat missa.
Adiungit [Cn.] Domitius legioni XXXVI duas ab Deiotaro, quas 4
ille disciplina atque armatura nostra complures annos constitutas
habebat, equitesque C totidemque ab Ariobarzane sumit. Mittit 5
P. Sestium ad C. Plaetorium quaestorem, ut legionem adduceret,
quae ex tumultuariis militibus in Ponto confecta erat, Quintumque
Patisium in Ciliciam ad auxilia arcessenda. Quae copiae celeriter
omnes iussu Domitii Comana conuenerunt. Interim legati a Phar- 35
nace responsa referunt: Cappadocia se decessisse, Armeniam mi-
norem recepisse, quam paterno nomine iure obtinere deberet.
Denique eius regni causa integra Caesari seruaretur: paratum
enim se facere, quod is statuisset. Domitius, cum animaduerteret 2
eum Cappadocia decessisse non uoluntate adductum, sed necessi-
tate, quod facilius Armeniam defendere posset subiectam regno
suo quam Cappadociam longius remotam quodque omnes tres le-
giones adducturum Domitium putasset; ex quibus cum duas ad
Caesarem missas audisset, audacius in Armenia substitisse, perse-
uerare coepit, ut eo quoque regno decederet: neque enim aliud 3
ius esse Cappadociae atque Armeniae, nec iuste eum postulare,
ut in Caesaris aduentum res integra differretur: id enim esse in-
tegrum, quod ita esset, ut fuisset. His responsis datis cum iis 4
copiis, quas supra scripsi, profectus est in Armeniam locisque su-
perioribus iter facere instituit: nam ex Ponto a Comanis iugum 5
editum siluestrest, pertinens in Armeniam minorem, quo Cappa-
docia finitur ab Armenia; cuius itineris has esse certas opportuni- 6
tates, quod in locis superioribus nullus impetus repentinus acci-
dere hostium poterat, et quod Cappadocia his iugis subiecta ma-
gnam commeatus copiam erat subministratura. Complures interim 36
legationes Pharnaces ad Domitium mittit, quae de pace agerent
regiaque munera Domitio ferrent. Ea constanter omnia asperna- 2
batur nec sibi quicquam fore antiquius quam dignitatem populi

3 Cn. *ego uncis inclusi.* 6 Sestium *a b*, Sextium *u.* Plaetorium '*uel* Pletorium' (*sic a*) '*mss.*' 7 Quintumque *a*, Quinctumque *P. Manutius u.* 10 responsa *om. b.* 13 Domitius *b*, P. Domitius *a edd. priores;* Cn. Domitius *P. Manutius u.* aduerteret *b.* 14 Cappadocie *a.* abscessisse *b.* abductum *a.* 15 regno suo *a*, suo regno *edd.* 17 putauisset *b.* 18 substitisse *Th. Bentleius;* substitisset et *a b* 3 *dett.*, substitisset *u.* 21 deferretur *b.* 24 a] ex *ante corr. a.* 25 siluestrē *a*, siluestre '*mss. omnes*'; siluestre est *Aldus u.* 26 oportunitates *a.* 28 Cappadociam — subiectam *b.* 32 quicquam *a*, *non* quidq.

3 Romani et regna sociorum reciperare legatis respondebat. Magnis
et continuis itineribus confectis cum aduentaret ad Nicopolim,
quod oppidum positum in Armenia minore est plano ipsum loco
montibus tamen altis ab duobus lateribus obiectis satis magno in-
teruallo ab oppido remotis, castra posuit longe a Nicopoli circiter
4 milia passuum VII. Quibus ex castris cum locus angustus atque
impeditus esset transeundus, Pharnaces in insidiis delectos pedites
omnesque paene disposuit equites, magnam autem multitudinem
pecoris intra eas fauces dissipari iussit paganosque et oppidanos
5 in his locis obuersari: ut, siue amicus Domitius eas angustias
transiret, nihil de insidiis suspicaretur, cum in agris et pecora et
homines animaduerteret uersari tamquam amicorum aduentu; siue
inimicus ut in hostium fines ueniret, praeda diripienda milites dis-
37 siparentur dispersique caederentur. Haec cum administraret,
numquam tamen intermittebat legatos de pace atque amicitia mit-
tere ad Domitium, cum hoc ipso crederet facilius eum decipi posse.
At contra spes pacis Domitio in eisdem castris morandi attulit
2 causam. Ita Pharnaces amissa proximi temporis occasione, *cum*
uereretur, ne cognoscerentur insidiae, suos in castra reuocauit.
3 Domitius postero die propius Nicopolim accessit castraque oppido
contulit. Quae dum muniunt nostri, Pharnaces aciem instruxit
4 suo more atque instituto. In fronte enim simplici directa acie cor-
nua trinis firmabantur subsidiis: eadem ratione haec media collo-
cabantur acie duobus dextra sinistraque interuallis simplicibus or-
5 dinibus instructis. Perfecit inceptum castrorum opus Domitius
38 parte copiarum pro uallo constituta. Proxima nocte Pharnaces
interceptis tabellariis, qui de Alexandrinis rebus litteras ad Domi-
tium ferebant, cognoscit Caesarem magno in periculo uersari
flagitarique ab Domitio, ut quam primum Caesari subsidia mitteret,
2 propiusque ipse Alexandriam per Syriam accederet. Qua cognita

1 reciperare *a*, recipere *c*: recuperare *u*. 5 *ante* castra *addunt* ex *a*, extra *b*. 8 pene *a*. 9 intra has *b*. 10 his *a edd. priores*, iis *P. Manutius u*. obseruari *a b*. siue *codd.*, si *Aldus u*. amicus] siue inimicus *add. codd.*; *quae ante* ut (13) *posui*, *om. Aldus u. P.* 195. 12 animum aduerteret *a et ex uno det. u*. tanquam (*a*). aduentus ut in *a b c*, aduentu sin uero ut in *u*. 14 dispersi *b*. 15 nunquam (*a*). tamen] tam̄ ñ *a*. 17 eisdem (*a*) *edd. priores*, iisdem *Lipsius u*. 18 cum uereretur *unus det.*, uereretur *a b c*; ueritus *Aldus u*. 21 contulit] rex *add. a et int. uers. b*. nostris *a*. 22 simplice '*mss. qdd.*' derecta *a* '*mss. qdd.*' 26 constituta *ego*, instituta *a b c d. P.* 196. 29 flagitareque 2 *dett.* ab *a*, a *edd.* Caesari *a* 3 *dett.*, sibi *u*.

re Pharnaces uictoriae loco ducebat, si trahere tempus posset, cum
discedendum Domitio celeriter putaret. Itaque ab oppido, qua fa- 3
cillimum accessum et aequissimum ad dimicandum nostris uidebat,
fossas duas directas non ita magno medio interuallo relicto IIII
pedum altitudinis in eum locum deduxit, quo longius constituerat
suam non producere aciem. Inter has fossas aciem semper in- 4
struebat, equitatum autem omnem ab lateribus extra fossam col-
locabat; qui neque aliter utilis esse poterat, et multum numero
anteibat nostrum equitatum. Domitius autem, cum Caesaris magis 39
periculo quam suo commoueretur neque se tuto discessurum ar-
bitraretur, si condiciones, quas reiecerat, rursus adpeteret aut
† sine causa discederet, ex propinquis castris in aciem exercitum
eduxit; XXXVI legionem in dextro cornu collocauit, Ponticam in 2
sinistro, Deiotari legiones in mediam aciem contulit, quibus tamen
angustissimum interuallum frontis reliquit reliquis cohortibus in
subsidiis collocatis. Sic utrimque acie instructa processum est ad
dimicandum. Signo sub idem tempus ab utroque dato concurritur: **40**
acriter uarieque pugnatur. Nam XXXVI legio, cum extra fossam
in equites regis impetum fecisset, adeo secundum proelium fecit,
ut moenibus oppidi succederet fossamque transiret auersosque
hostes adgrederetur. At Pontica ex altera parte legio, cum pau- 2
lum auersa hostibus cessisset, fossam autem circumire ac transcen-
dere conata esset, ut aperto latere adgrederetur hostem, in ipso
transitu fossae confixa et oppressa est. Deiotari uero legiones
uix impetum sustinuerunt. Ita uictrices regiae copiae cornu suo 3
dextro mediaque acie conuerterunt se ad XXXVI legionem. Quae
tamen fortiter uincentium impetum sustinuit, magnis copiis hostium
circumdata praesentissimo animo pugnans in orbem se recepit ad
radices montium; quo Pharnaces insequi propter iniquitatem loci
noluit. Ita Pontica legione paene tota amissa, magna parte Deio- 4
tari militum interfecta XXXVI legio in loca se superiora contulit
non amplius CCL desideratis. Ceciderunt eo proelio splendidi at- 5

4 derectas *a b*. medio interuallo *a edd. ante u*, interuallo medio *sine annotatione u*. 11 conditiones (*a*). adpeteret *a*. 12 † sine causa] *P*. 196. 14 legionem *b*. 15 interuallum frontis reliquit *a* '*mss. plerique*', frontis reliquit interuallum *u* (reliquid *a*). in subsidiis *unus det.*, insidiis *reliqui*. 16 utrimque *a*, *non* utrinq. 19 equites *a b cod. Vrs.* 2 *dett.*, equitatum *u*. 21 adgrederetur *a*. paulum *b*, paululum (*a*) *u*. 22 ac transcendere *ego*, acies secundo *codd. P*. 196. 23 adgrederetur *a*. 25 regiae *a* '*Leid.*' 2 *dett.*, regis *u*. 28 urbem *corr. a*. 30 pene *a*. 31 legio *om. a*.

que inlustres uiri nonnulli, equites Romani. Quo tamen incom-
modo Domitius accepto reliquias exercitus dissipati collegit itine-
41 ribusque tutis per Cappadociam se in Asiam recepit. Pharnaces
rebus secundis elatus, cum de Caesare ea, quae optabat, speraret,
2 Pontum omnibus copiis occupauit ibique et uictor et crudelissimus
rex, cum sibi fortunam paternam feliciore euentu destinaret, multa
oppida expugnauit, bona ciuium Romanorum Ponticorumque diri-
3 puit, supplicia constituit in eos, qui aliquam formae atque aetatis
commendationem habebant, ea, quae morte essent miseriora, Pon-
tumque nullo defendente paternum regnum glorians se recepisse
obtinebat.

42 Sub idem tempus in Illyrico est incommodum acceptum; quae
prouincia superioribus mensibus retenta non tantum sine ignomi-
2 nia, sed etiam cum laude erat. Namque eo missus aestate cum
duabus legionibus Q. Cornificius, Caesaris quaestor, pro praetore,
quamquam erat prouincia minime copiosa ad exercitus alendos et
finitimo bello ac dissensionibus confecta et uastata, tamen pruden-
tia ac diligentia sua, quod magnam curam suscipiebat, ne quo te-
3 mere progrederetur, et recepit et defendit. Namque et castella
complura locis editis posita, quorum opportunitas castellanos im-
pellebat ad decursiones faciendas et bellum inferendum, expugnauit
eaque praeda milites donauit, quae etsi erat tenuis, tamen in tanta
4 prouinciae desperatione erat grata praesertim uirtute parta, et cum
Octauius ex fuga Pharsalici proelii magna classe in illum se sinum
contulisset, paucis nauibus Iadertinorum, quorum semper in rem-
publicam singulare constiterat officium, dispersis Octauianis naui-
bus erat potitus, ut uel classe dimicare posset adiunctis captiuis
5 nauibus sociorum. Cum diuersissima parte orbis terrarum Cn.
Pompeium Caesar uictor sequeretur compluresque aduersarios in
Illyricum propter Macedoniae propinquitatem se reliquiis ex fuga
collectis contulisse audiret, litteras ad Gabinium mittit, uti cum le-
gionibus tironum, quae nuper erant conscriptae, proficisceretur in

1 inlustres *a.* 4 obtabat *a.* 5 ibique uictor *b.* 8 suppliciaque *c.* 10 detendente *a*, decedente *b*, contendente *pro uar. lect. c.* glorians se recepisse *a*, se recepisse glorians *edd.* 12 Illirico *a.* 16 quanquam (*a*). exercitum *a.* 18 sua *om. b.* ne quo] neque uero *a b c.* 20 oportunitas *a.* 23 parte *a.* 25 Iadestinorum *a* '*mss. omnes*, Hiad. *d.*' 27 ut uelle dimicare classe *b.* 28 cum *a b* 3 *dett.*, et cum *u.* 29 Caesar uictor *a Stephanus et sine annotatione u*, uictor Caesar *ceterae edd. ante u.* complures *b.* 31 conpulisse *a.*

Illyricum coniunctisque copiis cum Q. Cornificio, si quod pericu-
lum prouinciae inferretur, depelleret; sin ea non magnis copiis 6
tuta esse posset, in Macedoniam legiones adduceret: omnem enim
illam partem regionemque uiuo Cn. Pompeio bellum instauraturam
esse credebat. Gabinius, ut in Illyricum uenit, hiberno tempore 43
anni ac difficili, siue copiosiorem prouinciam existimans siue mul-
tum fortunae uictoris Caesaris tribuens siue uirtute et scientia sua
confisus, quam saepe in bellis periclitatus magnas res et secundas
ductu ausuque suo gesserat, neque prouinciae facultatibus subleua-
batur, quae partim erat exinanita partim infidelis, neque nauibus
intercluso mari tempestatibus commeatus supportare poterat ma-
gnisque difficultatibus coactus non ut uolebat, sed ut necesse erat
bellum gerebat. Ita cum durissimis tempestatibus propter inopiam 2
castella aut oppida expugnare cogeretur, crebro incommoda acci-
piebat adeoque est a barbaris contemptus, ut Salonam se recipiens 3
in oppidum maritumum, quod ciues Romani fortissimi fidelissimi-
que incolebant, in agmine dimicare sit coactus. Quo proelio duo- 4
bus milibus militum amplius amissis, centurionibus XXXVIII, tri-
bunis IIII cum reliquis copiis Salonam se recepit summaque ibi
difficultate rerum omnium pressus paucis mensibus morbo periit.
Cuius et infelicitas uiui et subita mors in magnam spem Octauium 5
adduxit prouinciae potiundae; quem tamen diutius in rebus secun-
dis et fortuna, quae plurimum in bellis potest, diligentiaque Cor-
nificii et uirtus Vatini uersari passa non est. Vatinius Brundisii 44
cum esset, cognitis rebus, quae gestae erant in Illyrico, cum
crebris litteris Cornificii ad auxilium prouinciae ferendum euoca-
retur et M. Octauium audiret cum barbaris foedera percussisse
compluribusque locis nostrorum militum oppugnare praesidia par-
tim classe per se partim pedestribus copiis per barbaros, etsi graui
ualetudine adfectus uix corporis uiribus animum sequebatur, tamen
uirtute uicit incommodum naturae difficultatesque et hiemis et
subitae praeparationis. Nam cum ipse paucas in portu naues lon- 2

1 Illiricum *a*. 2 si in ea *b*. 5 ut *om*. *b*. Illiricum *a*. 6 difficillimo *b*. 7 uictoris *om*. *b*. 8 quam *P. Manutius*, qua *codd.* 9 ausuque '*mss. constanter*', ausioque (*sic*) *a*: auspicioque *Lipsius*. 11 supportare *ego*, supportari *codd.* 13 ita (*a*) *edd. ante u*, *om. sine annotatione u* (*errore sine dubio*). 15 contentus *a*. 16 in *om*. *c*. maritumum *a*. 17 quod *a*. 19 Salonem *a*. receperit *a*. summam ibi difficultatem *b*. 20 passus *a b*. 24 Vatini *a* '*mss. qdd.*' Vatinus '*mss. qdd.*' 25 Illyrico *Stephanus*, Illyricum *a* (*is* Illir.) *b* 5 *dett.* 30 ualitudine *a*. adfectus *a*. 31 et hiemis *a c* 2 *dett.*, hiemis *reliqui*.

gas haberet, litteras in Achaiam ad Q. Calenum misit, uti sibi
3 classem mitteret. Quod cum tardius fieret, quam periculum no-
strorum flagitabat, qui sustinere impetum Octaui non poterant,
nauibus actuariis, quarum numerus erat satis magnus magnitudine
4 quamquam non satis iusta ad proeliandum, rostra imposuit. His
adiunctis nauibus longis et numero classis aucto militibus uetera-
nis impositis, quorum magnam copiam habebat ex omnibus legio-
nibus, qui numero aegrorum relicti erant Brundisii, cum exercitus
in Graeciam transportaretur, profectus est in Illyricum, maritu-
mas nonnullas ciuitates, quae defecerant Octauioque se tradide-
rant, partim recipiebat, partim remanentes in suo consilio prae-
5 teruehebatur nec sibi ullius rei moram necessitatemque iniungebat,
6 quin quam celerrime posset ipsum Octauium persequeretur. Hunc
oppugnantem Epidaurum terra marique, ubi nostrum erat praesi-
dium, aduentu suo discedere ab oppugnatione coëgit praesidium-
45 que nostrum recepit. Octauius, cum Vatinium classem magna ex
parte confectam ex nauiculis actuariis habere cognosset, confisus
2 sua classe substitit ad insulam Tauridem; qua regione Vatinius
insequens nauigabat, non quo Octauium ibi restitisse sciret, sed
3 quod eum longius progressum insequi decreuerat. Cum propius
Tauridem accessisset dispersis suis nauibus, quod et tempestas
erat turbulenta et nulla suspicio hostis, repente aduersam ad se
uenientem nauem antemnis ad medium malum demissis instructam
4 propugnatoribus animaduertit. Quod ubi conspexit, celeriter uela
subduci demittique antemnas iubet et milites armari et uexillo
sublato, quo pugnandi dabat signum, quae primae naues subseque-
5 bantur idem ut facerent, significabat. Parabant se Vatiniani re-
pente oppressi; parati deinceps Octauiani ex portu procedebant.
Instruitur utrimque acies, ordine disposita magis Octauiana, pa-
46 ratior militum animis Vatiniana. Vatinius, cum animum aduer-
teret neque nauium se magnitudine neque numero parem esse,

1 ad Q. Calenum in Achaiam *b* (Kalenum *contra codd. u*). 2 periculi *ante corr. a.* 3 Octaui *a.* 5 quanquam (*a*). non *om. a b c.* iuxta *a.* his adiunctis *Vascosanus*; his adiunctas *a*, has adiunctas *reliqui fere omnes.* 9 Illyrico *a.* maritimas *a b*, maritimasque *c u* (maritum. *a c*). 16 classe *a.* 17 cognosset *a*, cognouisset *u.* 19 non quo *a c*, non quod *u.* 21 dispersis *ego*, distersis *a b c*; distensis *u. P.* 197. 22 ad se uenientem aduersam *b.* 23 antemnis *a*, *non* antennis. 24 aduertit *b*, animum aduertit *a et cum uno det. u.* 25 dimittique *a* '*mss. plerique*'. antennas (*a*). iussit '*mss. plerique*'. 27 significabant *a.* 29 utrinque (*a*). 30 animum aduerteret (*a*) *b*, *non* animadu.

fortunae rem committere noluit. Itaque primus sua quinqueremi
in quadriremem ipsius Octaui impetum fecit. Celerrime fortissime- 2
que contra illo remigante naues aduersae rostris concurrerunt
adeo uehementer, ut nauis Octauiana rostro discusso ligno conti-
neretur. Committitur acriter reliquis locis proelium, concurritur- 3
que ad duces maxime: nam cum suo quisque auxilium ferret,
magnum comminus in angusto mari proelium factum est. Quanto- 4
que coniunctis magis nauibus confligendi potestas dabatur, tanto
superiores erant Vatiniani; qui admiranda uirtute ex suis nauibus
in hostium naues transilire non dubitabant et dimicatione aequata
longe superiores uirtute rem feliciter gerebant. Deprimitur ipsius 5
Octaui quadriremis, multae praeterea capiuntur aut rostris perfo-
ratae merguntur: propugnatores Octauiani partim in nauibus iugu-
lantur, partim in mare praecipitantur. Ipse Octauius se in scapham 6
confert; in quam plures cum confugerent, depressa scapha uulne-
ratus tamen adnatat ad suum myoparonem. Eo receptus, cum 7
proelium nox dirimeret, tempestate magna uelis profugit. Sequun-
tur hunc suae naues nonnullae, quas casus ab illo periculo uindi-
carat. At Vatinius re bene gesta receptui cecinit suisque omnibus 47
incolumibus in eum se portum uictor recepit, quo ex portu classis
Octaui ad dimicandum processerat. Capit ex eo proelio penterem 2
unam, triremes duas, dicrotas VIII compluresque remiges Octauia-
nos posteroque ibi die, dum suas captiuasque naues reficeret,
consumpto post diem tertium contendit in insulam Issam, quod eo
se recepisse ex fuga credebat Octauium. Erat in ea nobilissimum 3
regionum earum oppidum coniunctissimumque Octauio. Quo ut 4
uenit, oppidani supplices se Vatinio dediderunt, comperitque ipsum
Octauium paruis paucisque nauigiis uento secundo regionem Grae-
ciae petisse, inde ut Siciliam, deinde Africam caperet. Ita bre- 5
uissimo spatio re praeclarissime gesta prouincia recepta et Corni-
ficio reddita, classe aduersariorum ex illo toto sinu expulsa uictor
se Brundisium incolumi exercitu et classe recepit.

1 fortunae *a b c*: fortuitae dimicationi fortunae *dett.*, *nisi quod duo* dimicationis. 2 issius *a*. Octaui *a*. celerrimeque fortissime *a*. 3 remigantem *a*. concurrerunt *a* 3 *dett.*, occurrerunt *b*: concurrunt *u*. 6 nam tum *a*. 7 cominus (*a*). 9 erant *om. a*. 12 Octaui *a*. 18 uindicauerat *b*. 19 Vitius *cum puncto sub priore* i *et suprasc.* a *a*. 21 Octaui *a*, Octauii '*mss. plerique*'; Octauiana *u*. capit eo *b*. penterem (*a*) *c*, 'pentiremem *uel* penteremem *ceteri*'. 23 ibi *om. b*. 24 consumpto 2 *dett.*, *om. reliqui*. tertium *a*, *non* m. 25 ex *om. b*. in eum *a*, meum *c*. 27 uenit *a b*, peruenit *u*. comperit *b*. 29 breuissimo *a b*, breui *u*.

48 Iis autem temporibus, quibus Caesar ad Dyrrhachium Pom-
peium obsidebat et Palaepharsali rem feliciter gerebat Alexandriae-
que cum periculo magno tum etiam maiore periculi fama dimica-
bat, Q. Cassius Longinus in Hispania pro praetore prouinciae ul-
terioris optinendae causa relictus siue consuetudine naturae suae
siue odio, quod in illam prouinciam susceperat quaestor ex insidiis
2 ibi uulneratus, magnas odii sui fecerat accessiones, quod uel ex
conscientia sua, cum de se mutuo sentire prouinciam crederet, uel
multis signis et testimoniis eorum, qui difficulter odia dissimula-
bant, animum aduertere poterat, et compensare offensionem pro-
3 uinciae exercitus amore cupiebat. Itaque, cum primum in unum
locum exercitum conduxit, sestertios centenos militibus est polli-
4 citus nec multo post, cum in Lusitania Medobregam oppidum mon-
temque Herminium expugnasset, quo Medobregenses confugerant,
ibique imperator esset appellatus, sestertiis centenis milites dona-
5 uit. Multa praeterea et magna praemia singulis concedebat; quae
speciosum reddebant praesentem exercitus amorem, paulatim tamen
49 et occulte militarem disciplinam seueritatemque minuebant. Cas-
sius legionibus in hiberna dispositis ad ius dicendum Cordubam se
recepit contractumque in ea aes alienum grauissimis oneribus pro-
uinciae constituit exsoluere; et ut largitionis postulat consuetudo,
per causam liberalitatis speciosam plura largitori quaerebantur.
2 Pecuniae locupletibus imperabantur, quas Longinus sibi expensas
ferri non tantum patiebatur, sed etiam cogebat, in gregem locuple-
3 tium simultatium causa tenues coniciebantur, neque ullum genus
quaestus aut magni et euidentis aut minimi et sordidi praetermit-
4 tebatur, quo domus et tribunal imperatoris uacaret. Nemo erat,
qui modo aliquam iacturam facere posset, quin aut uadimonio te-
5 neretur, aut in reos referretur. Ita magna etiam sollicitudo peri-
culorum ad iacturas et detrimenta rei familiaris adiungebatur.
50 Quibus de causis accidit, ut, cum Longinus imperator eadem face-
ret, quae fecerat quaestor, similia rursus de morte eius prouincia-

1 is *a*. 4 Q. *b d*, quae *a c*. 5 optinendae *a*. 7 ex *om. b*. 9 multis (*a*) *b c*, mutis *d*. dissimulabant *c* 2 *dett.*, dissimulant *reliqui*. 10 animum aduertere *a b*, *non* animadu. 12 sestertios centenos] se. R̄ c *a b c*. est *om. b*. 13 post cum *Aldus*; post quum (*a*) ?. postquam '*mss. mei omnes*'. in Lusitania] illusitania *a*. 14 Medobrigenses *a*. 15 esset *om. a c*. sestertiis centenis] ih̄ c *a*. 18 minuebat *a* '*mss.* 6'. 19 hibernia *a*. 21 ut et *a*. 22 plurima *b*. 25 simultatium *a c*, simultatum *u*. causa *a b*, causae *u. P.* 197. 26 quaestius *a*. aut euidentis *a b c*. praetermittebantur *a b*. 27 aut tribunal *c*.

les consilia inirent. Horum odium confirmabant nonnulli familiares 2
eius; qui, cum in illa societate uersarentur rapinarum, nihilo mi-
nus oderant eum, cuius nomine peccabant, sibique quod rapuerant
acceptum referebant, quod interciderat aut erat interpellatum Cas-
sio adsignabant. Quintam legionem conscribit nouam. Augetur 3
odium et ex ipso delectu et sumptu additae legionis. Complentur
equitum III milia maximisque ornantur inpensis; nec prouinciae
datur ulla requies. Interim litteras accepit a Caesare, ut in Afri- 51
cam exercitum traiceret perque Mauritaniam ad fines Numidiae
perueniret, quod magna Cn. Pompeio Iuba miserat auxilia maiora-
que missurus existimabatur. Quibus litteris acceptis insolenti uo- 2
luptate efferebatur, quod sibi nouarum prouinciarum et fertilissimi
regni tanta oblata esset facultas. Itaque ipse in Lusitaniam profi- 3
ciscitur ad legiones arcessendas auxiliaque adducenda; certis ho-
minibus dat negotium, ut frumentum nauesque C praepararentur,
pecuniaeque describerentur atque imperarentur, ne qua res, cum
redisset, moraretur. Reditus eius fuit celerior omnium opinione: 4
non enim labor aut uigilantia cupienti praesertim aliquid Cassio
deerat. Exercitu coacto in unum locum castris ad Cordubam po- 52
sitis pro contione militibus exponit, quas res Caesaris iussu ge-
rere deberet, pollicetur que iis, cum in Mauritaniam traiecisset,
sestertios centenos se daturum; quintam fore in Hispania legio-
nem. Ex contione se Cordubam recepit eoque ipso die tempore 2
postmeridiano, cum in basilicam iret, quidam Minucius Silo, cliens
L. Racili, libellum, quasi aliquid ab eo postularet, ut miles ei tra-
didit, deinde post Racilium (nam is latus Cassi tegebat), quasi re-
sponsum peteret, celeriter dato loco cum se insinuasset, sinistra
corripit uersum dextraque bis ferit pugione. Clamore sublato fit 3
a coniuratis impetus uniuersis. Munatius Flaccus proximum gla-
dio traicit lictorem; hoc interfecto Q. Cassium legatum uulnerat.

5 adsignabant *a*. conscribit nouam *a* (*sed* adscribit *ante corr.*), nouam conscribit *edd.* 6 ex *om. a* 4 *dett.* dilectu (*a*). legiones *a.* 7 inpensis *a.* 8 dabatur *b.* 9 traduceret *b.* Numediae *ante corr. a.* 10 Iuba *a b* 4 *dett.*, Iuba rex *u.* maturaque *b.* 11 uoluptate *Aldus*, uoluntate *a* '*mss. plerique*'. 15 praepararentur] compararentur *b.* 19 deerat] de ea *a b.* 20 concione (*a*). 22 sestertios c *b c d*, sestertiorum *a.* Hispaniam *a.* 23 concione (*a*). 24 postmeridianam *a.* Minutius *a u*, Minuturius *b.* 25 Racili *a b.* tradidit *a et* 'tradit, tradidit *mss.*'; tradit *Aldus u* (*sed haec* transdit, *ut solet*). 26 Cassi *a.* 27 peteret *a b c*, ab eo peteret *u.* se in sinistram partem insinuasset corripit *b.* 28 uersum *a b c d*, eum *u.* 29 uniuersus *a b.*

4 Ibi T. Vasius et L. Mergilio simili confidentia Flaccum, municipem
suum, adiuuant: erant enim omnes Italicenses. Ad ipsum Longi-
num L. Licinius Squillus inuolat iacentemque leuibus sauciat pla-
53 gis. Concurritur ad Cassium defendendum: semper enim Berones
2 compluresque euocatos cum telis secum habere consuerat. A qui-
bus ceteri intercluduntur, qui ad caedem faciendam subsequeban-
tur; quo in numero fuit Calpurnius Saluianus et Manilius Tuscu-
3 lus. Minucius inter saxa, quae iacebant in itinere, fugiens oppri-
mitur et relato domum Cassio ad eum deducitur. Racilius in proxi-
mam se domum familiaris sui confert, dum certum cognosceret,
4 confectusne Cassius esset. L. Laterensis, cum id non dubitaret,
adcurrit laetus in castra militibusque uernaculis et secundae le-
gionis, quibus odio sciebat praecipue Cassium esse, gratulatur;
5 tollitur a multitudine in tribunal, praetor appellatur. Nemo enim
aut in prouincia natus, ut uernaculae legionis miles, aut diuturnitate
iam factus prouincialis, quo in numero erat secunda legio, non cum
omni prouincia consenserat in odio Cassi: nam legiones XXX et
XXI paucis mensibus in Italia scriptas Caesar adtribuerat Longino,
54 quinta legio nuper erat ibi confecta. Interim nuntiatur Laterensi
uiuere Cassium. Quo nuntio dolore magis permotus quam animo
perturbatus reficit se celeriter et ad Cassium uisendum proficisci-
2 tur. Re cognita XXX legio signa Cordubam infert ad auxilium
ferendum imperatori suo. Facit hoc idem XXI. Subsequitur has
3 V. Cum duae legiones reliquae essent in castris, secundani ueriti,
ne soli relinquerentur, atque ex eo, quid sensissent, iudicaretur,
secuti sunt factum superiorum. Permansit in sententia legio uer-
55 nacula neque ullo timore de gradu deiecta est. Cassius eos, qui no-
minati erant conscii caedis, iubet comprehendi; legionem V in
2 castra remittit cohortibus XXX retentis. Indicio Minuci cognoscit
L. Racilium et L. Laterensem et Annium Scapulam, maximae
dignitatis et gratiae prouincialem hominem sibique tam familiarem
quam Laterensem et Racilium, in eadem fuisse coniuratione nec

3 sauciat] uulnerat *b*. 5 consuerat *a*, consueuerat *u*. 6 ceteris *a*, Caesaris *b*. caedam *a*. 8 Minutius *a u*. refugiens *a b*. 9 Ratilius *a*. 11 L. *om. a b c*. 12 adcurrit *a*. militibusque *c*, a militibusque *a et sec. m. b*; militibus *u*. 15 ut uernaculae *ego*, aut uernaculae *codd. P.* 197 *extr.* legiones *a*. 17 Cassi *a*. 18 conscriptas *b*. (adtribuerat *a*) attulerat *b*. 19 nuper erat ibi *a*; nuper ibi erat *u et 'sic mss., non* i. n.' 22 xxx *suprasc.* a *a*. 25 iudicaretur '*mss. nonnulli*' *et secundum Beyerlium* (*a*), indicaretur *u et a secundum Achaintrium*. 27 neque *ego*, nec (*a*) *edd. Vid. p.* 629, 6. 29 Minici *a*, Minutii *u*.

diu moratur dolorem suum, quin eos interfici iubeat. Minucium 3
libertis tradit excruciandum, item Calpurnium Saluianum; qui pro-
fitetur indicium coniuratorumque numerum auget, uere, ut quidam
existimant, ut nonnulli queruntur coactus. Isdem cruciatibus ad- 4
fectus L. Mergilio † Squillus nominat plures; quos Cassius inter-
fici iubet exceptis iis, qui se pecunia redemerunt. Nam palam 5
HS LX cum Calpurnio paciscitur et cum Q. Sestio L. Qui si
maxime nocentes sunt multati, tamen periculum uitae dolorque
uulnerum pecuniae remissus crudelitatem cum auaritia certasse
significabat. Aliquot post diebus litteras a Caesare missas accipit, 56
quibus cognoscit Pompeium in acie uictum amissis copiis fugisse.
Qua re cognita mixtam dolore uoluptatem capiebat. Victoriae 2
nuntius laetitiam exprimebat; confectum bellum licentiam tempo-
rum intercludebat. Sic erat dubius animi, utrum nihil timere an
omnia licere mallet. Sanatis uulneribus arcessit omnes, qui sibi 3
pecunias expensas tulerant, acceptasque eas iubet referri; quibus
parum uidebatur inposuisse oneris, ampliorem pecuniam imperat.
Equitum autem Romanorum delectum instituit; quos ex omnibus 4
conuentibus coloniisque conscriptos transmarina militia perterritos
ad sacramenti redemptionem uocabat. Magnum hoc fuit uectigal,
maius tamen creabat odium. His rebus confectis totum exercitum 5
lustrat; legiones, quas in Africam ducturus erat, et auxilia mittit
ad traiectum. Ipse classem, quam parabat, ut inspiceret, Hispalim
accedit ibique moratur, propterea quod edictum tota prouincia pro-
posuerat: quibus pecunias imperasset, neque contulissent, se adi-
rent. Quae euocatio uehementer omnes turbauit. Interim L. 57
Titius, qui eo tempore tribunus militum in legione uernacula fue-
rat, nuntiat eam a legione XXX, quam Q. Cassius legatus simul
ducebat, cum ad oppidum Leptim castra haberet, seditione facta

1 Minicium *a*, Minutium *u*. 3 indictum *a b*. 4 isdem '*nonnulli, ut solet*', idem *a b*; iisdem *u*. (adfectus *a*) affecit *pro uar. lect. d*. 5 Mercilio '*mss. multi*', Mercelio *a*. Scuillus *a*. *P*. 198. 6 his *a*. 7 HS LX *Glandorpius*; shi. x *a*, HS x *u*. *Vid Val. Max. IX*, 4, 2. Sestio *a et sic aut* Sentio '*mss. quid.*', Sextio *u*. 10 aliquod *a*. postea *b*. 14 animi, '*ut uidetur, c*'; animis *a*, animus '*reliqui mss.*' timeret *b c*. 17 inposuisse *a*. 18 equitum *cod. Goduini*, eq̃. *b*; aeque (*a*) *c d*. Romanorum *c d*; Rom. *b*, romi *a*. dilectum (*a*) '*optimi codd.*' 19 colonisque *a b*. conscriptis *b*. 21 notum *a b c*. 22 Africa *a* '*mss. 4*'. auxilium *a*, ad auxilium *b* (*an hic om.* et?). 24 atque ibi *b*. 25 quibus *a c*, ut quibus *u*. sed adirent *a*. 28 eam a legione *Iurinius*, fama legionem *codd. P*. 198. quam *om. a*. 29 Iepum *b*.

centurionibus aliquot occisis, qui signa tolli non patiebantur, dis-
cessisse et ad secundam legionem contendisse, quae ad fretum
2 alio itinere ducebatur. Cognita re noctu cum V cohortibus unetui-
cesimanorum egreditur, mane peruenit. Ibi eum diem, ut, quid
3 ageretur, perspiceret, moratus Carmonem contendit. Hic cum le-
gio XXX et XXI et cohortes IIII ex V legione totusque conuenisset
equitatus, audit IIII cohortes a uernaculis oppressas ad Obuculum
cum his ad secundam peruenisse omnesque ibi se coniunxisse et
4 T. Thorium Italicensem ducem delegisse. Celeriter habito con-
silio Marcellum Cordubam, ut eam in potestate retineret, Q. Cas-
5 sium legatum Hispalim mittit. Paucis ei diebus affertur conuen-
tum Cordubensem ab eo defecisse Marcellumque aut uoluntate aut
necessitate abductum (namque id uarie nuntiabatur) consentire
cum Cordubensibus; duas cohortes legionis V, quae fuerant Cor-
6 dubae in praesidio, idem facere. Cassius his rebus incensus mouet
castra et postero die Segouiam ad flumen Siciliense uenit. Ibi ha-
bita contione militum temptat animos; quos cognoscit non sua,
sed Caesaris absentis causa sibi fidissimos esse nullumque pericu-
lum deprecaturos, dum per eos Caesari prouincia restitueretur.
58 Interim Thorius ad Cordubam ueteres legiones adducit, ac ne dis-
sensionis initium natum seditiosa militum suaque natura uideretur,
simul ut contra Q. Cassium, qui Caesaris nomine maioribus uiri-
bus uti uidebatur, aeque potentem opponeret dignitatem, Cn. Pom-
2 peio se prouinciam reciperare uelle palam dictitabat. Et forsitan
etiam hoc fecerit odio Caesaris et amore Pompei, cuius nomen
multum poterat apud eas legiones, quas M. Varro obtinuerat.
3 Sed id, qua mente, communis erat coniectura: certe hoc prae se

1 non *om. a b c.* 2 secundam] alteram *b.* 3 deducebatur *a.* unetuicesimanorum *Lipsius,* undeuicesimanorum *codd.* (unde uincens. *a.*) 4 peruenit] noctu *add. a b.* 5 Carmonem *Rhellicanus* (*sed* — nam); Carbonem *a et sic* '*seu* Carbonam *uel* Narbonem *mss.*' 6 cohortium *a b.* ex] et *b.* 7 Obuculum *a b c d,* Obuculam *u.* 8 cum is *a.* peruenisse *a b d,* peruenisse legionem *u.* se *om. a b c.* 9 T. Torium '*mss. plerique*'; intorium *a, et praenomen* M. *habent b d* (*Postea bis* Thorius (*a*)). Italicensum *a.* 10 Marcellumque *a* '*mss.* 3'. Q.] quae *a.* 13 abductum *a b c,* adductum *u.* 16 Segoniam *a c.* Siciliense *a* '*mss.* 7', Silicense *u. P.* 199 *in.* 17 concione (*a*). quos] atque *b.* 18 causas ibi *a.* 19 deprecaturas *ante corr. a.* 20 ueteranas *b.* 21 natura uideretur *a Stephanus et sine annotatione u,* uideretur natura *ceterae edd. ante u.* 23 Cn. (*a*), Cneo *u.* 24 reciperare *a, non* recup. forsan hoc (*om.* etiam) *b.* 25 Pompei *a.* 27 communis erat coniectura *codd.;* commotus fecerit, coniectura sciri potest *edd. priores et* non *ante* potest *adiecto P. Manutius u. P.* 199.

Thorius ferebat; milites adeo fatebantur, ut Cn. Pompeii nomen
in scutis inscriptum haberent. Frequens legionibus conuentus ob- 4
uiam prodit neque tantum uirorum, sed etiam matrum familias ac
praetextatorum deprecaturque, ne hostili aduentu Cordubam diri-
perent: nam se contra Cassium sentire cum omnibus; contra
Caesarem ne facerent, orare. Tantae multitudinis precibus et la- **59**
crimis exercitus commotus cum uideret ad Cassium persequendum
nihil opus esse Cn. Pompei nomine et memoria, tamque omnibus
Caesarianis quam Pompeianis Longinum esse in odio, neque se
conuentum neque M. Marcellum contra Caesaris causam posse
perducere, nomen Pompei ex scutis detraxerunt, Marcellum, qui 2
se Caesaris causam defensurum profitebatur, ducem adsciuerunt
praetoremque appellarunt et conuentum sibi adiunxerunt castraque
ad Cordubam posuerunt. Cassius eo biduo circiter IIII milia pas- 3
suum a Corduba citra flumen Baetim in oppidi conspectu loco ex-
celso facit castra; litteras ad regem Bogudem in Mauritaniam et
M. Lepidum proconsulem in Hispaniam citeriorem mittit, subsidio
sibi prouinciaeque Caesaris causa quam primum ueniret. Ipse
hostili modo Cordubensium agros uastat, aedificia incendit. Cuius **60**
rei deformitate atque indignitate legiones, quae Marcellum sibi
ducem ceperant, ad eum concurrerunt, ut in aciem educerentur,
priusque confligendi sibi potestas fieret, quam cum tanta contu-
melia nobilissimae carissimaeque possessiones Cordubensium in
conspectu suo rapinis, ferro flammaque consumerentur. Marcellus, 2
cum confligere miserrimum putaret, quod et uictoris et uicti de-
trimentum ad eundem Caesarem esset redundaturum, neque suae
potestatis esset, legiones Baetim traducit aciemque instruit. Cum 3
Cassium contra pro suis castris aciem instruxisse loco superiore
uideret, causa interposita, quod is in aequum non descenderet,
Marcellus militibus persuadet, ut se reciperent in castra. Itaque
copias reducere coepit. Cassius, quo bono ualebat Marcellumque 4

4 deprecabaturque *b*. 6 facerent *a b c*, facere cogerentur *u*. 8 Pompei *a*. tamquam *a b*. 9 in *om*. *b*. 11 Pompei *a*. 12 adsciuerunt *a*. 13 appellauerunt *b*. conuentum sibi *a Stephanus et sine annotatione u*. sibi conuentum *reliquae edd. ante u*. 16 et *a 'mss. plerique'*, et ad *u*. 18 prouinciaque *a*. 19 uastata *a*, uastans *b*. 23 karissimaeque *a*. possessiones] a, *sed puncto supposito, add. a*. 25 uictores *a*. 27 esset *a 'ceteri'*, esse *b*. Betim *a*. aciemque *a b*, atque aciem *u*. 29 uideret *Aldus suppleuit*, conspiceret *unus det.*; *om. a b c 2 dett.* (Cassius *et* instruxisset *edd. ante Ald.*). his *a*. 30 reciperent *a b c*, recipiant *u*. in castra *post* recip. *ponit a, ante* recip. *edd*. ita *b*.

infirmum esse sciebat, adgressus equitatu legionarios se recipientes
5 complures nouissimos in fluminis ripis interfecit. Cum hoc detri-
mento, quid transitus fluminis uiti difficultatisque haberet, cogni-
tum esset, Marcellus castra Baetim transfert, crebroque uterque
legiones in aciem educit; neque tamen confligitur propter locorum
61 difficultates. Erat copiis pedestribus multo firmior Marcellus: ha-
bebat enim ueteranas multisque proeliis expertas legiones. Cas-
2 sius fidei magis quam uirtuti legionum confidebat. Itaque, cum
castra castris collata essent, et Marcellus locum idoneum castello
cepisset, quo prohibere aqua Cassianos posset, Longinus ueritus,
ne genere quodam obsidionis clauderetur in regionibus alienis sibi-
que infestis, noctu silentio ex castris proficiscitur celerique itinere
3 Vliam contendit, quod sibi fidele esse oppidum credebat. Ibi adeo
coniuncta ponit moenibus castra, ut et loci natura (namque Vlia
in edito monte posita est) et ipsa munitione urbis undique ab op-
4 pugnatione tutus esset. Hunc Marcellus insequitur et quam
proxime potest Vliam castra castris confert locorumque cognita
natura, quo maxime rem deducere uolebat, necessitate est de-
ductus, ut neque confligeret (cuius si rei facultas esset, resistere
incitatis militibus non poterat) neque uagari Cassium latius pate-
retur, ne plures ciuitates ea paterentur, quae passi erant Cordu-
5 benses. Castellis idoneis locis collocatis operibusque in circuitu
oppidi continuatis Vliam Cassiumque munitionibus clausit. Quae
priusquam perficerentur, Longinus omnem suum equitatum emisit;
quem sibi usui fore credebat, si pabulari frumentarique Marcellum
non pateretur, magno autem fore impedimento, si clausus obsidione
62 et inutilis necessarium consumeret frumentum. Paucisque diebus
Cassi litteris acceptis rex Bogud cum copiis uenit adiungitque ei
legioni, quam secum adduxerat, complures cohortes auxiliarias
2 Hispanorum. Namque, ut in ciuilibus dissensionibus accidere con-
sueuit, ita temporibus illis in Hispania nonnullae ciuitates rebus

1 adgressus *a.* 2 interfecit *a 'mss. 4'*, interficit *Aldus u*
3 uti *a b et suprasc.* litatis *c*, utilitatis *d.* difficultatesque *a.*
9 collata *Stephanus*, collocata *codd.* 13 Vliam (*a*)? *Ciacconius*, Vllam *'ubique mss.' et postea a.* esse *om. b.* 14 et loci — (15) et ipsa *Aldus*; est loci — ut ipsa *codd., nisi quod* (*a*) et loci *seruat.* 15 ad *a.*
18 ualebat *b.* deductus *ego*; edoctus *a c*, doctus *b*; adductus *u.*
19 confligere *a 'mss. 3'*, confugere *b.* 21 passae *a.* 25 sibi *a b 2 dett.*, magno sibi *Aldus u.* 26 fore *a b 3 dett.*, *om. u.*
27 paucisque *a 'mss. 3'*, paucis *u.* 28 Cassi *a.* Bogus *codd.*
29 legioni — complures *Iurinius*, legionem — compluresque *codd. P.* 199. auxiliarlis *a.* 31 Hyspania *a.*

Cassi studebant, plures Marcellum fouebant. Accedit cum copiis 3
Bogud ad exteriores Marcelli munitiones. Pugnatur utrimque
acriter, crebroque id accidit fortuna saepe ad utrumque uictoriam
transferente; nec tamen umquam ab operibus depellitur Marcellus.
Interim Lepidus ex citeriore prouincia cum cohortibus legionariis 63
XXXV magnoque numero equitum et reliquorum auxiliorum uenit
ea mente Vliam, ut sine ullo studio contentiones Cassi Marcellique
componeret. Huic uenienti sine dubitatione Marcellus se credit 2
atque offert; Cassius contra suis se tenet praesidiis, siue eo, quod
plus sibi iuris deberi quam Marcello existimabat, siue eo, quod,
ne praeoccupatus animus Lepidi esset obsequio aduersari, uere-
batur. Ponit ad Vliam castra Lepidus neque habet a Marcello 3
quicquam diuisi. Ne pugnetur, interdicit; ad exeundum Cassium
inuitat fidemque suam in re omni interponit. Cum diu dubitasset 4
Cassius, quid sibi faciendum quidue Lepido esset credendum, ne-
que ullum exitum consilii sui reperiret, si permaneret in sententia,
postulat, uti munitiones disicerentur, sibique liber exitus daretur.
Non tantum indutiis factis, sed prope iam *pace* constituta opera 5
cum complanarent, custodiaeque munitionum essent deductae, au-
xilia regis in id castellum Marcelli, quod proximum erat regis
castris neque opinantibus omnibus (si tamen in omnibus fuit Cas-
sius: nam de huius conscientia dubitabatur) impetum fecerunt
compluresque ibi milites oppresserunt. Quod nisi celeriter indigna- 6
tione et auxilio Lepidi proelium esset diremptum, maior calamitas
esset accepta. Cum iter Cassio patefactum esset, castra Marcellus 64
cum Lepido coniungit. Lepidus eodem tempore Marcellusque
Cordubam cum suis, Cassius proficiscitur Carmonam. Sub idem 2
tempus Trebonius proconsul ad prouinciam optinendam uenit. De
cuius aduentu ut cognouit Cassius, legiones, quas secum habuerat,
equitatumque in hiberna distribuit; ipse omnibus suis rebus cele- 3

1 Cassi *a*. Marcellum fouebant *a b c d*, Marcello fauebant *u*. accidit *a*. 2 Bogus *codd.* Marcelli *om. a.* utrinque (*a*). 3 ad utrimque *a*. 4 transfereutem *a*. unquam tamen *a*. 7 Cassi *a*. 9 se recepit tenetque *a c*. 11 aduersari *a*. 13 quicquam *a*, *non* quidq. 15 Lipodo *a*. 17 dissicerentur *a d*. 18 induciis (*a*). pace *ego suppleui, om. codd. P.* 200. 19 cum *Aldus, om. codd.* 20 regis castris *a b*, regiis castris *u*. 22 dubitatur *b*. 24 direptum *b*. 27 cum suis Cassius *a b d*, Cassius cum suis *c u*. Carmonam *Glandorpius*; Narbonam *a 'mss. uetustiores*, Narbonem *alii'*. 28 optinendam *a*. uenit *om. a*.

riter correptis Malacam contendit ibique aduerso tempore naui-
gandi nauis conscendit, ut ipse praedicabat, ne se Lepido et Tre-
4 bonio et Marcello committeret; ut amici eius dictitabant, ne per
eam prouinciam minore cum dignitate iter faceret, cuius magna
pars ab eo defecerat; ut ceteri existimabant, ne pecunia illa ex
5 infinitis rapinis confecta in potestatem cuiusquam ueniret. Pro-
gressus secunda ut hiberna tempestate cum in Hiberum flumen
noctis uitandae causa se contulisset, inde paulo uehementiore
tempestate nihilo periculosius se nauigaturum credens profectus
aduersis fluctibus occurrentibus ostio fluminis in ipsis faucibus,
cum neque flectere nauim propter uim fluminis neque directam
tantis fluctibus tenere posset, demersa naue periit.

65 Cum in Syriam Caesar ex Aegypto uenisset atque ab iis, qui
Roma uenerant ad eum, cognosceret litterisque urbanis animad-
uerteret multa Romae male et inutiliter administrari neque ullam
partem reipublicae satis commode geri, quod et contentionibus tri-
buniciis perniciosae seditiones orerentur, et ambitione atque in-
dulgentia tribunorum militum et qui legionibus praeerant multa
contra morem consuetudinemque militarem fierent, quae dissoluen-
dae disciplinae seueritatisque essent, eaque omnia flagitare aduen-
tum suum uideret, tamen praeferendum existimauit, quas in pro-
uincias regionesque uenisset, eas ita relinquere constitutas, ut do-
mesticis dissensionibus liberarentur, iura legesque acciperent,
2 externorum hostium metum deponerent. Haec in Syria, Cilicia,
Asia celeriter se confecturum sperabat, quod hae prouinciae nullo
bello premebantur; in Bithynia ac Ponto plus oneris uidebat sibi
3 impendere. Non excessisse enim Ponto Pharnacem audiebat ne-
que excessurum putabat, cum secundo proelio uehementer esset
4 inflatus, quod contra Domitium Caluinum fecerat. Commoratus
fere in omnibus ciuitatibus, quae maiore sunt dignitate, praemia
bene meritis et uiritim et publice tribuit, de controuersiis ueteribus

2 nauis *a b*. 6 infinitimis *a*. 7 in Hiberum *a et omisso* in *b c*, in Iberum *u*. 9 nihil *a b*. 11 derectam *a b*. 12 naue *a 'mss. 3'*, naui *u*. 13 his *a*. 16 rep. satis commoda egeri *a*. tribunitiis (*a*). 17 orerentur *a c*, orirentur *u*. indulgentia *b*, indiligentia *reliqui*. 25 facturum *b*. 26 Bythinia *a*. plus *om. a b c*. 27 excessisse enim *a 'mss. plerique'*, enim excessisse *u*. Pharnacen *sine auctoritate u*. audiebat *a 'mss. plerique'*, audierat *u*. 30 erant *b*.

cognoscit ac statuit; reges, tyrannos, dynastas prouinciae finiti- 5
mos, qui omnes ad eum concurrerant, receptos in fidem condicio-
nibus inpositis prouinciae tuendae ac defendendae dimittit et sibi
et populo Romano amicissimos. Paucis diebus in ea prouincia 66
consumptis Sextum Caesarem, amicum et necessarium suum, le-
gionibus Syriaeque praefecit; ipse eadem classe, qua uenerat, 2
proficiscitur in Ciliciam. Cuius prouinciae ciuitates omnes euocat
Tarsum, quod oppidum fere totius Ciliciae nobilissimum fortissi-
mumque est. Ibi rebus omnibus prouinciae et finitimarum ciuita- 3
tum constitutis cupiditate proficiscendi ad bellum gerendum non
diutius moratur magnisque itineribus per Cappadociam confectis 4
biduum Mazacae commoratus Comana *uenit*, uetustissimum et
sanctissimum in Cappadocia Bellonae templum, quod tanta reli-
gione colitur, ut sacerdos eius deae maiestate, imperio, potentia
secundus a rege consensu gentis illius habeatur. Id homini nobi- 5
lissimo Lycomedi Bithynio adiudicauit; qui regio Cappadocum
genere ortus propter aduersam fortunam maiorum suorum muta-
tionemque generis iure minime dubio uetustate tamen intermisso
sacerdotium id repetebat. Fratri autem Ariobarzanis Ariarathi, 6
cum bene meritus uterque eorum de republica esset, ne aut regni
haereditas Ariarathen sollicitaret, aut haeres regni terreret......
Ariobarzani adtribuit, qui sub eius imperio ac dicione esset. Ipse
iter inceptum simili uelocitate conficere coepit. Cum propius Pon- 67
tum finesque Gallograeciae accessisset, Deiotarus, tetrarches Gal-
lograeciae tunc quidem paene totius, quod ei neque legibus neque
moribus concessum esse ceteri tetrarchae contendebant, sine dubio
autem rex Armeniae minoris ab senatu appellatus, depositis regiis
insignibus neque tantum priuato uestitu, sed etiam reorum habitu
supplex ad Caesarem uenit oratum, ut sibi ignosceret, quod in ea

1 tirannos dinastas *a*. finitimos *Oudendorpius*, finitimosque *codd.* 2 concurrerent *b*. conditionibus (*a*). 3 inpositis *a*. 5 Sextum *a*, Sex. *u*. 6 praefecit *a 'mss. et edd. qdd.'*, praeficit *u*. 8 oppidum est fere *a*. 9 ciuitatum] regionum *b*. 12 uenit *post* Comana *posui*, *om. a b c* 2 *dett.*; *ante* Comana *ponit u*. 14 maiestate] magis *a b c* 4 *dett.* 15 homini *om. b*. 16 Bithinio *a*. iudicauit *b*. Cappadociae *suprasc.* cum *a*. 19 fratri — Ariarathi *a 'mei omnes' praeter* 2 *dett.*, fratrem — Ariarathen *u*. 21 haereditas (*a*), *non* hered. (haeres (*a*)) homines *b*. *Lacunam ego notaui. P.* 200. 22 adtribuit *a*. ditione (*a*). 23 inceptum *c* 5 *dett.*; ceptum *a*, coeptum (*b*). ponte *ante corr. a*. 24 tetriarches *a*. 25 pene *a*. 27 regiis] regis *a*. 28 tanto *a*.

parte positus terrarum, quae nulla praesidia Caesaris habuisset,
2 exercitibus imperiisque in Cn. Pompei castris fuisset: neque enim
se debuisse iudicem esse controuersiarum populi Romani, sed pa-
68 rere praesentibus imperiis. Contra quem Caesar cum plurima sua
commemorasset officia, quae consul ei decretis publicis tribuisset,
cumque defensionem eius nullam posse excusationem eius impru-
2 dentiae recipere coarguisset, quod homo tantae prudentiae ac dili-
gentiae scire potuisset, quis urbem Italiamque teneret, ubi senatus
populusque Romanus, ubi respublica esset, qui denique post L.
3 Lentulum, C. Marcellum consules, tamen se concedere id factum
superioribus suis beneficiis, ueteri hospitio atque amicitiae, digni-
tati aetatique hominis, precibus eorum, qui frequentes concurris-
sent hospites atque amici Deiotari ad deprecandum, de controuer-
siis tetrarcharum postea se cogniturum esse dixit, regium uestitum
4 ei restituit. Legionem autem eam, quam ex genere ciuium suo-
rum Deiotarus armatura disciplinaque nostra constitutam habebat,
69 equitatumque omnem ad bellum gerendum adducere iussit. Cum
in Pontum uenisset copiasque omnes in unum locum coëgisset,
quae numero atque exercitatione bellorum mediocres erant (ex-
cepta enim legione sexta, quam secum adduxerat Alexandria ue-
teranam multis laboribus periculisque functam multisque militibus
partim difficultate itinerum ac nauigationum partim crebritate bel-
lorum adeo deminutam, ut minus mille hominibus in ea esset, re-
liquae erant tres legiones, una Deiotari, duae, quae in eo proelio,
quod Cn. Domitium fecisse cum Pharnace scripsimus, fuerant),
2 legati a Pharnace missi Caesarem adeunt atque inprimis depre-
cantur, ne eius aduentus hostilis esset: facturum enim omnia
Pharnacen, quae imperata essent. Maximeque commemorabant
nulla Pharnacem auxilia contra Caesarem Pompeio dare uoluisse,
70 cum Deiotarus, qui dedisset, tamen ei satisfecisset. Caesar respondit

2 Pompei *a.* 7 coarguisset] cognouisset *b.* 9 qui *b,* quis (*a*) *u.* denique *ego,* deinde *codd.* 10 Marcellus *a.* consules *'mss. 5',* consul *a;* consul esset *u.* tamen *a c aliquot dett. u, cum fuisset* sed tamen. 15 eam *a c cod. Vrs. 5 dett., om. Aldus u.* 16 armatura *Cuiacius;* matura *a d,* natura *reliqui.* 22 difficultate] bellorum *add. b.* 23 diminutam *'mss. plerique'.* mille] cum *a d,* CII *c,* C *b; quae ∞ significant.* hominibus *b c d 4 dett. et secundum Achaintrium a,* hominum *u et secundum Beyerlium* (*a*). 24 quas *a.* 25 cum Farnace *a.* 26 in primis (*a*). 28 Pharnacen *a Scaliger et sine annotatione u; Scaliger et u etiam deinceps.* 30 respondet (*a*)?

se fore aequissimum Pharnaci, si quae polliceretur repraesenta-
turus esset. Monuit autem, ut solebat, mitibus uerbis legatos, 2
ne aut Deiotarum sibi obicerent, aut nimis eo gloriarentur bene-
ficio, quod auxilia Pompeio non misissent. Nam se neque li- 3
bentius facere quicquam quam supplicibus ignoscere, neque pro-
uinciarum publicas iniurias condonare iis posse, qui fuissent in se
officiosi. Quin id ipsum, quod commemorarent, officium fuisse 4
utilius Pharnaci, qui prouidisset, ne uinceretur, quam sibi, cui dii
inmortales uictoriam tribuissent. Itaque magnas et graues iniurias 5
ciuium Romanorum, qui in Ponto negotiati essent, quoniam in in-
tegrum restituere non posset, concedere Pharnaci. Nam neque 6
interfectis amissam uitam neque exsectis uirilitatem restituere
posse; quod quidem supplicium grauius morte ciues Romani subis-
sent. Ponto uero decederet confestim familiasque publicanorum 7
remitteret ceteraque restitueret sociis ciuibusque Romanis, quae
penes eum essent. Si fecisset, iam tunc sibi mitteret munera ac 8
dona, quae bene rebus gestis imperatores ab amicis accipere con-
suessent. Miserat enim Pharnaces coronam auream. His respon-
sis datis legatos remisit. At Pharnaces liberaliter omnia pollicitus, **71**
cum festinantem ac † praecurrentem Caesarem speraret libentius
etiam crediturum suis promissis, quam res pateretur, quo celerius
honestiusque ad res magis necessarias proficisceretur (nemini enim
erat ignotum plurimis de causis ad urbem Caesarem reuocari), len-
tius agere, decedendi diem postulare longiorem, pactiones inter-
ponere, in summa frustrari coepit. Caesar cognita calliditate ho- 2
minis, quod aliis temporibus natura facere consuerat, tunc necessi-
tate fecit adductus, ut celerius omnium opinione manum consereret.
Zela est oppidum in Ponto, positum ipsum ut in plano loco satis **72**
munito: tumulus enim naturalis ueluti manu factus excelsiore undi-
que fastigio sustinet murum. Circumpositi sunt huic oppido magni 2

1 aequissimum] amicum *b*. 2 militibus urbis *b*. 3 glorientur *a b*. 5 quicquam *a, non* quidq. 6 his *a*. qui *Vascosanus,* qui non *codd.* 7 quin *ego;* qm̄ *b c,* quam *a*; *om. u.* commemorarent *a c,* commemorassent *u.* fuisse utilius Pharnaci *a,* utilius Pharnaci fuisse *edd.* 9 inmortales *a.* itaque *a b,* itaque se *u.*

19 liberaliter omnia *a,* omnia liberaliter *edd.* 20 praecurrentem '*mss., si forte c d excipias, omnes*', procurrentem *a*; properantem *u. Temptabam* praefestinantem ac currentem: *nam Bentleii* prope currentem *ineptum est.* sperasset *b.* 26 consuerat *a,* consueuit *b*; consueuerat *u.* 28 positum ipsum *codd.,* positu ipso *Aldus u.* 29 munito *ego,* munitum *codd. P.* 201. 30 huic] hc *suprasc.* o *a.*

multique intercisi uallibus colles; quorum editissimus unus, qui
propter uictoriam Mithridatis et infelicitatem Triari detrimentum-
que exercitus nostri superioribus locis atque itineribus paene con-
iunctus oppido magnam in illis partibus habet nobilitatem nec
3 multo longius milibus passuum III abest ab Zela. Hunc locum
Pharnaces ueteribus paternorum felicium castrorum refectis operi-
73 bus copiis suis omnibus occupauit. Caesar cum ab hoste milia pas-
suum V castra posuisset uideretque eas ualles, quibus regia castra
munirentur, eodem interuallo sua castra munituras, si modo ea loca
hostes priores non cepissent, quae multo erant propiora regis
2 castris, aggerem comportari iubet intra munitiones. Quo celeriter
collato proxima nocte uigilia quarta legionibus omnibus expeditis
impedimentisque in castris relictis prima luce neque opinantibus
hostibus eum ipsum locum cepit, in quo Mithridates secundum
3 proelium aduersus Triarium fecerat. Huc omnem comportatum
aggerem ex castris seruitia agerent iussit, ne quis ab opere miles
discederet, cum spatio non amplius passuum mille intercisa ualles
castra hostium diuideret ab opere incepto Caesaris castrorum.
74 Pharnaces, cum id repente prima luce animaduertisset, copias suas
omnes pro castris instruxit. Quas interposita tanta locorum ini-
quitate consuetudine magis peruulgata militari credebat instrui
Caesar uel ad opus suum tardandum, quo plures in armis teneren-
tur, uel ad ostentationem regiae fiduciae, ne munitione magis quam
2 manu defendere locum Pharnaces uideretur. Itaque deterritus non
est, quo minus prima acie pro uallo instructa reliqua pars exerci-
3 tus opus faceret. At Pharnaces inpulsus siue loci felicitate siue
auspiciis et religionibus inductus, quibus obtemperasse eum postea
audiebamus, siue paucitate nostrorum, qui in armis erant, com-
perta, cum more operis cotidiani magnam illam seruorum multitu-
dinem, quae aggerem portabat, militum esse credidisset, siue etiam
fiducia ueterani exercitus sui, quem XXII in acie conflixisse et ui-
cisse legati eius gloriabantur, simul contemptu exercitus nostri,
quem pulsum a se Domitio duce sciebat, inito consilio dimicandi

2 Triari *a b*. 5 mil. pass̃. *a*. 7 mil. pass̃. *a*. 9 eodem in uallo *b*. 10 non *om. a 'mss. 3'*. erat *a*. 14 Mitridates *a*. 15 hunc *b*. 16 ex *a b*, e *u*. agerent *a*, agerentur *b c cod. Vrs*. 17 passuum mille *ego*; pass. III *b*, passuum *a c*; mille passuum *u*. ualles *a b*, uallis *u*. 18 incerto *a*. 26 inpulsus *a*. 31 ueterani *Stephanus*, ueterana *codd*. XXII *a b c*, cum legione XXII *u*. 33 a se *om. b*.

descendere praerupta ualle coepit. Cuius aliquamdiu Caesar inri- 4
debat inanem ostentationem et eo loco militum coartationem, quem
in locum nemo sanus hostis subiturus esset: cum interim Pharna-
ces eodem gradu, quo in procliuem descenderat uallem, ascendere
aduersus arduum collem instructis copiis coepit. Caesar incredi- 75
bili eius uel temeritate uel fiducia commotus neque opinans impa-
ratusque oppressus eodem tempore milites ab opere uocat, arma
capere iubet, legiones opponit aciemque instruit; cuius rei subita 2
trepidatio magnum terrorem attulit nostris. Nondum ordinibus 3
instructis falcatae regiae quadrigae permixtos milites perturbant;
quae tamen celeriter multitudine telorum opprimuntur. Insequitur 4
has acies hostium, et clamore sublato confligitur multum adiuuante
natura loci, plurimum deorum inmortalium benignitate; qui cum
omnibus casibus belli intersunt tum praecipue quibus nihil ratione
potuit administrari. Magno atque acri proelio comminus facto 76
dextro cornu, quo ueterana legio sexta erat collocata, initium ui-
ctoriae natum est. Ab ea parte cum procliui detruderentur hostes,
multo tardius sed tamen eisdem diis adiuuantibus sinistro cornu
mediaque acie totae profligantur copiae regis. Quae quam facile 2
subierant iniquum locum, tam celeriter gradu pulsae premebantur
loci iniquitate. Itaque multis militibus partim interfectis partim
suorum ruina oppressis qui uelocitate effugere poterant armis ta-
men proiectis uallem transgressi nihil ex loco superiore inermi
proficere poterant. At nostri uictoria elati subire iniquum locum 3
munitionesque adgredi non dubitarunt. Defendentibus autem iis
cohortibus castra, quas Pharnaces praesidio reliquerat, celeriter
castris hostium sunt potiti. Interfecta multitudine omni suorum 4
aut capta Pharnaces cum paucis equitibus profugit; cui nisi castro-
rum oppugnatio facultatem attulisset liberius profugiendi, uiuus in
Caesaris potestatem adductus esset.

1 aliquandiu (*a*). inridebat *a*. 2 coartationem *Brutus*, cohortationem *codd.* quem in loco *a*. 4 quo in procliuem descenderat uallem *ego*, quo in proelium descenderat uallem *a* '*mss. plerique*'. ascendere (*a*). 7 opere *a*, operibus *edd.* 12 confligitur *P. Manutius*, confligit *a* '*mss.* 3'. 13 inmortalium *a*. 14 belli *P. Manutius*, bellis *codd.* intersint tamen praecipue *b*. quibus *a b*, eis quibus *u*. 15 cominus (*a*). 17 natum] factum *b*. procliui *a*, decliui *b*, in procliui 3 *dett. edd. ante Scal.*; in procliue *Scaliger u*. 18 eisdem *a*, iisdem *edd.* 23 inermi *a c et m. pr. b*, inermes *u*. 25 adgredi *a*. his *a*. 26 castris *a*. 27 omni *inuito Oud. om. u.* 29 attulisset *om. a*, dedisset *b*.

77 Tali uictoria totiens uictor Caesar incredibili est laetitia ad-
fectus, quod maximum bellum tanta celeritate confecerat, quoque
subiti periculi recordatio est laetior, quod uictoria facilis ex diffi-
2 cillimis rebus acciderat. Ponto recepto praeda omni regia militi-
bus condonata postero die cum expeditis equitibus ipse proficisci-
tur, legionem sextam decedere ad praemia atque honores accipien-
dos in Italiam iubet, auxilia Deiotari domum remittit; duas legio-
78 nes cum Coelio Viniciano in Ponto reliquit. Ita per Gallograeciam
Bithyniamque in Asiam iter facit omniumque earum prouinciarum
de controuersiis cognoscit et statuit; iura in tetrachas, reges, ci-
2 uitates distribuit. Mithridaten Pergamenum, *a* quo rem feliciter
celeriterque gestam in Aegypto supra scripsimus, regio genere or-
tum, disciplinis etiam regiis educatum (nam Mithridates, rex Asiae
totius, propter nobilitatem Pergamo secum paruulum asportauerat
in castra multosque tenuerat annos) regem Bospori constituit,
† quod sub imperio Pharnacis fuerat, prouinciasque populi Romani
a barbaris atque inimicis regibus interposito amicissimo rege mu-
3 niuit. Eidem tetrachian [legibus] Gallograecorum iure gentis et
cognationis adiudicauit occupatam et possessam paucis ante annis
4 a Deiotaro. Neque tamen usquam diutius moratus est, quam ne-
5 cessitas urbanarum seditionum pati uidebatur. Rebus felicissime
celerrimeque confectis in Italiam celerius omnium opinione uenit.

1 totiens *a.* adfectus *a.* 2 quoque *ego,* quodque *codd. P.* 201. 3 recordatio est *ed. Mediol.,* recordatione *codd.* 6 praemia] primam *c.* 8 Vinitiano *a b.* reliquit *a 'reliqui',* relinquit 3 *dett. u.* 9 Bytiniamque *a.* 10 inter tetrarchas *b.* 11 Mithridaten *a Scaliger et sine annotatione u.* a *Stephanus, om. codd.* 12 Aegipto *a.* 13 Mitridates *a.* 14 secum paruulum *a Stephanus,* paruulum secum *ceterae edd.* asportauerat (*a*), *non* absp. 15 retenuerat (*sic*) *a.* Bosphori *a,* Bosfori *'mss. qdd.'* 17 munierat *b.* 18 tetrarchian *a,* tetrarchiam *edd.* legibus *spurium iudicauit Ciacconius.* 21 uideretur *b.* Explicit C. Caesaris belli Alexandrini *a.*

BELLVM AFRICAE.

Caesar itineribus iustis confectis nullo die intermisso a. d.
XIIII Kal. Ian. Lilybaeum peruenit statimque ostendit sese naues
uelle conscendere, cum non amplius legionem tironum haberet
unam, equites uix DC. Tabernaculum secundum litus ipsum con-
stituit, ut prope fluctus uerberaret. Hoc eo consilio fecit, ne quis 2
sibi morae quicquam fore speraret, et ut omnes in dies horasque
parati essent. Incidit per id tempus, ut tempestates ad nauigan- 3
dum idoneas non haberet. Nihilo tamen minus in nauibus remiges
militesque continere et nullam praetermittere occasionem pro-
fectionis: cum praesertim ab incolis eius prouinciae nuntiarentur 4
aduersariorum copiae equitatus infinitus, legiones regiae IIII, leuis
armaturae magna uis, Scipionis legiones X, elephanti CXX classes-
que esse complures, tamen non deterrebatur animoque et spe con-
fidebat. Interim in dies et naues longae adaugeri, et onerariae 5
complures eodem concurrere, et legiones tironum conuenire, in
his ueterana legio quinta, equitum ad II milia. Legionibus collectis 2
VI et equitum II milibus, ut quaeque prima legio uenerat, in naues
longas imponebatur, equites autem in onerarias. Ita maiorem par- 2
tem nauium antecedere iussit et insulam petere Aponianam, quae
abest a Lilybaeo . . . . . . commoratus bona paucorum publice 3
uendit, deinde Alieno praetori, qui Siciliam optinebat, de omnibus
rebus praecipit et de reliquo exercitu celeriter inponendo. Datis 4

Incipit liber belli Affricae feliciter *a*, *et* Africae *etiam b c*, *adiectiuum* Africanum *exhibet d. P.* 92 *in*. '*Nonnulli mss.* Caesaris *nomen praefigunt, alii nullum*'. *P*. 33. 1 a. d. *Dauisius*, ad *codd.* 2 XIV (*a*). lxt Ian. Lilibeum *a*. 6 quicquam *a*, *non* quidq. fore *om. b*. 13 esse *om. b*. 15 eodem *om. b*. 16 equitum *om. b*. 17 milibus] milia *a*. utque (*an omisso* quaeque?) *b*. 19 Apononiam *b*. quae abest *a b c*, quae non abest *P. Manutius u*. 20 Lilibreom *a*. *Lacunam ego notaui*. commoratus *a c*, *om. b*; ibique commoratus *edd. priores*, ipse parum commoratus *cum uno det. u*. publice uendit *a*, uendit publice *edd.* 21 Alieno *a* '*mss. et edd. qdd.*', Allieno *Vrsinus u*. optinebat *a*. 22 praecipit] scribit *b*. inponendo *a*. datis *om. b d*.

mandatis ipse nauem conscendit a. d. VI Kal. Ian. et reliquas na-
5 ues statim est consecutus. Ita uento certo celerique nauigio ue-
ctus post diem quartum cum longis paucis nauibus in conspectum
Africae uenit: namque onerariae reliquae*que* praeter paucas uento
6 dispersae atque errabundae diuersa loca petierunt. Clupeam classe
praeteruehitur, dein Neapolim; complura praeterea castella et op-
3 pida non longe a mari reliquit. Postquam Adrumetum accessit,
ubi praesidium erat aduersariorum, cui praeerat C. Considius, et a
Clupeis secundum oram maritumam cum equitatu Adrumetum Cn.
2 Piso, cum Maurorum circiter tribus milibus, apparuit, ibi paulisper
Caesar ante portum commoratus, dum reliquae naues conuenirent,
exponit exercitum, cuius numerus in praesentia fuit peditum III
milia, equites CL, castrisque ante oppidum positis sine iniuria
3 cuiusquam consedit cohibetque omnes a praeda. Oppidani interim
muros armatis complent, ante portam frequentes considunt ad se
defendendum; quorum numerus duarum legionum instar erat.
4 Caesar circum oppidum uectus natura loci perspecta rediit in castra.
Nonnemo culpae eius inprudentiaeque adsignabat, quod neque cer-
tum locum gubernatoribus praefectisque, quem peterent, praece-
perat, neque, ut more ipsius consuetudo superioribus temporibus
fuerat, tabellas signatas dederat, ut in tempore his perlectis locum
5 certum peterent uniuersi. Quod minime Caesarem fefellerat.
Namque nullum portum terrae Africae, quo classes decurrerent,
pro certo tutum ab hostium praesidio fore suspicabatur, sed for-
4 tuito oblatam occasionem egressus aucupabatur. L. Plancus inte-
rim legatus petit a Caesare, uti sibi daret potestatem cum Considio

1 mandatis *om. a b c d.* ipse naues *b.* a. d. *Scaliger*, ad *a edd. priores.* lxt Ian. *a.* 2 secutus *b.* 3 quartum *a 'mss. 2'*, quartam *u.* 4 reliquaeque *ego*, reliquae *codd. P.* 202. 5 petiuerunt *b.* 6 dein *a b*, deinde *reliqui.* 7 reliquit *a 'mss. 4'*, relinquit *u.* posquam *a.* Adrumentum *'mss. plerique semper'.* 9 maritumam *a.* Adrumetum *a et sic 'seu* Adrumentum' *b* 4 *dett.*; Adrumeti *u. P.* 202. 10 Maurorum *Scaliger*, Mauro *a*: Mauris *'mss. omnes'.* 13 equites *a* 3 *dett.*, equitum *u.* 15 portam *cod. Ciacconii*, portum *reliqui.* consident *a c.* 16 instar *Walchius*, intus *codd.* 17 rediit *a 'mss. 2'*, redit *u.* 18 inprudentiaeque adsignabat *a.* certum locum *Aldus*, circum loca *codd.* 19 quem *Stephanus*, quid *codd.* 20 more ipsius consuetudo *a c* 6 *dett.*, mos ipsius consuetudo *b*; mos ipsius consuetudoque *Vascosanus u.* 21 dediderat *a.* his *a edd. priores*, iis *P. Manutius u.* 24 fortuito *a c*, fortuito casu *b*; fortuitu *'mss. plerique'.* 26 uti (*a*) *b*, *non* ut. potestatem *a b*, facultatem *u.*

agendi, si posset aliqua ratione perduci ad sanitatem. Itaque data 2
facultate litteras conscribit et eas captiuo dat perferendas in oppi-
dum ad Considium. Quo simulatque captiuus cum peruenisset lit- 3
terasque, ut erat mandatum, Considio porrigere coepisset, prius-
quam acciperet ille, 'unde', inquit, 'istas?' Tum captiuus: 'impe-
ratore a Caesare'. Tunc Considius, 'unus est', inquit, 'Scipio 4
imperator hoc tempore populi Romani'; deinde in conspectu suo
statim captiuum interfici iubet litterasque nondum perlectas, sicut
erant signatae, dat homini certo ad Scipionem perferendas. **Post-** 5
quam una nocte et die ad oppidum consumpta neque responsum
ullum a Considio dabatur, neque ei reliquae copiae succurrebant,
neque equitatu abundabat et ad oppidum oppugnandum non satis
copiarum habebat et eas tironum neque primo aduentu conuulne-
rari exercitum uolebat, et oppidi egregia munitio et difficilis ad
oppugnandum erat accessus,. et nuntiabatur auxilia magna equita-
tus oppidanis suppetias uenire, non est uisa ratio ad oppugnandum
oppidum commorandi, ne, dum in ea re Caesar est occupatus, cir-
cumuentus a tergo ab equitatu hostium laboraret. Itaque castra **6**
cum mouere uellet, subito ex oppido erupit multitudo, atque equi-
tatus subsidio uno tempore eis casu succurrit, qui erat missus a
Iuba ad stipendium accipiendum, castraque, unde Caesar egressus
iter facere coeperat, occupant et eius agmen extremum insequi
coeperunt. Quae res cum animaduersa esset, subito legionarii 2
consistunt, et equites, quamquam erant pauci, tamen contra tan-
tam multitudinem audacissime concurrunt. Accidit res incredibilis, 3
ut equites minus † XXX Galli Maurorum equitum II milia loco
pellerent fugarentque in oppidum. Postquam repulsi et coniecti 4
erant intra munitiones, Caesar iter constitutum ire contendit.
Quod cum saepius facerent et modo insequerentur, modo rursus 5
ab equitibus in oppidum repellerentur, cohortibus paucis ex uete-

3 cum *a b c* 4 *dett.*, *om. u. P.* 16. 5 *et* 6 inquid *a.* 5 impe-ratore *Casp. Barthius*; immo *a et sic 'uel* ymo' *b c* 4 *dett.* 7 hoc tempore *om. b.* 8 statim captiuum *a 'mss. aliquot'*, captiuum statim *u.* 12 habundabat *a.* expugnandum *b.* 15 nuntiabatur *a b*, nuntiabantur *Aldus u.* 17 ne nedum *a.* re *om. b.* est *a b*, esset *Aldus u.* 20 cassii *b.* a Iuba *a 'mss. et edd. qdd.'*, ab Iuba *Aldus u.* 21 egressus et iter *b.* 22 occupat *a*, *om. b.* 24 quanquam (*a*). 25 concurrerunt *b.* 26 † xxx] *P.* 202. 27 fugarentque *b c*, fugerentque *a*, fugarentur *d*; urgerentque *cum uno det. u.* 30 ex] et *a.*

ranis, quas secum habebat, in extremo agmine collocatis et parte
equitatus iter leniter cum reliquis facere coepit. Ita quanto lon-
gius ab oppido discedebatur, tanto tardiores ad insequendum erant
6 Numidae. Interim in itinere ex oppidis et castellis legationes ue-
nire et polliceri frumentum paratosque esse quae imperasset facere.
Itaque eo die castra posuit ad oppidum Ruspinam, Kal. Ianuariis.
7 Inde mouit et peruenit ad oppidum Leptin, liberam ciuitatem et
inmunem. Legati ex oppido obuiam ueniunt, libenter se omnia
2 facturos, quae uellet, pollicentur. Itaque centurionibus ad portas
oppidi et custodiis impositis, ne quis miles in oppidum introiret aut
iniuriam faceret cuipiam incolae, non longe ab oppido secundum
3 litus facit castra. Eodemque naues onerariae et longae nonnullae
casu aduenerunt; reliquae, ut est ei nuntiatum, incertae locorum
4 Vticam uersus petere uisae sunt. Interim Caesar a mari non di-
gredi neque mediterranea petere propter nauium errorem equita-
tumque in nauibus omnem continere, ut arbitror, ne agri uastaren-
5 tur; aquam in naues iubet comportari. Remiges interim, qui aqua-
tum e nauibus exierant, subito equites Mauri neque opinantibus
Caesarianis adorti multos iaculis conuulnerarunt, nonnullos inter-
6 fecerunt. Latent enim in insidiis cum equis inter conualles et su-
bito existunt, non ut in campo comminus depugnent . . . . . .
8 Caesar interim in Sardiniam nuntios cum litteris et in reliquas
prouincias finitimas dimisit, ut sibi auxilia, commeatus, frumen-
tum, simulatque litteras legissent, mittenda curarent, exoneratis-
que partim nauibus longis Rabirium Postumum in Siciliam ad se-
2 cundum commeatum arcessendum mittit . . . interim cum X naui-
bus longis ad reliquas naues onerarias conquirendas, quae deer-
3 rassent, et simul mare tuendum ab hostibus iubet proficisci. Item
C. Sallustium Crispum praetorem ad Cercinam insulam uersus,
quam aduersarii tenebant, cum parte nauium ire iubet, quod ibi

2 facere] agere *b*. 4 Numidiae *a*. 5 et *a b*, *om. u*. paratos esse *a*. 6 Vsurpinam *codd.* lxt. Ianuariis *a*. 8 inmunem *a*. obuiam ueniunt *a*, ueniunt obuiam *edd.* 9 uellet *om. a b c.* polliceretur *a b*. 12 eodemque *a 'mss. 3'*, eodem *u*. 13 ei *om. b*. 18 ex *b*. 19 conuulnerarunt *a b*, conuulnerauerunt *u*. 20 in conualles *a*, in conuallibus *b*. 21 existunt *a*. cominus (*a*). *Lacunam ego notaui. P.* 202. 23 frumentum] mitterent qui *add. b*. 24 ex onerariis partim *b*. 25 Postumium *'mss. et edd. qdd.'* 26 *lacunam ego notaui. P.* 203. 27 requirendas *b*. 29 'Ceruiam, Cerinam, Celennam, Celerinam *mss.*'

magnum numerum frumenti esse audiebat. Haec ita imperabat 4
unicuique, ita praecipiebat, uti fieri *non* posse neque locum excu-
satio ullum haberet nec moram tergiuersatio. Ipse interea ex per- 5
fugis et incolis cognitis condicionibus Scipionis et qui cum eo bel-
lum contra se gerebant miserari (regium enim equitatum Scipio
ex prouincia Africa alebat) tanta homines esse dementia, ut ma-
lint regis esse uectigales, quam cum ciuibus in patria in suis for-
tunis esse incolumes. Caesar a. d. III Non. Ian. castra mouet; **9**
Lepti sex cohortium praesidio cum Saserna relicto ipse rursus,
unde pridie uenerat, Ruspinam cum reliquis copiis conuertit ibique
sarcinis exercitus relictis ipse cum expedita manu proficiscitur cir-
cum uillas frumentatum oppidanisque imperat, ut plostra iumenta-
que omnia sequantur. Itaque magno numero frumenti inuento 2
Ruspinam redit. Huc eum idcirco existimo recepisse, ut marituma
oppida post se ne uacua relinqueret praesidioque firmata ad clas-
sim receptacula muniret. Itaque ibi relicto P. Saserna, fratre eius, **10**
quem Lepti proximo oppido reliquerat, cum legione iubet compor-
tari ligna in oppidum quam plurima; ipse cum cohortibus VII, quae 2
ex ueteranis legionibus in classe cum Sulpicio et Vatinio rem ges-
serant, ex oppido Ruspina egressus proficiscitur ad portum, qui
abest ab oppido milia passuum duo, ibique classem sub uesperum
cum ea copia conscendit. Omnibus in exercitu insciis et requiren- 3
tibus imperatoris consilium magno metu ac tristimonia sollicita-
bantur. Parua enim cum copia et ea tironum neque omni exposita 4
in Africa contra magnas copias et insidiosae nationis equitatumque
innumerabilem se expositos uidebant neque quicquam solatii in
praesentia neque auxilium in suorum consilio animum aduertebant
nisi in ipsius imperatoris uultu, uigore mirabilique hilaritate: ani- 5

2 unicuique ita *a,* ita unicuique *u et sic b 'uel* unic. ita'. non posse neque *ego,* posset necne (*a*) *b c d* (nec *aliquot dett.*). *P.* 203. 3 ullum *aliquot dett.*, nullum (*a*) *b c d.* 4 conditionibus (*a*). bellum contra se *a*, contra se bellum *edd.* 7 suis fortuniis *omisso* in *b.* 9 Lepti *ego,* Leptim *a et sic 'uel* Leptimque' *b c* 4 *dett.*; Leptique *u.* 11 exercitui *a b.* 12 frumentatumque oppidanisque *a*, frumentum oppidanis *b.* plostra *a*, plaustra *edd.* 13 numero frumenti inuento *a Stephanus,* frumenti inuento numero *ceterae edd.* 14 Rupinam *a.* huc *Dauisius,* hoc *codd.* recepisse *a b c*, fecisse *u. Vid. M. Caes. ad Front. IV,* 5 *p.* 102 *Rom.* marituma *a.* 16 Seserna *a.* eius] suo *b.* 21 mil. pas̄s *a.* 24 tyronum *a.* 26 quicquam *a*, *non* quidq. solatium *a c.* 27 nec auxilium *b.* animum aduertebant *a b, non* animadu. 28 uulgu *a*, uultus *b.*

mum enim altum et erectum prae se gerebat. Huic adquiescebant
homines et in eius scientia et consilio omnia sibi procliuia omnes
11 fore sperabant. Caesar una nocte in nauibus consumpta iam caelo
albente cum proficisci conaretur, subito nauium pars, de qua time-
2 bat, ex errore eodem conferebatur. Hac re cognita Caesar cele-
riter de nauibus imperat omnes egredi atque in litore armatos re-
3 liquos aduenientis milites expectare. Itaque sine mora nauibus
eis in portum receptis et aduectis militum equitumque copiis rursus
ad oppidum Ruspinam redit atque ibi castris constitutis ipse cum
4 cohortibus expeditis XXX frumentatum est profectus. Ex eo est
cognitum Caesaris consilium, illum cum classe nauibus onerariis,
quae deerrassent, subsidio ire clam hostibus uoluisse, ne casu in-
prudentes suae naues in classem aduersariorum inciderent, neque
eam rem eos uoluisse scire, qui in praesidiis relicti sui milites
fuissent, ne hi propter suorum paucitatem et hostium multitudinem
12 metu deficerent. Interim cum iam Caesar progressus esset a ca-
stris circiter milia passuum III, per speculatores et antecessores
equites nuntiatur ei copias hostium haut longe ab sese uisas. Et
2 hercule cum eo nuntio puluis ingens conspici coeptus est. Hac re
cognita Caesar celeriter iubet equitatum uniuersum, cuius copiam
habuit in praesentia non magnam, et sagittarios, quorum paruus
numerus, ex castris arcessiri atque ordinatim signa se leniter con-
3 sequi; ipse antecedere cum paucis armatis. Iamque cum procul
hostis conspici posset, milites in campo iubet galeari et ad eam
pugnam parari; quorum omnino numerus fuit XXX cohortium cum
13 equitibus CCCC, sagittariis CL. Hostes interim, quorum dux erat
Labienus et duo Pacidii, aciem dirigunt mirabili longitudine non
peditum, sed equitum confertam et inter eos leuis armaturae Nu-
midas et sagittarios pedites interposuerant et ita condensauerant,
ut procul Caesariani pedestres copias arbitrarentur, dextrum ac

1 hic *c*. adquiescebant *a*. 2 homines] omnes *b*. 3 coelo (*a*). 6 in litore armatos *a*, armatos in litore *edd*. 7 aduenientis *a*. expectare *a*. 8 equitatumque *b*. 9 oppidum *om*. *b*. 12 inprudentes *a*. 14 qui *om*. *a*. 15 ne hi *ego*, nihil *a b c*; uti nihil *d*. 17 mil. pass. *a*. 18 haut *a*. 21 non magnam *om*. *b*. 22 arcessiri *a b*, arcessi *u*. 24 eam *a b cod*. *Urs*. 3 *dett*., *om*. *Aldus u*. 25 cum *om*. *b*. 26 CCCC *om*. *b*. sagittariis *a b*, et sagittariis *u*. CL *Oudendorpius*; ei *c*, et *a b reliqui*. hostibus *a*. 27 Pacidei *a b d* 3 *dett*. *i*. *e*. Pacideii. mirabili *om*. *a b c*. longitudinem *a b c*. 30 dextrum *a b* 3 *dett*., et dextrum *u*.

sinistrum cornu magnis equitum copiis firmauerant. Interim Cae- 2
sar aciem dirigit simplicem, ut poterat propter paucitatem; sagittarios ante aciem constituit, equites dextro sinistroque cornu opponit et ita praecipit, ut prouiderent, ne multitudine equitatus hostium circumuenirentur: existimabat enim se acie instructa cum
pedestribus copiis dimicaturum. Cum utrimque expectatio fieret, 14
neque Caesar sese moueret et cum suorum paucitate contra magnam uim hostium artificio magis quam uiribus decernendum uideret, subito aduersariorum equitatus sese extendere et in latitudinem promouere collesque complecti et Caesaris equitatum extenuare simulque ad circumeundum comparare se coeperunt. Cae- 2
sariani equites eorum multitudinem aegre sustinebant. Acies interim mediae cum concurrere conarentur, subito ex condensis turmis pedites Numidae leuis armaturae cum equitibus procurrunt et
inter legionarios [pedites] iacula coniciunt. Hic cum Caesariani 3
in eos impetum fecissent, illorum equites refugiebant; pedites interim resistebant, dum equites rursus cursu renouato peditibus
suis succurrerent. Caesar nouo genere pugnae oblato, cum ani- 15
mum aduerteret ordines suorum in procurrendo turbari (pedites enim, dum equites longius ab signis persecuntur, latere nudato a proximis Numidis iaculis uulnerabantur; equites autem hostium pilum militis cursu facile uitabant), edicit per ordines, ne quis mi-
les ab signis IIII pedes longius procederet. Equitatus interim La- 2
bieni suorum multitudine confisus Caesaris paucitatem circuire non moratur: equites Iuliani pauci multitudine hostium defessi equis conuulneratis paulatim cedere; hostis magis magisque instare.
Ita puncto temporis omnibus legionariis ab hostium equitatu cir- 3
cumuentis Caesarisque copiis in orbem compulsis intra cancellos

1 equitatum *b.* 5 acie instructa cum pedestribus copiis *a*, cum ped. cop. acie instr. *edd.* 6 utrimque expectatio *a.* 7 sese moueret *Lipsius,* se remoueret *codd.* 9 equites, *sed altero suprasc., a.* 10 extenuare *Stephanus,* extenuari *a 'mss. 5'.* 11 circumueniendum *b.* coeperunt *P. Manutius,* coeperant *a 'mss. et edd. qdd.'* 14 Numidiae *a.* procurrerunt *b.* 15 legionerarios *a.* pedites *reliqui 'forsan e glossa'*, milites *unus det. u.* 18 animum aduerteret *a b, non* animadu. 20 (persecuntur *a*) prosequuntur *b.* 21 Numidis *errore om. u.* 22 palam milites *a b c.* 23 IV (*a*). 24 circuire *a 'mss. plerique'*, circumire *u.* non moratur *ego,* non conatur *a b c 2 dett.*; conatur *u. Vid. script. discr. p.* 480, 15. 25 equites (*a*) *Aldus,* qui equites *b c 5 dett.* 27 temporis] horae *add. a b.* omnibusque *a.*

16 omnes coniecti pugnare cogebantur. Labienus in equo capite nudo
uersari in prima acie; simul suos cohortari, nonnumquam legiona-
rios Caesaris ita appellare: 'Quid tu', inquit, 'miles tiro? tam fe-
roculus es? Vos quoque iste uerbis infatuauit? In magnum meher-
cule uos periculum impulit. Misereor uestri'. Tum miles 'non
2 sum', inquit, 'tiro, Labiene, sed de legione X ueteranus'. Tum
Labienus 'non agnosco', inquit, 'signa decumanorum'. Tum miles:
'iam me, qui sim, intelleges'; simul cassidem de capite deiecit, ut
cognosci ab eo posset, atque ita pilum uiribus contortum, dum in
Labienum mittere contendit, equi grauiter aduerso pectori adfixit
et ait: 'Labiene, decumanum militem, qui te petit, scito esse'.
3 Omnium tamen animi in terrorem coniecti et maxime tironum:
circumspicere enim Caesarem neque amplius facere nisi hostium
17 iacula uitare. Caesar interim consilio hostium cognito iubet aciem
in longitudinem quam maximam porrigi et alternis conuersis co-
2 hortibus, ut una post, altera ante signa tenderet, ita coronam
hostium dextro sinistroque cornu mediam diuidit et unam partem
ab altera exclusam equitibus intrinsecus adortus cum peditatu telis
coniectis in fugam uertit neque longius progressus ueritus insidias
se ad suos recipit. Idem altera pars equitum peditumque Caesaris
3 facit. His rebus gestis ac procul hostibus repulsis conuulneratis-
que ad sua praesidia sese, sicut erat instructus, recipere coepit.
18 Interim M. Petreius et Cn. Piso cum equitibus Numidis MDC ele-
ctis peditatuque eiusdem generis satis grandi ex itinere recta sub-
2 sidio suis occurrunt. Atque hostes suis ex terrore firmatis rur-
susque renouatis animis legionarios conuersis equitibus recipientes
nouissimos adoriri et inpedire coeperunt, quo minus in castra se
3 reciperent. Hac re animaduersa Caesar iubet signa conuerti et

2 nonnunquam (*a*). 3 apellare *a*. feris oculis *b*. 4 meherculem *a b*. 7 decimanorum *b*. tum ait miles *a 'mss. 4'*. 8 qui *'mss. 4'*, quis (*a*) *reliqui*. intellige *b*. eiecit *b*. 10 adfixit *a*. 11 et ait *om. c*. decimanum *b*, decumum *a*. 15 longitudine quam maxima *a 'mss. 3'*. 16 altera *Ablancurtius*, alteram *codd. P.* 204. corona *a*. 18 adortatus *a*. 19 conuertit *b*. 20 recepit *b*. idem] ita *b*. 21 fecit *b*. 23 Cn.] M. *b*. MDC] CCC *a 'mei omnes, nisi quod nonnulli ponant ante* equitibus' (*id fit in edd. ante Ald.*), *om. c*; MC *Aldus et seqq. Vid. c.* 19, 6. electis *om. b*. 24 eiusdem generis *om. b*. recta *Aldus*, recto *a 'mss. 5'*. 25 occurrerunt *b*. atque hostes 5 *dett.*, at cohortes *a b*. 26 recipientes *a 'mss. plerique'*, se recipientes *P. Manutius u*. 27 adorti *b*. inpedire *a*.

medio campo redintegrari proelium. Cum ab hostibus eodem modo 4
pugnaretur nec comminus ad manus rediretur, Caesarisque equi-
tes iumenta ex nausea recenti, siti, languore, paucitate, uulneribus
defatigata ad insequendum hostem perseuerandumque cursum tar-
diora haberent, dieique pars exigua iam reliqua esset, cohortibus
equitibus circumdatis cohortatur, ut uno ictu contenderent neque
remitterent, donec ultra ultimos colles hostes repulissent atque
eorum essent potiti. Itaque signo dato in hostes languide tela ne- 5
glegenterque mittentis subito immittit cohortes turmasque suorum;
atque puncto temporis hostibus nullo negotio campo pulsis, post
collem deiectis nacti locum atque ibi paulisper commorati, ita uti
erant instructi, leniter se ad suas recipiunt munitiones. Itemque
aduersarii male accepti tum demum se ad sua praesidia contule-
runt. Interim ea re gesta et proelio dirempto ex aduersariis per- 19
fugere plures ex omni genere hominum, et praeterea intercepti
[hostium] complures equites peditesque. Ex quibus cognitum est
consilium hostium, eos hac mente et conatu uenisse, uti nouo at-
que inusitato genere proelii tirones legionarii paucique perturbati
Curionis exemplo ab equitatu circumuenti opprimerentur, et ita 2
Labienum dixisse pro contione, tantam sese multitudinem auxi-
liorum aduersariis subministraturum, ut etiam caedendo in ipsa
uictoria defatigati uincerentur atque a suis superarentur, quippe
qui † in illorum sibi confideret, primum, quod audierat Romae le- 3
giones ueteranas dissentire neque in Africam uelle transire;
deinde, quod triennio in Africa suos milites consuetudine retentos

2 cominus (*a*). 3 nausia '*mss. plurimi*', nausias *a*. langore *a*. 4 tardiora *cod. Vrs. 2 dett. 'forsan et c'*; tardiorem *a b et ceteri, de quibus constat.* 6 equitibus *Aldus*, equitibusque *codd. P.* 204 *extr., ubi pro ed. Basil. Aldus nominandus erat.* cohortatur ut 3 *dett.*, cohortatus ut *a et omisso* ut *b*; cohortatus imperat ut *cum uno det. u.* 7 remitterent] bellum *add. b.* reppulissent *a.* 8 in *ego*, iam *a b*; cum iam *u.* hoste *b.* 9 mittentis *ego*, mittendi *a c*, mittente *b*; mitterent *u.* turmas *a.* 11 collem *a b c*, collemque *u.* 13 malo accepto *b.* 14 *De c.* 19 *uid. P.* 205—208. perfugere *Gudius*, perfugae *codd.* 15 ex] et *a.* et *om. b.* 16 hostium '*deleri posset*'. 17 consilium hostium *a 'mss. plerique'*, hostium consilium *u.* 18 legionarii paucique *a b c* 3 *dett.*, legionariique pauci *u.* 19 circumdati *a.* 20 Labienum] Iubam *codd.* concione (*a*). se '*mss. plurimi*'. 21 aduersariis] Caesaris *add. b.* cedendo *a.* 23 qui *d*, quis *a b c.* sibi confideret *a*; sibi confideret multitudine *c d*, fide sibi confideret *b.* audierat] ac *add. a.*

fideles sibi iam effecisset, maxima autem auxilia haberet Numida-
4 rum equitum leuisque armaturae, praeterea ex fuga proelioque
Pompeiano [Labienus] quos secum a Brundisio transportauerat
equites Germanos Gallosque ibique postea ex hibridis, libertinis
seruisque conscripserat, armauerat, uti frenatos constituerat,
5 praeterea regia auxilia elephantis CXX equitatusque innumerabilis,
deinde legiones conscriptas ex cuiusquemodi generis amplius XII
6 milibus. Hac spe atque audacia inflammatus Labienus cum equiti-
bus Gallis Germanisque MDC, Numidarum sine frenis VII milibus,
praeterea Petreiano auxilio adhibito equitibus MDC, peditum ac
leuis armaturae quartum tanto, sagittariis ac funditoribus hippo-
7 toxotisque compluribus, his copiis II d. Non. Ian. post diem VI,
quam Africam attigit, in campis planissimis purissimisque ab hora
diei quinta usque ad solis occasum est decertatum. In eo proelio
20 Petreius grauiter ictus ex acie recessit. Caesar interim castra
munire diligentius, praesidia firmare copiis maioribus uallumque
ab oppido Ruspina usque ad mare ducere et a castris alterum eo-
dem, quo tutius ultro citroque commeare auxiliaque sine periculo
sibi succurrere possent, tela tormentaque ex nauibus in castra
comportare, remigum partem ex classe, Gallorum, Rhodiorum,
epibatarumque armare et in castra euocare, uti, si posset, eadem
ratione, qua aduersarii, leuis armatura interiecta inter equites
2 suos interponeretur, sagittariisque ex omnibus nauibus Ityreis,
Syris et cuiusque generis ductis in castra compluribus frequenta-
bat suas copias (audiebat enim Scipionem post diem tertium eius
diei, quo proelium factum erat, adpropinquare, copias suas cum
Labieno et Petreio coniungere; cuius copiae legionum VIII et equi-

1 sibi iam *a Stephanus et sine annotatione u*, iam sibi *ceterae edd. ante u.* 2 equitumque leuis *d.* 4 hibridis (*a*) *Scaliger, cum fuisset* hybridis. 5 uti frenatos *ego,* uti frenato *a b c;* equoque uti frenato *u.* constituerat *ego*, condidicerat *a b c d;* condocuerat *u.* 6 elephantis *a,* elephanti *b,* elephantos *c;* elephantes *u.* 7 conscriptas *ego,* conscriptae *codd.* 8 atque (*a*) *'mss. 3'*, atque ea *u.* 9 co· DC *a,* ∞ DC *cod. Vrs.;* DCCC *'mss. et edd. uett.' ante Scal.* VII *a b c,* VIII *u.* 10 MDC *'mss. omnes'*, CODC *a;* MC *u.* 11 quartum *a b,* quater *u.* hippotaxotisque *a.* 12 II d. *a,* pridie *edd. P.* 158. VI *Ciacconius,* tertium (*a*) *et sic aut* III *reliqui.* 13 plurissimisque *b c,* plurimisque *a.* 16 copiis maioribus *a,* maioribus copiis *edd.* 17 ducere *a b,* deducere *u.* 18 commeatus *d.* 20 Rodiorum *a.* 22 armaturae interfecti *b.* 23 interponerentur sagittariique *a b.* Itireis *a.* 24 Syris *a b,* Syriis *u.* frequentabant *ante corr. a.* 26 adpropinquare *a.* 27 cuius] quorum *a c,* eorum *b. Vid. c.* 24, 1.

tum III milium esse nuntiabantur), officinas ferrarias instruere, 3
sagittas telaque uti fierent complura curare, glandes fundere, su-
des comparare, litteras in Siciliam nuntiosque mittere, ut sibi cra-
tes materiemque congererent ad arietes, cuius inopia in Africa
esset, praeterea ferrum, plumbum mitteretur. Etiam animaduer- 4
tebat frumento se in Africa nisi inportato uti non posse: priore
enim anno propter aduersariorum delectus, quod stipendiarii arato-
res milites essent facti, messem non esse factam; praeterea ex 5
omni Africa frumentum aduersarios in pauca oppida et bene mu-
nita comportasse omnemque regionem Africae exinanisse fru-
mento, oppida praeter ea pauca, quae ipsi suis praesidiis tueri pot- 6
erant, reliqua dirui atque deleri et eorum incolas intra sua prae-
sidia coëgisse commigrare, agros desertos ac uastatos esse. Hac 21
necessitate Caesar coactus priuatos ambiendo et blande appellando
aliquantum numerum frumenti in sua praesidia congesserat et eo
parce utebatur. Opera interim ipse cotidie circuire et ad ternas
cohortis in statione habere propter hostium multitudinem. Labie- 2
nus saucios suos, quorum maximus numerus fuit, iubet in plostris
deligatos Adrumetum deportari. Naues interim Caesaris onera- 3
riae errabundae male uagabantur incertae locorum atque castro-
rum suorum; quas singulas scaphae aduersariorum complures
adortae incendebant atque expugnabant. Hac re nuntiata Caesar 4
classes circum insulas portusque disposuit, quo tutius commeatus
subportari posset.

M. Cato interim, qui Vticae praeerat, Cn. Pompeium filium 22
multis uerbis assidueque obiurgare non desistebat. 'Tuus', inquit, 2
'pater istuc aetatis cum esset et animaduertisset rempublicam ab

4 congeri *a b c*. 5 ferrum plumbum *a b*, plurimum ferrum *c?*; ferrum plumbumque *u*. mitteretur] adduceretur *c?* (*At* plurimum ferrum adduceretur *in edd. ante Ald. legitur, ex quibus haec Oudendorpium afferre uoluisse et in c idem atque in a b scriptum esse suspicor*).
etiam animaduertebat '*uel* et iam an. *mss. plerique*', et iam animum aduertebat *a et, qui* etiam, 2 *dett.*; et animum etiam aduertebat *cod. Vrs. u*.
6 inportato *a*, importaticio '*mss. omnes*' *praeter unum det.?* 7 dilectus (*a*). stipendii *a b c*. 12 atque] ac *c*. 15 aliquantum *a b c*; aliquantulum *u*, *quod 'nescio an in d sit'*. numerum frumenti *a 'mss. plerique'*, frumenti *m. pr. b*; frumenti numerum *u*. 16 circuire *a 'mss. 2'*, circumire *u*. ad ternas *Lipsius;* alternas *b*, alteras *a 'reliqui'*. 17 cohortis *a*. 20 uacabantur *a*, uacabant *b*. 21 singulae *a b*. 22 incenderant *a b c*. Caesar *c* 2 *dett. 'alii'*, Caesari *a reliqui*. 23 disponit *b*. 24 subportari *a*. possit *b*.
27 animum aduertisset *a*.

perditis sceleratisque ciuibus oppressam bonosque aut interfectos
aut exilio multatos patria ciuitateque carere, gloria et animi ma-
gnitudine elatus priuatus atque adolescentulus paterni exercitus
reliquiis collectis paene oppressam funditus*que* deletam Italiam
urbemque Romanam in libertatem uindicauit, idemque Siciliam,
Africam, Numidiam, Mauritaniam mirabili celeritate armis recepit.
3 Quibus ex rebus sibi eam dignitatem, quae est per gentes clarissima
notissimaque, conciliauit adulescentulusque atque eques Romanus
4 triumphauit. Atque ille non ita amplis rebus patris gestis neque
tam excellenti maiorum dignitate parta neque tantis clientelis no-
5 minisque claritate praeditus in rempublicam est ingressus. Tu
contra et patris nobilitate et dignitate et per te ipse satis animi
magnitudine diligentiaque praeditus nonne eniteris et proficisceris
ad paternas clientelas auxilium tibi reique publicae atque optimo
23 cuique ecflagitatum?' His uerbis hominis grauissimi incitatus ado-
lescentulus cum nauiculis cuiusquemodi generis XXX, inibi paucis
rostratis, profectus ab Vtica in Mauritaniam regnumque Bogudis
est ingressus expeditoque exercitu numero seruorum, liberorum II
milium, cuius partem inermem, partem armatam habuerat, ad op-
pidum Ascurum accedere coepit; in quo oppido praesidium fuit
2 regium. Pompeio adueniente oppidani usque eo passi propius ac-
cedere, donec ad ipsas portas ac murum adpropinquaret, subito
eruptione facta prostratos perterritosque Pompeianos in mare na-
3 uesque passim compulerunt. Ita re male gesta Gneus Pompeius
filius naues inde auertit neque postea litus adtigit classemque ad
insulas Baleares uersus conuertit.

24 Scipio interim cum iis copiis, quas paulo ante demonstraui-
mus, Vticae grandi praesidio relicto profectus primum Adrumeti
castra ponit, deinde ibi paucos dies commoratus noctu itinere

1 perditis *Dauisius;* uarduis *a c,* nardiis *b d;* audacibus *u.* ciuibus] hominibus *b.* bonosque] senatoresque *b.* 2 exsilio (*a*). 3 priuatusque adolesc. *b.* 4 reliquis *a.* pene *a.* funditusque *ego,* funditus *a b c;* funditus et *u.* 7 ex *om. b.* 8 adulescentulusque *a.* 10 tam — neque *om. a b c.* 15 et flagitatum *a,* efflagitatum *u.* 16 cuiusque modo *c,* cuiusmodi *b.* 17 Vtica *a b,* Vtica est *u.* 18 numerum *a c.* 20 Ascaurum *b.* 22 adpropinquaret *a.* 23 nauesque passim *a,* passim nauesque *edd.* 24 Gneus *a,* Cn. *u.* 25 filius *om. b.* adtigit *a.* 27 his *a.* 28 Adrumetici *a.* 29 ibi paucos dies *a edd. ante u,* paucos dies ibi *sine annotatione u.*

facto cum Labieni et Petreii copiis se coniungit, atque unis ca-
stris factis III milia passuum longe considunt. Equitatus interim 2
eorum circum Caesaris munitiones uagari atque eos, qui pabulandi
aut aquandi gratia extra uallum progressi essent, excipere; ita
omnes aduersarios intra munitiones continere. Qua re Caesa- 3
riani graui annona sunt conflictati, ideo quod nondum neque ab
Sicilia neque ab Sardinia commeatus subportatus erat, neque per
anni tempus in mari classes sine periculo uagari poterant; neque
amplius milia passuum VI terrae Africae quoque uersus tenebant
pabulique inopia premebantur. Qua necessitate coacti ueterani 4
milites equitesque, qui multa terra marique bella confecissent et
periculis inopiaque tali saepe essent conflictati, alga e litore col-
lecta et aqua dulci eluta et ita iumentis esurientibus data uitam
eorum producebant. Cum haec ita fierent, rex Iuba cognitis 25
Caesaris difficultatibus copiarumque paucitate non est uisum dari
spatium conualescendi augendarumque eius opum. Itaque com-
paratis equitum magnis peditumque copiis subsidio suis egressus
e regno ire contendit. P. Sittius interim et rex Bocchus con- 2
iunctis suis copiis cognito regis Iubae egressu propius eius re-
gnum copias suas admouere, Cirtamque, oppidum opulentissimum 3
eius regni, adortus paucis diebus pugnando capit et praeterea duo
oppida Gaetulorum; quibus cum condicionem ferret, ut oppido
excederent idque sibi uacuum traderent, condicionemque repu-
diassent, postea ab eo capti interfectique sunt omnes. Inde pro- 4
gressus agros oppidaque uexare non destitit. Quibus rebus co-
gnitis Iuba, cum iam non longe ab Scipione atque eius ducibus
abesset, capit consilium, satius esse sibi suoque regno subsidio
ire, quam, dum alios adiuturus proficisceretur, ipse suo regno
expulsus forsitan utraque re expelleretur. Itaque rursus se reci- 5

1 Labieni et Petreii *a*, Petreii et Labieni *edd.* copiis] castris *b.* se *om. a b c, ante* copiis *ponunt 'mss. et edd. qdd.'* 4 gratia] causa *b.* 6 neque *om. b.* 7 subportatus *a.* nec per *b.* 9 quoque *ego,* quoquo (*a*) *edd.* (*sed* quaque *ante Ald.*). *P.* 72. tenebat — (10) premebatur *a b c.* 12 sepe *a.* 14 dum *codd. et edd. P.* 16. 17 suis *om. b.* 18 Sitius (*a*) *u.* Bocchus (*a*), 'Bochus *siue* Bocchus *b c*'; Bochus *u.* 20 opulentissimum eius regni *a*, eius regni opulentissimum *edd.* 21 adortus — capit *a* (*is* adortis) *b c*, adorti — capiunt *u. P.* 23. 22 conditionem (*a*). ferret *a*, offerret *b*; ferrent *u.* oppido] oppida *ante corr. a.* 23 conditionemque (*a.*) 24 eo *a b*, eis *u.* interfecti sunt *b.* progressus *a b*, progressi *u.* 25 destitit *a b*, desistunt *u.* 29 pulsus *b.* se *om. a.*

pere, atque auxilia etiam ab Scipione abduxit sibi suisque rebus
timens elephantisque XXX relictis suis finibus oppidisque suppetias
26 profectus est. Caesar interim, cum de suo aduentu dubitatio in
prouincia esset, neque quisquam crederet ipsum, sed aliquem le-
gatum in Africam cum copiis uenisse, conscriptis litteris circum
2 prouinciam omnes ciuitates facit de suo aduentu certiores. Inte-
rim nobiles homines ex suis oppidis profugere et in castra Caesa-
ris deuenire et de aduersariorum eius crudelitate acerbitateque
3 commemorare coeperunt. Quorum lacrimis querelisque Caesar
commotus cum antea constituisset e statiuis castris aestate inita
cunctis copiis auxiliisque accitis . . . . . bellum cum suis aduer-
sariis gerere instituit litterisque celeriter in Siciliam [missis] ad
Alienum et Rabirium Postumum conscriptis [et] per catascopum
mittit, ut sine mora ac nulla excusatione hiemis uentorumque
4 quam celerrime exercitus sibi transportaretur: Africam prouin-
ciam perire funditusque euerti ab suis inimicis; quod nisi celeriter
sociis foret subuentum, praeter ipsam Africam terram nihil, ne te-
ctum quidem, quo se reciperent, ab illorum scelere insidiisque reli-
5 cuum futurum. Atque ipse in tanta erat festinatione et expectatione,
ut postero die, quam misisset litteras nuntiumque, classem exerci-
tumque morari diceret, dies noctesque oculos mentemque ad mare
6 dispositos directosque haberet. Nec mirum. Animaduertebat enim
uillas exuri, agros uastari, pecus diripi, trucidari, oppida castel-
laque dirui deserique, principes ciuitatum aut interfici aut in ca-
tenis teneri, liberos eorum obsidum nomine in seruitutem abripi;
7 iis se in miseriis suamque fidem implorantibus auxilio propter co-
8 piarum paucitatem esse non posse. Milites interim in opere ex-
ercere atque castra munire, turres, castella facere molesque ia-
27 cere in mare non intermittere. Scipio interim elephantos hoc
modo condocefacere instituit. Duas instruxit acies, unam fundi-

5 in Africam cum copiis *a*, cum copiis in Africam *edd.* 7 fugere *b.* 10 constituisset e *a b c*, constitisset in *u.* 11 accitis *Scaliger*, agitis *a c*; aggregatis *b. Lacunam ego notaui. P.* 208. suis aduersariis *a*, aduersariis suis *edd.* 12 missis *a b c*, *om. u. P.* 209. 13 Allienum (*a*) *u.* et ad Rabirium *b.* catoscopum *b.* 14 mittit *a b c*, missis *u.* ac nulla *a*, et nulla *b*; aut ulla *Aldus u.* hyemis *a.* 15 celerri *a*, celeriter *b.* *ante* Africam *add.* in *b.* 18 relicuum *a.* 19 expectatione *a.* 20 nuntiumque *a b*, nuntiumque in Siciliam *u.* 22 depositos *a c d.* 24 principes *'mss. plurimi'*, principesque (*a*). 25 abripuisse in *a.* 27 esse] sese *a.* 28 atque *a 'mss.* 6', *om. Aldus u.* 30 condocere facere *a.*

torum contra elephantos, quae quasi aduersariorum locum obti-
neret et contra eorum frontem aduersam lapillos minutos mitteret;
deinde in ordinem elephantos constituit; post illos autem suam 2
aciem instruxit, ut, cum ab aduersariis lapides mitti coepissent,
et elephanti perterriti se ad suos conuertissent, rursus ab sua acie
lapidibus missis eos conuerterent aduersus hostem; quod aegre
tardeque fiebat. Rudes enim elephanti multorum annorum do- 3
ctrina usuque uetusto uix edocti tamen communi periculo in aciem
producuntur. Dum haec ad Ruspinam ab utrisque ducibus admi- 28
nistrantur, C. Vergilius praetorius, qui Thapsi, oppido mari-
tumo, praeerat, cum animaduerteret naues singulas cum exercitu
Caesaris incertas locorum atque castrorum suorum uagari, occa-
sionem nactus nauem quam ibi habuit actuariam complet militibus
et sagittariis et eisdem scaphas de nauibus adiungit ac singulas
naues Caesarianas consectari coepit. Et cum plures adortus 2
esset, pulsus fugatusque inde discessisset nec tamen desisteret
periclitari, forte incidit in nauem, in qua erant duo Titii, Hi-
spani adolescentes, tribuni legionis V, quorum patrem Caesar in
senatum legerat, et cum his Titus Salienus, centurio legionis
eiusdem, qui M. Messalam legatum obsederat Messanae seditio-
sissima oratione apud eum usus, idemque pecuniam et ornamenta
triumphi Caesaris retinenda et custodienda curarat et ob has cau-
sas sibi timebat. Hic propter conscientiam peccatorum suorum 3
persuasit adulescentibus, ne repugnarent seseque Vergilio trade-
rent. Itaque deducti a Vergilio ad Scipionem custodibus sunt tra-
diti et post diem tertium interfecti. Qui cum ducerentur ad ne- 4
cem, petisse dicitur maior Titius a centurionibus, uti se priorem

3 ordine *a b*. instituit *b*. suam aciem *a et sine annotatione u*, aciem suam *edd. ante u*. 5 conuertissent] recepissent *b*. ab *a*, a *edd*. 8 periculo] proelio *b*. 10 Vergilius '*mss. et edd. qdd.*', Virgilius (*a*) *u*. maritumo *a*. 11 animaduerteret *b c*, animum aduerteret *a*; animaduertisset *u*. 13 complet militibus *a edd. ante u*, militibus complet *u*. 14 eisdem *a b c*, eidem *u*. scaphis *a*. 15 plures] id *add. a*. 16 esset *codd.*, *om. Aldus u*. discessit sed nec tamen *a c*, discessit sed cum nec sic tamen *b*. 17 Titii 2 *dett.*, Titi *a reliqui*. 19 Titus *a*, T. *u*. Sallienus *a c*. 20 Messalem *a b c*, Messallam *u*. seditiosissima *Dauisius*, et seditiosissima *codd*. 21 usus (*a*) *b d*, est usus *u*. 22 curarat *a b*, curauerat *u*. has *om. a*. 23 sibi timebat *a Stephanus*, timebat sibi *ceterae edd*. 24 adulescentibus *a*. 24 *et* 25 Virgilio (*a*) *u*. 25 Scipionum *a*. sunt *ante* traditi *ponunt a b*, *ante* interfecti (26) *u*. 27 Titius (*a*) 2 *dett.*, Titus *reliqui*.

quam fratrem interficerent, idque ab eis facile impetrasse, atque
29 ita esse interfectos. Turmae interim equitum, quae pro uallo in
stationibus esse solebant [ab utrisque ducibus], cotidie minutis
2 proeliis inter se depugnare non intermittunt; nonnumquam etiam
Germani Gallique Labieniani cum Caesaris equitibus fide data in-
3 ter se colloquebantur. Labienus interim cum parte equitatus Le-
ptim oppidum, cui praeerat Saserna cum cohortibus VI, oppugnare
ac ui inrumpere conabatur; quod ab defensoribus propter egre-
giam munitionem oppidi et multitudinem tormentorum facile et
4 sine periculo defendebatur. Quod ubi saepius eius equitatus fa-
cere non intermittebat, cum forte ante portam turma densa adsti-
tisset, scorpione accuratius misso atque eorum decurione per-
cusso et ad ecum defixo reliqui perterriti fuga se in castra reci-
30 piunt. Quo facto postea sunt deterriti oppidum temptare. Scipio
interim fere cotidie non longe a suis castris, passibus CCC, in-
struere aciem ac maiore parte diei consumpta rursus in castra se
2 recipere. Quod cum saepius fieret, neque ex Caesaris castris
quisquam prodiret neque propius eius copias accederet, despecta
patientia Caesaris exercitusque eius [Iuba] uniuersis copiis pro-
ductis elephantisque turritis XXX ante aciem instructis quam la-
tissime potuit porrecta equitum peditumque multitudine uno tem-
pore progressus haut ita longe a Caesaris castris constitit in cam-
31 po. Quibus rebus cognitis Caesar iubet milites, qui extra muni-
tiones processerant [quique] pabulandi aut lignandi *causa* aut etiam
muniendi gratia uallum petierant quaeque ad eam rem opus erant,
omnes intra munitiones minutatim modesteque sine tumultu aut
terrore se recipere atque in opere consistere. Equitibus autem,
qui in statione fuerant, praecipit, ut usque eo locum optinerent,
in quo paulo ante constitissent, donec ab hoste telum missum ad
se perueniret; quod si propius accederetur, quam honestissime se

3 *uncos ego posui P.* 209. 4 intermitterent *b.* nonnunquam (*a*). 5 Labienani *'mss. plerique'.* 7 vi *ego,* iii *codd. Vid. c.* 9, 1. 8 inrumpere *a.* 9 multitudinem tormentorum *a,* torm. mult. *edd.* 11 cum *Iurinius,* et cum *codd.* obstitisset *b.* 13 ad ecum *Daehnius;* ad decuma *a,* de decuma *b,* a decima *c;* ad decumanam *u.* 15 fere *om. b.* pass. *a.* 16 parte diei *a et sine annotatione u,* diei parte *edd. ante u.* in castra se *a,* in castra (*om.* se) *b;* se in castra *edd.* 17 sepius *a.* 19 Iuba *Aldus deleuit.* 22 haut *a.* 24 quique *ego inclusi. P.* 209. causa *ego suppleui.* 25 uallum — quaeque *Aldus,* uallem — quique *codd.* 28 optinerent *a.* 29 telum missum *a,* missum telum *edd.*

intra munitiones reciperent. Alii quoque equitatui edicit, uti suo 2
quisque loco paratus armatusque praesto esset. At haec non ipse
per se coram, cum de uallo prospecularetur, sed mirabili peritus
scientia bellandi in praetorio sedens per speculatores et nuntios
imperabat, quae fieri uolebat. Animaduertebat enim, quamquam 3
magnis essent copiis aduersarii freti, tamen saepe a se fugatis,
pulsis perterritisque et concessam uitam et ignota peccata; quibus 4
rebus numquam tanta suppeteret ex ipsorum inertia conscientia-
que animi uictoriae fiducia, ut castra sua adoriri auderent. Prae- 5
terea ipsius nomen auctoritasque magna ex parte eorum exercitus
minuebat audaciam. Tum egregiae munitiones castrorum atque
ualli fossarumque altitudo et extra uallum stili caeci mirabilem in
modum consiti uel sine defensoribus aditum aduersariis prohibe-
bant: scorpionum, catapultarum ceterorumque telorum, quae ad 6
defendendum solent parari, magnam copiam habebat. Atque haec
propter exercitus sui praesentis paucitatem et tirocinium praepa-
rauerat, non hostium ui et metu commotus patientem se timidum-
que hostium opinioni praebebat. Neque idcirco copias, quamquam 7
erant paucae tironumque, non educebat in aciem, quod uictoriae
suorum diffideret; sed referre arbitrabatur, cuiusmodi uictoria
esset futura: turpe enim sibi existimabat tot rebus gestis tantis- 8
que exercitibus deuictis, tot tam claris uictoriis partis ab reliquis
copiis aduersariorum suorum ex fuga collectis se cruentam adeptum
existimari uictoriam. Itaque constituerat gloriam exultationem- 9
que eorum pati, donec sibi ueteranarum legionum pars aliqua in
secundo commeatu occurrisset. Scipio interim paulisper, ut antea **32**
dixi, in eo loco commoratus, ut quasi despexisse Caesarem uide-
retur, paulatim reducit suas copias in castra et contione aduocata
de terrore suo desperationeque exercitus Caesaris facit uerba et
cohortatus suos uictoriam propriam se eis breui daturum pollice-
tur. Caesar iubet milites rursus ad opus redire et per causam 2
munitionum tirones in labore defatigare non intermittit. Interim 3

1 in *a*. 2 ad (*a*)? 5 quanquam (*a*). 8 numquam *a*, *non* nunq. 11 tum] tamen *b*. atque *a* '*mss.* 3', et *u*. 14 quae *om. a*. 17 et metu *om. b*. patientem *Ciacconius*, sapientem *codd*. 18 primebat *a*. quanquam (*a*). 19 deducebat *b*. 21 turbe *a*. existimabant *a*. 22 partis *om. b*. 24 exultationemque *a*. 25 pars] sibi *add. a*, *sed punctis deletum*. 26 antea *a* '*mss.* 4', ante *u*. 28 concione (*a*). 29 facit uerba *a*, uerba facit *edd*. 30 cohortans *b*. propria *a*.

Numidae Gaetulique diffugere cotidie ex castris Scipionis et par-
tim in regnum se conferre, partim, quod ipsi maioresque eorum
beneficio C. Mari usi fuissent Caesaremque eius adfinem esse au-
diebant, in eius castra perfugere cateruatim non intermittunt.
4 Quorum ex numero electis hominibus illustrioribus [Gaetulos] et
litteris ad suos ciues datis cohortatus, uti manu facta se suosque
defenderent, ne suis inimicis aduersariisque dicto audientes es-
33 sent, mittit. Dum haec ad Ruspinam fiunt, legati ex Acilla, ci-
uitate libera et inmuni, ad Caesarem ueniunt seque paratos, quae-
2 cumque imperasset, et libenti animo facturos pollicentur: tantum
orare et petere ab eo, ut sibi praesidium daret, quo tutius id et
sine periculo facere possent; se et frumentum et quaecumque res
3 eis suppeteret communis salutis gratia subministraturos. Quibus
rebus facile a Caesare impetratis praesidioque dato C. Messium,
aedilicia functum potestate, Acillam iubet proficisci. Quibus re-
bus cognitis Considius Longus, qui Adrumeti cum duabus legioni-
bus et equitibus DCC praeerat, celeriter ibi parte praesidii relicta
4 cum VIII cohortibus ad Acillam ire contendit. Messius celerius
itinere confecto prior Acillam cum cohortibus peruenit. Consi-
dius interim, cum ad urbem cum copiis accessisset et animaduer-
tisset praesidium Caesaris ibi esse, non ausus periculum suorum
facere nulla re gesta pro multitudine hominum rursus se Adrume-
5 tum recepit; deinde paucis post diebus equestribus copiis ab La-
bieno adductis rursus Acillitanos castris positis obsidere coepit.
34 Per id tempus C. Sallustius Crispus, quem paucis ante diebus mis-
sum a Caesare cum classe demonstrauimus, Cercinam peruenit.
2 Cuius aduentu C. Decimius quaestorius, qui ibi cum grandi fami-
lia praeerat praesidio commeatui, paruulum nauigium nactus con-

1 Gaetuli (*om. copula*) *b c* 4 *dett.; unde* Numidae *Dauisio eiciendi uidebantur. Vid. c.* 35, 4. et parum *a.* 3 Mari *a.* usi *om. a.* adfinem *a.* 5 Gaetulos *a reliqui,* Gaetulis *unus det. u: spurium iudicauit Morus.* 7 ne *a* '*mss.* 4', et ne *u.* 8 Acilla *a et ubique edd. ante u,* Achilla '*hic et infra b*' *et postea ubique* (*a*). *ante* ciuitate *add.* ex *a.* 9 et inmuni *Rubenius,* etiam undique *codd.* (*i. e.* et inmunique). parato *Dauisius.* quaecunque (*a*). 11 sibi] si *a c.* 12 quaecunque (*a*). 17 ibi *om. b.* 18 ad Acillam *c,* ad Achillam (*a*) *b.* celeriter *b.* 20 arcessisset *a.* 22 se Adrumetum *a* '*mss. et edd. qdd.*', Adrumetum (*om.* se) *b*: Adrumetum se *u.* 23 recepit *a* '*mss.* 3', recipit *u.* ab '*mss. meliores*', a (*a*). 24 Achillitanos (*a*) *b.* 26 Cerninam *a b c.* 27 Decumius quaestor *b.* familia *b,* familiae (*a*)? *u.* 28 praeerat praesidio *a,* praesidio praeerat *b;* suae praesidio praeerat *edd.*

scendit ac se fugae commendat. Sallustius interim praetor a Cer- 3
cinitanis receptus magno numero frumenti inuento naues onera-
rias, quarum ibi satis magna copia fuit, complet atque in castra
ad Caesarem mittit. Alienus interim proconsul Lilybaeo in nauis 4
onerarias inponit legiones XIII et XIIII et equites Gallos DCCC,
funditorum sagittariorumque mille ac secundum commeatum in
Africam mittit ad Caesarem. Quae naues uentum secundum na-
ctae quarto die in portum ad Ruspinam, ubi Caesar castra habue-
rat, incolumes peruenerunt. Ita Caesar duplici laetitia ac uolu- 5
ptate uno tempore auctus, frumento auxiliisque, tandem suis hila-
ratis annonaque leuata sollicitudinem deponit, legiones equitesque
ex nauibus egressos iubet ex languore nauseaque reficere, diuisos
in castella munitionesque disponit. Quibus rebus Scipio quique 35
cum eo essent [comites] mirari et requirere: C. Caesarem, qui
ultro consuesset bellum inferre ac lacessere proelio, subito com-
mutatum non sine magno consilio suspicabantur. Itaque ex eius 2
patientia in magnum timorem coniecti ex Gaetulis duos, quos ar-
bitrabantur suis rebus amicissimos, magnis praemiis pollicitatio-
nibusque propositis pro perfugis speculandi gratia in castra Cae-
saris mittunt. Qui simul ad eum sunt deducti, petierunt, ut sibi 3
liceret uerba sine periculo proloqui. Potestate facta, 'Saepenu- 4
mero', inquiunt, 'imperator, complures Gaetuli, qui sumus clien-
tes C. Mari, et propemodum omnes ciues Romani, qui sunt in le-
gione IIII et VI, ad te uoluimus in tuaque praesidia confugere;
sed custodiis equitum Numidarum, quo id sine periculo minus fa-
ceremus, impediebamur. Nunc data facultate pro speculatoribus 5
missi a Scipione ad te cupidissime uenimus, ut perspiceremus,

1 ac — commendat *om. b.* Cercinnitanis *unus det.*, Ceronitanis *a b c;* Cercinatibus *u.* 2 oneratas *a.* 4 Alienus *a,* Allienus *u.* proconsul *a b*, proconsul e *Aldus u* (pro consule *edd. ante Ald.*). Lilibaeo *a.* nauis *a.* 5 inponit *a.* XIV (*a*). et *ante* equites *om. b.* 6 mille] co *a.* 10 hilaratis *a b c*, exhilaratis *u.* 11 annonaque *Dauisius* (*fuerat* annonaeque); annoneumque *a*, ami. eumque *c*, animorumque *d*, animum *b.* sollicitudinem *unus det.*, sollicitudine *reliqui.* 12 egressis *a c.* nausaeaque *a.* diuisos *ego*, dimissos *codd. P.* 210. 14 essent *a reliqui*, erant *b. P.* 21. comites *deleuit Kreyssigius.* mirati *a.* 19 propere fugisse *a*, specie fugae *b.* castra Caesaris *a*, Caesaris castra *edd.* 21 uerba sine periculo *a b*, sine periculo uerba *u.* sepenumero inquit *a.* 23 Mari *a.* 24 IIII] III *b.* tua *b.* 25 quod id *a b.* 27 ab Scipione *b.*

num quae fossae aut insidiae elephantis ante castra portasque ualli
factae essent, simulque consilia uestra contra easdem bestias com-
parationemque pugnae cognosceremus atque iis renuntiaremus'.
6 Qui collaudati a Caesare stipendioque donati ad reliquos perfugas
deducuntur. Quorum orationem celeriter ueritas comprobauit:
namque postero die ex legionibus his, quas Gaetuli nominarunt,
milites legionarii complures ab Scipione in castra Caesaris perfu-
36 gerunt. Dum haec ad Ruspinam geruntur, M. Cato, qui Vticae
praeerat, delectus cotidie libertinorum, Afrorum, seruorum deni-
que et cuiusquemodi generis hominum, qui modo per aetatem ar-
ma ferre poterant, habere atque sub manum Scipioni in castra
2 summittere non intermittit. Legati interim ex oppido Thisdra,
in quo tritici modium milia CCC comportata fuerant a negotiatori-
bus Italicis aratoribusque, ad Caesarem uenere, quantaque copia
frumenti apud se sit, docent, simulque orant, ut sibi praesidium
mittat, quo facilius et frumentum et copiae suae conseruentur.
3 Quibus Caesar in praesentia gratias egit praesidiumque breui tem-
pore se missurum dixit cohortatusque ad suos ciues iubet profi-
4 cisci. P. Sittius interim cum copiis Numidiae fines ingressus ca-
stellum in montis loco munito locatum, in quod Iuba belli gerendi
gratia et frumentum et res ceteras, quae ad bellum usui solent
esse, comportauerat, ui expugnando est potitus.

37 Caesar, postquam legionibus ueteranis duabus, equitatu leui-
que armatura copias suas ex secundo commeatu auxerat, naues
[VI] onerarias statim iubet Lilybaeum ad reliquum exercitum trans-
portandum proficisci; ipse VI Kal. Febr. circiter uigilia prima
imperat, speculatores apparitoresque omnes ut sibi praesto essent.
2 Itaque omnibus insciis neque suspicantibus uigilia tertia iubet
omnes legiones ex castris educi atque se consequi ad oppidum Ru-
spinam uersus, in quo ipse praesidium habuit, et quod primum ad
3 amicitiam eius accessit. Inde paruulam procliuitatem degressus

3 his *a b*, eis 2 *dett. edd. ante Ald.*; ei *Aldus seqq.* 4 a *om. a.* 6 his *a edd. ante Ald.*, iis *Aldus u.* nominarunt *a b*, nominauerunt *u.* 7 profugerunt *b.* 9 dilectus (*a*). 11 possent *b.* sub] sum *a*, summam *b.* Scipioni *a*, Scipionis *u.* 12 summittere *a*, *non* subm. Thisdra *ego*; Thisdrae *a*, 'Thisdre *uel* Thisdore *mei omnes*'; Tisdrae *u. P.* 17 *extr.* 13 comportati *sec. m. b.* 17 egit *a b*, agit *u.* 18 ciues *om. b.* 19 Sittius *a*, Sitius *u.* 20 montis *a b c*, monte *unus det. u.* belligerandi *b.* 25 [VI] *P.* 210 *extr.* Lilibaeum *a.* 26 VI lxt *a.* 29 castra *a.* sese *b.* 31 degressus *Kreyssigius*, digressus *codd.*

sinistra parte campi propter mare legiones ducit. Hic campus 4
mirabili planicie patet milia passuum XII; quem iugum cingens a
mari ortum neque ita praealtum uelut theatri efficit speciem. In
hoc iugo colles sunt excelsi pauci, in quibus singulae turres spe-
culaeque singulae perueteres erant collocatae, quarum apud ulti-
mam praesidium et statio fuit Scipionis. Post Caesar ad iugum, 38
de quo docui, ascendit atque in unumquemque collem turremque
castella facere coepit atque ea minus semihora efficit. Postquam 2
non ita longe ab ultimo colle turrique fuit, quae proxima fuit ca-
stris aduersariorum, in qua docui esse praesidium stationemque
Numidarum, Caesar paulisper commoratus perspectaque natura
loci equitatu in statione disposito legionibus opus adtribuit brachi- 3
umque medio iugo ab eo loco, ad quem peruenerat, usque ad eum,
unde egressus erat, iubet dirigi ac muniri. Quod postquam Sci- 4
pio Labienusque animaduerterunt, equitatu omni ex castris educto
acieque equestri instructa a suis munitionibus circiter passus
mille progrediuntur pedestremque copiam in secunda acie minus
CCCC passus constituunt. Caesar in opere milites adhortari neque 39
aduersariorum copiis moueri. Iam cum non amplius passus MD 2
inter hostium aciem suasque munitiones esse animaduertisset in-
tellexissetque ad impediendos milites suos et ab opere depellendos
hostem propius accedere necesseque haberet legiones a munitioni-
bus deducere, imperat turmae Hispanorum, ad proximum collem
propere occurrerent praesidiumque inde deturbarent locumque ca-
perent, eodemque iubet leuis armaturae paucos consequi subsidio.
Qui missi celeriter Numidas adorti partim uiuos capiunt, nonnul- 3
los equites fugientes conuulnerauerunt locumque sunt potiti. Post- 4
quam id Labienus animaduertit, quo celerius iis auxilium ferret,
ex acie instructa equitatus sui prope totum dextrum cornu auertit

2 planitie (*a*). xii *a b c*, xv *u*. cingens *ego*, ingens *codd.* *P.* 211. 6 post *a b c*, postquam *u*. 7 ascendit (*a*). turremque castella *ego*, turrem castellaque *b et unus det.*; turres castellaque *a u*. *P.* 211. 8 eo *b c*. efficit *a*, effecit '*mss. omnes*'? postquam *a b c*, et postquam *u*. 9 quae] in *add. a*. 10 docuisse praesidium *a*. 11 Caesar *a* '*mss. omnes*', *om. unus det. u*. perspecta *c*. 12 adtribuit *a*. 15 animaduerterant *a b*. 17 mille] cō *a*. 18 cccc passus *a*, passus cccc *edd.* constituunt *a b*, a castris suis constituunt *u*. adortari *a*. 19 cum iam *b*. passus *ego*, pass. *a*; passuum *u*. 22 necesse haberet *a b*. 24 occurrerent *a b*, accurrerent *Aldus u*. turbarent *a*. 27 locumque *a et m. pr. c*, locoque *u*. 28 his *a*. 29 aduertit *b*.

5 atque suis fugientibus suppetias ire contendit. Quod ubi Caesar
conspexit, Labienum ab suis copiis longius iam abscessisse, equi-
40 tatus sui alam sinistram ad intercludendos hostes immisit. Erat
in eo campo, ubi ea res gerebatur, uilla permagna turribus IIII
extructa; quae Labieni prospectum impediebat, ne posset animum
2 aduertere ab equitatu Caesaris se intercludi. Itaque non prius
uidit turmas Iulianas, quam suos caedi a tergo sensit. Ex qua re
subito in terrorem conuerso equitatu Numidarum recta in castra
3 fugere contendit. Galli Germanique, qui restiterant, ex superiore
loco et post tergum circumuenti fortiterque restantes conciduntur
4 uniuersi. Quod ubi legiones Scipionis, quae pro castris erant in-
structae, animum aduerterunt, metu ac terrore obcaecatae omni-
5 bus portis in sua castra fugere coeperunt. Postquam Scipione
eiusque copiis campo collibusque exturbatis atque in castra com-
pulsis cum receptui Caesar cani iussisset equitatumque omnem in-
tra suas munitiones recepisset, campo purgato animaduertit miri-
fica corpora Gallorum Germanorumque; qui partim eius auctori-
tatem erant ex Gallia secuti, partim pretio pollicitationibusque ad-
ducti ad eum se contulerant, nonnulli, qui ex Curionis proelio
capti conseruatique parem gratiam in fide seruanda praestare uo-
6 luerant. Horum corpora mirifica specie amplitudineque caesa toto
41 campo ac prostrata diuerse iacebant. His rebus gestis Caesar po-
stero die ex omnibus praesidiis cohortes deduxit atque omnes suas
copias in campo instruxit. Scipio suis male acceptis, occisis con-
2 uulneratisque intra suas continere se munitiones coepit. Caesar
instructa acie secundum infimas iugi radices propius munitiones
accessit leniter. Iamque minus mille passuum ab oppido Vzitta,
quod Scipio tenebat, aberant legiones Iulianae, cum Scipio ueri-
tus, ne oppidum amitteret, unde aquari reliquisque rebus subleuari
eius exercitus consuerat, eductis omnibus copiis quadruplici acie
instructa ex instituto suo, prima equestri turmatim directa ele-

4 agebatur *b*. turribus IIII *a, inuerso ordine edd.* 5 extructa *a*. animum aduertere *a b, non* adnimadu. 7 sensit *Stephanus,* sentit *a 'mss. 4'*. 10 restantes *a b c,* resistentes *u*. 12 animum aduerterunt *a* (*is* — rent) *b, non* animadu. obcaecatae (*a*). 13 fegere *a*. postquam *a b c 2 dett.,* postea *Stephanus u. P.* 17. 18 pollicitationibus *a*. 20 seruanda *ego,* peruenta *a*; partienda *reliqui et suprasc. a. P.* 212. noluerant *b*. 22 Caesar postero die *a,* postero die Caesar *edd.* 23 deduxit *a b,* eduxit *c*. 26 instructam aciem *a b*. 27 accessit leniter *a,* leniter accessit *edd.* pass̃. *a*. Vzytta *a,* Vzita *u*. 31 derecta *b*.

phantisque turritis interpositis armatisque, suppetias ire conten-
dit. Quod ubi Caesar animaduertit, arbitratus Scipionem ad dimi- 3
candum paratum ad se certo animo uenire in eo loco, quo paulo
ante commemoraui, ante oppidum constitit . . . . . . suamque aciem
mediam eo oppido texit; dextrum sinistrumque cornu, ubi ele-
phanti erant, in conspectu patenti aduersariorum constituit. Cum 42
iam prope solis occasum Caesar expectauisset neque ex eo loco,
quo constiterat, Scipionem progredi propius se animaduertisset
locoque se magis defendere, si res coëgisset, quam in campo com-
minus consistere audere, non est uisa ratio propius accedendi eo 2
die ad oppidum, quoniam ibi praesidium grande Numidarum esse
cognouerat hostesque mediam aciem suam oppido texisse et sibi 3
difficile factu esse intellexit simul et oppidum uno tempore oppu-
gnare et in acie in cornu dextro ac sinistro ex iniquiore loco pu-
gnare, praesertim cum milites a mane diei ieiuni sub armis stetis-
sent [defatigati]. Itaque reductis suis copiis in castra postero die 4
propius eorum aciem instituit exporrigere munitiones. Interim 43
Considius, qui Acillam . . . et VIII cohortibus stipendiariis Numi-
dis Gaetulisque obsidebat, ubi C. Messius [qui] cohortibus prae-
erat, diu multumque expertus magnisque operibus saepe admotis
et his ab oppidanis incensis cum proficeret nihil, subito nuntio de
equestri proelio allato commotus frumento, cuius in castris co-
piam habuerat, incenso, uino, oleo ceterisque rebus, quae ad
uictum parari solent, corruptis Acillam, quam obsidebat, deseruit
atque itinere per regnum Iubae facto copias cum Scipione partitus
Adrumetum se recepit.

Interea ex secundo commeatu, quem a Sicilia miserat Alienus, 44
nauis una, in qua fuerat Q. Cominius et L. Ticida, eques Romanus,

1 inpositis *b.* 3 certum *b c.* 4 *lacunam ego notaui. P.* 212. 5 dextrumque *a.* cornum *c.* 6 pacienti *a.* 7 expectauisset *a.* 8 se *om. b.* 9 se magis (*a*) *edd. ante Graeu.*, magis se *Graeu. et sine annotatione u.* cominus (*a*). 10 auderet *ante corr. a.* 12 texisse et sibi *ego,* texissent sibi *a b c;* texisse sibique *Aldus u.* 13 factum *a b c.* 16 [defatigati] *P.* 213. suis *int. uers. b.* 18 et *reliqui, om.* 2 *dett. u. Lacunam ego notaui. P.* 213. VIIII *a,* IX *b c.* cohortibus stipendiariis 2 *dett.*, cohortes stipendiarias *reliqui.* 19 qui *a b c d* 3 *dett., om. Aldus.* 20 sepe *a.* 21 his *a edd. ante Ald.,* iis *Aldus u.* proficeretur *c,* proficisceretur *a.* 24 correptis *errore u.* 26 Adrimetum *a.* 27 ad Siciliam *b.* Alienus *a,* Allienus *u.* 28 Commius *b.* Ticid *a,* Ticide *b.* eq. Ro. *a.*

ab residua classe cum errauisset delataque esset uento ad Thapson, a Vergilio scaphis nauiculisque actuariis excepta est et ab-
2 ducta. Item altera nauis trieris ex eadem classe errabunda ac tempestate delata ad Aegimurum a classe Vari et M. Octaui est capta, in qua milites ueterani cum uno centurione et nonnulli tirones fuerunt; quos Varus adseruatos sine contumelia deducendos
3 curauit ad Scipionem. Qui postquam ad eum peruenerunt et ante suggestum constiterunt, 'Non uestra', inquit, 'sponte uos certo scio, sed illius scelerati uestri imperatoris inpulsu et imperio coa-
4 ctos ciues et optimum quemque nefarie consectari. Quos quoniam fortuna in nostram detulit potestatem, si, id quod facere debetis, rempublicam cum optimo quoque defendetis, certum est uobis uitam et pecuniam donare. Quapropter, quid sentiatis, proloqui-
45 mini'. Hac habita oratione Scipio, cum existimasset pro suo beneficio sine dubio ab his gratias sibi actum iri, potestatem iis di-
2 cendi fecit. Ex eis centurio legionis XIIII, 'Pro tuo', inquit, 'summo beneficio, Scipio, tibi gratias ago (non enim imperatorem te appello), quod mihi uitam incolumitatemque belli iure capto polliceris, et forsan uterer isto beneficio, si non ei summum scelus
3 adiungeretur. Egone contra Caesarem, imperatorem meum, apud quem ordinem duxi, eiusque exercitum, pro cuius dignitate uictoriaque amplius † XXXVI annis depugnaui, aduersus armatusque consistam? Neque ego istud facturus sum, et te magnopere, ut
4 de negotio desistas, adhortor. Contra cuius enim copias contendas, si minus antea expertus es, licet nunc cognoscas. Elige ex tuis cohortem unam, quam putas esse firmissimam, et constitue contra me; ego autem ex meis commilitonibus, quos nunc in tua potestate tenes, non amplius X sumam. Tunc intelleges ex uirtute nostra

1 errauissent *a c*, errasset *b*. Thapson *b c*, Thabson *a*; *non* Thapsum. 2 Vergilio *a*, Virgilio *u*. abducta *b*, adducta *a c*; ad Scipionem deducta *u*. 4 delata ad Aegimurum *a*, ad Aegimurum delata *edd.* Octaui *a*. 5 ueteri *a*. tyrones *a*. 6 quas *a*. adseruatos *a*. deducendosque *a b*. 8 suggestum *a b c*, suggestum eius *u*. 9 scio *om. a*. inpulsu *a*. 15 ab his *a edd. ante Ald.*, ab iis *Aldus u*. gratias subacturis potest. *a c et*, *qui* subacturos, *b*. 19 forsitan *b*. uterer isto *a*, isto uterer *edd.* 20 ergone *b*. meum] nostrum *a altero suprasc.* 22 † xxxvi] *P.* 213. anū *c*. aduersus armatos *a c*, aduersum armatum *b*. 24 adortor *a*. 25 nunc] sc. *b*. 26 fortissimam *b*. 27 potestate tenes *a*, tenes potestate *edd.* 28 intelleges ex uirtute nostra *a*, ex uirt. nostr. intell. *edd.*

quid ex tuis copiis sperare debeas'. Postquam haec centurio 46
praesenti animo aduersus opinionem eius est locutus, ira per-
citus Scipio atque animi dolore incensus annuit centurionibus, quid
fieri uellet, atque ante pedes centurionem interfecit reliquosque
ueteranos a tironibus iubet secerni. 'Abducite istos', inquit, 'ne- 2
fario scelere contaminatos et caede ciuium saginatos'. Sic extra
uallum deducti sunt et cruciabiliter interfecti. Tirones autem iubet 3
inter legiones dispertiri et Cominium cum Ticida in conspectum
suum prohibet adduci. Qua ex re Caesar commotus eos, quos in 4
stationibus cum longis nauibus apud Thapsum custodiae causa in
salo esse iusserat, ut suis onerariis longisque nauibus praesidio
essent, ob neglegentiam ignominiae causa dimittendos ab exercitu
grauissimumque in eos edictum proponendum curauit.

Per id tempus fere Caesaris exercitui res accidit incredibilis 47
auditu. Namque uergiliarum signo confecto circiter uigilia secunda
noctis nimbus cum saxea grandine subito est exortus ingens. Ad 2
hoc autem incommodum accesserat, quod Caesar non more supe-
riorum temporum in hibernis exercitum continebat, sed in tertio
quartoque die procedendo propiusque hostem accedendo castra
communiebat, opereque faciendo milites se circumspiciendi non
habebant facultatem. Praeterea ita ex Sicilia exercitum transpor- 3
tabat, ut praeter ipsum militem et arma nec uas nec mancipium ne-
que ullam rem, quae usui militi esse consueuit, in naues inponi
pateretur. In Africa autem non modo sibi quicquam non adqui- 4
sierant aut parauerant, sed etiam propter annonae caritatem ante
parta consumpserant. Quibus rebus attenuati oppido perquam pauci 5
sub pellibus adquiescebant; reliqui ex uestimentis tentoriolis factis
atque arundinibus scopisque contextis permanebant. Itaque subito 6
imbre grandineque consecuta grauatis pondere tentoriis aquaeque

2 est *om. a.* 4 uelit *b.* interfecit *a b*, interficit *u.* 5 istos inquid *a*, inquit istos *edd.* 6 cede *a.* 12 negligentiae ignominiaeque causam *b.* 14 exercitu *c.* 15 aditu *b.* uergiliarum *a*, uirgiliarum *u.* 18 temporum *Glandorpius*, imperatorum *codd.* 20 communibat *a b.* 21 habebat *a.* ita *om. a b.* transportabat *a b*, transportauerat *u.* 22 nec uas nec *a b*, neque uas neque *u.* 23 usui (*a*) *b*, usu *u.* inponi *a.* 24 Africam *a b c* 3 *dett.* sibi *om. b.* quicquam *a*, *non* quidq. non *om. a b.* adquisierant *a.* 26 parta *a c* 2 *dett.*, parata *u.* quam *b.* 27 adquiescebant *a.* 28 scopisque *c*, copiisque *a b.* 29 grauatis *Oudendorpius;* grauati *reliqui*, grauata *a c.* tentoriis *Oud.*, tenebris *codd.* aquaeque *ego;* aquaque *reliqui*, aquamque *a c* (aquarumque *Oud.*).

ui subrutis disiectisque nocte intempesta ignibus extinctis, rebus, quae ad uictum pertinent, omnibus corruptis per castra passim uagabantur scutisque capita contegebant. Eadem nocte V legionis
48 pilorum cacumina sua sponte arserunt. Rex interim Iuba de equestri proelio Scipionis certior factus euocatusque ab eodem litteris praefecto Saburra cum parte exercitus contra Sittium relicto, ut secum ipse aliquid auctoritatis adderet exercitui Scipionis ac terrorem Caesaris, cum tribus legionibus equitibusque frenatis DCCC, Numidis sine frenis peditibusque leuis armaturae grandi numero elephantisque XXX egressus e regno ad Scipionem est profectus.
2 Postquam ad eum peruenit, castris regiis seorsum positis cum eis copiis, quas commemoraui, haud ita longe ab Scipione consedit.
3 (Erat in castris Caesaris superiore tempore magnus terror, et expectatione copiarum regiarum exercitus eius magis suspensiore
4 animo ante aduentum Iubae commouebatur; postquam uero castra castris contulit, despectis eius copiis omnem timorem deponit. Ita quam antea absens habuerat auctoritatem, eam omnem praesens
5 dimiserat.) Quo facto cuiuis facile fuit intellectu Scipioni additum
6 animum fiduciamque regis aduentu. Nam postero die uniuersas suas regisque copias cum elephantis LX productas in aciem quam speciosissime potuit instruxit ac paulo longius progressus ab suis
49 munitionibus haut ita diu commoratus se recipit in castra. Caesar, postquam animaduertit Scipioni auxilia fere, quae expectasset, omnia conuenisse neque moram pugnandi ullam fore, per iugum summum cum copiis progredi coepit et brachia protinus ducere et castella munire propiusque Scipionem capiendo loca excelsa
2 occupare contendit, *ne* aduersarii magnitudine copiarum confisi proximum collem occuparent atque ita longius sibi progrediendi

1 ui *Oud.;* ut *a,* uel *b c.* subrutis disiectisque *Oud.;* subruti disiectique *reliqui,* subruta disiectaque *a c.* extinctis *a.* rebus quae — pertinent *b c,* rebusque — partim *a;* rebusque — pertinentibus *u.* 3 IV *a,* II *b.* 6 Saburrae *a,* Saburre *b;* Sabura *Aldus u.* Siltium *a,* Sitium *u.* 7 adderet *Oudendorpius,* haberet *codd.* exercitui (*a*) *Oudendorpius,* exercitus *reliqui.* ac terrorem (*a*) *Oud.,* ad terrorem *b;* ac terrore 3 *dett.* 9 leuis 2 *dett.,* eius *reliqui.* 10 elephantis *b* 2 *dett.* 11 regis *a b.* eius *b.* 13 superiore *a b,* superiori *u.* et exspectatio *a b d,* ex exspectatione *c* (exp. *a*). 16 timorem *a b,* terrorem *u.* 18 cuiuis (*a*) *d* 4 *dett.,* cuius *b.* intellectum *b c d.* 22 aut *a.* recipit *a 'mss. 2',* recepit *u.* 23 expectasset *a.* 27 contendit] coepit *b.* ne aduersarii — (28) occuparent — (691, 1) eriperent *ego,* aduersarii — occupauerunt —

eriperent facultatem. Eiusdem collis occupandi [gratia] Labienus 3
consilium ceperat et, quo propiore loco fuerat, eo celerius occurrerat.
Erat conuallis satis magna latitudine, altitudine praerupta crebris 50
locis speluncae in modum subrutis, quae erat transgredienda Cae-
sari, antequam ad eum collem, quem capere uolebat, perueniretur,
ultraque eam conuallem oliuetum uetus crebris arboribus conden-
sum. Hic cum Labienus animaduertisset Caesarem, si uellet eum 2
locum occupare, prius necesse esse conuallem oliuetumque trans-
gredi, eorum locorum peritus in insidiis cum parte equitatus leui-
que armatura consedit et praeterea post montem [collesque Cae- 3
sari subito se ostenderet] equites in occulto collocauerat, ut, cum
ipse ex inprouiso legionarios adortus esset, ex colle se equitatus
ostenderet, et re duplici perturbatus Caesar eiusque exercitus ne-
que retro regrediundi neque ultra procedendi oblata facultate cir-
cumuentus concideretur. Caesar postquam equitatu ante prae- 4
misso inscius insidiarum cum ad eum locum uenisset, abditi siue
obliti praeceptorum Labieni siue ueriti, ne in fossa ab equitibus
opprimerentur, rari ac singuli de rupe prodire et summa petere
collis. Quos Caesaris equites consecuti partim interfecerunt, par- 5
tim uiuorum sunt potiti; deinde protinus collem petere contende- 6
runt atque eum decusso Labieni praesidio celeriter occupauerunt.
Labienus cum parte equitum uix fuga sibi peperit salutem. Hac 51
re per equites gesta Caesar legionibus opera distribuit atque in eo
colle, quo erat potitus, castra muniuit. Deinde ab suis maximis 2
castris per medium campum e regione oppidi Vzittae, quod inter
sua castra et Scipionis in planicie positum erat tenebaturque a
Scipione, duo brachia instituit duci et ita dirigere, ut ad angulum
dextrum sinistrumque eius oppidi conuenirent. Id hac ratione opus 3
instruebat, ut, cum propius oppidum copias admouisset oppugnare-

eripuerunt *codd. P.* 214. 1 gratia *Clarkius spurium esse uidit.* 4 erat *unus det.*, erant *reliqui. P.* 214 *extr.* transgredienda *c*, transgrediendae *a b*. 8 esse *b*, *om. a 'mss. plerique'*. 10 Caesari subito se ostenderet *a b unus det. itemque paucis mutatis litteris reliqui*, *de quibus constat; om. Aldus u. P.* 215. 12 inprouiso *a*. 13 et (*a*) *P. Manutius*, ut *'mss. plerique'*. 14 regredeundi *a*, gredeundi *b*. 15 postquam *a*, *om. edd. P.* 17. 16 abditi *ego*, abusi *codd. P.* 215. 22 equitum] equitatus *b*. 24 ab his et suis *puto*. 25 Vzittae *a*, Vzitae *u*. 26 planitiem *a*. 27 dirigere *Lipsius*, erigere *codd.* 28 conueniret *a*. id hac *Rhellicanus*, in hac *b*; l. i. *a*, I. i. *c*, ii *cod. Urs.: quae quid significent, nescio.* 29 oppidum] hostium *b*.

que coepisset, tecta latera suis munitionibus haberet, ne ab equi-
4 tatus multitudine circumuentus ab oppugnatione deterreretur, prae-
terea, quo facilius conloquia fieri possent, et si qui perfugere uel-
lent, id quod antea saepe accidebat magno cum eorum periculo,
5 tum facile et sine periculo fieret. Voluit etiam experiri, cum pro-
6 pius hostem accessisset, haberetne in animo dimicare. Accedebat
etiam ad reliquas causas, quod is locus depressus erat, puteique
ibi [nonnulli] fieri conplures poterant: aquatione enim longa et
7 angusta utebatur. Dum haec opera, quae ante dixi, fiebant a le-
gionibus, interim pars acie ante opus instructa sub hoste stabat;
equites barbari leuisque armaturae proeliis minutis comminus
52 dimicabant. Caesar ab eo opere cum iam sub uesperum copias in
castra reduceret, magno incursu cum omni equitatu leuique ar-
matura Iuba, Scipio, Labienus in legionarios impetum fecerunt.
2 Equites Caesariani ui uniuersae subitaeque hostium multitudinis
pulsi parumper cesserunt. Quae res aliter aduersariis cecidit.
3 Namque Caesar ex medio itinere copiis reductis equitibus suis au-
xilium tulit; equites autem aduentu legionum animo addito con-
uersis equis in Numidas cupide insequentes dispersosque impetum
fecerunt atque eos conuulneratos usque in castra regia repulerunt
4 multosque ex iis interfecerunt. Quod nisi in noctem proelium
esset coniectum, puluisque uento flatus omnium prospectu offecis-
set, Iuba cum Labieno capti in potestatem Caesaris uenissent,
equitatusque cum leui armatura funditus ad internecionem deletus
5 esset. Interim incredibiliter ex legionibus IIII et VI Scipionis mi-
lites diffugere partim in castra Caesaris, partim in quas quisque
6 poterat regiones peruenire; itemque equites Curioniani diffisi Sci-
pioni eiusque copiis complures se eodem conferebant.

53 Dum haec circum Vzittam ab utrisque ducibus administran-
tur, legiones duae, X et VIIII, ex Sicilia nauibus onerariis pro-

3 conloquia *a.* 4 acciderat *cum* 3 *dett. u.* 5 etiam] autem *b.* 8 nonnulli fieri complures *a cod. Vrs. unus det.*; complures fieri *b* 2 *dett. u, cum fuisset* nonnulli fieri (conpl. *a*). 9 utebantur *codd.* ante *om. b.* legione *a.* 10 hostes *a b c.* 14 legionarios] *P.* 216. 16 accesserunt *a b.* 18 detulit *a b c.* 20 reppulerunt *a.* 21 ex his *a.* nisi *a*, ni *edd.* 22 coiectum *a.* prospectu *Scaliger*, prospectum *a b c.* effecisset *a*, infecisset *b.* 24 internitionem *b.* 25 legione *a.* 27 Curioniani *Lipsius*, Curiani *codd.* Scipionis *a b.* 29 circum] ad *b.* Vziztam *a*, Vzitam *u.* 30 x et VIIII *a*, *inuerso ordine edd.*; x et XI *b.* onerarias *a.*

fectae, cum iam non longe a portu Ruspinae abessent, conspicatae
Caesarianas naues, quae in statione apud Thapsum stabant, ueriti,
ne in aduersariorum ut insidiandi gratia ibi commorantium clas-
sem inciderent, inprudentes uela in altum dederunt ac diu multum-
que iactati tandem multis post diebus siti inopiaque confecti ad
Caesarem perueniunt. Quibus legionibus expositis memor in Ita- 54
lia pristinae licentiae militaris ac rapinarum certorum hominum
paruulam modo causulam nactus Caesar, quod C. Auienus, tribu-
nus militum X legionis, nauem commeatu, familia sua atque iumen-
tis, occupauisset neque militem unum ab Sicilia sustulisset, po- 2
stero die de suggestu conuocatis omnium legionum tribunis centu-
rionibusque, 'Maxime uellem', inquit, 'homines suae petulantiae
nimiaeque libertatis aliquando finem fecissent meaeque lenitatis,
modestiae patientiaeque rationem habuissent. Sed quoniam ipsi 3
sibi neque modum neque terminum constituunt, quo ceteri dissi-
militer se gerant, egomet ipse documentum more militari consti-
tuam. C. Auiene, quod in Italia milites populi Romani contra 4
rempublicam instigasti rapinasque per municipia fecisti quodque
mihi reique publicae inutilis fuisti et pro militibus tuam familiam
iumentaque in naues inposuisti, tuaque opera militibus tempore
necessario respublica caret, ob eas res ignominiae causa ab exer-
citu meo te remoueo hodieque ex Africa abesse et quantum pote
proficisci iubeo. Itemque te, Aule Fontei, quod tribunus militum
seditiosus malusque ciuis fuisti, te ab exercitu dimitto. Tite Sa- 5
liene, M. Tiro, C. Clusinas, cum ordines in meo exercitu bene-
ficio non uirtute consecuti ita uos gesseritis, ut neque bello fortes
neque pace boni aut utiles fueritis et magis in seditione concitan-
disque militibus aduersum uestrum imperatorem quam pudoris mo-
destiaeque fueritis studiosiores, indignos uos esse arbitror, qui in

2 Caesarianas naues *a*, naues Caesarianas *edd.* 3 insidianti *a.* 4 inprudentes *a.* 6 memor] audit Caesar esse moerorem *c.* 8 paruula *a.* casulam *c.* nactus quod Caesar Auienus *a 'mss. plerique'* (C. *adiecit Stephanus*). 12 inquid *a.* petulentiae *a.* 14 pacientiaeque *a.* ipsi] usi *a b c.* 16 ipse *om. b.* 18 mancipia *b.* quod mihi *b.* 20 inposuisti *a.* militibusque *'mss. 2'*, militibus quae *a.* 22 hodieque te ex *b.* pote *Oudendorpius*; peto *a b*, pro eo *c*; potest *cod. Vrs. u.* 23 Aule *a*, A. *u.* 24 te ab *a b c*, ab *u.* Tite *a*, T. *u.* 25 me *a.* 26 uirtute] sitis *add. a 'mss. 4'.* 27 sedione *a.* 28 aduersum uestrum imperatorem *unus det.* (*sed* aduersus); aduersariorum uestrorum imperatoris *a c et, qui* nostrorum, *reliqui.*

meo exercitu ordines ducatis missosque facio et quantum pote ab-
6 esse ex Africa iubeo'. Itaque tradit eos centurionibus et singulis
non amplius singulos additos seruos in nauem inponendos separa-
tim curauit.

55 Gaetuli interim perfugae, quos cum litteris mandatisque a
Caesare missos supra docuimus, ad suos ciues perueniunt. Quo-
rum auctoritate facile adducti Caesarisque nomine persuasi a rege
Iuba desciscunt celeriterque cuncti arma capiunt contraque regem
2 facere non dubitant. Quibus rebus cognitis Iuba distentus triplici
bello necessitateque coactus de suis copiis, quas contra Caesarem
adduxerat, sex cohortes in fines regni sui mittit, quae essent prae-
56 sidio contra Gaetulos. Caesar brachiis perfectis promotisque us-
2 que eo, quo telum ex oppido adici non posset, castra munit, bal-
listis scorpionibusque crebris ante frontem castrorum contra oppi-
dum collocatis defensores muri deterrere non intermittit eoque
3 quinque legiones ex superioribus castris deducit. Qua facultate
oblata inlustriores notissimique conspectum amicorum propinquo-
rumque efflagitabant atque inter se colloquebantur. Quae res quid
4 utilitatis haberet, Caesarem non fallebat. Namque Gaetuli ex
equitatu regio nobiliores equitumque praefecti, quorum patres cum
Mario ante meruerant eiusque beneficio agris finibusque donati
post Sullae uictoriam sub Hiempsalis regis erant dati potestatem,
occasione capta nocte iam luminibus accensis cum equis calonibus-
que suis circiter mille perfugiunt in Caesaris castra, quae erant
57 in campo proxime [locum] Vzittae locata. Quod postquam Scipio
quique cum eo erant cognouerunt, cum commoti ex tali incom-
modo essent, fere per id tempus M. Aquinum cum C. Saserna con-
2 loquentem uiderunt. Scipio mittit ad Aquinum: nihil adtinere eum

1 missoque *a*. pote *Oudendorpius*, peto *a b c*; potest *d cod. Vrs. u*. 2 tradit *a b*, tradidit *u*. 3 nauem *Vascosanus* (*sed* nauim); naue *a*, naui *u et 'ita uel* naue *mss. cuncti'*. inponendos *a*. 12 permotisque *b*. 13 quo *c 4 dett., om. a b*. adici *Vascosanus*, abici *a et sic 'uel* abiici *mss. omnes'*. balistis (*a*). 14 contra *a b*, contraque *u*. 15 eoque *Aldus*, eosque *a b*. 16 educit qui *b*. 17 inlustriores *a*. 19 faciebat *a*, latebat *b*. 20 partes *a*. 22 Syllae (*a*). dati potestate *codd.*, potestate dati *Aldus u* (potestatem *Oberlinus*). 23 accepta *b*. 24 mille] ·ī· *a*. 25 locum *codd., om. edd. An* proximo loco? Vzittae *a*, Vzitae *u*. quos postquam *c*. 27 ferre *a*. 27 *et* 28 *et* 695,10 Aquinum *ego*, Aquinium (*a*) *edd. Vid. c.* 89,4; *Cic. Tusc. V*, 22, 63. *Catull.* 9,12 (14, 18). C.] con *a*. conloquentem *a*. 28 (adtinere *a*) pertinere *b omisso* eum.

cum aduersariis colloqui. Cum nihilo minus eius sermonem nun-
tius ad se referret: sed restare, ut reliqua, quae [u]ellet, pera-
geret, uiator praeterea ab Iuba ad eum est missus, qui diceret au-
diente Saserna: ‘uetat te rex conloqui’. Quo nuntio perterritus 3
discessit et dicto audiens fuit regi. Vsu uenisse hoc ciui Romano
et ei, qui ab populo Romano honores accepisset, incolumi patria
fortunisque omnibus Iubae barbaro potius obedientem fuisse, quam
aut Scipionis obtemperasse nuntio aut caesis eiusdem partis ciui-
bus incolumem reuerti malle! Atque etiam superbius Iubae factum 4
non in M. Aquinum, hominem nouum paruumque senatorem, sed
in Scipionem, hominem illa familia, dignitate, honoribus prae-
stantem. Namque cum Scipio sagulo purpureo ante regis aduen- 5
tum uti solitus esset, dicitur Iuba cum eo egisse non oportere il-
lum eodem uti uestitu, atque ipse uteretur. Itaque factum est, 6
ut Scipio ad album sese uestitum transferret et Iubae, homini su-
perbissimo inertissimoque, obtemperaret. Postero die uniuersas 58
omnium copias de castris omnibus educunt et supercilium quoddam
excelsum nacti non longe a Caesaris castris aciem constituunt at-
que ibi consistunt. Caesar item producit copias celeriterque iis 2
instructis ante suas munitiones, quae erant in campo, constituit
sine dubio existimans ultro aduersarios, cum tam magnis copiis
auxiliisque regis essent praediti promptiusque prosiluissent, ante
se concursuros propiusque se accessuros. Equo circumuectus le- 3
gionesque cohortatus signo dato accessum hostium aucupabatur.
Ipse enim a suis munitionibus longius non sine ratione *non* proce-
debat, quod in oppido Vzittae, quod Scipio tenebat, hostium erant
cohortes armatae; eidem autem oppido ad dextrum latus eius 4
cornu erat oppositum, uerebaturque, ne, si praetergressus esset,
ex oppido eruptione facta ab latere eum adorti conciderent. Prae- 5

2 quae] si *add. a b c d.* 3 praetea *a.* 4 conloqui *a.* 6 ab *a,* a *edd.* 8 caesis *b;* Caesaris *a et, qui* eiusdem — malle *om., c d.* 9 etiam] et *add. a.* superius *b.* 12 namque *a ‘mss.* 3’, nam *u.* 14 uti *om. a ‘mss.* 3’. atque] etiam *add. b.* est *om. a b.* 16 postera *a.* 17 educunt *‘mss. omnes’ praeter unum det. et a, qui* deducunt. 20 constituit *a ‘mss.* 3’, constitit *Stephanus u.* 21 aduersarias *a.* 22 praediti] pretio *a b c.* 23 secum concursuros *a c.* propiusque accessuros *b.* 24 aucupatur *b.* 25 *alterum* non *Aldus suppleuit, om. a ‘mss. plerique’.* 26 Vzittae *a,* Vzitae *u.* 28 cornu] eorum *c.* appositum *b.* uerebatur ne *b c et, qui* uerberatur, *a.* 29 corruptione *a.* adortu *b.*

terea haec quoque eum causa tardauit, quod erat locus quidam per-
impeditus ante aciem Scipionis, quem suis impedimento ad ultra
59 occurrendum fore existimabat. Non arbitror esse praetermitten-
dum, quemadmodum exercitus utriusque fuerint in aciem instructi.
2 Scipio hoc modo aciem direxit. Collocabat in fronte suas et Iubae
legiones, post eas autem Numidas in subsidiaria acie ita extenua-
tos et in longitudinem directos, ut procul simplex esse acies me-
dia ab legionariis militibus uideretur [in cornibus autem duplex
3 esse existimabatur]. Elephantos dextro sinistroque cornu collo-
cauerat aequalibus inter eos interuallis interiectis, post autem ele-
4 phantos armaturas leues Numidasque auxiliares substituerat. Equi-
tatum frenatum uniuersum in suo dextro cornu disposuerat: sini-
strum enim cornu oppido Vzitta claudebatur, neque erat spatium
5 equitatus explicandi. Praeterea Numidas leuisque armaturae in-
finitam multitudinem ad dextram partem suae aciei opposuerat fere
interiecto non minus mille passuum spatio et ad collis radices ma-
gis adpulerat longiusque ab aduersariorum suisque copiis promo-
6 uebat, id hoc consilio, ut, cum acies duae inter se concucurris-
sent, initio certaminis paulo longius eius equitatus circumuectus
ex inprouiso clauderet multitudine sua exercitum Caesaris atque
perturbatum iaculis configeret. Haec fuit ratio Scipionis eo die
60 proeliandi. Caesaris autem acies hoc modo fuit collocata, ut ab
2 sinistro eius cornu ordiar et ad dextrum perueniam. Habuit le-
gionem X, VIIII in sinistro cornu, XXV, XXVIII, XIII, XIIII, XXVIIII,
XXVI in media acie. In suo autem dextro cornu *e* secunda acie

1 eum *om. b.* 2 ultra *ego,* ultro *codd.* 3 praetereundum *b.* 6 post eas *ego,* postea *codd.* acie] parte *b.* 7 media *om. b.* 8 ab (*a*) *c, non* a. *Vncos ego posui. P.* 217. 9 sinistroque] medioque *b.* 10 iniectis *b.* elephantes *b.* 11 auxiliares substituerat *c et, qui* substituere, *a b;* substituerat auxiliares *u.* 13 enim] autem *b.* Vzitta *a,* Vzita *u.* 17 adpulerat *a.* promouebat *a 'mss. plerique',* promouerat *Lipsius u.* 18 hoc] quod *a c,* quidem *b.* concucurrissent *a,* concurrissent *'mss. plerique'.* 19 circumuentus *ante corr. a.* 20 inprouiso *a.* 22 collata *a b e.* 23 ordinaret perueniam habuit (*omissis* ad dextrum) *a b* (*is* ordinare), ordinaret ad dextrum (*omissis* perueniam habuit) 2 *dett. i. e. omnes, de quibus constat.* legionem *a b* 2 *dett.,* in sinistro cornu legionem *u.* 24 x, VIIII *ego;* IX, VIII (*a*) *c unus det. u,* IX et VIII 2 *dett.;* IX, VII *Aldus et seqq. ante u. P.* 219. sinistro *a b* 2 *dett.,* dextro *u.* XXV *ego,* XXX *codd. P.* 220. XIIII] XIV (*a*). XXVIIII] XXVIII *a.* 25 in suo autem dextro *ego,* ipsum autem dextrum *u;* fere ipsum autem dextrum *a,* fere ante ipsum dextrum *b. P.* 217. e secunda acie *ego,* secundam aciem *u;* secundam autem aciem *a c et, qui* secundum, *b.*

ueteranarum legionum partem cohortium collocauerat, praeterea
ex tironum paucas adiecerat. Tertiam autem aciem in sinistrum 3
suum cornu contulerat et usque ad aciei suae mediam legionem
porrexerat et ita conlocauerat, uti sinistrum suum cornu triplex
esset. Id eo consilio fecerat, quod suum dextrum latus munitio- 4
nibus adiuuabatur, sinistrum autem, equitatus hostium multitudini
uti resisti posset, laborabat, eodemque suum omnem equitatum
contulerat et, quod ei parum confidebat, praesidio his equitibus 5
legionem V praemiserat leuemque armaturam inter equites inter-
posuerat. Sagittarios uarie passimque locis certis maximeque in
cornibus collocauerat. Sic utrorumque exercitus instructi non **61**
plus passuum CCC interiecto spatio, quod forsitan ante id tempus
acciderit numquam, quin dimicaretur, a mane usque ad horam X
die perstiterunt. Iamque Caesar cum exercitum intra munitiones 2
suas reducere coepisset, subito uniuersus equitatus ulterior Numi-
darum Gaetulorumque sine frenis ab dextra parte se mouere pro-
piusque Caesaris castra, quae erant in colle, se conferre coepit,
frenatus autem Labieni eques in loco permanere legionesque deti-
nere: cum subito pars equitatus Caesaris cum leui armatura con- 3
tra Gaetulos iniussu ac temere longius progressi paludemque trans-
gressi multitudinem hostium pauci sustinere non potuerunt leuique 4
armatura deserta pulsi conuulneratique uno equite amisso, multis
equis sauciis, leuis armaturae XXVII occisis ad suos refugerunt.
Quo secundo equestri proelio facto Scipio in castra laetus nocte 5
copias reduxit. Quod proprium gaudium [bellantibus] fortuna tri-

1 ueteranarum legionum partem *Oudendorpius;* fere earum legionum partem *b,* fere in earum legionum parte (*a*) *u.* collocauerat] ordinauerat *b.* 2 tironum *codd.,* tironum legionibus *u.* paucos adiecerat *b,* adiecerat paucas *a.* autem ad tertiam aciem *a b.* 3 contulerant *a.* 4 porrexerat et ita collocauerat] collocauerat et ita ordinauerat *b* (conl. *a*). sinistrum cornu *b,* sinistri sui cornus *a et* siuistri sui *etiam unus det.* 5 esset *om. a* 2 *dett.* quod] ut *codd.* 6 adiuuabatur (*a*) *b,* adiuuaret *c.* 7 resisti *a b c,* resistere *u.* laborabat 2 *dett.;* laborat *b c et corr. a,* laboret *ante corr. a.* 8 is *a.* 10 sagittarios passim locisque certis maxime collocauerat *b.* 11 utroque *b.* 12 ante *om. b.* 13 acciderit *a* 2 *dett.,* acciderat *u.* nunquam (*a*). 14 die *a c,* diei *u.* dum *codd. P.* 16. intra munitiones suas reducere *a Stephanus,* reducere intra munitiones suas *ceterae edd.:* suas *om. b.* 16 ab dextra parte *ego,* ad dextram partem *codd.* (dexteram *a*). *P.* 222. 18 detinere *ego;* destinere *a,* destituere *b;* distinere *u et corr. a.* 20 transgressi] progressi *a.* 22 deserta *ego,* deserti ac *codd. P.* 222. 24 in castra laetus *a,* laetus in castra *edd.* 25 claudium *a c d,* cladium *b.* [bellantibus] *P.* 222 *extr.*

6 buere non decreuit. Namque postero die Caesar cum partem equi-
tatus sui Leptim misisset, in itinere praedatores equites Numidas
Gaetulosque ex inprouiso adorti circiter C partim occiderunt, par-
7 tim uiuorum potiti sunt. Caesar interim cotidie legiones in cam-
pum deducere atque opus facere uallumque et fossam per medium
campum ducere aduersariorumque excursionibus [iter] officere
8 non intermittit. Scipio item munitiones contra facere et, ne iugo
a Caesare excluderetur, adproperare. Ita duces utrique et in
operibus occupati esse, et nihilo minus equestribus proeliis inter
se cotidie dimicabant.

62 Interim Varus classem, quam antea Vticae hiemis gratia sub-
duxerat, cognito legionis XIII et XIIII ex Sicilia aduentu celeriter
deducit ibique Gaetulis remigibus epibatisque complet insidiandi-
2 que gratia progressus Adrumetum cum LV nauibus peruenit. Cuius
aduentus inscius Caesar Lucium Cispium cum classe XXVII nauium
ad Thapsum uersus in stationem praesidii gratia commeatus sui
mittit, itemque Quintum Aquilam cum XIII nauibus longis Adru-
3 metum eadem de causa praemittit. Cispius quo erat missus cele-
riter peruenit. Aquila tempestate iactatus promuntorium superare
non potuit atque angulum quendam tutum a tempestate nactus cum
4 classe se longius a prospectu remouit. Reliqua classis in salo ad
Leptim egressis remigibus passimque in litore uagantibus, partim
in oppidum uictus sui mercandi gratia progressis uacua a defenso-
5 ribus stabat. Quibus rebus Varus ex perfugis cognitis occasionem
nactus uigilia secunda Adrumeto ex cothone egressus cum primo
mane Leptim uniuersa classe uectus naues onerarias, quae longius

1 partem 3 *dett.*, parte *reliqui.* 2 Leptim *a b d et ceteri fere omnes,* Leptim frumenti gratia *u.* misisset *unus det.; om. b,* misit *reliqui.* Numidias *a.* 3 inprouiso *a.* 6 deducere *b.* iter *deleuit Vascosanus.* 7 contra *om. b.* ne] in *b.* 8 (adproperare *a*) apparare *b.* 9 esse *ego,* essent *a et m. pr. c;* erant *u.* 11 classem *om. b.* hyemis *a.* 12 XIII et XIIII *ego;* VII et VIIII *a,* VII et IX *b;* VII et VIII *u. P.* 220. 13 ibique *reliqui,* illamque 2 *dett. u.* insidiantique *a.* 14 progressus *reliqui,* ab Vtica progressus (*a*) 4 *dett.* Hadrimetum *a.* 15 aduentu *b.* Lucium *a,* L. *u.* 16 Thabsum *a,* Tharsum *b.* 17 Quintium *a b,* Q. *u.* Hadrimetum *a.* 18 de *om. b.* 19 promuntorium *a,* promontorium *u.* 21 se *om. a b.* 22 egressi *a.* litoris *a.* parum *a.* 23 oppidum *Vascosanus;* oppidom *b unus det.,* oppido *reliqui.* 24 ex] *a b.* occasione *b omisso* nactus. 25 Hadrimeto *a.* coitione *a,* cohtione *b.*

a portu in salo stabant, incendit et penteres duas uacuas a defenso-
ribus nullo repugnante cepit. Caesar interim celeriter per nuntios 63
in castris, cum opera circumiret, certior factus, quae aberant a
portu milia passuum VI, equo admisso omissis omnibus rebus cele-
riter peruenit Leptim ibique hortatur, omnes ut se naues conseque- 2
rentur; [postea] ipse paruulum nauigiolum conscendit, in cursu Aqui-
lam multitudine nauium perterritum atque trepidantem nactus ho-
stium classem sequi coepit. Interim Varus celeritate Caesaris au- 3
daciaque commotus cum uniuersa classe conuersis nauibus Adrume-
tum uersus fugere contendit. Quem Caesar in milibus passuum IIII 4
consecutus reciperata quinqueremi cum suis omnibus epibatis atque
etiam hostium custodibus CXXX in ea naue captis triremem hostium
proximam, quae in repugnando erat commorata, onustam remigum
epibatarumque cepit. Reliquae naues hostium promuntorium supe- 5
rarunt atque Adrumetum in cothonem se uniuersae contulerunt.
Caesar eodem uento promuntorium superare non potuit atque in 6
salo in ancoris ea nocte commoratus prima luce Adrumetum acce-
dit ibique nauibus onerariis, quae erant extra cothonem, incensis
omnibusque reliquis ab iis aut subductis aut in cothonem compul-
sis paulisper commoratus, si forte uellent classe dimicare, rursus
se recepit in castra. In ea naue captus est P. Vestrius, eques Ro- 64
manus, et P. Ligarius Afranianus, quem Caesar in Hispania cum
reliquis dimiserat, et postea se ad Pompeium contulerat, inde ex
proelio effugerat in Africamque ad Varum uenerat; quem ob per-
iurii perfidiam Caesar iussit necari. P. Vestrio autem, quod 2
eius frater Romae pecuniam imperatam numerauerat, et quod ipse

1 in *om. a.* penteres *Scaliger,* penteremes *a et sic uel* pentiremes *b c cod. Vrs.* 3 *dett.* ab *ex b u.* 4 mille passus *b.* *ante* equo *add.* conscendit *b? (Leid. sec. puto).* 5 hortatur *a* (*is* ort.) *c d,* hortabatur *b;* hortatus *Oud. coni. u.* naues] omnes *add. b.* 6 postea *a b c,* primum *u. P.* 223. paruulum nauigiolum *a,* nauigiolum paruulum *u.* 7 nauium *a b,* nauigiorum *u.* ac *b.* hostium multitudinem classem *a et, qui* classe, *b.* 9 commotus *a b c,* motus *u.* Hadrimetum *a.* 11 reciperata *a, non* recup. quinqueremiges *a.* suis omnibus *a,* omnibus suis *edd.* 12 naues *a.* tyrremem *a,* turrem *b.* 14 promuntorium *a.* 15 Adrimetum *a.* chothonem *a et bis deinceps.* 16 promuntorio *et corr.* — rium *a.* 17 anchoris *a.* eadem nocte *a,* eadem die *b.* Adrimetim accidit *a.* 19 ab is *a,* ab his *b;* aliis *u.* 21 Vistrius *b.* 22 Ligerius *b,* Ligurius *c.* Afranius *b.* 24 proelio se in Africam ad *b.* ob periurii perfidiam *b* 2 *dett.,* opperi urtũ perfidiam *a;* ob periurium perfidiamque *Aldus u.* 25 Vestrium *a,* Vistrium *b.*

suam causam probauerat Caesari, se a Nasidi classe captum,
cum ad necem duceretur, beneficio Vari esse seruatum, postea
sibi facultatem nullam datam transeundi, ignouit.

65 Est in Africa consuetudo incolarum, ut in agris et in omni-
bus fere uillis sub terra specus frumenti condendi gratia clam ha-
beant atque id propter bella maxime hostiumque subitum aduentum
2 praeparent. Qua de re Caesar per indicem certior factus tertia
uigilia legiones duas cum equitatu mittit ab castris suis milia pas-
suum X atque inde magno numero frumenti onustos recipit in ca-
3 stra. Quibus rebus cognitis Labienus progressus a suis castris
milia passuum VII per iugum et collem, per quem Caesar pridie
4 iter fecerat, ibi castra duarum legionum facit atque ipse cotidie
existimans Caesarem eadem saepe frumentandi gratia commeatu-
rum cum magno equitatu leuique armatura insidiaturus locis ido-
66 neis considit. Caesar interim de insidiis Labieni ex perfugis cer-
tior factus paucos dies [ibi com]moratus, dum hostes cotidiano
instituto saepe idem faciendo in neglegentiam adducerentur, su-
bito mane imperat porta decumana legiones se † VIII ueteranas
2 cum parte equitatus sequi atque equitibus praemissis neque opi-
nantes insidiatores subito in conuallibus latentes *ex* leui armatura
3 concidit circiter D, reliquos in fugam turpissimam coniecit. Inte-
rim Labienus cum uniuerso equitatu fugientibus suis suppetias oc-
currit. Cuius uim multitudinis cum equites pauci Caesariani iam
sustinere non possent, Caesar instructas legiones hostium copiis
ostendit. Quo facto perterrito Labieno ac retardato suos equites
4 recepit incolumes. Postero die Iuba Numidas eos, qui loco amisso
67 fuga se receperant in castra, in cruce omnes suffixit. Caesar in-
terim, quoniam inopia frumenti premebatur, copias omnes in ca-
stra conducit atque praesidio Lepti, Ruspinae, Acillae relicto,
Cispio Aquilaeque classe tradita, ut alter Adrumetum, alter

1 probauerat Caesari *a*, Caesari probauerat *edd.* (Nasidi *a*) nauium *b.* 3 sibi facultatem *a*, facultatem sibi *edd.* ignorauit *a b.* 5 frumenti condendi *a*, condendi frumenti *edd.* flam *a*, *om. b.* 7 per indicem certior *a Stephanus*, certior per indicem *ceterae edd.* 10 progressis *a.* 13 sepe *a.* 15 considit *Oudendorpius*, considet *a b c;* consedit *u.* interim *ante* certior *ponit a.* 16 [ibi com]moratus. *P.* 223. hostis *b.* 17 adduceretur *a b.* 18 decimana *b.* octo *a. P.* 219. 20 ex *ego suppleui. P.* 224. 23 iam] cum *a*, *om. b.* 25 atque *b.* 28 inopia frumenti *a*, frumenti inopia *edd.* premebantur *a.* 29 Leptim *b.* Achillae (*a*) *u.* 30 Cispo *a et sic aut* 'Crispo *mss. et edd. qqd.*' Adrimetum *a.*

Thapsum mari obsiderent, ipse castris incensis quarta noctis uigilia
acie instructa impedimentis in sinistra parte conlocatis ex eo loco
proficiscitur et peruenit ad oppidum Aggar; quod a Gaetulis saepe
antea oppugnatum summaque ui per ipsos oppidanos erat defen-
sum. Ibi in campo castris unis positis ipse frumentatum circum 2
uillas cum parte exercitus profectus magno inuento ordei, olei,
uini, fici numero, pauco tritici atque recreato exercitu redit in
castra. Scipio interim cognito Caesaris discessu cum uniuersis 3
copiis per iugum Caesarem subsequi coepit atque ab eius castris
milia passuum VI longe trinis castris dispertitis copiis consedit.
Oppidum erat Zeta, quod aberat a Scipione milia passuum X, ad **68**
eius regionem et partem castrorum collocatum, a Caesare autem
diuersum ac remotum, quod erat ab eo longe milia passuum XIIII.
Huc Scipio legiones duas frumentandi gratia misit. Quod post- 2
quam Caesar ex perfuga cognouit, castris ex campo in collem ac
tutiora loca collatis atque ibi praesidio relicto ipse quarta uigilia
egressus praeter hostium castra proficiscitur cum copiis et oppidum
potitur. Legiones Scipionis comperit longius in agris frumentari 3
et, cum eo contendere conaretur, animaduertit copias hostium his
legionibus occurrere suppetias. Quae res eius impetum retardauit.
Itaque capto C. Minucio Regino, equite Romano, Scipionis fami- 4
liarissimo, qui ei oppido praeerat, et P. Atrio, equite Romano de
conuentu Vticensi, et camelis XXII regis abductis praesidio ibi
cum Oppio legato relicto ipse se recipere coepit ad castra. Cum **69**
iam non longe a castris Scipionis abesset, quae eum necesse erat
praetergredi, Labienus Afraniusque cum omni equitatu leuique ar-
matura ex insidiis adorti agmini eius extremo se offerunt atque ex
collibus primis existunt. Quod postquam Caesar animaduertit, 2
equitibus suis hostium ui oppositis sarcinas legionarios in aceruum

1 Thabsum *a*, Tharsum *b*. 2 conlocatis *a*. 3 Aggar *a*, Agger *b* 3 *dett.* '*et c.* 76. 79' (*at uide ibi*); Agar *u*. sepe *a*. 5 campo] castro *b*. 6 ordei *a*, *non* hord. 7 paucum *a*, paruo *b*. 9 sequi *b*. 10 dispertitis *a b*, *non* dispart. 11 z. et. a *a*, Zumi *b*; Zetta '*al.*' ab *cum b u*. 13 diuisum *b*. longe *om. b*. XIV *b*; XVIIII *a*, XIX *c*; XVIII *u*. *P.* 224. 16 collatis *Lipsius*, collocatis *codd. P.* 211 *extr.* 19 his *edd. ante Ald.*, is *a*; iis *Aldus u*. 21 itaque] ipse *b*. Minucio *ego*; inocio *a*, Mincio *b*, Mocio *cum* u *super* Mo *c*; Mucio *Scaliger u*. 23 abductis *Iurinius*, adductis *codd.* 24 Oppido *a*. ad] in *b*. 25 quae tum *a*, quae tunc *b*. 28 existunt *a*. 29 ui] III *a*. legionarias *b*. acerbum *b*.

3 iubet conportare atque celeriter signa hostibus inferre. Quod post-
quam coeptum est fieri, primo impetu legionum equitatus et leuis
armatura hostium nullo negotio loco pulsa et deiecta est de colle.
4 Cum iam Caesar existimasset hostes pulsos deterritosque finem
lacessendi facturos et iter coeptum pergere coepisset, iterum cele-
riter ex proximis collibus erumpunt atque eadem ratione, qua ante
dixi, in Caesaris legionarios impetum faciunt Numidae leuisque
armaturae mirabili uelocitate praediti, qui inter equites pugnabant
et una pariterque cum equitibus accurrere et refugere consueue-
5 rant. Cum hoc saepius facerent et proficiscentes Iulianos inseque-
rentur, refugerent instantes, propius non accederent et singulari
genere pugnae uterentur eosque iaculis conuulnerare satis esse
existimarent, Caesar intellexit nihil aliud eos conari, nisi ut se
cogerent castra eo loco ponere, ubi omnino aquae nihil esset, ut
exercitus eius ieiunus, qui a quarta uigilia usque ad horam X diei
70 nihil gustasset, ac iumenta siti perirent. Cum iam ad solis occa-
sum esset, et non totos C passus in horam esset progressus, equi-
tatu suo propter equorum interitum extremo agmine remoto le-
2 giones in uicem ad extremum agmen euocabat. Ita uim hostium
placide leniterque procedens per legionarium militem commodius
3 sustinebat. Interim equitum Numidarum copiae dextra sinistraque
per colles praecurrere coronaeque in modum cingere multitudine
4 sua Caesaris copias, pars agmen extremum insequi. Caesaris
autem non amplius III aut IIII milites ueterani si se conuertissent
et pila uiribus contorta in Numidas infestos coniecissent, amplius
duum milium numero ad unum terga uertebant ac rursus ad aciem
passim conuersis equis se colligebant atque in spatio consequeban-
5 tur et iacula in legionarios coniciebant. Ita Caesar modo proce-
dendo modo resistendo tardius itinere confecto noctis hora prima
omnes suos ad unum in castra incolumes sauciis X factis reduxit.
6 Labienus circiter CCC amissis, multis uulneratis ac defessis in-

1 (conportare *a*) comportari *b*. celeriter *om. b*. inferri *a*. 3 defecta *a*. 5 incoeptum *a*. 6 quam *b*. 9 pariter cum *b*. 10 sepius *a*. proficiscentes Iulianos *a Stephanus,* Iulianos proficiscentes *ceterae cdd.* 11 refugerent *a b* 2 *dett.*, et refugerent *u.* instantes *c,* stantes *a b reliqui.* 14 eo *a b c,* in eo *u.* 16 gustassent *b.* 17 in horam *Oudendorpius,* in horam IIII *a b c.* 22 coronamque *a b c.* 24 si] tum *b,* cum 2 *dett. rectius.* 25 infectos *a b.* 28 coiciebant *a.* 30 castra *Vascosanus,* castris *codd.* 31 ac] C *a b.*

stando omnibus ad suos se recepit. Scipio interim legiones pro- 7
ductas cum elephantis, quas ante castra in acie terroris gratia in
conspectu Caesaris conlocauerat, reducit in castra. Caesar contra 71
eiusmodi hostium genera copias suas non ut imperator exercitum
ueteranum uictoremque maximis rebus gestis, sed ut lanista tiro-
nes gladiatores condocefacere; quo pede se reciperent ab hoste et 2
quemadmodum obuersi aduersariis et in quantulo spatio resisterent,
modo procurrerent modo recederent comminarenturque impetum
ac prope quo loco et quemadmodum tela mitterent, praecipere.
Mirifice enim hostium leuis armatura anxium exercitum nostrum 3
atque sollicitum habebat, quia et equites deterrebat proelium inire
propter equorum interitum, quod eos iaculis interficiebat, et legio-
narium militem defatigabat propter uelocitatem: grauis enim ar- 4
maturae miles simulatque ab iis insectatus constiterat in eosque
impetum fecerat, illi ueloci cursu periculum facile uitabant. Quibus 72
ex rebus Caesar uehementer commouebatur, quia, quodcumque
proelium quotiens erat commissum, equitatu suo sine legionario
milite hostium equitatui leuique armaturae eorum nullo modo par
esse poterat. Sollicitabatur autem his rebus, quod nondum legiones 2
hostium cognouerat et quonam modo sustinere se posset ab eorum
equitatu leuique armatura, quae erat mirifica, si legiones quoque
accessissent. Accedebat etiam haec causa, quod elephantorum 3
magnitudo multitudoque animos militum detinebat in terrore. Cui 4
uni rei tamen inuenerat remedium. Namque elephantos ex Italia
transportari iusserat, quo et miles noster speciemque et uirtutem
bestiae cognosceret, et cui parti corporis eius telum facile adigi
posset, ornatusque ac loricatus cum esset elephantus, quae pars

2 quas *ego,* quos *codd. P.* 225. 3 conlocauerat *a.* 4 hostium *om. c.* 6 condocefaceret *a b.* quo pedes *a,* quod ad pedes *b.* 7 aduersariis *Aldus,* aduersarios *a b.* 9 praecipere *unus det.,* praeciperet *a b;* praecipit *u.* 12 interficiebat — (13) defatigabat *a c cod. Vrs.,* interficiebant — defatigabant *b et reliqui.* 13 armatura *a b.* 14 iis *a,* his *edd.* 15 periculum facile *a,* facile periculum *edd.* 16 uehementer — quodcumque *om. b.* quia *om. a c* 2 *dett.* quodcunque (*a*). 17 proelium] bellum *b.* quotiens *a.* legionarios milites *a b.* 18 equitatu *b.* 19 legiones hostium *a Stephanus,* hostium legiones *reliquae edd.* 20 possent *b.* 21 erant *a.* 22 accedebat] autem *add. b.* 23 animos militum *a b,* militum animos *edd.* 24 ex Italia *Ciacconius,* in Italiam *codd.* 25 quod *a b.* noster *Aldus,* nosset *a b* 2 *dett.* 27 ornatusque *Aldus,* oneratusque *a b c d.* elephans *b d.*

corporis eius sine tegmine nuda relinqueretur, ut eo tela conice-
5 rentur, praeterea, ut iumenta bestiarum odorem stridoremque et
6 speciem consuetudine capta non reformidarent. Quibus ex rebus
largiter erat consecutus. Nam et milites bestias manibus pertra-
ctabant earumque tarditatem cognoscebant, equitesque in eos pila
praepilata coniciebant, atque in consuetudinem equos patientia
73 bestiarum adduxerat. Ob has causas, quas supra commemoraui,
sollicitabatur Caesar tardiorque et consideratior erat factus et ex
2 pristina bellandi consuetudine celeritateque excesserat. Nec mirum.
Copias enim habebat in Gallia bellare consuetas locis campestribus
et contra Gallos, homines apertos minimeque insidiosos, qui per
3 uirtutem, non per dolum dimicare consuerunt; tum autem erat ei
laborandum, ut consuefaceret milites hostium dolos, insidias, arti-
4 ficia cognoscere et quid sequi, quid uitare conueniret. Itaque, quo
haec celerius conciperent, dabat operam, ut legiones non in uno
loco contineret, sed per causam frumentandi huc atque illuc rapta-
ret, ideo quod hostium copias ab se suoque uestigio non discessuras
5 existimabat. Atque post diem tertium productas accuratius suas
copias sicut instruxerat, propter hostium castra praetergressus
aequo loco inuitat ad dimicandum. Postquam abhorrere eos uidet,
74 reducit sub uesperum legiones in castra. Legati interim ex oppido
Vaga, quod finitimum fuit Zetae, cuius Caesarem potitum esse de-
2 monstrauimus, ueniunt; petunt et obsecrant, ut sibi praesidium
mittat: se res complures, quae utiles bello sint, administraturos.
3 Per idem tempus deorum uoluntate studioque erga Caesarem trans-
fuga suos ciues facit certiores Iubam regem celeriter cum copiis
suis, antequam Caesaris praesidium eo perueniret, ad oppidum ad-
cucurrisse atque aduenientem multitudine circumdata eo potitum
omnibusque eius oppidi incolis ad unum interfectis dedisse oppidum

1 corporis eius *a Stephanus,* eius corporis *ceterae edd.* sine tegmine nuda *a,* nuda sine tegmine *edd.* (tegumine *c*). 2 stridoremque *a b,* stridorem *u.* et speciem *unus det.,* speciem *reliqui.* 3 capta *unus det.,* captarum *reliqui fere omnes.* reformidare *a b.* ex *om. b.* 4 contractabant *b.* 6 coiciebant *a.* in *om. a.* 9 neque *b.* 14 cognoscerent quid *a b.* qued uitare *a.* quod *a.* 15 dabant *a.* in *om. a.* 16 rapsare *a b c.* 18 existimabant *a.* productis — suis copiis *Clarkius.* 19 hostium] aciem *ante corr. a.* 22 Vaga *a b c,* Vaca *d;* Vacca *u.* Zeiae *b et, qui 'ad oram* credo Zutae', *d.* 23 et *om. a b.* 25 transfugas *a b.* 27 (adcucurrisse (*a*)) decurrisse *b.* 28 aduenientem *a c,* adueniente *u.*

diripiendum delendumque militibus. Caesar interim lustrato exer- 75
citu a. d. XII Kal. April. postero die productis uniuersis copiis
progressus ab suis castris milia passuum V a Scipionis circiter
duum milium interiecto spatio in acie constitit. Postquam satis 2
diuque aduersarios ab se ad dimicandum inuitatos supersedere pu-
gnae animaduertit, reducit copias posteroque die castra mouet at- 3
que ad oppidum Sarsuram, ubi Scipio Numidarum habuerat prae-
sidium frumentumque comportauerat, ire contendit. Quod ubi La- 4
bienus animaduertit, cum equitatu leuique armatura agmen eius
extremum carpere coepit atque ita lixarum mercatorumque, qui
plostris merces portabant, interceptis sarcinis addito animo propius
audaciusque accedit ad legiones, quod existimabat milites sub onere
ac sub sarcinis defatigatos pugnare non posse. Quae res Caesarem 5
non fefellerat: namque expeditos ex singulis legionibus tricenos
milites esse iusserat. Itaque eos in equitatum Labieni inmissos
turmis suorum suppetias mittit. Tum Labienus conuersis equis 6
signorum conspectu perterritus turpissime fugere contendit. Mul- 7
tis eius occisis, compluribus uulneratis milites legionarii ad sua se
recipiunt signa atque iter inceptum ire coeperunt. Labienus per
iugum summum collis dextrorsus procul subsequi non desistit.
Postquam Caesar ad oppidum Sarsuram uenit, inspectantibus ad- 76
uersariis interfecto praesidio Scipionis, cum suis auxilium ferre
non auderent, fortiter repugnante P. Cornelio, euocato Scipionis,
qui ibi praeerat, atque a multitudine circumuento interfectoque
oppido potitur atque ibi frumento exercitui dato postero die ad 2
oppidum Thisdram peruenit; in quo Considius per id tempus fuerat
cum grandi praesidio cohorteque sua gladiatorum. Caesar oppidi 3
natura perspecta aquae inopia ab oppugnatione eius deterritus pro-
tinus profectus circiter milia passuum IIII ad aquam facit castra
atque inde die quarto egressus redit rursus ad ea castra, quae ad

2 ad XII tx April. *a*. 3 progressus (*a*) 3 *dett.*, processus '*mei omnes*'. ab suis *a*, a suis *u*. 4 circumiecto *a b c*. 5 ab se *a*, *om. b*; a se *u*. pugna *Dauisius. P.* 20. 6 posteroque *a cod. l rs.*, posteraque *b*; postero *u*. atque *a b* 2 *dett.*, atque iter *u*. 10 capere *b*. 13 ac sarcinis *b*. 15 inmissos *a*. 17 fugere contendit *a Stephanus*, contendit fugere *ceterae edd.* 19 atque interceptum iter coeperunt *et in margine* agere *b*. 23 pugnante *b*. 25 ad *om. a*. 26 Thisdram *a*, Tisdram *u et 'sic uel* Thisdram *mss.*' 28 aquae *Lipsius*, atque *codd.* impugnatione *b*. 30 die *post* inde *ponit c*, *post* castra *a*, *ante* egressus *u*; *om. b*. quarta *a c*.

Aggar habuerat. Idem facit Scipio atque in antiqua castra copias
77 reducit. Thabenenses interim, qui sub dicione et potestate Iubae
esse consuessent, in extrema eius regni regione marituma locati
interfecto regio praesidio legatos ad Caesarem mittunt, rem a se
gestam docent, petunt orantque, ut suis fortunis populus Romanus,
2 *cum* bene meriti essent, auxilium ferret. Caesar eorum consilio
probato Marcium Crispum tribunum cum cohortibus tribus et sagittariis tormentisque compluribus praesidio Thabenam mittit.
3 Eodem tempore ex legionibus omnibus milites, qui aut morbo impediti aut commeatu dato cum signis non potuerant ante transire in
Africam, ad milia IIII, equites CCCC, funditores sagittariique mille
4 uno commeatu Caesari occurrerunt. Itaque cum his copiis omnibus legionibus eductis, sicut erat instructus, V milibus passuum
ab suis castris, ab Scipionis uero II milibus passuum longe consti-
78 tit in campo. Erat oppidum infra castra Scipionis nomine Tegea,
ubi praesidium equestre circiter II milium numero habere consue-
2 rat. Eo equitatu dextra sinistra directo ab oppidi lateribus ipse
legiones ex castris eductas atque in iugo inferiore instructas non
longius fere mille passus ab suis munitionibus progressus in acie
3 constituit. Postquam diutius in uno loco Scipio commorabatur, et
tempus diei in otio consumebatur, Caesar equitum turmas suorum
iubet in hostium equitatum, qui ad oppidum in statione erant, facere inpressionem leuemque armaturam, sagittarios funditoresque
4 eodem summittit. Quod ubi coeptum est fieri, et equis concitatis
Iuliani impetum fecissent, Pacidius suos equites exporrigere coepit in longitudinem, ut haberent facultatem turmas Iulianas circum-
5 fundi, et nihilo minus fortissime acerrimeque pugnare. Quod ubi
Caesar animaduertit, CCC, quos ex legionibus habere expeditos

1 Aggar *a 'mss.'*, Agar *u.* 2 ditione (*a*). 3 marituma *a.* collocati *b.* 4 a se *Vascosanus,* male *codd.* 5 fortuniis *b.* p. R. *a,* pop. Rom. *b c.* 6 cum *ego, om. a b c*; quod *u.* ferrent *ante corr. a.* 7 Marcium (*a*), Martium 2 *dett.*; M. *reliqui.* tribunum *om. a.* cohortibus tribus *a b,* cohorte *u.* 8 Thenam *a.* 10 in *om. a b.* 11 mille] quo *a,* qui *b.* 12 omnibus *ego,* et omnibus *codd.* 13 V *ego,* VIII *codd. P.* 224. 14 ab Scipionis uero *om. a.* II milibus] cōcō mil. *a,* cō *b,* $\overline{\text{CCCC}}$ m. *c,* ∞ ∞ mill. *d*; IV milibus *u.* 16 II milium] coco *a,* MM *b c d*; CD *u.* numerum *a b.* 17 sinistra *a b,* sinistraque *u.* derecto *ante corr. a.* oppido *a b c.* 18 legiones — eductas — instructas *a b c,* legionibus — eductis — instructis *u.* 20 constituit *Oudendorpius,* constitit *codd.* 21 Caesar *om. b.* 22 erant *a b,* erat *u.* 23 inpressionem *a.* 24 summittit *a, non* subm. 28 animum aduertit *a.*

consuerat, ex proxima legione, quae ei proelio in acie constiterat,
iubet equitatui succurrere. Labienus interim suis equitibus auxi- 6
lia equestria summittere sauciisque ac defatigatis integros recen-
tioribusque uiribus equites subministrare. Postquam equites Iuliani 7
CCCC uim hostium ad IIII milia numero sustinere non poterant et
a leui armatura Numidarum uulnerabantur minutatimque cedebant,
Caesar alteram alam mittit, qui satagentibus celeriter succurrerent.
Quo facto sui sublati uniuersi in hostes inpressione facta in fugam 8
aduersarios dederunt; multis occisis, compluribus uulneratis inse-
cuti per III milia passuum usque ad colles hostibus adactis se ad
suos recipiunt. Caesar in horam X commoratus, sicut erat in- 9
structus, se ad sua castra recepit omnibus incolumibus. In quo 10
proelio Pacidius grauiter pilo per cassidem caput ictus compluresque duces ac fortissimus quisque interfecti uulneratique sunt.

Postquam nulla condicione cogere aduersarios poterat, ut in 79
aequum locum descenderent legionumque periculum facerent, neque
ipse propius hostem castra ponere propter aquae penuriam se posse
animaduertebat, aduersarios non uirtute eorum confidere, sed
aquarum inopia fretos despicere se intellexit, II Non. Apr. tertia 2
uigilia egressus ab Aggar XVI milia nocte progressus ad Thapsum,
ubi Vergilius cum grandi praesidio praeerat, castra ponit oppidumque eo die circummunire coepit locaque idonea opportunaque complura praesidiis occupare, hostes ne intrare ad se ac loca interiora
capere possent. Scipio interim cognitis Caesaris consiliis ad ne- 3
cessitatem adductus dimicandi, ne per summum dedecus fidissimos
suis rebus Thapsitanos et Vergilium amitteret, confestim Caesarem per superiora loca consecutus milia passuum VIII a Thapso
binis castris consedit. Erat stagnum salinarum, inter quod et mare 80
angustiae quaedam non amplius mille et D passus intererant; quas
Scipio intrare et Thapsitanis auxilium ferre conabatur. Quod fu- 2

1 consuerat *a b*, consueuerat *u*. ei] ex *b*. 3 summittere *a*, *non* subm. 5 potuerant *m. pr. a*. 6 minuatimque *a*, minuatim *c*. caedebantur *c*. 7 immittit *b*. succurrerent *ego*. occurrerent *codd. P.* 225. 8 sui sublati *om. b*. inpressione *a*. 10 ad *a b*, in *u*. collem *b*. adactibus *a*. 14 fortissimos quisque *a*, fortissimi quique *b*. 15 potuit *b*. 18 uirtute eorum *a 'mss. plerique'*, eorum uirtute *u*. 19 II *a*, pridie *cdd. P.* 158. 20 Aggar *a 'mss.'*, Agar *u*. Thabsum *a*. 21 Vergilius *a*, Virgilius *u*. 26 Thabsitanos *a*. Vergilium *a*, Virgilium *u*. ammitteret *a*. 27 ab *b*. Thabso *a*. 28 contendit *errore Graeu. u*. 29 mille] cō *a*. 30 Thabsitanis *a*.

turum Caesarem non fefellerat. Namque pridie in eo loco castello
munito ibique III *legionum* praesidio relicto ipse cum reliquis co-
3 piis lunatis castris Thapsum operibus circummuniuit. Scipio inte-
rim exclusus ab incepto itinere supra stagnum postero die et nocte
confecto caelo albente non longe a castris praesidioque, quod supra
commemoraui, mille passibus ad mare uersus consedit et castra
4 munire coepit. Quod postquam Caesari nuntiatum est, milite ab
opere deducto castris praesidio Asprenate proconsule cum legioni-
bus duabus relicto ipse cum expedita copia in eum locum citatim
5 contendit classisque parte ad Thapsum relicta reliquas naues iubet
post hostium tergum quam maxime ad litus adpelli signumque suum
6 obseruare, quo signo dato subito clamore facto ex improuiso ho-
stibus auersis inculerent terrorem, ut perturbati ac perterriti re-
81 spicere post terga cogerentur. Quo postquam Caesar peruenit et
animaduertit aciem pro uallo Scipionis [contra elephantos dextro
sinistroque cornu collocatis] et nihilo minus partem militum castra
non ignauiter munire, ipse acie triplici collocata, legione X XIIIque
dextro cornu, XIIII et VIIII sinistro oppositis, V legione in quarta
acie ad ipsa cornua quinis cohortibus contra bestias collocatis, sa-
gittariis, funditoribus in utrisque cornibus dispositis leuique ar-
matura inter equites intericcta ipse pedibus circum milites concur-
sans uirtutesque ueteranorum proeliaque superiora commemorans
2 blandeque appellans animos eorum excitabat. Tirones autem, qui
numquam in acie dimicassent, hortabatur, ut ueteranorum uirtu-
tem aemularentur eorumque famam, locum, nomen uictoria parta
82 cuperent possidere. Itaque in circumeundo exercitu animaduer-
tit hostes circa uallum trepidare atque ultro citroque pauidos con-

2 muniti *a*. III legionum *ego;* III *a c,* cohortibus tribus *b;* trino *u. P.* 225. 3 Thabsum *a*. 4 super *b*. 5 coelo (*a*). 6 commemoraui *a b,* commemorauimus *u*. mille] cō *a;* MD *edd. ante Graeu.,* MC *Graeu. u*. 7 milite — (8) deducto *dett. aliquot,* milites — deductos *a et reliqui*. 8 praesidio *om. b*. legione *a*. 10 Thabsum *a*. 11 adpelli *a*. 13 aduersis *a 'mss. 4'*. 14 tergum *b*.
15 contra elephantos — (16) collocatis *a,* contra elephantosque — collocatos *c d* (*is* elephantoque), elephantis — collocatis *et inter uers.* contra *b;* elephantosque — collocatos *cod. Urs. u. Uncos ego posui. P.* 221 *extr.*
16 nihil *a b*. castra] contra *a c*. 17 x XIIIque *ego,* decima secundaque *codd. P.* 220. 18 XIIII *ego,* VIII *codd.* V legione *ego,* V legiones *a b;* V legionibus *u*. 19 ad *a* 3 *dett.*, ante *Aldus u*. cornua] a *add. a b*. 24 nunquam (*a*). 25 locum nomen *a,* nomen locumque *edd*. uictoriam partam *a*. 26 exercitu *a,* exercitum *edd*.
27 circa] contra *a 'Leid.'*

cursare et modo se intra portas recipere modo inconstanter immo-
derateque prodire. Cum idem a pluribus animaduerti coeptum 2
esset, subito legati euocatique obsecrare Caesarem, ne dubitaret
signum dare: uictoriam sibi propriam a dis inmortalibus portendi.
Dubitante Caesare atque eorum studio cupiditatique resistente sibi- 3
que eruptione pugnari non placere clamitante et etiam atque etiam
aciem sustentante subito dextro cornu iniussu Caesaris tubicen a
militibus coactus canere coepit. Quo facto ab uniuersis cohortibus 4
signa in hostem coepere inferri, cum centuriones pectore aduerso
resisterent uique continerent milites, ne iniussu imperatoris con-
currerent, nec quicquam proficerent. Quod postquam Caesar intel- **83**
lexit incitatis militum animis resisti nullo modo posse, signo Feli-
citatis dato equo admisso in hostem contra principes ire contendit.
A dextro interim cornu funditores sagittariique concita tela in ele- 2
phantos frequentes iniciunt. Quo facto bestiae stridore fundarum 3
lapidumque perterritae sese conuertere et suos post se frequentes
stipatosque proterere et in portas ualli semifactas ruere conten-
dunt. Item Mauri equites, qui in eodem cornu elephantis erant 4
praesidio, deserti principes fugiunt. Ita celeriter bestiis circum- 5
itis legiones uallo hostium sunt potitae, et paucis acriter repugnan-
tibus interfectisque reliqui concitati in castra, unde pridie erant
egressi, confugiunt. Non uidetur esse praetermittendum de uirtute **84**
militis ueterani V legionis. Nam cum in sinistro cornu elephans
uulnere ictus et dolore concitatus in lixam inermem impetum fe-
cisset eumque sub pedem subditum dein genu innixus pondere suo
proboscide erecta uibrantique stridore maximo premeret atque ene-
caret, miles hic non potuit pati, quin se armatus bestiae offerret.
Quem postquam elephans ad se telo infesto uenire animaduertit, 2
relicto cadauere militem proboscide circumdat atque in sublime ex-
tollit armatum. Qui in eiusmodi periculo cum constanter agendum 3

4 dis *a*, diis *u*. inmortalibus *a*. 5 dubitandi Caesare *a*, dubitanti Caesari *b*. sibi erupt. *b*. 6 clamitat *a b*. 7 sustentantem *a b*. tubicin *a*. 10 concurrent *a*. 11 quicquam *a*, *non* quidq. 15 frequenter *b c*. 16 lapidum *a*. deterritae *sine auctoritate u*. 17 ruere] ire *b*. 18 idem *a b*. elephantis *a et unus det.*, cum elephantis *u*. 21 interfectisque *a b* 3 *dett.*, interfectis *u*. 22 progressi *b*. praetereundum *b*. 23 in *om. a*. 23 *et* 28 *et* 710,2 elephans *a b c*, elephantus *u*. 25 pedem *a b*, pede *u*. dein *a*, deinde *u*. 26 promoscide *suprasc. c*. 27 armatus *a b* 2 *dett.*, armatum *u*. 30 armatus *a*. cum *om. a b*.

sibi uideret, gladio proboscidem, qua erat circumdatus, caedere
quantum uiribus poterat non destitit. Quo dolore adductus elephans
milite abiecto maximo cum stridore cursuque conuersus ad reliquas
85 bestias se recepit. Interim Thapso qui erant praesidio ex oppido
eruptionem porta marituma faciunt et, siue ut suis subsidio occur-
rerent, siue ut oppido deserto fuga salutem sibi parerent, egre-
diuntur atque ita per mare umbilici fine ingressi terram petebant.
2 Qui a seruitiis puerisque, qui in castris erant, lapidibus pilisque
3 prohibiti terram attingere rursus in oppidum se receperunt. Inte-
rim Scipionis copiis prostratis passimque toto campo fugientibus
confestim Caesaris legiones consequi spatiumque se non dare col-
4 ligendi. Qui postquam ad ea castra, quae petebant, perfugerunt,
ut refectis castris rursus sese defenderent, ducemque aliquem re-
quirerent, quem respicerent, cuius auctoritate imperioque rem ge-
5 rerent, [qui] postquam animaduerterunt neminem ibi esse [prae-
sidio], protinus armis abiectis in regia castra fugere contendunt.
6 Quo postquam peruenerunt, ea quoque ab Iulianis teneri uident.
Desperata salute in quodam colle consistunt atque armis demissis
7 salutationem more militari faciunt. Quibus miseris ea res paruo
praesidio fuit. Namque milites ueterani ira et dolore incensi
non modo, ut parcerent hosti, non poterant adduci, sed etiam
ex suo exercitu inlustres urbanos, quos auctores appellabant,
8 complures aut uulnerarunt aut interfecerunt; in quo numero
fuit Tullius Rufus quaestorius, qui pilo traiectus consulto a
milite interiit: item Pompeius Rufus brachium gladio percussus,
9 nisi celeriter ad Caesarem adcucurrisset, interfectus esset. Quo
facto complures equites Romani senatoresque perterriti ex proelio
se receperunt, ne a militibus, qui ex tanta uictoria licentiam sibi
adsumpsissent inmoderate peccandi inpunitatis propter maximas
10 res gestas spe, ipsi quoque interficerentur. Itaque ii omnes Sci-

1 qua *Morus,* quo *codd.* 4 recepit] conuertit *ante corr. a.* 5 marituma *a.* et *om. b.* succurrerent *b omisso* subsidio. 6 parerent *b,* parent *a c;* pararent *u.* 9 in oppidum se *a,* se in oppidum *edd.* recipiunt *b.* 12 patebant *b.* 13 se *b.* ducemque — requirerent *a b,* ducem — requirunt *u. P.* 17. 15 qui *Oudendorpius delendum uidit.* [praesidio] *P.* 225. 16 contenderunt *b.* 18 dimissis *a c.* 19 miseriis *a.* 22 inlustres *a.* quos urbanos appellant *b.* 25 item] interim *a b.* 26 (adcucurrisset *a*) accurrisset '*mss. plerique*'. 28 a *om. a b.* licentia *a.* 29 adsumpsissent inmoderate *a.* inpunitatis *a.* 30 spe ipsi *Oudendorpius,* ab ipsis *a b unus det.;* ipsi *reliqui.* i *a, om. b.*

pionis milites, cum fidem Caesaris inplorarent, inspectante ipso
Caesare et a militibus deprecante, eis uti parcerent, ad unum sunt
interfecti. Caesar trinis castris potitus occisisque hostium L mili- **86**
bus fugatisque conpluribus se recepit L militibus amissis, paucis
sauciis in castra et statim ex itinere ante oppidum Thapsum con-
stitit elephantosque LX ornatos armatosque cum turribus ornamen- 2
tisque [capit] captos ante oppidum instructos constituit, id hoc con-
silio, si posset Vergilius quique cum eo obsidebantur rei male gestae
suorum indicio a pertinacia deduci. Deinde ipse Vergilium appel- 3
lauit inuitauitque ad deditionem suamque lenitatem et clementiam
commemorauit. Quem postquam animaduertit responsum sibi non
dare, ab oppido discessit. Postero die diuina re facta contione ad- 4
uocata in conspectu oppidanorum milites collaudat totumque exer-
citum ueteranum donauit, praemia fortissimo cuique ac bene me-
renti pro suggestu tribuit ac statim inde digressus Rebilo procon- 5
sule cum III ad Thapsum legionibus et Cn. Domitio cum duabus
Thisdrae, ubi Considius praeerat, ad obsidendum relictis M. Mes-
sala Vticam ante praemisso cum equitatu ipse eodem iter facere
contendit.

Equites interim Scipionis, qui ex proelio fugerant, cum Vti- **87**
cam uersus iter facerent, perueniunt ad oppidum Paradam. Vbi
cum ab incolis non reciperentur, ideo quod fama de uictoria Cae-
saris praecucurrisset, ui oppido potiti in medio foro lignis coacer-
uatis omnibusque rebus eorum congestis ignem subiciunt atque eius
oppidi incolas cuiusque generis aetatisque uiuos constrictosque in
flammam coniciunt atque ita acerbissimo adficiunt supplicio; deinde
protinus Vticam perueniunt. Superiore tempore M. Cato, quod in 2
Vticensibus propter beneficium legis Iuliae parum suis partibus
praesidii esse existimauerat, plebem inermem oppido eiecerat et
ante portam bellicam castris fossaque paruula duntaxat munierat
ibique custodiis circumdatis habitare coëgerat; senatum autem op-

1 inplorarent *a.* 3 L *ego,* X *codd. P.* 226. milibus *om. a.* 4 conpluribus *a.* 5 et statim *ego,* estatim *a b;* ac statim *u.* Thabsum *a.* 6 LX *ego,* LXIV *codd. P.* 226. 7 capit *delendum uidit Glandorpius.* 8 *et* 9 Vergil. *a,* Virgil. *u.* 9 ipsum *b.* 10 incitauitque *b.* suam *b.* 12 discessit *a b* 4 *dett.,* recessit *Aldus u.* concione (*a*). 16 Thabsum *a.* legionibus *om. a,* cohortibus *b.* 17 Thisdrae *a,* Tisdrae *u.* Messala (*a*), Messalla *u.* 21 Paradae *codd. P.* 18. 26 coiciunt *a.* adficiunt *a.* 27 in *post* quod *posuit Faërnus, post* parum (28) *ponunt codd.* 30 castris *om. d.* fossisque *a b c,* fossa *d.* muniuerat *a.*

3 pidi custodia tenebat. Eorum castra hi equites adorti expugnare
coeperunt, ideo quod eos Caesaris partibus fauisse sciebant, ut
4 eis interfectis eorum pernicie dolorem suum ulciscerentur. Vti-
censes animo addito ex Caesaris uictoria lapidibus fustibusque
equites repulerunt. Itaque posteaquam castra non potuerant potiri,
Vticam se in oppidum coniecerunt atque ibi multos Vticenses inter-
5 fecerunt domosque eorum expugnauerunt ac diripuerunt. Quibus
cum Cato persuadere nulla ratione quiret, ut secum oppidum de-
fenderent et caede rapinisque desisterent, et quid sibi uellent sci-
ret, sedandae eorum inportunitatis gratia singulis C diuisit. Idem
Sulla Faustus fecit ac de sua pecunia largitus est unaque cum iis
88 ab Vtica proficiscitur atque in regnum ire intendit. Conplures
interim ex fuga Vticam perueniunt. Quos omnes Cato conuocatos
una cum CCC, qui pecuniam Scipioni ad bellum faciendum contu-
lerant, hortatur, ut seruitia manumitterent oppidumque defende-
2 rent. Quorum cum partem adsentire, partem animum mentemque
perterritam atque in fugam destinatam habere intellexisset, amplius
de ea re agere destitit nauesque iis attribuit, ut in quas quisque
3 partes uellet proficisceretur. Ipse omnibus rebus diligentissime
constitutis liberis suis Lucio Caesari, qui tum ei pro quaestore
fuerat, commendatis et sine suspicione, uultu atque sermone, quo
superiore tempore usus fuerat, cum dormitum isset, ferrum intro
4 clam in cubiculum tulit atque ita se traiecit. Qui cum anima non-
dum expirata concidisset, et impetu facto in cubiculum ex suspi-
cione medicus familiaresque continere atque uulnus obligare coe-
pissent, ipse suis manibus uulnus crudelissime diuellit atque animo
5 praesenti se interemit. Quem Vticenses, quamquam oderant par-
tium gratia, tamen propter eius singularem integritatem et quod
dissimillimus reliquorum ducum fuerat quodque Vticam mirificis
6 operibus munierat turresque auxerat, sepultura adficiunt. Quo
interfecto L. Caesar aliquid sibi ex ea re auxili ratus conuocato

1 hi *ego,* L *codd.*; ii *P. Manutius u.* adhorti *a.* 2 Caesaris partibus *a Stephanus,* partibus Caesaris *ceterae cdd.* 5 reppulerunt *a.* 8 posset *b.* 10 inportunitatis *a.* C *a 'mss.',* HS C *P. Manutius u.* 11 Silla *a.* 12 regnum] Iubae *add. b.* intendit *a b,* contendit *u.* conplures *a.* 15 hortatus *a b.* 16 adsentire *a.* 18 nauemque *b.* is *a.* 20 Lucio *a,* L. *u.* 23 intulit *b.* cum *Aldus nepos,* dum *codd. P.* 16. 24 expirata *a.* et *om. 'mss. plerique'.* 26 deuellit *a.* 27 quanquam (*a*). 30 adficiunt *a.* 31 aliquid *a b c,* ut aliquid *u.* auxilii ratus *unus det.*; auxiliaret *a,* auxiliaretur *b c*; auxilii pararet *cod. Vrs. u.*

populo contione habita cohortatur omnes, ut portae aperirentur:
se in C. Caesaris clementia magnam spem habere. Itaque portis 7
patefactis Vtica egressus Caesari imperatori obuiam proficiscitur.
Messala, ut erat imperatum, Vticam peruenit omnibusque portis
custodias ponit.

Caesar interim a Thapso progressus Vssetam peruenit, ubi **89**
Scipio magnum frumenti numerum, armorum, telorum ceterarum-
que rerum cum paruo praesidio habuerat. Id adueniens potitur; 2
deinde Adrumetum peruenit. Quo cum sine mora introisset, ar-
mis, frumento pecuniaque considerata Q. Ligario, C. Considio
filio, qui tum ibi fuerant, uitam concessit. Deinde eodem die Adru- 3
meto egressus Liuineio Regulo cum legione ibi relicto Vticam ire
contendit. Cui in itinere fit obuius L. Caesar et subito se ad ge-
nua proiecit uitamque sibi neque amplius quicquam deprecatur.
Cui Caesar facile et pro natura sua et pro instituto concessit, item 4
Caecinae, † Ceteio, P. Atrio, L. Cellae patri et filio, M. Eppio,
M. Aquino, Catonis filio Damasippique liberis ex sua consuetudine
tribuit circiterque luminibus accensis Vticam peruenit atque extra
oppidum ea nocte mansit. Postero die mane in oppidum introiit **90**
contioneque aduocata Vticenses incolas cohortatus gratias pro eo-
rum erga se studio agit, ciues autem Romanos negotiatores et eos, 2
qui inter CCC pecunias contulerant Varo et Scipioni, multis uerbis
accusatos et de eorum sceleribus longiore habita oratione ad ex-
tremum, ut sine metu prodirent, edicit: se eis duntaxat uitam 3
concessurum; bona quidem eorum se uenditurum, ita tamen, qui
eorum ipse sua bona redemisset, se bonorum uenditionem indu-
cturum et pecuniam multae nomine relaturum, ut incolumitatem
retinere posset. Quibus metu exsanguibus de uitaque ex suo 4

1 concione (*a*). habita] facta *a*. cohortatus *a b*. 2 C. Caesaris *a b c* 3 *dett.*, Caesaris *u*. 4 Messala (*a*), Messalla *u*. 6 ab *b*. Thabso *a*. Vssetam *a*, Vscetam *u et 'sic uel* Vzetam, Vssetam, Vsetam *mss.'* 9 Adrimetum *a*. 10 considerat *A* Q. *a*. 11 fuerant (*a*) *b* 2 *dett.*, fuerat *reliqui*. die *om. b*. Hadrimeto *a*. 12 cum legione ibi *a*, ibi cum legione *edd.* 13 ienua *a*. 14 quicquam *a*, *non* quidq. 15 natura sua *a*, sua natura *edd.* 16 Ceteio *codd.*, C. Ateio *Aldus nepos u*. P. Atrio] patrio *a*. 17 M. *om. a*. Aquino *a b c*, Aquinio *u*. Damasippiqui *a*. 18 circumque *d*. luminibus *a b d* 3 *dett.*, noctem luminibus *u*. 20 concioneque (*a*). cohortatur *b*. 21 egit *b*. negotiatores *om. b*. 24 si *a*. 26 ipse *Clarkius*, ipsa *a b cod. Vrs.* 3 *dett.*; *om. Aldus u*. sua bona *a cod. Vrs.*, bona sua *edd.* 27 incolomitatem *a*. 28 exsanguinibus *a*. uita quoque *b*.

promerito desperantibus subito oblata salute libentes cupidique con-
dicionem acceperunt petieruntque a Caesare, ut uniuersis CCC uno
5 nomine pecuniam imperaret. Itaque miliens sestertio his inposito,
ut per triennium sex pensionibus populo Romano soluerent, nullo
eorum recusante ac se eo die demum natos praedicantes laeti gra-
tias agunt Caesari.
91 Rex interim Iuba, ut ex proelio fugerat, una cum Petreio inter-
diu in uillis latitando tandem nocturnis itineribus confectis in regnum
2 peruenit atque ad oppidum Zamam, ubi ipse domicilium, coniuges
liberosque habebat, quo ex cuncto regno omnem pecuniam caris-
simasque res comportauerat quodque inito bello operibus maximis
3 munierat, accedit. Quem antea oppidani rumore exoptato de Cae-
saris uictoria audito ob has causas oppido prohibuerunt, quod bello
contra populum Romanum suscepto in oppido Zamae lignis con-
gestis maximam in medio foro pyram construxerat, ut, si forte
bello foret superatus, omnibus rebus eo coaceruatis, dein ciuibus
cunctis interfectis eodemque proiectis igne subiecto tum demum
ipse se insuper interficeret atque una cum liberis, coniugibus, ci-
4 uibus cunctaque gaza regia cremaretur. Postquam Iuba ante por-
tas diu multumque primo minis pro imperio egisset cum Zamensi-
bus, dein, cum se parum proficere intellexisset, precibus orasset,
uti se ad suos deos penates admitterent, ubi eos perstare in sen-
tentia animaduertit nec minis nec precibus suis moueri, quo magis
se reciperent, tertio petit ab eis, ut sibi coniuges liberosque red-
5 derent, ut secum eos asportaret. Postquam sibi nihil omnino op-
pidanos responsi reddere animaduertit, nulla re ab his impetrata
ab Zama discedit atque ad uillam suam cum M. Petreio paucisque
92 equitibus se confert. Zamenses interim legatos de his rebus ad
Caesarem Vticam mittunt petuntque ab eo, uti, antequam rex

1 merito *'mss. plerique'*. oblatam salutem *b*. conditionem (*a*). 3 itaque *a b c*, itaque bis *u*. miliens *a*, millies *c d 'et alii'*. sestertium is inposito *a*. 5 eo *Stephanus*, eodem *codd.* 9 atque *om. b*. 11 quoque *a*. inito] in *b*. 12 muniuerat *a*. oppidani antea *cum* 2 *dett. u*. 13 bella *ante corr. a*. 14 z. a. me *a*. coniectis *b*. 16 dein *a b*, dehinc *u*. 18 ipse se *a*, se ipse *edd.* 21 dein *a*, deinde *u*. se *om. b*. precibus *a b*, precibus quoque *u*. 22 perstare in sententia *a edd. ante Ald.* (*sed hae in sua sent.*), in sententia perstare *Aldus u* (persistere *b*). 26 respon-sum *a b*. his *a edd. priores*, iis *P. Manutius u*. 27 M. *om. b*. 28 se *om. a*, iter *b*. confert] confecit *b*. his *a edd. priores*, iis *P. Manutius u*.

manum colligeret seseque obpugnaret, sibi auxilium mitteret: se
tamen paratos esse sibi, quoad uita suppeteret, oppidum seque ei
reseruare. Legatos collaudatos Caesar domum iubet antecedere 2
ac suum aduentum praenuntiare. Ipse postero die Vtica egressus
cum equitatu in regnum ire contendit. Interim in itinere ex regiis 3
copiis duces complures ad Caesarem ueniunt orantque, ut sibi
ignoscat. Quibus supplicibus uenia data Zamam peruenit. Rumore 4
interim perlato de eius lenitate clementiaque propemodum omnes
regni equites Zamam perueniunt ad Caesarem ab eoque sunt metu
periculoque liberati.

Dum haec utrobique geruntur, Considius, qui Thisdrae cum **93**
familia sua, gladiatoria manu Gaetulisque praeerat, cognita caede
suorum Domitiique et legionum aduentu perterritus desperata sa-
lute oppidum deserit seque clam cum paucis barbaris pecunia onu-
stus subducit atque in regnum fugere contendit. Quem Gaetuli, 2
sui comites, in itinere praedae cupidi concidunt seque in quascum-
que potuere partis conferunt. C. interim Vergilius, postquam terra 3
marique clausus se nihil proficere intellexit suosque interfectos aut
fugatos, Marcum Catonem Vticae sibi ipsum manus attulisse, re-
gem uagum a suisque desertum ab omnibus aspernari, Saburram
eiusque copias ab Sittio esse deletas, Vticae Caesarem sine mora
receptum, de tanto exercitu reliquias esse nullas, [quae] sibi suis-
que liberis a Caninio proconsule, qui eum obsidebat, fide accepta
seque et sua omnia et oppidum proconsuli tradit. Rex interim ab **94**
omnibus ciuitatibus exclusus desperata salute, cum iam coenatus
esset cum Petreio, ut cum uirtute interfecti esse uiderentur, ferro
inter se depugnant, atque firmior imbecilliorem Iuba Petreium fa-
cile ferro consumpsit. Deinde ipse sibi cum conaretur gladio tra- 2
icere pectus nec posset, precibus a seruo suo impetrauit, ut se

1 obpugnaret *a*. 2 oppidumque se ei *a*. 4 pronuntiare *b*. Vticam *a b*. 7 peruenit *Iurinius*, perueniunt *codd*. 11 Thisdrae *a*, Tisdrae *u*. 16 in *ante* itinere *om. a b*. quascunque (*a*). 17 potuerunt *b*. partis *a*. Vergilius *a*, Virgilius *u*. 18 suosque] aut *cum uno det. add. u*. 19 Marcum *a*, M. *u*. ipsum (*a*) *c cod. Vrs.*, ipsi '*reliqui*'. manum *b*. attulisse *a cod. Vrs.*, intulisse *b u*. 20 ab suisque (*a*) *et cum* 2 *dett. u*. Saburram *a 'mss.'*, Saburam *u*. 21 Sittio *a*, Sitio *u*. 22 nullas *om. c*. quae *ego inclusi*, ipse *b*. 23 liberis *a b c*, liberis prodessent *u*. tum *b*. excepta *c*. 24 interim *a b* 4 *dett.*, interim Iuba *u*. 25 coenatus *Gruterus*, conatus *codd*. 26 cum uirtute *a b c*, per uirtutem *u*. 28 'dein cum *b*'.

95 interficeret [idque obtinuit]. P. Sittius interim pulso exercitu Sa-
burrae, praefecti Iubae, ipsoque interfecto, cum iter cum paucis
per Mauritaniam ad Caesarem faceret, forte incidit in Faustum
Afraniumque, qui eam manum habebant, quae Vticam diripuerat,
iterque in Hispaniam intendebant et erant numero circiter mille.
2 Itaque celeriter nocturno tempore insidiis dispositis cum prima
luce adortus praeter paucos equites, qui ex primo agmine fugerant,
reliquos aut interficit aut in deditionem accipit, Afranium et
3 Faustum cum coniuge et liberis uiuos capit. Paucis post diebus
dissensione in exercitu orta Faustus et Afranius interficiuntur;
Pompeiae cum Fausti liberis Caesar incolumitatem suaque omnia
96 concessit. Scipio interim cum Damasippo et Torquato et Plaetorio
Rustiano nauibus longis diu multumque iactati, cum Hispaniam
peterent, ad Hipponem regium deferuntur; ubi classis P. Sitti per
2 per id tempus erat. A qua pauciora ab amplioribus circumuenta
nauigia deprimuntur, ibique Scipio cum quibus paulo ante nomi-
naui interiit.

97 Caesar interim Zamae auctione regia facta bonisque eorum
uenditis, qui ciues Romani contra populum Romanum arma tule-
rant, praemiisque Zamensibus, qui de rege excludendo consilium
ceperant, tributis uectigalibusque regiis erogatis ex regnoque pro-
uincia facta atque ibi Sallustio pro consule cum imperio relicto
2 ipse Zama egressus Vticam se recepit. Ibi bonis uenditis eorum,
qui sub Iuba Petreioque ordines duxerant, Thapsitanis HS XX,
conuentui eorum HS XXX, itemque Adrumetinis HS XXX, conuen-
tui eorum HS L multae nomine imponit; ciuitates bonaque eorum

1 idque obtinuit *Oudendorpii suasu inclusi.* Sittius *a*, Sitius *u*. inter *a b, om. c.* Saburrae '*mss.*', Saburae (*a*)? *u*. 4 quae — diripuerat *Morus,* qua — diripuerant *codd.* 5 iterque — intendebant *om. a b, non c.* mille *b c,* co *a*; MD *u*. 6 cum *a b,* cos *u*. 8 interfecit '*mss. 3*'. accepit *a* '*mss. 2*'. 9 cum coniuge et liberis uiuos capit *a Stephanus,* uiuos capit cum coniuge et liberis *ceterae edd.* 11 liberi *a*. 14 ab *c*. Hippone *a c,* Ippone *b*. Sitti *a,* Sitii *u*. per *om. b.* 16 cum quibus *b,* cum quos *a* 2 *dett.*; cum iis quos *u*. 20 praemiis *b*. 21 tributisque *b*. erogatis *b,* togatis *a et, qui pro uar. lect.* donatis, *d*; irrogatis *c*: abrogatis *P. Manutius u. P.* 226 *extr.* 22 Sallustio *a b,* Crispo Sallustio *Aldus u.* 23 Zamae *b,* Zame *a*. 24 duxerant] itemque *add. a b, quod ante* Adrumetinis (25) *posui. P.* 227. Thabsitanis *a*. HS] sb *quater a.* (*Numeros codd. notis scriptos exhibent;* uicesies, *bis* tricesies, quinquagies *u.*) xx] xxx *a*. 25 Adrumetinis *b u* (*erat* Adrumetanis), Hadrimetenis *a*. 26 *prius* eorum *om. a.*

ab omni iniuria rapinisque defendit. Leptitanos, quorum superio- 3
ribus annis bona Iuba diripuerat, et ad senatum questi per legatos
atque arbitris a senatu datis sua receperant, XXX centenis milibus
pondo olei in annos singulos multat, ideo quod initio per dissen-
sionem principum societatem cum Iuba inierant eumque armis,
militibus, pecunia iuuerant. Thisdritanos propter humilitatem ci- 4
uitatis certo numero frumenti multat. His rebus gestis Idibus Iun. 98
Vticae classem conscendit et post diem tertium Caralis in Sardi-
niam peruenit. Ibi Sulcitanos, quod Nasidium eiusque classem re-
ceperant copiisque iuuerant, HS C multat et pro decumis octauas
pendere iubet bonaque paucorum uendit et ante diem IIII Kal. 2
Quintil. naues conscendit et a Caralibus secundum terram pro-
uectus duodetricesimo die, ideo quod tempestatibus in portibus
cohibebatur, ad urbem Romam uenit.

BELLVM HISPANIENSE.

Pharnace superato . . . . Africa recepta qui ex his proeliis † cum adulescentes Cn. Pompeio profugissent, cum et ulterioris Hispaniae potitus esset, dum Caesar muneribus dandis in Italia detinetur . . . . . . quo facilius praesidia contra compararet Pom-

2 bona Iuba *'mss.' Stephanus*, Iuba bona (*a*)? *ceterae edd. ante u.* 3 arbitros — datos *a b c 2 dett.*, arbitrio — dato *d.* militibus *a.* 4 pondo *Glandorpius*, ponderis *a et sic 'uel* ponderibus *mss.'* oleum *b.* anno *a.* id quod *b.* 6 Thisdritanos *a,* Tisdritanos *u.* 8 ac *b.* Caralis *a c.* 10 sh *a.* 'decimis *mss.'* 11 IIII *a,* IV *b c;* III *u.* lxt Quinctil. *a.* 13 duodetricentesimo *a.* die ideo *'mss. 2'*, diei de eo *a,* die de eo *b;* die eo *u.* portibus *a b*, portubus *u.* Explicit liber C. Caesaris belli Africae *a.* Explicit liber III Alexandrini belli (*sic*) *f.*

Incipit alter liber feliciter *a.* Incipit IIII *f.* 1 *De* §. 1 *uid. P.* 227 *extr.* — 229. Pharnace rege superato *f,* Scipione superato *b.* receptam *a.* his *a f,* iis *P. Manutius u.* 2 adulescentes *a,* adolescentules *f;* adolescente *u.* 4 detineretur *b.* pararet *b.*

2 peius, in fidem uniuscuiusque ciuitatis confugere coepit. Ita partim
precibus partim ui bene magna comparata manu prouinciam uastare.
3 Quibus in rebus nonnullae ciuitates sua sponte auxilia mittebant,
4 item nonnullae portas contra cludebant. Ex quibus si qua oppida
ui ceperat, cum aliquis ex ea ciuitate optime [de Cn. Pompeio]
meritus ciuis esset, propter pecuniae magnitudinem aliqua ei infe-
rebatur causa, ut eo de medio sublato ex eius pecunia latronum
5 largitio fieret. Ita † paucis commoda hoste hortato maiores auge-
bantur copiae. Hoc crebrius nuntiis in Italiam missis ciuitates
contrariae Pompeio auxilia sibi depostulabant.

2 Caesar dictator tertio, *consul* designatus quarto † multis
iterante diebus coniectis cum ceteris festinationem bellum con-
ficiendum in Hispaniam cum uenisset, legatique Cordubenses, qui
2 a Cn. Pompeio discessissent, Caesari obuiam uenissent, a quibus
nuntiabatur nocturno tempore oppidum Cordubam capi posse, quod
necopinantibus aduersariis eius prouinciae potitus esset, simulque
quod tabellariis, qui a Cn. Pompeio dispositi omnibus locis essent,
qui certiorem Cn. Pompeium de Caesaris aduentu facerent . . . . .
3 Multa praeterea uerisimilia proponebant. Quibus rebus adductus,
quos legatos ante exercitui praefecerat, Q. Pedium et Q. Fabium
Maximum de suo aduentu facit certiores utque sibi equitatus, qui
4 ex prouincia fuisset, praesidio esset. Ad quos celerius, quam ipsi
opinati sunt, adpropinquauit neque, ut ipse uoluit, equitatum sibi

1 ciuitatis *om. f.* itaque *f.* 4 cludebant *a c*, claudebant *f reliqui.* 5 ui] m *a f.* aliis *a f.* ex ea *om. f.* obtime *a.* Gneio *f. Vncos ego posui. P.* 229. 7 sublata *a f.* eius] eo *a.* pecuniam *f.* 8 pacis *b f.* commoda *a b c f*, commodis *u.* 9 hoc crebrius *ego*, hoc crebris *a b c d f*; ob hoc crebris *u.*
11 Caesar 3 *dett. et prima scriptione f*, C. Caesar *reliqui et alt. scr. f.* tertio *a f*, III *u. Gell.* X, 1. consul designatus *ego* (*inuerso ordine unus det.*), designatus dictator *a f* '*mss.*' quarto *a f*, IV *u.*
12 iterante diebus *a b c f*, itineribus ante *u.* coniectis *a f*, confectis *u.* ceteris *a b c f*, celeri *u.* festinationem *a f*, festinatione *u.* bellum *a b c f*, ad bellum *Aldus u.* 13 cum uenisset legatique *a b c f*, uenisset legati *u.* quia Gneio *f.* 14 discessissent *a b c f*, discesserant *u.* uenissent *a b c d f*, ueniunt *u.* 16 nec oppidanis *f.* simulque quod tabellariis *a b f et*, *qui* tabellarii, *c*; simulque captos tabellarios *u.* 17 quia Gneio *f.* 18 quod certiorem *c*, quo certiorem *coni. Oud. u.* *Lacunam ego notaui.* 21 facit *om. b.* utque *b c*, ut quem (*a f*) *u.* equitatus qui 2 *dett.*, equitatum qui *a b c f*; equitatum *u.* 22 fuisset *a c f*, *om. b*; fecissent *u.* esset *b c f*, etiam *a*; mitterent *u.* 23 adpropinquauit *a.* neque] atque (*b*).

praesidio habuit. Erat idem temporis Sex. Pompeius frater, qui 3
cum praesidio Cordubam tenebat, quod eius prouinciae caput esse
existimabatur; ipse autem Cn. Pompeius adolescens Vliam oppi-
dum oppugnabat et fere iam aliquot mensibus ibi detinebatur. Quo 2
ex oppido cognito Caesaris aduentu legati clam praesidia Cn. Pom-
pei Caesarem cum adissent, petere coeperunt, uti sibi primo quo-
que tempore subsidium mitteret. Caesar (eam ciuitatem omni tem- 3
pore optime de populo Romano meritam esse) celeriter sex cohor-
tis secunda uigilia iubet proficisci, pari equites numero. Quibus
praefecit hominem eius prouinciae notum et non parum scientem,
L. Iunium Paciaecum. Qui cum ad Cn. Pompei praesidia uenisset, 4
incidit idem temporis, ut tempestate aduersa uehementique uento
adflictaretur; quae uis tempestatis ita obscurabat, ut uix proximum 5
agnoscere possent. Cuius incommodum summam utilitatem ipsis
praebebat. Ita cum ad eum uenerunt, iubet binos equos conscen- 6
dere, et recta per aduersariorum praesidia ad oppidum contendunt.
Mediisque eorum praesidiis cum essent . . . . . unus ex nostris 7
respondit, ut sileat uerbum facere: nam id temporis conari ad
murum accedere, ut oppidum capiant; et partim tempestate inpe-
diti uigiles non poterant diligentiam praestare, partim illo responso
deterrebantur. Cum ad portam adpropinquassent, signo dato ab 8
oppidanis sunt recepti, et pedites [equites clamore facto] dispositi
partim ibi remanserunt, equites clamore facto eruptionem in ad-
uersariorum castra fecerunt. Sic in illo facto, cum inscientibus

1 id tempus *c*, idem (*om.* temporis) *f*. Sex. *a*, Sextus *u*. 2 capud *f*. 3 Gneius *f*. Vliam *Ciacconius*, Vllam *ubique codd.* expugnabat oppidum *f*. 5 clam] praeter *add. d*. Pompei *a*. 7 Caesar] cum *add. c*. 8 esse *a b c f*, esse sciens *u*. sexs *a*, sex̃s Pompeius *f*. cohortis *a et m. pr. f*. 9 pari *a b c f*, parique *u*. 11 Iuuium *f*. Paciae cum (*sic*) *f*, Paciecum (*a*) *u*. Gneii *f*. (Pompei *a*) *om. b*. 13 adflictaretur *a*. quae 2 *dett.*, quem *a b c d f*. 14 possent *ego*, posset *codd.* 15 ita *om. f*. eum *a b c d f*, eum locum *u*. equos *ego* (equum *Heinsius*), equites *codd.* conscendere *a b f*, incedere *Aldus u*. 16 contendunt *a b*, contenderunt *c*, contendit *f*; contendere *u*. 17 mediis *b*. essent *a b c d f*, quaereretur qui essent *u*. *Lacunam ego notaui. P. 26.* 19 partem *a*. inpediti *f*. 20 illum responsum *a b*, illo responsu *f*. 21 adpropinquassent *a*. 22 equites *a c d f*, equitesque *b u*. *Vncos ego posui.* dispositi *b*, dispositis (*a*) *c f u* (dispositis — (23) facto *in ima pag. ead. m. supplet f*, *om. d*). 23 partim ibi remanserunt *a b f*. ibi partim remansere *c*; ibi partim qui remansere *u*. equites clamore facto *a b f*, *om. c u*. *ante* eruptionem *add.* qui *d*. 24 castris *a f*. in illo facto *a c f*, illo facto *b d*; illud *Aldus u*.

accidisset, existimabant prope magna pars hominum, qui in his
4 castris fuissent, se prope captos esse. Hoc misso ad Vliam prae-
sidio Caesar, ut Pompeium ab ea oppugnatione deduceret, ad Cor-
2 dubam contendit exque itinere loricatos uiros fortes cum equitatu
ante praemisit; qui simul in conspectum oppidi se dederunt, equis
3 recipiuntur. Hoc a Cordubensibus nequaquam poterat animum ad-
uerti. Appropinquantibus ex oppido bene magna multitudo ad
equitatum concidendum cum exissent, loricati, ut supra scripsimus,
ex equis descenderunt et magnum proelium fecerunt, sic uti ex
4 infinita hominum multitudine pauci in oppidum se reciperent. Hoc
timore adductus Sex. Pompeius litteras fratri misit, ut celeriter
sibi subsidio ueniret, ne prius Caesar Cordubam caperet, quam
5 ipse illo uenisset. Itaque facit: Vlia prope capta litteris fratris ex-
5 citus cum copiis ad Cordubam iter facere coepit. Caesar, cum ad
flumen Baetim uenisset neque propter altitudinem fluminis trans-
ire posset, lapidibus corbes plenos demisit: ita insuper ponte facto
2 copias ad castra tripartito traduxit. Tenebat aduersus oppidum e
3 regione pontis castra, ut supra scripsimus, tripartito. Huc cum
Pompeius cum suis copiis uenisset, ex aduerso pari ratione castra
ponit. Caesar, ut eum ab oppido commeatuque excluderet, bra-
chium ad pontem ducere coepit. Pari idem condicione Pompeius.
4 Hic inter duces duos fit contentio, uter prius pontem occuparet;
ex qua contentione cotidiana minuta proelia fiebant, ut modo hi,
5 nonnumquam illi superiores discederent. Quae res cum ad maiorem
contentionem uenisset, ab utrisque comminus pugna iniqua, dum
cupidius locum student tenere, propter pontem coangustabantur,
6 fluminis ripas adpropinquantes coangustati praecipitabantur. Hic

1 accidisse *a b d f*. existimabant 2 *dett.*, existimant *a b d f*; existimabat *u*. prope magna *a b c d f*, magna *u*. his *f*, iis (*a*) *Aldus u*. 2 fuisset *a f*. esse] existimarent *add. b*. 4 exque *a b*, ex quo *u*. 5 oppidi sederunt *a*, oppidi dederunt *b*. equis *Oudendorpius*, cum equis *a b d*; in equis *Aldus u*. 6 animum aduerti *a b*, *non* animadu. 10 recipent *a*. 11 Sex̃. *a*, Sextus *u*. 13 itaque facit *ego*, itaque facit ut *a b c*; ita Cn. Pompeius *u*. 15 altitudinis *b*. transire] ire *a b*. 16 demisit *Aldus*, dimisit *a 'mss.'* 17 tenebat *a b*, tenebant *u*. aduersum *b*. 18 ponti *a*. castra *Clarkius*, trabes *codd*. tripartito *unus det.*, bipartito *reliqui*. hoc *a*. 19 cum *om. a*. 21 idem] dein *b*. condi- tione (*a*). 24 nonnunquam *a b c*, modo *Aldus u*. 25 inita *cum uno det. u*. 26 coagulabant *a b c*. 27 fluminis *a b c*, et fluminis *u*. ripas *a b*, ripae *c*. acpropinquantes *a c*.

alternis non solum morti mortem exaggerabant, sed tumulos tu-
mulis exaequabant. Ita diebus compluribus cupiebat Caesar, si
qua condicione posset, aduersarios in aequum locum deducere et
primo quoque tempore de bello decernere. Id cum animaduerteret 6
aduersarios minime uelle, quo eos, quomodo ab Vlia retraxerat,
in aequum deduceret, copiis flumine traductis noctu iubet ignes
fieri magnos: ita firmissimum eius praesidium Ateguam proficisci-
tur. Id cum Pompeius ex perfugis rescisset † qua die facultatem 2
et angustias carra complura mulos onustos retraxit et ad Cordu-
bam se recepit. Caesar munitionibus Ateguam oppugnare et bra- 3
chia circumducere coepit. Qui cum [de] Pompeio nuntius esset
allatus, eo die proficiscitur. Cuius in aduentum praesidii causa 4
Caesar *cum* complura castella occupasset, partim ubi equitatus par-
tim ubi pedestris copia in statione et in excubitu castris praesidio
esse possent, hic in aduentu Pompeii incidit, ut matutino tempore
nebula esset crassissima. Ita illa obscuratione cum aliquot cohor- 5
tibus et equitum turmis circumcludunt Caesaris equites et conci-
dunt, sic ut uix in ea caede pauci effugerent. Insequenti nocte 7
castra sua incendit Pompeius et trans flumen Salsum per conualles
castra inter duo oppida Ateguam et Vcubim in monte constituit.
Caesar † in munitionibus ceterisque, quae ad oppidum opus fue-
runt, aggerem uineasque agere instituit. Haec loca sunt montuosa 2
et natura edita ad rem militarem; quae planicie diuiduntur, Salso
flumine, proxime tamen Ateguam ut flumen sit, circiter passuum

1 alternis *c*, alterius *a*, alterus *b*; alteri alteris *u*. morti mortem *a f* 7 *dett. Schneideri*, mortem morti *u*. 3 conditione (*a*). 4 de *om. c*. 5 quo eos quomodo *ego*, quos quoniam *a b c*; quos ideo *u*. *P*. 229. ab Vlia *Ciacconius*, a uia *codd*. 6 in *b*, ut in *reliqui*. flumine *a* '*mss*. 5', flumen *u*. 7 itaque *b*. 8 qua die facultatem et *a b c*, ea die per uiarum *Aldus u*. *P*. 230. 9 mulos onustos *ego*; multos lanistos *a et*, *qui* lanistas, *b c*. retaxit *a*. 10 Ateguam *Aldus in corrig.*, antequam *a b* 2 *dett*. oppugnaret brachia *a b*. 11 qui cum [de] *ego*; cui cum de *a*, cum de *b*, cui de 3 *dett.*; cuius rei *Stephanus u*. nuntius *b*, nuntiatum *a*; cum nuntius *u*. 12 cuius aduentu *b*. 13 cum complura *ego*; complura (*a*) *u*, cum plura *b c*. occupasset *a b c*, occupauit *Aldus u*. sub equitatus *a*. 14 copias *a*. stationes in excubitu *a et om*. in *b*. 16 ita *a b*, itaque in *u*. 19 castra sua *om. b*. 20 Vcubi *a*. 21 *Temptabam* Caesar munitionibus ceteris perfectis *uel* directis, quae. oppidum *a b* 3 *dett.*, oppidum oppugnandum *u*. 22 aggerem uineasque *bis a*. 23 planitie (*a*). 24 Atteguam *a*. flumen sit *a b* 3 *dett.*, ad flumen sint *Aldus in corr. u*. passus *a*.

3 duo milia. Ex ea regione oppidi in montibus castra habuit posita
Pompeius in conspectu utrorumque oppidorum neque suis ausus
4 est subsidio uenire. Aquilas et signa habuit XIII legionum. Sed
ex quibus aliquid firmamenti se existimabat habere, duae fuerunt
uernaculae, quae a Trebonio transfugerant; una facta ex coloniis,
quae fuerunt in his regionibus; quarta fuit Afraniana ex Africa,
5 quam secum adduxerat. Reliquae ex fugitiuis † auxiliares consi-
stebant. Nam de leui armatura et equitatu longe et uirtute et nu-
8 mero nostri erant superiores. Accidebat hoc, ut longius bellum
duceret Pompeius, quod loca sunt edita et ad castrorum munitio-
nes non parum idonea. Nam fere totius ulterioris Hispaniae regio
propter terrae fecunditatem † inopem difficilemque habet oppugna-
2 tionem et non minus copiosam aquationem. Hic etiam propter
barbarorum crebras excursiones omnia loca, quae sunt ab oppidis
remota, turribus et munitionibus retinentur, sicut in Africa, ru-
3 dere, non tegulis teguntur; simulque in his habent speculas et
4 propter altitudinem longe lateque prospiciunt. Item oppidorum ma-
gna pars eius prouinciae montibus fere munita et natura excellen-
tibus locis est constituta, ut simul aditus ascensusque habeat dif-
5 ficiles. Ita ab oppugnationibus natura loci distinentur, ut ciuitates
Hispaniae non facile ab hoste capiantur. Id quod in hoc contigit
6 bello. Nam cum inter Ateguam et Vcubim, quae oppida supra
sunt scripta, Pompeius habuit castra constituta in conspectu duo-
rum oppidorum, ab suis castris circiter milia passuum IIII grumus
est excellens natura, qui appellatur castra Postumiana: ibi prae-
9 sidii causa castellum Caesar habuit constitutum. Quod Pompeius,
quod eodem iugo tegebatur loci natura, et remotum erat a castris
Caesaris, animaduertebat loci difficultatem et, quia flumine Salso
intercludebatur, non esse commissurum Caesarem, ut in tanta loci
2 difficultate ad subsidium mittendum se committeret. Ita fretus opi-

4 se *om. b.* 6 Afrania *b.* 7 † auxiliares] *P.* 230. 9 accidebat hoc *ego;* accedebat hoc *a,* accedebat huc *reliqui. P.* 230. 12 † inopem] *P.* 231. difficillemque *a.* 13 etiam] autem *b.* 14 ad *a.* 15 retinentur] et *contra codd. add. u.* 16 specula *a.* 17 respiciunt *b.* idem *a.* 18 prouinciae] in *add. b.* 19 ascensusque (*a*). 20 destinentur *b.* 22 cum *a b,* ubi *u.* 23 Pompeius] ut *add. a.* 26 quod Pompeius *a b c,* Pompeius *Aldus u.* 27 quod eodem *a cod. Vrs.,* qui eodem *u.* et *a b e,* et quod *Aldus u.* 28 quia *a* 2 *dett.,* quod *u.* 30 ab *a.* mittendum se committeret *ego,* committendum se mitteret *a b 'alii'. P.* 231. ita *a b,* ista *Aldus u.*

nione tertia uigilia profectus castellum oppugnare coepit. Cum ap- 3
propinquassent, clamore repentino telorumque multitudine iactus
facere coeperunt, uti magnam partem hominum uulneribus adfice-
rent. Quo peracto cum ex castello repugnare coepissent, maiori- 4
busque castris Caesari nuntius esset allatus, cum III legionibus
est profectus, ut laborantibus succurreret nostris; et cum ad eos 5
adpropinquasset, fuga perterriti multi sunt interfecti, complures
capti, in quibus duo . . multi praeterea armis exuti fugerunt, quo-
rum scuta sunt relata LXXX. Insequenti luce Arguetius ex Italia **10**
cum equitatu uenit. Is signa Saguntinorum retulit quinque, quae
ab oppidanis cepit. Suo loco praeteritum est, quod equites ex Ita- 2
lia cum Asprenate ad Caesarem uenissent. Ea nocte Pompeius 3
castra sua incendit et ad Cordubam uersus iter facere coepit. Rex 4
nomine Indo, qui cum equitatu suas copias adduxerat, dum cupi-
dius agmen aduersariorum insequitur, a uernaculis legionariis ex-
ceptus est et interfectus. Postero die equites nostri longius ad **11**
Cordubam uersus prosecuti sunt eos, qui commeatus ad castra
Pompeii ex oppido portabant. Ex his capti L cum iumentis ad
nostra adducti sunt castra. Eodem die Q. Marcius, tribunus mi- 2
litum qui fuisset Pompei, ad nos transfugit; et noctis tertia uigilia
in oppido acerrime pugnatum est, ignemque multum miserunt, sic
ut omne genus . . . . ignis per iactus solitus est mitti. Hoc prae- 3
terito tempore Gaius Fundanius, eques Romanus, ex castris ad-
uersariorum ad nos confugit. Postero die ex legione uernacula **12**
milites sunt capti ab equitibus nostris II, qui dixerunt se seruos
esse. Cum uenirent, cogniti sunt a militibus, qui antea cum Fa- 2
bio et Pedio fuerant et Trebonio [transfugerant]. Eis ad igno-
scendum nulla facultas est data, et a militibus nostris interfecti

1 coepit] ut laborantibus succurreret nostri *add. codd. et edd. P.* 232. 3 adficerent *a.* 4 pacto *a 'mss. 3'.* maioribusque *a 'mss. 3'*, et maioribus *u.* 6 ut laborantibus succurreret nostris *om. codd. et edd. Vid. ad u.* 1. 7 adpropinquasset *a.* 8 *lacunam notauit Oudendorpius.* 9 Vargunteius *'uir doctus'. An* Arquitius (c. 23, 8)? 11 praeteritum *Dauisius;* praeteritus *a cod Vrs.*, praeterritus *b*, perterritus *'ceteri'. P.* 27. 14 Vido *b.* 18 his *a f*, iis *Aldus u.* 20 Pompei *a.* 22 genus *a b c*, genus quibus *u. Lacunam ego notaui.* mitti] exerceretur *cum 2 dett. add. u.* 23 Gaius *a*, C. *u.* 24 confugit *a b*, transfugit *u.* 25 que *a.* 26 Fabio *Glandorpius;* Babio *a cod. Vrs.*, Badio *b.* 27 Trebonio *a*, cum Trebonio *b;* a Trebonio *u.* transfugerant *ego inclusi. P.* 233. 28 facultas est data *a f 4 dett. Schneideri*, est data facultas *u.*

3 sunt. Idem temporis capti tabellarii, qui a Corduba ad Pompeium
missi erant perperamque ad nostra castra peruenerant, praecisis
4 manibus missi sunt facti. Pari consuetudine uigilia secunda ex
oppido ignem multum telorumque multitudinem iactando bene magnum tempus consumpserunt compluresque uulneribus adfecerunt.
5 Praeterito tempore noctis eruptionem ad legionem VI fecerunt,
cum in opere nostri distenti essent, acriterque pugnare coeperunt;
quorum uis repressa a nostris, etsi oppidani superiore loco defen-
6 debantur. Hi cum eruptionem facere coepissent, tamen uirtute
militum nostrorum, [qui] etsi inferiore loco premebantur, tamen
repulsi aduersarii bene multis uulneribus adfecti in oppidum se
13 contulerunt. Postero die Pompeius ex castris suis brachium coepit ad flumen Salsum; et cum nostri equites pauci in statione
fuissent a pluribus reperti, de statione sunt deiecti et occisi tres.
2 Eo die Aulus Valgius, senatoris filius, cuius frater in castris
Pompei fuisset, omnibus suis rebus relictis equum conscendit et
3 fugit. Speculator de legione II Pompeiana captus a militibus et
interfectus est; idemque temporis glans missa est inscripta: quo
die ad oppidum capiendum accederent, se scutum esse positurum.
4 Qua spe nonnulli, dum sine periculo murum ascendere et oppido
potiri posse se sperant, postero die ad murum opus facere coepe-
5 runt et bene magna prioris muri parte deiecta . . . . . Quo facto
ab oppidanis, ac si suarum partium essent, conseruati . . . . .
missos facere loricatos, qui praesidii causa praepositi oppido a
Pompeio essent, orabant. Quibus respondit Caesar: se condicio-
6 nes dare, non accipere consueuisse. Ibi cum in oppidum reuertissent, relato responso clamore sublato omni genere telorum emisso
7 pugnare pro muro toto coeperunt; propter quod fere magna pars
hominum, qui in castris nostris essent, non dubitarunt, quin eru-
8 ptionem eo die essent facturi. Ita corona circumdata pugnatum

2 nostra castra *a f* 5 *dett. Schneideri,* castra nostra *u.* 5 adfecerunt *a.* 6 tempore noctis *a,* noctis tempore *edd.* ad *a b,* in *u.* 8 opidaųi *a.* 9 ii *unus det.,* L *reliqui. P.* 233 *extr.* 10 militum *om. b.* qui *inclusit Scaliger.* tamen *om. b.* 11 adfecti *a.* 13 Salsum *a b;* Salsum ducere 2 *dett. u* (*fuerat* facere). 15 Aulus *a,* A. *u.* 16 Pompei *a.* 18 est *post* interfectus *om. a.* 19 se *a* '*mss.* 2', sese *u.* 20 ascendere (*a*). oppido *a b c,* oppidum *u.* 22 parte deiecta *a b c,* pars deiecta est *u. Lacunam Oudendorpius notauit. P.* 234. 23 *lacunam ego notaui. P.* 234. 24 qui *a b,* quique *u.* 25 conditiones (*a*). 26 ibi *a b,* qui *u.*

est aliquamdiu uehementissime, simulque ballista missa a nostris
turrem deiecit, qua aduersariorum, qui in ea turre fuerant, quin-
que deiecti sunt et puer, qui ballistam solitus erat obseruare. †Eius 14
praeteriti temporis Pompeius trans flumen Salsum castellum con-
stituit neque a nostris prohibitus falsaque illa opinione gloriatus
est, quod prope in nostris partibus locum tenuisset. Item inse- 2
quenti die eadem consuetudine dum longius prosequitur, quo loco
equites nostri stationem habuerant, aliquot turmae cum leui ar-
matura, impetu facto loco sunt deiecti et propter paucitatem no-
strorum equitum simul cum leui armatura inter turmas aduersa-
riorum protriti. Hoc in conspectu utrorumque castrorum gerebatur, 3
et maiore Pompeiani exultabant gloria, longius quod nostris ce-
dentibus prosequi coepissent. Qui cum aliquo loco a nostris recepti 4
essent, † ut consuessent, ex simili uirtute clamore facto auersati
sunt proelium facere. Fere apud exercitus haec est equestris 15
proelii consuetudo: cum eques ad dimicandum [dimisso equo] cum
pedite congreditur, nequaquam par habetur. Id quod in hoc acci-
dit proelio. Cum pedites leui armatura lecti ad pugnam equitibus 2
nostris necopinantibus uenissent, idque in proelio animaduersum
esset, complures ex equis descenderunt. Ita exiguo tempore eques 3
pedestre [pedes equestre] proelium facere coepit, usque eo ut cae-
dem proxime a uallo fecerint. In quo proelio aduersariorum ceci- 4
derunt CXXIII, compluresque armis exuti, multi uulneribus adfecti
in castra sunt redacti. Nostri ceciderunt III; saucii XII pedites et
equites V. Eius diei insequenti tempore pristina consuetudine pro 5
muro pugnari coeptum est. Cum bene magnam multitudinem telo- 6
rum ignemque nostris defendentibus iniecissent, nefandum crude-
lissimumque facinus sunt aggressi in conspectuque nostro hospites,
qui in oppido erant, iugulare et de muro praecipites mittere coe-
perunt, sicuti apud barbaros; quod post hominum memoriam

1 aliquandiu (*a*). balista *et* 3 balistam (*a*). 3 est *b*. eius praeteriti temporis *a b c*, eo praeterito tempore *u*. *P*. 28. 5 illa *om*. *b*. 6 sequenti *b*. 8 nostri] in *add*. *b*. 9 deiecti *a b*, deiectae *u*. 10 simulque *b*. 11 protriti *a*, proterriti *b*; protritae *u*. 12 exultabant *a*. gloria] letitia *b*. longiusque nostris *a b*. 13 coeperunt *b*. 14 † ut consuessent] *P*. 235. 16 [dimisso equo] *P*. 235. 18 proelio *a b*, certamine *u*. leui *a b*, ex leui *Aldus u*. *P*. 26. 20 itaque *b*. 21 pedestres *a*. [pedes equestre] *P*. 236 *in*. 23 adfecti *a*. 24 reducti *b*. duodecim *a*. et *cum b et uno det*. *om*. *u*. 25 *ante* pristina *add*. pro *b*. 26 telorum *om*. *b*. 29 coeperunt *om*. *b*.

16 numquam est factum. Huius diei extremo tempore a Pompeianis
clam [ad] nostros tabellarius est missus, ut ea nocte turres aggerem-
2 que incenderent et tertia uigilia eruptionem facerent. Ita igne te-
lorumque multitudine iacta cum bene magnam partem temporis con-
sumpsissent, portam, quae e regione et in conspectu Pompeii ca-
strorum fuerat, aperuerunt, copiaeque totae eruptionem fecerunt
secumque extulerunt *uir*gulta, *cra*tes ad fossas complendas et har-
pagones ad casas, quae stramenticiae ab nostris hibernorum causa
3 aedificatae erant, diruendas et incendendas, praeterea argen-
tum, uestimenta, ut, dum nostri in praeda detinentur, illi caede
facta ad praesidia Pompeii se reciperent: nam quod existimabat
eos posse conatum efficere, nocte tota ultra ibat flumen Salsum in
4 acie. Quod factum licet necopinantibus nostris esset gestum, ta-
men uirtute freti repulsos multisque uulneribus adfectos oppido
represserunt, praedam armaque eorum sunt potiti uiuosque aliquos
5 ceperunt, qui postero die sunt interfecti. Eodemque tempore trans-
fuga nuntiauit ex oppido Iunium, qui in cuniculo fuisset, iugula-
tione oppidanorum facta clamasse facinus se nefandum et scelus
6 fecisse: nam eos nihil meruisse, quare tali poena adficerentur, qui
eos ad aras et focos suos recepissent, eosque hospitium scelere
contaminasse; multa praeterea dixisse, qua oratione deterritos
17 amplius iugulationem non fecisse. Ita postero die Tullius legatus
cum Catone Lusitano uenit et apud Caesarem uerba fecit: ‘Vtinam
quidem dii immortales fecissent, ut tuus potius miles quam Cn.
Pompei factus essem et hanc uirtutis constantiam in tua uictoria,
2 non in illius calamitate praestarem. Cuius funestae laudes quoniam
ad hanc fortunam reciderunt, ut ciues Romani indigentes prae-
sidii . . . . . . et propter patriae luctuosam perniciem dedimur ho-
stium numero, qui neque in illius prospera acie primam fortunam,
3 neque in aduersa secundam obtinuimus [uictoriam]. Qui legionum

1 nunquam (*a*). 2 ad *deleuit Clarkius.* 4 temporis *ego,* muri *codd. P.* 236. 6 erat *b.* 7 uirgulta crates *ego;* cultates *ante corr. a,* cultatas *b c f et corr. a;* calcatas *u. Vid. b. Gall. III,* 18, 8. *Tac. ann. IV,* 51. 8 stramentiae *a,* stramentis *b,* stramine *c.* ad nostris *f.* 10 uestimenta *a b,* et uestimenta *u.* detinentur *a* 2 *dett.,* detinerentur *u.* 12 conatu *a c.* 13 licet] et *a b c.* 14 adfectos *a.* 15 praedam armaque *a b,* praedaque et armis *u.* 19 adficerentur *a.* 21 deterritus *b.* 22 *De c.* 17 *uid. P.* 236 *sq.* 25 Pompei *a.* 26 quoniam *codd.,* quippe *Aldus u.* 28 *lacunam ego notaui.* dedimur *a b c,* dedamur *Stephanus u.* 30 uictoriam *ego seclusi.*

tot impetus sustentantes, nocturnis diurnisque temporibus gladio-
rum ictus telorumque missus expectantes, relicti et deserti a Pom-
peio, tua uirtute superati salutem a tua clementia deposcimus, pe- 4
timus, ut qualem . . . . . . gentibus me praestiti, similem in ciuium
deditione praestabo. Remissis legatis cum ad portam uenissent 18
† Ti. Tullius et cum introëuntem C. Antonius insecutus non esset,
reuertit ad portam et hominem adprehendit. Quod Tiberius cum 2
fieri animaduertit, simul pugionem eduxit et manum eius incidit.
Ita refugerunt ad Caesarem. Eodemque tempore signifer de le- 3
gione prima transfugit et nuntiauit, quo die equestre proelium
factum esset, suo signo perisse homines XXXV, neque licere castris
Cn. Pompei nuntiare neque dicere perisse quemquam. Seruos, 4
cuius dominus in Caesaris castris fuisset (uxorem et filios in op-
pido reliquerat), dominum iugulauit et ita clam a Caesaris prae-
sidiis in Pompeii castra discessit et indicium glande scriptum misit,
per quod certior fieret Caesar, quae in oppido ad defendendum
compararentur. Ita litteris acceptis, cum in oppidum reuertisset, 5
qui mittere glandem inscriptam solebat . . . . . . Insequenti tem-
pore duo Lusitani fratres transfugae nuntiarunt, quam Pompeius
contionem habuisset: quoniam oppido subsidio non posset uenire,
noctu ex aduersariorum conspectu se deducerent ad mare uersum;
unum respondisse, ut potius ad dimicandum descenderent, quam
signum fugae ostenderent; eum, qui ita locutus esset, iugulatum.
Eodem tempore tabellarii eius deprehensi, qui ad oppidum uenie- 6
bant; quorum litteras Caesar oppidanis abiecit et qui uitam sibi
peteret iussit turrem ligneam oppidanorum incendere; id si fecisset, 7
ei promisit omnia concessurum. Quod difficile erat factu, ut eam
turrem sine periculo quis incenderet. Ita † fune crure de ligno 8

1 temporibus *ego,* operibus *codd.* 2 expectantes *a.* relicti *ego,* uicti *codd.* 3 petimus *a b,* petimusque *u.* 4 *lacunam ego notaui.* prestiti *a.* 5 uenissent *a* 4 *dett.,* uenisset *u.* 6 Tib. (*a*) *u. P.* 238. et cum *a b,* et cum eum *u.* 7 adprehendit *a.* 8 semel *a b.* et *om. a.* 9 eodem *b.* 10 nuntiauit *Aldus,* non timuit *a b.* 12 Pompei *a.* nuntiare neque dicere *a b,* nuntiari neque dici *u.* seruos *a b.* 13 dominis *a.* uxorem '*mss.* 4' *et Schneiderus,* uxoremque (*a*) *u.* filios *a b c,* filium *u.* oppidum *a b.* 14 domicilium *b.* 17 reuertisset *a* 3 *dett.;* reuertissent *c u,* reuersi essent (*b*)? 18 solebat *ego,* solebant *codd. Lacunam ego notaui. P.* 238. 19 nuntiarunt quae Pompeius *a,* nuntiaruntque Pompeium *b.* 20 concionem (*a*). habuisse *a b.* 25 abiecit *a b,* obiecit *u.* 26 peterent *b.* fecissent eis *b.* 27 promisit *a b,* se promisit *u.* 28 fune crure *a b c,* facturus *u.*

cum propius accessisset, ab oppidanis est occisus. Eadem nocte
transfuga nuntiauit Pompeium et Labienum de iugulatione oppida-
19 norum indignatos esse. Vigilia secunda propter multitudinem te-
lorum turris lignea, quae nostra fuisset, ab imo uitium fecit usque
2 ad tabulatum secundum et tertium. Eodem tempore pro muro
pugnarunt acerrime et turrim nostram ut superiorem incenderunt,
3 idcirco quod uentum oppidani secundum habuerunt. Insequenti
luce materfamilias de muro se deiecit, ad nos transiliit dixitque se
cum familia constitutum habuisse, ut una transfugerent ad Caesa-
4 rem: illam oppressam et iugulatam. Hoc praeterito tempore ta-
bellae de muro sunt deiectae, in quibus scriptum est inuentum:
'L. Munatius Caesari. Si mihi uitam tribues, quoniam ab Cn.
Pompeio sum desertus, qualem me illi praestiti, tali uirtute et con-
5 stantia [futurum] me in te praestabo'. Eodem tempore oppidani
legati, qui antea exierant, Caesarem adierunt: si sibi uitam con-
6 cederet, sese insequenti luce oppidum esse dedituros. Quibus re-
spondit: se Caesarem esse fidemque praestaturum. Ita ante diem
20 XI Kal. Mart. oppido potitus imperator est appellatus. Quod Pom-
peius ex perfugis cum deditionem oppidi factam esse scisset, castra
mouit Vcubim uersus et circum ea loca castella disposuit et muni-
tionibus se continere coepit. Caesar mouit et propius castra castris
2 contulit. Eodem tempore mane loricatus unus ex legione uerna-
cula ad nos transfugit et nuntiauit Pompeium oppidanos Vcuben-
ses conuocasse eisque ita imperauisse, ut diligentia adhibita per-
quirerent, qui essent suarum partium itemque aduersariorum uicto-
3 riae fautores. Hoc praeterito tempore in oppido, quod fuit captum,
seruus est prensus in cuniculo, quem supra demonstrauimus do-
4 minum iugulasse: is uiuus est combustus. Idemque temporis cen-
turiones loricati VIII ad Caesarem transfugerunt ex legione uerna-
cula, et equites nostri cum aduersariorum equitibus congressi sunt,

1 ad *a.* 4 ab uno *a.* 6 pugnarunt *a b*, pugnatum *Aldus u.* et *om. b.* incenderent *b et ante corr. a.* 8 materfamilias] materiam illam *a.* ad *a b*, et ad *u.* transilit *a b.* 10 praeterito *ego*, praeterea *codd.* 12 Munatius *a cod. Vrs.*, Miuatius *b u.* tribueres *b.* 14 futurum *Glandorpius delendum uidit.* te *b*, te esse *reliqui.* oppidani *a b*, oppidanorum *u.* 16 luce *a b*, die *Aldus u.* 17 praebiturum *b.* 18 XI te marc̃. *a*, XI Kalend. Martii *u.* 20 et circum *b et unus det.*, sed circum *reliqui.* 23 nuntiasse *a*, nuntiat *b.* 24 addita *b.* 27 prensus *a b*, prehensus *u.* dominam *a b.* 29 transfugerant *a b.* ex] de *b.*

et saucii aliquot occiderunt leui armatura. Ea nocte speculatores 5
prensi serui III et unus ex legione uernacula. Serui sunt in cru-
cem sublati, militi ceruices abscisae. Postero die equites cum leui 21
armatura ex aduersariorum castris ad nos transfugerunt. Et eo 2
tempore circiter XL equites ad aquatores nostros excucurrerunt,
nonnullos interfecerunt, item alios uiuos abduxerunt; e quibus
capti sunt equites VIII. Insequenti die Pompeius securi percussit 3
homines LXXIIII, qui dicebantur esse fautores Caesaris uictoriae,
reliquos uersum oppidum iussit deduci; ex quibus effugerunt CXX
et ad Caesarem uenerunt. Hoc praeterito tempore, qui in oppido 22
Ategua Vrsauonenses capti sunt, legati profecti sunt cum nostris,
uti rem gestam Vrsauonensibus referrent, quid sperarent de Cn.
Pompeio, cum uiderent hospites iugulari, praeterea multa scelera
ab iis fieri, qui praesidii causa ab his reciperentur. Qui *cum* ad 2
oppidum uenissent, nostri, qui fuissent equites Romani et senato-
res, non sunt ausi introire in oppidum, praeterquam qui eius ciui-
tatis fuissent. Quorum responsis ultro citroque acceptis et red- 3
ditis cum ad nostros se reciperent, qui extra oppidum fuissent,
illi praesidio insecuti ex auersione legatos iugularunt. Duo reli-
qui ex eis fugerunt, Caesari rem gestam detulerunt . . . . . et
speculatores ad oppidum Ateguam miserunt. Qui cum certum 4
comperissent legatorum responsa ita esse gesta, quemadmodum
illi retulissent, ab oppidanis concursu facto eum, qui legatos iugu-
lasset, lapidare et ei manus intentare coeperunt: illius opera se
perisse. Ita uix periculo liberatus petiit ab oppidanis, ut ei liceret 5
legatum ad Caesarem proficisci: illi se satisfacturum. Potestate 6
data cum inde esset profectus, praesidio comparato, cum bene ma-
gnam manum fecisset et nocturno tempore per fallaciam in oppi-
dum esset receptus, iugulationem magnam facit principibusque,

1 leui *a b*, ex leui *u*. *P*. 26. 2 prensi *a b*, prehensi *u*. 3 militi 4 *dett*. *'et alii'*, militibus *a reliqui*. 4 et *om*. *b*. 5 XL *ego*, XI *codd*. *P*. 239. excurrerunt *'mss. plerique'*. 6 adduxerunt *a 'mss. plurimi'*. e quibus *a b*, ex equitibus *u*. 8 LXXIV (*a*). 9 uersum *a b*, in *Aldus u*. fugerunt *a*. 10 praeterito *om*. *b*. 11 Ategua *Aldus in corr*., Articula *codd*. Vrsauonenses *et* 12 Vrsauonensibus *Glandorpius*, Bursauonenses *et* Bursauonensibus *a b*. *P*. 239. prosecuti *b*. 14 iis] is *a*, his *f*. his] is *a*. cum *om*. *codd*.: *'sed rectius abesset* qui'. 17 quorum — (18) fuissent *om*. *b*. reditis *a*. 19 illi *codd*., illi de *u*. auersione *Aldus*, aduersione *codd*. 20 ex eis *'mss.'*, eis *a*; qui ex eis *u*. *Lacunam ego notaui*. *P*. 239 *extr*. 25 ei *om*. *b*. 28 et *om*. *a b*. 29 fecit *b*.

qui sibi contrarii fuissent, interfectis oppidum in suam potestatem
7 recipit. Hoc praeterito tempore serui transfugae nuntiauerunt op-
pidanorum bona uenire neque extra uallum licere exire nisi dis-
cinctum, idcirco quod, ex quo die oppidum Ategua esset captum,
8 metu conterritos complures profugere in Baeturiam; neque sibi
ullam spem uictoriae propositam habere, et si qui ex nostris trans-
fugerit, in leuem armaturam conici eumque non amplius XVII ac-
23 cipere. Insequenti tempore Caesar castris castra contulit et bra-
2 chium ad flumen Salsum ducere coepit. Hic cum in opere nostri
distenti essent, complures ex superiore loco aduersariorum de-
cucurrerunt nec detinentibus nostris multis telis iniectis complures
3 uulneribus adfecere. Hic tum, ut ait Ennius, nostri cessere pa-
rumper. Itaque praeter consuetudinem cum nostris animaduersum
esset accidere, centuriones ex legione V flumen transgressi duo re-
4 stituerunt aciem, acriterque eximia uirtute plures cum agerent,
5 ex superiore loco multitudine telorum alter eorum concidit. Ita
cum eius compar *impar* proelium facere coepisset, cum undique
6 se circumueniri animum aduertisset, ingressus pedem offendit. *In*
huius concidentis, centurionis ac uiri fortis, insignia cum complures
aduersariorum concursum facerent, equites nostri transgressi in-
7 feriore loco aduersarios ad uallum agere coeperunt. Ita cupidius
dum intra praesidia illorum student caedem facere, a turmis et leui
armatura sunt interclusi. Quorum nisi summa uirtus fuisset, uiui
capti essent. Nam et munitione praesidii ita coangustabantur, ut

1 qui] III· *a.* 2 recepit *b.* 3 uenire *Lipsius,* uendere *a et boni* (uendi *dett.*). neque *ego;* ne cui *Aldus et secundum Oudendorpii silentium codd.,* nec cui (*a*) *edd. ante Ald. Dauisius u.* licere *unus det.,* liceret *reliqui.* distinctum *a.* 4 idcirco quod *codd.,* idcircoque *ante Stephanum Vascosanus. P.* 27. 5 confugere *ante corr. a.* 'Beturiam *mss.*' 6 et *unus det.,* ut *reliqui.* transfugerunt *a et sic 'uel* transfugerint *plerique*'. 7 XVII *a b c,* XVI *u.* 9 dum *codd. et edd.* 10 superiori *a.* 11 nostros *a b c.* 12 adfecere *a.* tum *Glandorpius,* dum *a b d;* tamen *Aldus u.* ut adtenniũ *a,* ut ad Ennius *d.* nostris *a.* 13 nostris *ego;* a nostris *codd.* (nostros *Glandorpius*). 14 accidere *ego;* cedere *reliqui codd.,* credere *a.* 17 eius compar impar *ego;* eis compar *a b 2 dett.,* his compar *u.* cum undique *codd.,* et cum undique *u.* 18 animum aduertisset *a b, non* animadu. ingressus *a b,* parumper ingressus *u.* in *ego suppleui.* 19 centurionis ac uiri fortis insignia *ego,* temporis aquari fortis insignia *a b c;* uiri casu passim audito *u.* 20 inferiore *Heinsius;* interiori *a b,* interiore *u.* 21 cupidius dum *a f* 10 *dett. Schneideri,* dum cupidius *Aldus u.* 24 et *om. b. P.* 228 *extr.*

eques spatio intercluso uix se defendere posset. Ex utroque genere 8
pugnae complures sunt uulneribus adfecti, in quis etiam Clodius
Arquitius; inter quos ita comminus est pugnatum, ut ex nostris
praeter duos centuriones sit nemo desideratus gloria se efferentes.
Postero die ad Soricam utrorumque conuenere copiae. Nostri 24
brachia ducere coeperunt. Pompeius cum animaduerteret castello 2
se excludi Aspauia, quod est ab Vcubi milia passuum V, haec res
necessario deuocabat, ut ad dimicandum descenderet; neque tamen 3
aequo loco sui potestatem faciebat, sed ex grumo . . . . . . excel-
sum tumulum capiebat, usque eo ut necessario cogeretur inicum
locum subire. Quo de facto cum utrorumque copiae tumulum 4
excellentem petissent, prohibiti a nostris sunt, deiecti planicie.
Quae res secundum nostris efficiebat proelium. Vndique cedenti- 5
bus aduersariis non parum magna in caede uersabantur. Quibus
mons, non uirtus saluti fuit subsidio. Quod nisi aduesperasset, a
paucioribus nostris omni auxilio priuati essent. Nam ceciderunt 6
ex leui armatura CCCXXIIII, ex legionariis CXXXVIII, praeterquam
quorum arma et spolia allata sunt. Ita pridie duorum centurionum
interitio hac aduersariorum poena est litata. Insequenti die pari 25
consuetudine cum ad eundem locum eius praesidium uenisset, pri-
stino illo suo utebantur instituto: nam praeter equites nullo loco
aequo se committere audebant. Cum nostri in opere essent, equitum 2
copiae concursus facere coeperunt, simulque uociferantibus legio-
nariis, cum locum efflagitarent † ut consueti insequi existimare
posses paratissimos esse ad dimicandum, nostri ex humili conualle
bene longe sunt egressi et planicie iniquiore loco constiterunt. Illi 3
tamen procul dubio ad congrediendum in aequum locum non sunt
ausi descendere praeter unum Antistium Turpionem; qui fidens

1 ex *a* '*reliqui*', ex his *cod. Vrs. u.* 2 adfecti *a.* 3 Arquitius *a* '*mss.*', Arquitinus *c*; Aquitius *Aldus u.* 5 ad *Glandorpius,* ab *codd.* Soricam *ego,* Soricaria *codd. Vid. c.* 27, 2. 7 Aspania *b.* Vcily *a.* 8 ut *om. a.* descenderent *a b.* 9 *lacunam ego notaui. P.* 240. 10 capiebant *a.* inicum *a.* 12 deiecti *a b c,* deiectique *u.* planitie (*a*). 13 quae res] quorum *a*, quod *b.* undique *codd.*, undique autem *u.* 14 non parum *codd.*, nostri *u.* 15 subsidio quod *ego*; quod subsidio *a*, quo subsidio '*mss. plerique*' *u. P.* 240. nisi *codd.*, tunc nisi *u.* 16 omnique *cum uno det. u.* 17 cccxxiv (*a*). 18 allata sunt *a,* sunt allata *edd.* pridem *b.* 21 propter *c.* 24 † ut consueti] *P.* 241. 25 posses paratissimos *Schneiderus*, posse speratissimos *a b*; possent se paratissimos *u.* esse *om. b.* 26 planitie (*a*). iniquiori *a et, ut uidetur, b c.* 27 tum *b.*

uiribus ex aduersariis sibi parem esse neminem agitare coepit.
4 Hic, ut fertur Achillis Memnonisque congressus, Q. Pompeius
Niger, eques Romanus Italicensis, ex acie nostra ad congredien-
5 dum progressus est. Quoniam ferocitas Antisti omnium mentes
6 conuerterat ab opere ad spectandum, acies sunt dispositae. Nam
inter bellatores principes dubia erat posita uictoria, ut prope uide-
retur finem bellandi duorum dirimere pugna. Ita auidi cupidique
† suarum quisque ex partium uirorum fautorumque uoluntas habe-
7 batur. Quorum uirtute alacri, cum ad dimicandum in planiciem
se contulissent, scutorumque laudis insignia praefulgens opus cae-
latum . . . . . quorum pugna esset prope profecto dirempta, nisi
propter equitum concessum, ut supra demonstrauimus, leuem ar-
maturam praesidii causa non longe ab opere . . . . . castra con-
8 stituit. Vt nostros equites in receptu, dum ad castra redeunt, ad-
uersarii cupidius sunt insecuti, uniuersi clamore facto impetum
dederunt. Ita metu perterriti, cum in fuga essent, multis amissis
26 in castra se recipiunt. Caesar ob uirtutem turmae Cassianae do-
nauit milia XIII et praefecto torques aureos V et leui armaturae
2 milia XII. Hoc die A. Baebius et C. Flauius et A. Trebellius,
equites Romani Astenses, argento prope tecti equis ad Caesarem
3 transfugerunt; qui nuntiauerunt equites Romanos coniurasse om-
nes, qui in castris Pompei essent, ut transitionem facerent: serui
indicio omnes in custodiam esse coniectos, e quibus occasione capta
4 se transfugisse. Item hoc die litterae sunt deprensae, quas mitte-
5 bat Vrsaonem Cn. Pompeius: 'S. V. G. E. V. Etsi, prout nostra

1 esse *om. b.* 2 Q] quae *a.* 3 ad congrediendum *om. b.* 4 congressus *f.* est *om. a f.* Antisti *a f.* 5 *De* §§ 6 — 8 *uid. P.* 241. 8 quisque ex partium *a*, quisque partium expertorum *u cum hac annotatione: 'pro'* (?) 'quisque *in Petau. et b* ex. *Deest in Vrs. ac Dorv.* expertorum'. factorum uol. *b.* 9 uirtutem *a.* planitiem (*a*). 10 insignia *a b c*, insignis *u.* 11 *lacunam ego notaui.* direpta *a b.* 12 leuem armaturam *a 'mei omnes' praeter unum det.*, leuis armatura *u.* 13 *lacunam ego notaui.* castra constituit *a b c*, castrorum constitisset *u.* 14 nostri *codd.*; *quod recipiendum et hic quoque defectus notandus uideri potest.* 16 dederant *a b* 3 *dett.* 18 et (*ante* leui *an ante* praefecto ?) *om. b.* 19 XII *ego*; ↄ – $\overline{\text{CI}}$ *a*, ↄ – CCC *f*, XCI *b c*; X *Aldus u.* Bebius *a.* 20 Hastenses *a 'mss. et edd. qdd.'* equis *Glandorpius* (*sed idem male* tectis), equites *codd.* 21 refugerunt *b.* nuntiauerunt *a f* 8 *dett. Schneid.*, nuntiarunt *prima u sine annotatione.* 22 Pompei *a.* 23 ocasione *a.* 24 deprensae *a b*, deprehensae *u.* quibus *b.* mittebatur saonem *a et, qui* sasonem, *b.* 25 s. a. g. *a.*

felicitas, ex sententia aduersarios adhuc propulsos . . . . . . qui
si aequo loco sui potestatem facerent, celerius, quam uestra opinio
fert, bellum confecissem. Sed exercitum tironem non audent in 6
campum deducere nostrisque adhuc fixi praesidiis bellum ducunt.
Nam singulas ciuitates circumsederunt: inde sibi commeatus ca-
piunt. Quare et ciuitates nostrarum partium conseruabo et bellum 7
primo quoque tempore conficiam. Cohortes *in* animo habeo ad uos
mittere. Profecto nostro commeatu priuati necessario ad dimican-
dum descendent'. Insequenti tempore cum nostri in opere distenti 27
essent, equites in olivueto, dum lignantur, interfecti sunt aliquot.
Serui transfugerunt, qui nuntiauerunt, a. d. III Non. Mart. proe- 2
lium ad Soricam quod factum est, ex eo tempore metum esse ma-
gnum, et Attium Varum circum castella praeesse. Eo die Pom- 3
peius castra mouit et contra Hispalim in olivueto constituit. Caesar
priusquam eodem est profectus, luna hora circiter sexta uisa est.
Ita castris motis Vcubim Pompeius praesidium, quod reliquit, ius- 4
sit ut incenderent et deusto oppido in castra maiora se reciperent.
Insequenti tempore Ventiponem oppidum cum oppugnare coepisset, 5
deditione facta iter fecit in Carrucam, contra Pompeium castra po-
suit. Pompeius oppidum, quod contra sua praesidia portas clausisset,
incendit; milesque, qui fratrem suum in castris iugulasset, inter- 6
ceptus est a nostris et fusti percussus. Hinc itinere facto in cam-
pum Mundensem cum esset uentum, castra contra Pompeium con-
stituit. Sequenti die cum iter facere Caesar cum copiis uellet, 28
renuntiatum est a speculatoribus Pompeium de tertia uigilia in acie
stetisse. Hoc nuntio allato uexillum proposuit. Idcirco enim co- 2
pias eduxerat, quod Vrsaonensium ciuitati, *qui sui* fuissent fauto-
res, antea litteras miserat, Caesarem nolle in conuallem descen-

1 aduersarios *om. b.* propulsos *a b,* propulso *c;* propulsos habemus *u. Lacunam ego notaui.* qui *a b,* tamen *u.* 2 nostra *c.* 3 fert *cod. Vrs.,* ferre est *a b.* conficissem *a.* tyronem *a.* 4 ducere *a.* fixi *a,* freti *edd.* 5 unde *b.* 7 in 4 *dett., om. reliqui.* 9 nostri *a b,* nostri temere *u.* 10 aliqui *b.* 11 Non. Marc̃. *a,* Nonarum Martii *u et sic 'uel* Noñ. Martii *mei'.* 12 Suricam *b,* Siricam *c,* Siritiam *a;* Soriciam *u.* 14 spalim *a.* constituit *a b,* constitit *u.* 15 eo *b.* 16 Accubim *a.* 17 ut *cum uno det. om. u.* 18 Ventiponem *ego;* Ventiponte *a b,* Ventiponti *c;* Ventisponte *Aldus u. Vid. Vkert. Hisp. p.* 367. 19 interfecit *a.* contraque *cum 4 dett. u.* 21 interemptus *b c.* 23 undensem *a.* 25 a *a 'mss. et edd. qdd.',* ab *u.* 26 constitisse *b.* 27 Vrsaonensium *Glandorpius,* Versaonensium *codd.* qui sui *ego suppleui.*

3 dere, quod maiorem partem exercitus tironem haberet. Hae litterae
uehementer confirmabant mentes oppidanorum. Ita hac opinione
fretus tuto se facere posse existimabat. Etenim et natura loci de-
4 fendebatur et ipsius oppidi munitione, ubi castra constituta. Nam-
que superius demonstrauimus loca excellentia tumulis contineri,
29 interuallo planicie diuidi; id quod eo incidit tempore. Planicies
inter utraque castra intercedebat circiter milia passuum V, ut
† auxilia Pompei duabus defenderentur rebus, oppido et excelsi loci
2 natura. Hinc dirigens proxima planicies aequabatur. Cuius de-
cursum antecedebat riuus, qui ad eorum accessum summam efficie-
bat loci iniquitatem: nam palustri et uoraginoso solo currens erat
3 ad dextram. Itaque Caesar, cum aciem directam uidisset, non
habuit dubium, quin media planicie in aequum ad dimicandum ad-
4 uersarii procederent. Hoc erat in omnium conspectu. Huc acce-
debat, ut locus illa planicie aequitatem ornaret diei solisque sere-
nitate, ut mirificum et optandum tempus prope ab diis inmortalibus
5 illud tributum esset ad proelium committendum. Nostri laetari,
nonnulli etiam timere, quod in eum locum res fortunaeque omnium
deducerentur, ut, quidquid post horam casus tribuisset, in dubio
6 poneretur. Itaque nostri ad dimicandum procedunt, id quod aduer-
sarios existimabamus esse facturos; qui tamen a munitione oppidi
longius non audebant procedere, † in quo sibi prope murum ad-
7 uersariis constituebant. Itaque nostri procedunt. Interdum aequi-
tas loci aduersarios efflagitabat, ut tali condicione contenderent
8 ad uictoriam; neque tamen illi a sua consuetudine discedebant, ut

3 tuto se *ego*, totos *a b c;* totum se *u.* defendebantur *a b.* 4 constituta *a b,* habuit constituta *u.* namque *ego,* namque ut *codd.* 5 superioribus *a c.* 6 interuallo *ego* (interuallum *edd. ante Lipsium*); interim nullam *a c,* interim in illa *b,* interim nulla *cod. Vrs. Lipsius u.* planicie *b c,* planitiae *a;* planicia *cod. Vrs. u.* diuidi *Petauianus,* diuidit (*a*) *b c.* id *a b c;* sed ratione nulla placuit taceri id *u.* *De c.* 29, 1—4 *uid. P.* 241 *extr. seqq.* planities (*a*) *et deinceps.* 7 utrumque *a,* utrorumque *b.* circiter *om. b.* 8 Pompei *a.* oppido et excelsi *ego,* oppidi excelsi et *codd.* 11 erant *a b.* 12 dexteram *ante corr. a,* dextrum *reliqui et corr. a.* itaque *ego,* id quod *codd.* 14 hoc accidebat *a et* hoc *etiam b.* 15 equitatem *b,* equitatum *reliqui.* diei *ego,* et diei *codd.* serenitate *ego,* serenitatem *a b;* serenitas *Aldus in corr. u.* 16 et] ut *a b.* inmortalibus *a.* 19 quicquid *a.* causas, *sed suprasc.* casus, *c;* curas *b.* 21 oppido *a c.* 22 longius *a b c,* mille passibus longius *u.* aduersariis *a b,* aduersarii *u.* 23 *ante* constituebant *ex* 2 *dett.* proeliandum *add. u.* 25 discedebant *reliqui,* decedebant *unus det. u.*

aut ab excelso loco aut ab oppido discederent. Nostri pede presso
propius riuum cum adpropinquassent, aduersarii patrocinari loco
iniquo non desinunt. Erat acies XIII aquilis constituta, quae late- **30**
ribus equitatu tegebatur cum leui armatura milibus sex, praeterea
auxiliares accedebant prope alterum tantum; nostra praesidia LXXX
cohortibus et VIIII milibus equitum. Ita cum in extrema planicie 2
inicum in locum nostri appropinquassent, paratus hostis erat supe-
rior, ut transeundum superius iter uehementer esset periculosum.
Quod cum a Caesare esset animaduersum, ne quid temere culpa 3
secus admitteretur, eum locum definire coepit. Quod cum homi- 4
num auribus esset obiectum, moleste et acerbe accipiebant impe-
diri, quo minus proelium conficere possent. Haec mora aduersarios
alacriores efficiebat: Caesaris copias timore impediri ad commit-
tendum proelium. Ita se efferentes iniquo loco sui potestatem effi- 5
ciebant, ut magno tamen periculo accessus eorum haberetur. Hic 6
decumani suum locum, cornu dextrum, tenebant, sinistrum III et
V legio itemque et cetera auxilia et equitatus. Proelium clamore
facto committitur. Hic etsi uirtute nostri antecedebant, aduersarii **31**
loco superiore *se* defendebant acerrime, et uehemens fiebat ab
utrisque clamor telorumque missu concursus, sic ut prope nostri
diffiderent uictoriae. Congressus enim et clamor, quibus rebus 2
maxime hostis conterretur, in collatu pari erant condicione. Ita- 3
que ex utroque genere pugnae cum parem uirtutem ad bellandum
contulissent, pilorum missu fixa cumulatur et concidit aduersario-
rum multitudo. Dextrum demonstrauimus decumanos cornu te- 4
nuisse; qui etsi erant pauci, tamen propter uirtutem magno aduer-
sarios timore eorum opera adficiebant, quod a suo loco hostes uehe-
menter premere coeperunt, ut ad subsidium, ne ab latere nostri
occuparent, legio aduersariorum traduci coepta sit a dextro. Quae 5

1 aut oppido *a b*. 2 (adpropinquassent *a*) accessissent *b*. 4 equitatus tegebat *b*. militibus *a*. 5 prope ad alterum *b*. 6 et *om. b* 3 *dett*. VIIII *a*, IX *b c* 4 *dett.*; VIII *u*. mil. *a*, milia *f*. 7 inicum *a*. in *om. b*. 8 transeundum *a b*, transeundi *u*. 9 culpa *a b c*, culpa sua *u*. 11 abiectum *b*. impediri *a b*, se impediri *u*. 14 efficiebant *a b*, faciebant *u*. 17 itemque et *a* '*mss.*', itemque *u*. auxilia equitatus *a* '*mss.*' 18 aduersarii] se e *cum* 2 *dett. add. u*. 19 se *ego suppleui*. 20 nostri *om. b*. 21 different *a*, differrent *b*. 22 erant *Aldus*, erat *a b*. ita *b*. 23 pugnae *om. b*. 24 missus *a* '*mss.* 4'. 25 dextrum] ut *add. a b*. 27 (adficiebant *a*) efficiebant *b*. 28 nec *a*. 29 occuparentur (*b*). legi *a*. coeptae *a*. a dextro *Glandorpius*, ad dextrum *codd. P*. 243.

simul est mota, equitatus Caesaris sinistro cornu premere coepit:
at illi eximia uirtute proelium facere [possent], ut locus in aciem
6 ad subsidium ueniundi non daretur. Ita cum clamor esset inter-
mixtus gemitu gladiorumque crepitus auribus oblatus, inperitorum
7 mentes timor praepediebat. Hic, ut ait Ennius, pes pede premitur,
armis teruntur arma, aduersariosque uehementissime pugnantes
8 nostri agere coeperunt; quibus oppidum fuit subsidio. Ita ipsis
Liberalibus fusi fugatique non superfuissent, nisi in eum locum
9 confugissent, ex quo erant egressi. In quo proelio ceciderunt
milia hominum circiter XXX et si quid amplius, praeterea Labienus,
Attius Varus, quibus occisis utrisque funus est factum, itemque
equites Romani partim ex urbe partim ex prouincia ad milia III.
10 Nostri desiderati ad hominum mille partim equitum partim peditum;
saucii . . aduersariorum aquilae sunt ablatae XIII et signa et fasces
32 praeterea hos habuit . . . . . . ex fuga hac qui oppidum Mundam
sibi constituissent praesidium, nostrique cogebantur necessario eos
2 circumuallare. Ex hostium armis scuta et pila pro uallo, pro ce-
spite cadauera collocabantur, insuper [occisi] in gladiorum mu-
crone capita hominum ordinata ad oppidum conuersa uniuersa ho-
stium timorem . . . . . uirtutisque insignia proposita uiderent et
uallo circumcluderentur aduersarii, ita Galli tragulis iaculisque
oppidum ex hostium cadaueribus [sunt] circumplexi oppugnare coe-
3 perunt. Ex hoc proelio Valerius adulescens Cordubam cum paucis
equitibus fugit, Sex. Pompeio, qui Cordubae fuisset, rem gestam
4 refert. Cognito hoc negotio quos equites secum habuit, quod pe-

1 sinistro *ego*, sinistrum *codd.* 2 at illi *ego*, ita uti *a b c*; at ii *Aldus u.* possent *a b c*, possunt *f*; incipiunt *Aldus u: delendum uidit Oudendorpius.* locum *c.* aciem *a b*, acie *u.* 3 ueniundi *a b c*, *non* ueniendi. clamor *a b*, clamori *u.* 4 gemitu *f*, gemitus *reliqui.* strepitus *b.* inperitorum *a.* 5 timor *Vascosanus*, timore *codd.* 9 ex] de *b.* 11 item *b.* 13 mille] ∞ *a.* equitum partim peditum *a*, peditum partim equitum *edd.* 14 saucii *a b*, saucii ad D *u. Lacunam ego notaui.* 15 praeterea hos habuit *a* 3 *dett.* (*hi* 3 quos) *et omisso* praeterea *b*, praeterea duces belli XVII capti sunt. Hos habuit res exitus *u. Lacunam ego notaui.* qui *a b* 3 *dett.*, cum *u.* Mundamis ibi *a.* 16 nostrique *a b*, nostri *u.* 17 scuta et pila pro uallo *post* armis *posui*, *post* collocabantur (18) *ponunt codd.* (scuti *b*). *P.* 244. 18 occisi *ego inclusi.* in gladiorum mucrone *ego*; et gladio ut mucro et *a*, in gladio ut in ueru et *b*; et gladii et mucrones et *Aldus u* (ut mucrones *edd. ante Ald.*). 19 uniuersas *a b.* 20 *lacunam ego notaui.* 22 sunt *om. Petauianus.* 23 Valerius *Aldus*, Falerius *a* '*mss.*' adulescens *a.* 24 Sex. *a*, Sexto *u.* 25 habuit *om. b*, secum habuit *om. Aldus u.* quot *a.*

cuniae secum habuit, eis distribuit et oppidanis dixit se de pace
ad Caesarem proficisci et secunda uigilia ab oppido discessit. Cn. 5
Pompeius cum equitibus paucis nonnullisque peditibus ad nauale
praesidium parte altera Carteiam contendit, quod oppidum abest a
Corduba milia passuum CLXX. Quo cum ad octauum miliarium 6
uenisset, P. Caucilius, qui castris antea Pompeii praepositus esset,
eius uerbis nuntium mittit, eum minus belle habere: ut mitterent
lecticam, qua in oppidum deferri posset. Litteris missis Pompeius
Carteiam defertur. Qui illarum partium fautores essent, conue- 7
niunt in domum, quo erat delatus (qui arbitrati sunt clanculum
uenisse), ut ab eo, quae uellent, de bello requirerent. Cum fre-
quentia conuenisset, de lectica Pompeius eorum in fidem confugit.
Caesar ex proelio munitione circumdata Cordubam uenit. Qui ex 33
caede eo refugerant, pontem occuparunt. Cum eo uentum esset, 2
conuiciari coeperunt: nos ex proelio paucos superesse; quo fuge-
remus? Ita pugnare coeperunt de ponte. Caesar flumen traiecit
et castra posuit. Scapula, totius seditionis, familiae et libertino- 3
rum caput, ex proelio Cordubam cum uenisset, familiam et liber-
tos conuocauit, pyram sibi extruxit, coenam adferri quam optimam 4
imperauit, item optimis insternendum uestimentis; pecuniam et
argentum in praesentia familiae donauit. Ipse de tempore coenare, 5
*r*esinam et nardum identidem sibi infundit. Ita nouissimo tempore
seruum iussit et libertum, qui fuisset eius concubinus, alterum se
iugulare, alterum pyram incendere. Oppidani autem, simul Cae- 34
sar castra contra oppidum posuit, discordare coeperunt, usque eo
ut clamor in castra nostra perueniret fere inter Caesarianos et

2 Gn. *a.* 3 Pompeius *a 'mss.'*, Pompeius autem *Aldus u.* cum paucis nonnullis equitibus ad *b.* 4 Carteiam *om. a.* 6 peruenisset *b.* Caucilius *b c*, Caucili *a*; Caluitius *u.* Pompeii antea *b.* 7 eum *b* 2 *dett.*, cum *a u.* bellae *a.* habere *a b* 2 *dett.*, haberet *u.* mitterent *b*; mitteret *a et, ut uidetur, ceteri boni.* 8 in *om. a.* possit (*a*) *'mss.'* 9 Certeiam *a.* 10 quo] in quam *b.* dilatus *a.* 11 quae] qui *b.* uellet *cum* 2 *dett. u.* 13 proelio] Munda *de Glandorpii coniectura add. u.* 14 refugerunt *a.* occuparunt *a b*, occupauerunt *u.* uentum esset *Stephanus*; circumuentum esset *a*, circumuenti essent *b*; esset uentum *u.* 15 conuiciari *Aldus*, conuitiare *a b.* quo] quos *a b.* fugeremus *codd.*, confugeremus *u.* 18 apud *a b.* liberos *a b.* 19 extruxit *a.* adferri *a.* optimam *a b* 6 *dett.*, opimam *Scaliger u.* 21 coenare *a f* 5 *dett. Schneideri, om. c*; coenauit *Aldus u.* 22 resinam *uar. lect. d*, sitam *a et sic 'uel* sicam *b c'.* infudit *b.* 23 liberum *a.* eius *om. a b.* 24 pylam *a.* 25 contra] ad *add. a.*

2 inter Pompeianos. Erant hic legiones, quae ex perfugis conscri-
ptae, partim oppidanorum serui, qui erant a Sexto Pompeio manu-
3 missi; qui in Caesaris aduentum discordare coeperunt. Legio XIII
oppidum defendere coepit: nam, cum iam depugnarent, turres ex
4 parte et murum occuparunt. Denique legatos ad Caesarem mittunt,
ut sibi legiones subsidio intromitteret. Hoc cum animaduerterent
homines fugitiui, oppidum incendere coeperunt. Qui superati a
nostris sunt interfecti hominum milia XXII, praeterquam extra
5 murum qui perierunt. Ita Caesar oppido potitur. Dum hic deti-
netur, ex proelio quos circummunitos superius demonstrauimus,
eruptionem fecerunt et bene multis interfectis in oppidum sunt
35 redacti. Caesar Hispalim cum contendisset, legati deprecatum ue-
nerunt. Ita cum ad oppidum esset uentum, Caninium legatum cum
2 praesidio intromittit; ipse castra ad oppidum ponit. Erat bene
magna *manus* intra Pompeianarum partium, quae praesidium re-
ceptum indignaretur. Clam quendam Philonem, illum, qui Pom-
peianarum partium fuisset defensor acerrimus (is tota Lusitania
3 notissimus erat) — hic clam praesidia *in* Lusitaniam proficiscitur
et Caecilium Nigrum, hominem barbarum, ad Lennium conuenit,
4 qui bene magnam manum Lusitanorum haberet. Rursus Hispalim
in oppidum denuo noctu per murum recipitur: praesidium, uigiles
36 iugulant, portas praecludunt, de integro pugnare coeperunt. Dum
haec geruntur, legati Carteienses renuntiauerunt, quod Pompeium
in potestate haberent. Quod ante Caesari portas praeclusissent,
illo beneficio suum maleficium existimabant se lucri facere. Lusi-

2 a Pompeio a Sexto *a*. 3 qui in *a b*, tunc in *Aldus u*. discordare *ego*, descendere *codd. P.* 245. 4 non *a*. depugnarent turres *ego*, repugnarent turres *u*; repugnarentur res *a*, repugnaretur eis *b*. 5 occuparent *ante corr. a*. denique *ego*, denuo *codd*. 6 mitteret *b*. 7 nomine *a b*. 9 potitur *b*, potitus *reliqui*. 10 ex *om. b*. 11 multi interfecti *a*. 12 Hispali *a*. 13 ad *a b c, om. Aldus u*. esset uentum *ego*, sese tuendum *a b c*; sese tueri dixisset *Aldus u*. Caninium cum praesidio legatum *a edd. ante Ald.* 14 intermittit *a*. 15 magna manus *Ciacconius*, magnum *codd.* partium quae *cod. Ciacconii* (*uel potius Vrsini*), partiumque *a b*; partium praesidium quod Caesaris *u*. 16 clam *cett.*] *P.* 29 *fin.* illuc *b*. 18 in *om.* (*a*) *b c* 3 *dett.* 19 hominem barbarum *Glandorpius*; nomine barbaro *a b*, nomine Barbarum *u*. Lennium *a* '*mss.*', Lenium *u*. 20 Hispalim in *Oudendorpius*, Hispalim *codd.*; in Hispalim *u*. 21 uigiles *a b*, uigilesque *u*. 23 Carcelenses *a*. renuntiauerunt *a* '*mss. et edd. qdd.*', renuntiarunt *Aldus u*. 24 potestatem *codd*. habent *a*.

tani Hispali pugnare nullo tempore desistebant. Quod Caesar cum 2
animaduerteret, si oppidum capere contenderet, ut homines perditi
incenderent et moenia delerent, ita consilio habito noctu patitur
Lusitanos eruptionem facere; id quod consulto non existimabant
fieri. Ita erumpendo nauis, quae ad Baetim flumen fuissent, in- 3
cendunt. Nostri, dum incendio detinentur ...... illi profugiunt
et ab equitibus conciduntur. Quo facto oppido recuperato Astam 4
iter facere coepit; ex qua ciuitate legati ad deditionem uenerunt.
Mundensesque, qui ex proelio in oppidum confugerant, cum diu-
tius circumsiderentur, bene multi deditionem faciunt, et cum essent
in legionem distributi, coniurant inter sese, ut noctu signo dato,
qui in oppido fuissent, eruptionem facerent, illi caedem in castris
administrarent. Hac re cognita insequenti nocte uigilia tertia tes- 5
sera data extra uallum omnes sunt concisi. Carteienses, dum Cae- **37**
sar in itinere reliqua oppida oppugnat, propter Pompeium dissen-
tire coeperunt. Pars erat, quae legatos ad Caesarem miserat,
pars erat, qui Pompeianarum partium fautores essent. Seditione 2
concitata portas occupant; caedes fit magna; saucius Pompeius
naues XX occupat longas et profugit. Didius, qui classi praefuisset,
simuladque Gadis nuntius allatus est, confestim sequi coepit; par-
tim pedibus [et equitatus] ad persequendum celeriter iter facie-
bant item confestim consequentes. Quarto die nauigationis, quod 3
imparati a Carteia profecti sine aqua fuissent, ad terram applicant.
Dum aquantur, Didius classe accurrit, naues incendit, nonnullas
capit. Pompeius cum paucis profugit et locum quendam munitum **38**
natura occupat. Equites et cohortes, quae ad persequendum missae
essent, speculatoribus antemissis certiores fiunt: diem et noctem

1 Hispali pugnare (*a*) 4 *dett.*; Hispali oppugnare *b*, Hispalim oppugnare *reliqui.* 3 menia *a.* 5 erumpendo *b*, inrumpendo *reliqui.* nauis *a.* Betim *a.* 6 *lacunam ego notaui. P.* 246. 7 Hastam *a 'mss.'* 8 interim *a b.* 9 Mundensosque *a.* qui *om. a b.* 10 circumsederentur *a b.* 11 sese *a unus det. edd. ante Ald. nep.*, se *Aldus nep. u.* 13 tessara *b.* 14 Cartecienenses *a.* dum *Noruicensis*; duces *a*, duces dum *b* 2 *dett.* 17 erat *om. unus det. u.* qui (*a*); quae *b et, ut uidetur, ceteri boni.* 18 portas *Vascosanus*, partes *codd.* 19 classi praefuisset simuladque Gadis *ego et Glandorpius*, Gadis classi praefuisset ad quem simul *codd.* (Cadis classis *a*). *P.* 246 *extr.* 21 pedibus *a b*, peditatus *unus det. u.* et equitatus *ego inclusi.* 22 confestim consequentes quarto die nauigationis *ego*; quarto die nauigatione confestim consequentes *a b c.* 23 Cratela profectis in ea qua *a.* ad terram *om. b* (*an et haec et* applicant?) 24 classi *b.* accurrit *a b*, occurrit *u.* 26 missi essent *a.*

2 iter faciunt. Pompeius humero et sinistro crure uehementer erat
saucius. Huc accedebat, ut etiam talum intorsisset; quae res maxime
impediebat. Ita lectica ad turrem quom esset adlatus, in ea tene-
3 batur. Lusitanus more militari, cum a Caesaris praesidio fuisset
4 conspectus, celeriter equitatu cohortibusque circumcluditur. Erat
accessus loci difficultas. † Nam idcirco propter suo praesidio fuisset
conspectus celeriter ad munitum locum natura ceperat sibi Pom-
peius quamuis magna multitudine deducti homines ex superiore
5 loco defendere possent subeunt in aduentu nos depellunt qui telis.
Quibus cedentibus cupidius insequebantur aduersarii et confestim
tardabant ab accessu. Hoc saepius facto animaduertebatur nostro
6 magno id fieri periculo. Opere circummunire instituunt; pari autem
et celeri festinatione circum munitiones iugo dirigunt, ut aequo
pede cum aduersariis congredi possent. A quibus cum animaduer-
39 sum esset, fuga sibi praesidium capiunt. Pompeius, ut supra de-
monstrauimus, saucius et intorto talo idcirco tardabatur ad fugien-
dum, itemque propter loci difficultatem neque equo neque uehiculo
2 saluti suae praesidium parare poterat. Caedes a nostris undique
3 administrabatur. Conclusa munitione amissisque auxiliis ad con-
uallem exesumque locum in speluncam Pompeius se occultare coe-
pit, ut a nostris non facile inueniretur nisi captiuorum indicio. Ita
ibi interficitur. Cum Caesar Gadibus fuisset, Hispalim II Id. April.
40 caput allatum et populo datum est in conspectum. Interfecto Cn.
Pompeio adolescente Didius, quem supra demonstrauimus, illa ad-
fectus laetitia proximo se recepit castello nonnullasque naues ad
reficiendum subduxit et, quamuis . . . . essent, brachium . . . .

2 hoc *a*. 3 ad turrem *f* 5 *dett. Schneideri*, a turre (*a*) *u*. cum *b*, quem *a*; qua *u*. ablatus *a*, oblatus *b*. tenebatur *ego*, ferebatur *codd*. *P*. 247. 4 a *om*. *b*. 5 *De* § 4 *uid*. *P*. 248. 6 idcirco *a b* 2 *dett*., idcirco quod *u*. suo *a*, suo a nostro *u*. 7 ad *a b*, *om*. *Aldus u*. ceperat *reliqui*, quem ceperat *b u*. 9 possunt *b*. nos depellunt *a b* 2 *dett*., nostri depelluntur *u*. qui *a*, *om*. *u*. 10 cedentes *b*. 11 factu *a*, factum *b*. animum aduertebatur *a*. 12 instituunt *ego*, instituit *codd*. 13 ex *a b*. circummittones *a*. iugo *a* 3 *dett*., *om*. *m*. *pr*. *b*, iugum *sec*. *m*. *b*; in iugo *u*. 16 saucio *a b*. 18 saluti *Stephanus*, salutis *a b*. 19 administrabantur *b*. conclusa *ego*, exclusa *codd*. conuallem *a b* 3 *dett*., conuallem autem *u*. 20 exesumque *b c*, exse sumaque *a*; atque exesum *u*. in speluncam *b*, ut speluncam *a c*; ut in speluncam *u*. 22 fuisse *a*. II Id. April. *a*, pridie Id. Aprilis *u*. *P*. 158. 23 conspectu *b*. 24 adfectus *a*. 25 proximus *b*, primo *c*. 26 et quamuis essent brachium *a* (*is* quoduis) *b*, *om*. *u*. *Lacunas ego notaui*. *P*. 248.

Lusitani, qui ex pugna superfuerunt, ad signum se receperunt et 2
bene magna manu comparata ad Didium se reportant. Huic etsi 3
non aberat diligentia ad naues tuendas, tamen nonnumquam ex
castello propter eorum crebras excursiones eliciebatur et prope
cotidianis pugnis . . . . . insidias ponunt et tripartito signa dis-
tribuunt. Erant parati, qui naues incenderent, incensisque † qui 4
subsidium repeterent: hi sic dispositi erant, ut a nullo . . . . . .
conspectu omnium ad pugnam contendunt. Ita cum ex castello 5
Didius ad propellendum processisset cum copiis, signum a Lusita-
nis tollitur, naues incenduntur, simulque, qui ex castello ad pu-
gnam processerant, eodem signo, fugientes latrones dum perse-
cuntur, a tergo insidiae clamore sublato circumueniunt. Didius 6
magna cum uirtute cum compluribus interficitur; nonnulli ea pugna
scaphas, quae ad litus fuerant, occupant, item [nonnulli] complu- 7
res nando ad naues, quae in salo fuerunt, se recipiunt, ancoris
sublatis pelagus remis petere coeperunt; quae res eorum uitae fuit
subsidio. Lusitani praeda potiuntur. Caesar Gadibus rursus ad 8
Hispalim recurrit. Fabius Maximus, quem ad Mundam † praesi- 41
dium oppugnandum reliquerat, operibus assiduis † lurnisque cir-
cum se interclusis inter se decernere facta caede bene magna fa-
ciunt. Nostri ad oppidum recuperandum occasionem non praeter- 2
mittunt et reliquos uiuos capiunt, XIIII milia. Vrsaonem profici-
scuntur; quod oppidum magna munitione continebatur, sic ut ipse
locus non solum opere, sed etiam natura aditus ad oppugnandum
† hostem appeteret. Huc accedebat, ut aqua praeterquam in ipso 3
oppido [nam] circumcirca nusquam reperiretur propius milia pas-
suum VIII; quae res magno erat adiumento oppidanis. Tum prae- 4

2 Dium *a*. 3 nonnunquam (*a*). 4 eliciebatur *Glandorpius*, eiiciebatur *codd.* (eic. *a*). et *a b c*, et sic *u*. 5 *lacunam ego notaui.* 6 † qui *seqq.*] *P.* 249. 7 praesidium *f*. hi *edd. ante Ald.*, hii *a*; ii *Aldus u*. *Lacunam ego notaui.* 8 conspecti *Dauisius u*. contendunt *a b c*, contenderent *u*. 10 attollitur *b*. ex *Noruicensis*, in *reliqui*. 11 persecuntur *a*. 13 pluribus *b*. 14 nonnulli *a b*: *om. Aldus*. 15 anchoris *a*. 16 fuit subsidio *a*, subsidio fuit *edd.* 18 quem *a b c*, quem ipse *u*. Munam *a c*. 19 lurnisque circum se interclusis *b c*, lurnis circum se interclusi *a*; hostesque circum sese interclusi *u*. 20 discernere *b*. faciunt *a 'mss. cuncti'*, eruptionem faciunt *u*. 22 XIV milia *a b c 2 dett.*, XIV milia ac deinde *unus det. u* (XIV (*a*)). 23 ut *om. a*. 24 aditus *a b*, editus *u*. 25 appeteret *codd.*, abuerteret *Scaliger u. P.* 249. huc accedebat *Petauianus*; hoc accederet *a*, hoc accideret *b c*. aquam *c*. 26 nam *om. 2 dett. P.* 250. reppериretur *a*.

terea accedebat, ut aggerem . . . . . . materiesque, unde soliti sunt turris † agi, propius milia passuum VI non reperiebatur. † Ac Pompeius ad oppidum oppugnationem tutiorem efficeret, om-
5 nem materiem circum oppidum succisam intro congessit. Ita necessario diducebantur nostri, ut a Munda, quam proxime ceperant,
42 materiem illo deportarent. Dum haec ad Mundam geruntur et Vrsaonem, Caesar, ad Hispalim cum Gadibus se recepisset, insequenti die contione aduocata commemorat: Initio quaesturae suae eam prouinciam ex omnibus prouinciis sibi peculiarem constituisse
2 et, quae potuisset eo tempore, beneficia largitum esse; insequenti praetura ampliato honore uectigalia, quae Metellus inposuisset, a senatu petisse et ea pecunia prouinciam liberasse, simulque patrocinio suscepto multis legationibus ab se in senatum inductis simul publicis priuatisque causis multorum inimicitiis susceptis defen-
3 disse; suo item in consulatu absentem, quae potuisset, commoda prouinciae tribuisse: eorum omnium commodorum et immemores et ingratos in se et in populum Romanum hoc bello et praeterito
4 tempore cognosse. ‘Vos iure gentium ciuiumque Romanorum institutis cognitis more barbarorum populi Romani magistratibus sacrosanctis manus semel et saepius attulistis et luce clara Cassium
5 in medio foro nefarie interficere uoluistis. Vos ita pacem semper odistis, ut nullo tempore legiones desitae populi Romani in hac prouincia haberi. Apud uos beneficia pro maleficiis, maleficia pro beneficiis habentur. Ita neque in otio concordiam neque in bello

1 accidebat *a.* aggerem *a b,* agger *u. Lacunam ego notaui.* soluti *a b,* solitae *u.* 2 turris *a,* turres *u.* agi] et *c.* reperiebatur *a* (*is* repp.), reperiebantur *u.* 3 hac *a.* ad oppidum *a* ‘*mss.*’, ut oppidi *u.* 4 intra *b.* 5 diducebantur *a b,* deducebantur *cod. Ciacconii u.* quod *a b.* 6 Munda *a.* 7 ad Hispalim cum Gadibus *unus det. Schneideri;* ab Hispali cum Gadibus *a f,* cum ab Hispali Gadibus *b?;* cum a Gadibus ad Hispalim *u.* 8 concione (*a*). commemorat *om. a b.* 9 sibi peculiarem *a,* peculiarem sibi *edd.* constituisset *a b.* 10 insequente *a.* 11 inposuisset *a.* 12 petisset *a b.* ea pecunia *unus det.,* eis pecunia *a b;* eis pecuniis *u.* 14 publicis priuatisque causis *codd.,* publicas priuatasque causas *P. Manutius u.* 15 in *om. b c.* 16 etiam memores *a;* esse et immemores *u, sed* ‘esse et *desunt b c et b pro iis habet* etiam’. 17 integratos *a.* praeterito *a* 3 *dett.,* in praeterito *u.* 18 ciuiumque *f* 5 *dett. Schneideri,* et ciuiumque *a;* et ciuium *u.* 19 magistratibus sacrosanctis manus *P. Manutius;* magistratus sacrosanctis romanis *d,* magna transero sanctis romanus *a et, qui* transiero *et* romanis, *b.* 20 sepius *a.* attulissetis *a b et m. pr. c.* Cassium *P. Manutius,* captum *codd.* 22 desitae (*a*) *c,* desint (*b*). 24 in otio] initio *a.*

uirtutem ullo tempore retinere potuistis. Priuatus ex fuga Cn. 6
Pompeius adulescens a uobis receptus fasces imperiumque sibi ar-
ripuit, multis interfectis ciuibus auxilia contra populum Romanum
conparauit, agros prouinciamque uestro inpulsu depopulauit. In 7
quo uos uictores existimabatis? An me deleto non animaduerte-
batis [decem] habere legiones populum Romanum, quae non solum
uobis obsistere, sed etiam caelum diruere possent? Quarum laudi-
bus et uirtute ......

1 '*Ad uocem* tempore *deficit manus antiqua b*'. priuatis *a.* 2 adulescens *a.* imperium *a.* 4 conparauit *a.* inpulsu *u.* 5 quo uos] quos *a.* existimabatis *Aldus,* extabatis *a b c.* animum aduertebatis *a et cum 2 dett. u.* 6 decem *ego inclusi. P.* 251. solum] modo *b.* 7 et *b.* coelum (*a*). 8 uirtute] cetera desiderantur *add. d,* totus in orbe terrarum mundus exultat *add. b.*

FRAGMENTA.

C. IVLII CAESARIS

FRAGMENTA.

ORATIONES.

Cic. Brut. 72, 252: De Caesare ita iudico, illum omnium fere oratorum Latine loqui elegantissime, nec id solum domestica consuetudine, ut dudum de Laeliorum et Muciorum familiis audiebamus; sed quamquam id quoque credo fuisse, tamen, ut esset perfecta illa bene loquendi laus, multis litteris et eis quidem reconditis et exquisitis summoque studio et diligentia est consecutus. 74, 258: Solum quidem et quasi fundamentum oratoris uides, locutionem emendatam et Latinam; cuius penes quos laus adhuc fuit, non fuit rationis aut scientiae, sed quasi bonae consuetudinis. 75, 261: Caesar autem rationem adhibens consuetudinem uitiosam et corruptam pura et incorrupta consuetudine emendat. Itaque cum ad hanc elegantiam uerborum Latinorum, quae, etiamsi orator non sis et sis ingenuus ciuis Romanus, tamen necessaria est, adiungit illa oratoria ornamenta dicendi, tum uidetur tamquam tabulas bene pictas collocare in bono lumine. Hanc cum habeat praecipuam laudem, in communibus non uideo cui debeat cedere. Splendidam quandam minimeque ueteratoriam rationem dicendi tenet, uoce, motu, forma etiam magnifica et generosa quodammodo. Tum Brutus: Orationes quidem eius mihi uehementer probantur; complures autem legi.

Sueton. Caes. 55: Eloquentia aut aequauit praestantissimorum gloriam aut excessit. Post accusationem Dolabellae haud dubie principibus patronis annumeratus est. Certe Cicero ad Brutum

ANNOTATIO. 1 *Orationes, ut par erat, eas tantum commemorauimus, quas scripsisse Caesarem constabat.*

oratores enumerans negat se uidere, cui debeat Caesar cedere, aitque eum elegantem, splendidam quoque atque etiam magnificam et generosam quodammodo rationem dicendi tenere; et ad Cornelium Nepotem de eodem ita scripsit: Quid? oratorem quem huic antepones eorum, qui nihil aliud egerunt? quis sententiis aut acutior aut crebrior? quis uerbis aut ornatior aut elegantior? Genus eloquentiae duntaxat adolescens adhuc Strabonis Caesaris secutus uidetur.

Quintil. X, 1, 114: C. Caesar si foro tantum uacasset, non alius ex nostris contra Ciceronem nominaretur. Tanta in eo uis est, id acumen, ea concitatio, ut illum eodem animo dixisse, quo bellauit, appareat. Exornat tamen haec omnia mira sermonis, cuius proprie studiosus fuit, elegantia.

Tac. de orat. 21: Concedamus sane C. Caesari, ut propter magnitudinem cogitationum et occupationes rerum minus in eloquentia effecerit, quam diuinum eius ingenium postulabat.

Ibid. 25: Apud nos Cicero quidem ceteros eorundem temporum disertos antecessit, Caluus autem et Asinius et Caesar et Coelius et Brutus suo iure et prioribus et sequentibus anteponuntur. Nec refert, quod inter se specie differant, cum genere consentiant. Astrictior Caluus, numerosior Asinius, splendidior Caesar, amarior Coelius, grauior Brutus, uehementior et plenior et ualentior Cicero: omnes tamen eandem sanctitatem eloquentiae ferunt, ut, si omnium pariter libros in manum sumpseris, scias quamuis in diuersis ingeniis esse quandam iudicii ac uoluntatis similitudinem et cognationem.

Tac. ann. XIII, 3: Dictator Caesar summis oratoribus aemulus fuit.

Plut. Caes. 3: *Λέγεται δὲ καὶ φῦναι πρὸς λόγους πολιτικοὺς ὁ Καῖσαρ ἄριστα καὶ διαπονῆσαι φιλοτιμότατα τὴν φύσιν, ὡς τὰ δευτερεῖα μὲν ἀδηρίτως ἔχειν, τὸ δὲ πρωτεῖον, ὅπως*

1 debeat Caesar *codd. tantum non omnes,* Caesar debeat *ed. Oudendorpii.* 4 oratorem *Memmianus Mediceus primus,* oratorum *ed. Oud.* 10 aliud *m. pr. Turicensis Florentinus.* uim Caesaris *commemorat idem I,* 7, 34. *X,* 2, 25. *XII,* 10, 11; calorem *Appul. apol. p.* 589 *Oud.* 11 id actum en ea *m. pr. Turicensis Florentinus* (*hic* aen). 14 *loquitur Aper.* 17 *respondet Apro Messala.* 19 suo iure *Lipsius;* si uere *uel* sic uere *codd., illud suprasc.* iure *Leidensis.* 21 astrictior *Acidalius,* at strictior *codd.* 23 sanctitatem *Leidensis Farnesianus,* sanitatem *edd.* 26 cognationem *Beroaldus,* cogitationem *codd.*

τῇ δυνάμει καὶ τοῖς ὅπλοις πρῶτος εἴη μᾶλλον, ἀσχοληθεὶς ἀφεῖναι, πρὸς ὅπερ ἡ φύσις ὑφηγεῖτο τῆς ἐν τῷ λέγειν δεινότητος ὑπὸ στρατειῶν καὶ πολιτείας, ᾗ κατεκτήσατο τὴν ἡγεμονίαν, οὐκ ἐξικόμενος.

Fronto p. 181 *ed. Rom.*: Caesari facultatem dicendi uideo imperatoriam fuisse.

IN CN. CORNELIVM DOLABELLAM (*a.* 77).

Sueton. Caes. 4: Composita seditione ciuili Cornelium Dolabellam, consularem et triumphalem uirum, repetundarum postulauit absolutoque Rhodum secedere statuit.

Ascon. in Scaur. p. 26 *Bait.*: Ne forte erretis et eundem hunc Cn. Dolabellam putetis esse, in quem C. Caesaris orationes legitis.

Tac. de orat. 34: Nonodecimo aetatis anno L. Crassus C. Carbonem, uno et uicesimo Caesar Dolabellam, altero et uicesimo Asinius Pollio C. Catonem, non multum aetate antecedens Caluus Vatinium iis orationibus insecuti sunt, quas hodie quoque cum admiratione legimus.

Sueton. Caes. 55: Genus eloquentiae duntaxat adolescens adhuc Strabonis Caesaris secutus uidetur; cuius etiam ex oratione, quae inscribitur pro Sardis, ad uerbum nonnulla transtulit in diuinationem suam.

Val. Max. VIII, 9, 3: Diuus quoque Iulius uim facundiae proprie expressit dicendo in accusatione Cn. Dolabellae, quem reum egit, extorqueri sibi causam optimam L. Cottae patrocinio, siquidem maxima tunc . . eloquentiae questa est.

1 *μᾶλλον Stephanus, μᾶλλον ἀλλ' codd.* 6 *inter* imperator *et* fuisse *litterae in codice ualde obscuratae sunt*: imperatorum *Maius*, *sed dubitat, an* imperatoriam *legere debuerit.* 7 *Cf. Plut. Caes.* 4. *Vell. II*, 43, 3. *Cic. Brut.* 92, 317. 8 seditione ciuili] *ab Lepido mota.* 9 *Dolabella consul fuit a.* 81, *triumphauit ex Macedonia.* 12 hunc] *praetorem a.* 81. *Cf. Ascon. ad Cornel. p.* 73. Caesari sorores *ed. princeps.* 15 uno et uicesimo] *immo tertio et uicesimo.* 16 multum *Leidensis,* multo *edd.* 17 hodie quoque *Leidensis Vaticanus* 1862, *non* hodieque. 24 proprie, *ut Perizonius, cum* propriae *ederetur, scribendum demonstrauit, omnes codd. Caroli Kempfii; qui de hoc loco a me consultus suas copias benigne mecum communicauit.* 25 C. Cottae *Valerio scribendum fuisse Perizonius monuit.* 26 siquidem maxima tunc eloquentiae questa est *pr. m. codicis Petri Danielis, omnium optimi*; siquidem maxima tunc eloquentia questa est *sec. m. eiusdem et ceteri boni. Puto fuisse:* siquidem maxima tunc eloquentia uim eloquentiae questa est. *Kempfium neque lacuna neque sententia fugerat.*

Gell. IV, 16: C. Caesar in Dolabellam actionis † in libusti quorum in aedibus fanisque posita et honori erant et ornatu'.

CVM PLAVTIAM ROGATIONEM SVASIT (*a.* 70).

Sueton. Caes. 5: Tribunatu militum, qui primus Romam reuerso per suffragia populi honor obtigit, auctores restituendae tribuniciae potestatis, cuius uim Sulla deminuerat, enixissime iuuit. L. etiam Cinnae, uxoris fratri, et qui cum eo ciuili discordia Lepidum secuti post necem consulis ad Sertorium confugerant, reditum in ciuitatem rogatione Plotia confecit habuitque et ipse super ea re contionem.

Gell. XIII, 3: Reperi in oratione C. Caesaris, qua Plautiam rogationem suasit, necessitatem dictam pro necessitudine id est iure affinitatis. Verba haec sunt: 'Equidem mihi uideor pro nostra necessitate non labore, non opera, non industria defuisse'.

LAVDATIONES IVLIAE AMITAE ET VXORIS CORNELIAE (*a.* 68).

Sueton. Caes. 6: Quaestor Iuliam amitam uxoremque Corneliam defunctas laudauit e more pro rostris, et in amitae quidem laudatione de eius ac patris sui utraque origine sic refert: 'Amitae meae Iuliae maternum genus ab regibus ortum, paternum cum diis immortalibus coniunctum est. Nam ab Anco Marcio sunt Marcii reges, quo nomine fuit mater; a Venere Iulii, cuius gentis familia est nostra. Est ergo in genere et sanctitas regum, qui plurimum inter homines pollent, et caerimonia deorum, quorum ipsi in potestate sunt reges'.

PRO DECIO SAMNITE.

Tac. de orat. 21: Nisi forte quisquam aut Caesaris pro Decio Samnite aut Bruti pro Deiotaro rege ceterosque eiusdem len-

1 actionis in libusti (*sic*) *regius:* actionis III. Ibi isti *Carrio,* actionis III lib. I. Isti *Io Fr. Gronouius. Verum lege Cornelia, qua causam dixit Dolabella, duae actiones erant (uid. Zumpt. de legibus iudiciisque repetund. I p.* 38); *et Gellius, si apud Caesarem* ibi isti quorum *aut* isti quorum *legisset, haec uerba omisisset, quae neque per se intellegi possunt neque cur excriberentur ulla causa erat. Temptabam:* actionis . . . dis inlusisti *cett., ita ut librarium ad easdem litteras aberrantem numerum actionis et libri actionis omisisse suspicarer.* 5 auctores rest. trib pot.] *Pompeium et Crassum consules a.* 70. (actores *Memmianus*). 9 Plotia] lege Plocia *Memmianus.* 11 *Nonius p.* 354 *M.:* C. Caesar, cum Plautiam suasit rogationem. 13 etquidem mihi uidetur *Nonius.* 14 nostra *om. Nonius.* necessitate] *cum L. Cinna, ut uidetur.* 15 *Cf. Plut. Caes.* 5. 17 et *Casaubonus,* sed *codd.* 19 a regibus *'Medicei duo' Oud.* 20 diis *codd., non* dis. Martio *et* Martii *'Medicei duo' Oud.* 26 *loquitur Aper.*

titudinis ac teporis libros legit, nisi qui et carmina eorundem miratur.

PRO BITHYNIS.

Gell. V, 13: In oratione, quam pro Bithynis dixit, hoc principio usus est: 'Vel pro hospitio regis Nicomedis uel pro horum necessitate, quorum res agitur, defugere hoc munus, M. Iunce, non potui. Nam neque hominum morte memoria deleri debet, quin a proximis retineatur, neque clientes sine summa infamia deseri possunt, quibus etiam a propinquis nostris opem ferre instituimus'.

Iul. Rufinian. p. 201 *Ruhnk.*: Caesar pro Bithynis: 'Quid ergo? syngraphae non sunt? Sed res aliena est'.

IN C. MEMMIVM ET L. DOMITIVM PRAETORES (*a.* 58).

Sueton. Caes. 23: Functus consulatu C. Memmio Lucioque Domitio praetoribus de superioris anni actis referentibus cognitionem senatui detulit nec illo suscipiente triduoque per irritas altercationes absumpto in prouinciam abiit.

Schol. Bob. in Sest. p. 297 *Or.*: De actis loquitur, quae habuit in consulatu C. Caesar inauspicato, ut uidebatur; qua de re aduersus eum egerant in senatu C. Memmius et L. Domitius praetores, et ipsius Caesaris orationes contra hos extant, *quibus* et sua acta defendit et illos insectatur.

Ead. in Vatin. p. 317: Commiserat senatui causam suam C. Caesar, id est, ut de lege agraria patres iudicarent. Ibi enim habitae sunt tres illae orationes contra Domitium et Memmium.

Sueton. Caes. 73: C. Memmii, cuius asperrimis orationibus non minore acerbitate rescripserat, etiam suffragator mox in petitione consulatus fuit.

APVD MILITES DE COMMODIS EORVM.

Diomed. p. 395 *P.*: Frustro ait C. Caesar apud milites de commodis eorum: 'Non frustrabo uos, milites'.

1 teporis *Lipsius,* temporis *codd.* 2 mirantur *Leidensis.* 6 Iunce *ego,* uince *regius:* Vinici *Thysius,* Vini *Iac. Gronouius.* 7 morte] *Nicomedes obiit a.* 75. 9 a propinquis opem ferre *eadem et ratione et sententia dicitur atque a propinquis defendere. Perperam haec temptata sunt.* 13 *Cf. Sueton. Neron.* 2. 20 quibus *Maius suppleuit.* 23 ibi] bi *cod.* 24 ille *cod.* 28 *Immerito haec ad alteramutram orationum* apud milites in Hispania (*p.* 752, 8) *relata sunt, praesertim cum haec oratio uerbis* de commodis eorum *data opera ab illis distingui uideatur.*

ORATIONES TEMERE CAESARI TRIBVTAE.

Sueton. Caes. 55: Orationes aliquas reliquit, inter quas temere quaedam feruntur. Pro Q. Metello non immerito Augustus existimat magis ab actuariis exceptam male subsequentibus uerba dicentis, quam ab ipso editam. Nam in quibusdam exemplaribus inuenio ne inscriptam quidem pro Metello, sed quam scripsit Metello, cum ex persona Caesaris sermo sit Metellum seque aduersus communium obtrectatorum criminationes purgantis. Apud milites quoque in Hispania idem Augustus esse uix ipsius putat; quae tamen duplex fertur, una quasi priore habita proelio, altera posteriore, quo Asinius Pollio ne tempus quidem contionandi habuisse eum dicit subita hostium incursione.

DE ANALOGIA AD M. TVLLIVM CICERONEM (*a.* 55).

Sueton. Caes. 56: Reliquit et de analogia duos libros et Anticatones totidem ac praeterea poëma, quod inscribitur iter. Quorum librorum primos in transitu Alpium, cum ex citeriore Gallia conuentibus peractis ad exercitum rediret, sequentes sub tempus Mundensis proelii fecit, nouissimum, dum ab urbe in Hispaniam ulteriorem quarto et uicesimo die peruenit.

Fronto p. 203 *ed. Rom.*: Fac memineris et cum animo tuo cogites C. Caesarem atrocissimo bello Gallico cum alia multa militaria tum etiam duos de analogia libros scrupulosissimos scripsisse, inter tela uolantia de nominibus declinandis, de uerborum aspirationibus et rationibus inter classica et tubas.

3 feruntur] *ut addidit Casaubonus, quod in Memmiano abesse non refertur.* pro Q. Metello] *a.* 62. 9 in Hispania] *a.* 45. esse *Memmianus,* orationem esse *ceteri meliores.* uix *om. Mediceus primus.* 10 prius proelium *uidetur esse, de quo auctor b. Hisp. c.* 24 *refert,* posterius *Mundense dici apparet.* 13 *Cf. Quint. I, 7, 34. Anal. Vindob. p.* 511. 15 quorum librorum primos *cett.*] *Summa inter Caesarem et Ciceronem familiaritas intercessit magnis utriusque officiis culta inde a posteriore parte anni* 56 *usque ad annum* 51, *quo Cicero in Ciliciam profectus est abducto secum Quinto fratre, qui inde ab anno* 54 *legatus Caesaris fuerat. Hoc temporis spatio Caesar annis* 54 *et* 52 *in Galliam citeriorem non est profectus. Anno* 52 *rebellione Vercingetorigis ex Italia reuocatus in summa sollicitudine non uidetur grammaticis rebus tractandis uacasse. Anno* 54 *una cum Quinto Cicerone in Galliam ulteriorem rediit, habemusque epistolas a Marco ad fratrem eo tempore missas, in quibus nulla librorum de analogia mentio fit. Itaque anno* 55 *hos libros compositos existimaui.*

LIBER PRIMVS.

Cic. Brut. 72, 253: Qui etiam in maximis occupationibus ad te ipsum, inquit in me intuens, de ratione Latine loquendi accuratissime scripserit primoque in libro dixerit uerborum delectum originem esse eloquentiae tribueritque, mi Brute, huic nostro, qui me de illo maluit quam se dicere, laudem singularem (nam scripsit his uerbis, cum hunc nomine esset affatus: 'Ac si, ut cogitata praeclare eloqui possent, nonnulli studio et usu elaborauerunt, cuius te paene principem copiae atque inuentorem bene de nomine ac dignitate populi Romani meritum esse existimare debemus' —): hunc facilem et cotidianum nouisse sermonem nunc pro relicto est habendum.

Gell. I, 10: Quod a C. Caesare in primo de analogia libro scriptum est, habe semper in memoria atque in pectore, ut tamquam scopulum sic fugias inauditum atque insolens uerbum.

Pomp. comm. art. Don. p. 230 *Lind.*: Analogia est comparatio. Fit octo modis. Vt sint sex illae partes, quae accidunt nomini. Sex autem accidunt nomini ista: qualitas, comparatio, genus, numerus, figura, casus. Ecce sex partes. Exitus syllabarum ut sit similis. Puta illud in us exit et illud in us. Penultimarum ratio ut sit similis, ut aut uocales syllabae sint aut consonantes.

1 *Praeter ea, quae in praefatione posita fuisse apparet, nominato primo libro de analogia unus locus de litteris, alter de uocabulis, quae singularem aut pluralem numerum respuerent, citatur; quae appellato secundo libro proferuntur, omnia ad declinationem pertinent. Itaque ex iis, quae ex libris de analogia citabantur numero libri non indicato aut Caesari tribuebantur, ita ut ex libris de analogia desumpta esse probabile uideretur, omnia ad declinationem pertinentia in secundum librum contuli, reliqua, de ipsa analogia, de litteris et syllabis, de etymologia, quae ante illum locum de numero tractata esse necesse est, primo libro tribui. Ceterum facile apparet solos Ciceronem, Quintilianum, Gellium ea referre, quae ipsi in Caesaris libris legerant, reliquos ea, quae afferunt, ab aliis scriptoribus accepisse, qui ne ipsi quidem omnes Caesaris libros uiderint. Pompeius uero si quae directa oratione ponit, ea non ita scripta inuenit, sed suo more ipse in eam formam redegit.* 2 qui *Schützius*, quin *codd.* 3 inquit *Atticus in Ciceronem* intuens. 5 huic nostro] *Ciceroni.* 7 ut *Lagomarsiniani* 53. 68. 70, *om. reliqui.* 11 *uerba* hunc — habendum *cur Attico tribuenda essent, dixi in annall. critt. Berolin. a.* 1846 *m. Aug. p.* 247. Relictum *dicit, de quo nemo uerbum facere operae pretium ducit, quia notum omnibus et persuasum est.* 13 *Cf. Macrob. Sat. I,* 5. 17 octo modis] *At deinceps nouem enumerantur; ex quibus Sergius p.* 1846 *P. illud,* ut tempora sint similia (*p.* 754, 1), *utpote simili exitu iam comprehensum recte omittit.* 17 *et* 18 accidunt *ego,* accedunt *cod.*

Deinde ut tempora sint similia: si illa breuis est, et illa breuis sit. De istis omnibus rebus si unum minus fuerit, iam non stat analogia; de his rebus, quae positae sunt apud Caesarem, si quid minus fuerit, iam non stabit ratio analogiae. Ait enim Caesar: Nisi omnia consentiant inter se, non potest fieri, ut nominis similitudo sit.

Idem. ibid. p. 27: Legimus apud maiores nostros primas apud Romanos XI litteras fuisse tantummodo, ut dicit Caesar libro analogiarum primo. In libro analogiarum Caesar hoc dixit, XI fuisse.

Priscian. p. 545 *P.*: Pompeii quoque genitiuum per tria i scribebant, quorum duo superiora loco consonantium accipiebant, ut si dicas Pompei-ii. Nam tribus i iunctis qualis possit syllaba pronuntiari? Nam postremum i pro uocali est accipiendum; quod Caesari doctissimo artis grammaticae placitum a Victore quoque in arte grammatica de syllabis comprobatur.

Probus art. min. 28: Cum omnes artis latores praecipueque Caesar propter rationem metricam et structurarum qualitates singularum litterarum sonos ponderarent, hac ratione semiuocales mutis praeferendas iudicauerunt, quod semiuocales geminatae ad sonum uocalibus occurrunt, hoc est, ut syllabam facere possint, ut puta fla, ars, mons, iners et cetera talia. At uero mutae geminatae si uocalibus occurrant, nec syllabam nec sonum scilicet facere possunt. Quis enim b, c, d, k, p, q, t, g geminatas uocalibus misceat et sonum syllabae potest audire?

Pomp. comm. art. Don. p. 233 *Lind.*: Lectum est hoc saepius, praecipue apud Varronem. Ille dicit: Lac non debemus dicere, sed lact. Sed dixit Caesar contra ipsum rem ualentissimam, nullum nomen duabus mutis terminari.

Idem. ibid. p. 108: Ait sic Caesar in libris analogiae: Duae sunt Albae, alia ista, quam nouimus in Aricia, et alia hic in Italia. Volentes Romani discretionem facere istos Albanos dixerunt, illos

9 *I p.* 20 *Kr.* Pompeiii *Krehlius.* tria iii *Krehlius.* 10 *ante* scribebant *contra codd.* antiqui *add. Putschius.* 11 Pompeiii *Krehlius.* tribus iii *edd.* posset *contra plerosque codd. Putschius.* 13 placitum *optimi codd.*, placitum fuisse *Putschius.* 15 *Mai. auct. class. V p.* 517. *Anall. Vindob. p.* 233. 24 *Eadem Mai. auct. class. V p.* 152 *ex anonymo grammatico, qui legitur in codice Neapolitano* (*numero* 35 *apud Iannellium*), *protulit.* 26 ualedissimam *pr. m. Guelpherbytani.* 29 Aricia *ex* Marsia *corruptum,* Italia *autem inepte pro* Latio *substitutum a Pompeio uidetur. Cf. Charis. p.* 81 *P.*: Albani dicuntur ab Albano, Albenses autem ab Alba Fucente.

Albenses. Non quoniam nescientes unam deriuationem esse hoc fecerunt, Caesar hoc dixit, sed ut facerent discretionem inter colonos, inter illos et istos.

Gell. XIX, 8: C. Caesar in libris, quos ad M. Ciceronem de analogia conscripsit, harenas uitiose dici existimat, quod harena numquam multitudinis numero appellanda sit, sicuti neque caelum neque triticum; contra autem quadrigas, etiamsi currus unus equorum quattuor iunctorum agmen unum sit, pluratiuo semper numero dicendas putat, sicut arma et moenia et comitia et inimicitias. Tunc prolato libro de analogia primo uerba haec ex eo pauca memoriae mandaui. Nam cum supra dixisset neque caelum neque triticum neque harenam multitudinis significationem pati, 'Num tu', inquit, 'harum rerum natura accidere arbitraris, quod unam terram et plures terras et urbem et urbes et imperium et imperia dicamus, neque quadrigas in unam nominis figuram redigere neque harenam multitudinis appellatione conuertere possimus?'

LIBER SECVNDVS.

Charis. p. 104 *P.*: C. Caesar de analogia secundo: fagos, populos, ulmos.

Idem p. 109: Lacer an laceris? Vt tener, puer. Vltimam enim uocalem si ablatiuus o miserit, *da*bit scire, qualis esse debeat nominatiuus. Ouidius: Mille lacer spargere locis. Quod ita dici *docet* Caesar de analogia libro secundo nec non et Valgius de rebus per epistolam quaesitis.

Priscian. p. 707 *P.*: In is desinentia longam, cuiuscumque generis sint, Latina ablata s addita tis faciunt genitiuum, ut haec lis litis *cett.* Hic et haec Samnis huius Samnitis. Sic Caesar de analogia.

Idem ibid.: Illa quoque tam in is quam in er finita nomina regulam seruant in er terminatorum id est accepta is faciunt genitiuum, ut hic puluis et puluer pulueris, hic cucumis et cucumer cucumeris, hic cinis et ciner cineris, hic uomis et uomer uomeris.

8 quattuor *om. regius.* 9 sicut] circa *add. regius.* 11 neque triticum *regius*, triticumue *reliqui fere omnes.* 16 multitudinis appellatione *regius*, in multitudinis appellationem *reliqui.* 21 o miserit *ego*, omiserit *edd.* *uerbi* dabit *duae priores litterae in codice legi non possunt.* 23 docet *Bondamus*, solet *edd.*: *in cod. locus adesus est.* 25 *I p.* 260 *Kr.* 26 sint generis *Putschius.* ablata es et addita *Putschius.* 29 *I p.* 261 *Kr.*

Praeterea Caesar declinat pubis puberis; quidam, ut Probus, pubes puberis, quidam puber puberis.

Idem p. 708: Haec pollis pollinis. Sic Charisius. Probus autem et Caesar hoc pollen pollinis declinauerunt.

Charis. p. 117 *P.*: Turbo Turbonis, si proprium sit hominis nomen; turbinis, si procellam uoluerimus exprimere, aut in eo, inquit Plinius, qui est in lusu puerorum. Sed Caesar de analogia secundo turbonem, non turbinem etiam in tempestate dici debere ait, ut Cato Catonis, non ut homo hominis.

Quint. I, 5, 63: Mihi placet Latinam rationem sequi, quousque patitur decor. Neque enim iam Calypsonem dixerim ut Iunonem, quamquam secutus antiquos C. Caesar utitur hac ratione declinandi.

Charis. p. 98 *P.*: Ne illa quidem ratio recepta est, quam C. Caesar ponit in femininis, ut puppi, resti, pelui. Hoc enim modo et ab hac cani dicemus et ab hoc cane.

Idem ibid.: Omnium nominum, quae sunt neutri generis et in e terminantur, ait Plinius Caesarem scisse eosdem esse ablatiuos, quales sunt datiui singulares.

Idem p. 95: Plinius Secundus animal, non animale ait dici debere. C. Caesar, quasi indiscretum hoc sit, ait l littera nominatiuo singulari neutra finita nomina eandem definitionem capere, quam capiant e littera terminata: huic animali et ab hoc animali, huic puteali et ab hoc puteali.

Idem p. 108: Plinius ait inter cetera etiam istud C. Caesarem dedisse praeceptum, quom neutra nomina ar nominatiuo clausa per i datiuum ablatiuumque singulares ostendant, iubar tamen ab hac regula dissidere. Nam ut huic iubari dicimus, ab hoc iubare dicendum est, ut huic farri et ab hoc farre.

Idem p. 114: Panium Caesar de analogia libro secundo dici debere ait.

Idem ibid.: Partum Caesar in analogicis.

3 *I p.* 262 *Kr.* 10 rationem Latinam *Ambrosianus primus.* 11 patietur *idem.* 15 puppim, restim, peluim *ed. Graeu. in fragm. Caes.*; puppim, restim, puluim *edd. Charis. Ablatiuos posui, quia toto Charisii loco de hoc casu agitur.* 16 hac cani *ego*, hoc cani *edd.* 26 quom *ego*, q̊ũ *cod.*: quoniam *Lindemannus*, quod *ceteri.* *Charis p.* 98: Ar litteris nomina neutralia terminata item [*edd.* idem] non minus, ait Caesar, quod datiuo et ablatiuo pari iure funguntur, ut idem Plinius scribit. 30 *Charis. p.* 69: Caesar de analogia secundo panium dixit.

Gell. IV, 16: C. Caesar in libris analogicis omnia istiusmodi sine i littera dicenda censet.

Idem IX, 14: C. Caesar in libro de analogia secundo huius die et huius specie dicendum putat.

Charis. p. 86 *P.*: Is homo idem compositum facit, nisi quia Caesar libro secundo † singulariter idem pluraliter isdem dicendum confirmat; sed consuetudo hoc non seruat. Se et sese pronomina ita distinguit, ut se dicamus, cum aliquem quid in alium fecisse ostendimus, ut puta: ille dixit se hoc illi fecisse; cum autem in se ipsum, tunc dicamus sese, ueluti: dixit sese hoc sibi fecisse.

Isidor. origg. XI, 2, 33: Mortuus ex qua parte orationis declinetur, incertum est. Nam sicut ait Caesar, ab eo, quod est morior, in participio praeteriti temporis in tus exire debuit per unum scilicet u, non per duo. Nam ubi geminata est littera u, nomen est, non participium, ut fatuus, arduus.

Priscian. p. 1140 *P.*: Caesar non incongrue protulit ens a uerbo sum es, quomodo a uerbo possum potes potens.

DE ASTRIS (*a.* 46).

Plin. hist. nat. I ind. auctorum libri XVIII: L. Tarutio, qui Graece de astris scripsit, Caesare dictatore, qui item.

Macrob. Sat. I, 16: Iulius Caesar, ut siderum motus, de quibus non indoctos libros reliquit, ab Aegyptiis disciplinis hausit, ita hoc quoque ex eadem institutione mutuatus est, ut ad solis cursum finiendi anni tempus extenderet.

Plin. hist. nat. XVIII, 25, 214: Nos sequemur obseruationem Caesaris, maximeque haec erit Italiae ratio.

1 omnia istiusmodi] *datiuos singularis numeri nominum quartae declinationis.* 6 singulariter *delendum et* et *post* pluraliter *addendum uidetur.* 16 *II p.* 136 *Kr.* 18 *Eodem anno, quo fasti emendati sunt, hunc librum scriptum putaui.* 20 qui item] *Minus accurate Plinius locutus est, ut incertum sit, utrum Graece an Latine Caesar scripserit. Ceterum plerique ea, quae infra posuimus, Caesarem fastis a se propositis ascripsisse putant. Quod ut de omnibus refutari non potest, ita Plinium libro de astris usum esse ex indice libri* XVIII *certum est. Cum uero utrum fastis huiusmodi res adiectae fuerint necne nihil constet, quo minus iis, quae Plinius profert, ea adiceremus, quae apud Ptolemaeum et Lydum inuenimus, impediti non sumus. Ptolemaei editione Petauiana adhibitis iis, quae Fabricius biblioth. Gr. uol. III p.* 423 *ex codice Sauiliano protulit, et Ideleri libello in commentt. acad. Berol. anni* 1816 *et sequentis edito contentus esse coactus sum, cum Halmae editionem nancisci non possem.*

Ioannes Lydus de ostent. p. 381, 9 *Bekk.*: Καὶ ταῦτα μὲν ὁ Κλαύδιος ἐκ τῶν παρὰ Θούσκοις ἱερῶν πρὸς λέξιν καὶ οὐκ αὐτὸς μόνος, ἀλλὰ μὴν καὶ Εὔδοξός τε ὁ πολὺς, Δημόκριτος πρῶτος αὐτῶν Βάῤῥων τε ὁ Ῥωμαῖος, Ἵππαρχος, Μητρόδωρος καὶ μετ' αὐτοῦ ὁ Καῖσαρ περὶ τῆς ἐφημέρου τῶν φαινομένων ἐπιτολῆς τε καὶ δυσμῶν.

Schol. post Ptolem. de apparent.: Ἀνέγραψε τὰς ἐπισημασίας καὶ κατέταξε κατά τε Αἰγυπτίους καὶ Δοσίθεον, Φίλιππον, Κάλλιππον, Εὐκτήμονα, Μέτωνα, Κόνωνα, Μητρόδωρον, Εὔδοξον, Καίσαρα, Δημόκριτον, Ἵππαρχον. — Διὸ δεῖ μάλιστα ἐφαρμόζειν τὰς μὲν τῶν Αἰγυπτίων ἐπισημασίας ταῖς περὶ τοῦτον τὸν παράλληλον χώραις, τουτέστι καθ' ὃν ἡ μεγίστη τῶν ἡμερῶν ὡρῶν ἐστι ιδ' ἰσημερινῶν, τὰς δὲ Δοσιθέου καὶ Φιλίππου, καθ' ὅν ἐστιν ἡ μεγίστη τῶν ἡμερῶν ὡρῶν ιδ' ς'', τὰς δὲ Δημοκρίτου καὶ Καίσαρος καὶ Ἱππάρχου, καθ' ὃν καὶ ἡ μεγίστη τῶν ἡμερῶν ὡρῶν ἐστιν ἰσημερινῶν ιε' *cett.*

Plin. hist. nat. XVIII, 26, 234: A bruma [*Ptolem. de app. Choeac* 29: Καίσαρι καὶ Μητροδώρῳ ἐπισημασία, ἀκρασία] in fauonium Caesari nobilia sidera significant: III Kal. Ian. matutino canis occidens. Pridie Non. Ian. Caesari delphinus matutino oritur et postero die fidicula. Item ad VI Id. Ian. eiusdem delphini uespertino occasu continui dies hiemant Italiae [*Ptolem. de app. Tybi* 15: Καίσαρι νότος πολὺς καὶ ἐπισημαίνει, κατὰ θάλασσαν βροντὴ καὶ ψεκάς], et cum sol in aquarium sentitur transire, quod fere XVI Kal. Febr. euenit [*Ptolem. de app. Tybi* 22: Καίσαρι ἄνεμοι σφοδροί. *eiusd.* 24: Καίσαρι καὶ Εὐκτήμονι χειμών. *Ioann. Lyd. de mens. p.* 59, 14 *Bekk.*: Πρὸ δεκαμιᾶς καλανδῶν Φεβρουαρίων τὸν ἥλιον ἐν ὑδροχόῳ γενέσθαι ὁ Καῖ-

1 ταῦτα] *σημείωσιν ἐπιτολῶν τε καὶ δυσμῶν τῶν ἐν οὐρανῷ φαινομένων inde a p.* 357 *positam.* 2 *Κλώδιος Caseolinus.* 4 *αὐτῶν regius prior, αὐτῷ Caseolinus.* *Βόῤῥων Caseolinus.* 5 *αὐτοὺς regius prior.* 7 *ἀνέγραψε* — (8) *κατέταξε*] *Ptolemaeus. ἀνέγραψα — κατέταξα Sauilianus.* 10 *διὸ*] *quia alii aliis locis obseruarunt.* *δεῖ* — (11) *ἐφαρμόζειν Petauius, δὴ — ἐφαρμόζει cod. eius.* 18 Choeac 29] VIII *Kal. Ian., ipsa bruma secundum Plin. h. l.* 25, 221. *Καίσαρι καὶ Μητροδώρῳ om. Petauius.* *ἐπισημαίνει Petauius.* 23 Tybi 15] IV *Id. Ian.* *Καίσαρι om. Petauius.* 24 *ψεκᾶς Sauilianus, ψακὰς Petauius.* 25 Tybi 22] XVI *Kal. Febr.* 26 *ἄνεμος σφόδρα Petauius.* eiusd. 24] XIV *Kal. Febr.* *Καίσαρι καὶ Εὐκτήμονι χειμὼν om. Petauius.*

σαρ λέγει]. VIII Kal. stella regia appellata Tuberoni in pectore leonis occidit matutino et pridie Non. Febr. fidicula uesperi.

Plin. hist. nat. XVIII, 26, 237: A fauonio [*Ptolem. de app. Mechir.* 13: *Καίσαρι ὑετία. eiusd.* 16: *Καίσαρι καὶ Μητροδώρῳ ἔαρος ἀρχή· ζέφυρος ἄρχεται πνεῖν*] in aequinoctium uernum Caesari significat XIV Kal. Mart. triduum uarie et VIII Kal. hirundinis uisu et postero die arcturi exortu uespertino [*Ptolem. de app. Phamenoth* 1: *Καίσαρι καὶ Δοσιθέῳ χειμών· ἐπισημαίνει*]; item III Non. Mart. Caesar cancri exortu id fieri obseruauit. [*Ptolem. de app. Phamenoth* 10: *Καίσαρι χελιδονίαι πνέουσιν ἐπὶ ἡμέρας δέκα.*] Caesar et Idus Martias ferales sibi annotauit scorpionis occasu, XV uero Kal. April. Italiae miluum ostendi [*Ptolem. de app. Phamenoth* 24: *Καίσαρι ἰκτῖνος φαίνεται· βορέας πνεῖ*], XII Kal. equum occidere matutino. *Ptolem. de app. Phamenoth* 27: *Καίσαρι βορέας πνεῖ.*

Plin. hist. nat. XVIII, 26, 246: Aequinoctium uernum a. d. VIII Kal. April. peragi uidetur. Ab eo ad uergiliarum exortum matutinum Caesari significant Kalendae April. III Non. April. in Attica uergiliae uespere occultantur, eaedem postridie in Boeotia, Caesari autem et Chaldaeis Nonis. Caesari VI Idus significatur imber librae occasu. [*Ptolem. de app. Pharmuthi* 18: *Καίσαρι ὑετία.*] XIV Kal. Mai. Aegypto suculae occidunt uesperi, sidus uehemens et terra marique turbidum, XVI Atticae, XV Caesari continuoque triduo significat [*Ptolem. de app. Pharmuthi* 22: *Καίσαρι, Εὐδόξῳ ὑετία. eiusd.* 27: *Καίσαρι χειμαίνει*]. Caesari a. d. VIII Kalendas notatur dies. [*Ptolem. de app. Pachon* 4: *Καίσαρι χειμών.*] VI Non. Mai. Caesari suculae matutino exoriuntur et VIII Idus capella pluuialis. Sic fere in VI Id. Mai., qui est uergiliarum exortus, decurrunt sidera.

4 Mechir 13] VII *Id. Febr., quo die Clodius Tuscus ap. Lyd. de ostent. p.* 360, 7. *Colum. XI*, 2, 15 *fauonium incipere dicunt consentiente Plinio XVIII,* 25, 223, *ubi id die* XLV *post brumam accidere refert; II,* 47, 122 VI *Idus ponit.* eiusd. 16] IV *Id. Febr.* 6 XIV] XVII *ante Harduinum.* 8 Phamenoth 1] V *Kal. Mart.* χειμών· ἐπισημαίνει] *χειμάζει Petauius.* 10 Phamenoth 10] *pridie Non. Mart. Quae sequuntur, apud Petauium posita sunt ad Phamenoth* 9. *Sed cum Idelerus φάσιν, quae hanc ἐπισημασίαν praecedit, ad diem* 10 *retulerit, ibique in Sauiliano legatur Καίσαρι χελιδονίαν, illa eodem transtuli.* 13 Phamenoth 24] XIII *Kal. April.* 15 Phamenoth 27] X *Kal. April.* 21 Pharmuthi 18] *Id. April.* 24 Pharmuthi 22] XV *Kal. Mai.* 25 eiusd. 27] X *Kal. Mai.* 26 a. d.] et *regii apud Broterium.* Pachon 4] III *Kal. Mai.* 27 *χειμαίνει Petauius.*

Plin. hist. nat. XVIII, 27, 255: A uergiliarum exortu significant Caesari postridie arcturi occasus matutinus [*Ptolem. de app. Pachon* 17: *Καίσαρι ὑετία*], III Id. Mai. fidiculae exortus [*Ptolem. de app. Pachon* 20: *Καίσαρι ἐπισημαίνει· ὑετία. eiusd.* 21: *Καίσαρι ἐπισημαίνει*], XII Kal. Iun. capella uesperi occidens [*Ptolem. de app. Pachon* 26: *Καίσαρι χειμάζει*]. XI Kalendas Caesari orionis gladius occidere incipit. [*Ptolem. de app. Payni* 6: *Καίσαρι νότος πνεῖ.*] III Non. Iun. Caesari et Assyriae aquila uesperi oritur. [*Ptolem. de app. Payni* 10: *Καίσαρι ὑετία. eiusd.* 11: *Καίσαρι βροντή, ὑετός.*] VIII Idus arcturus matutino occidit Italiae, VI et IV Idus delphinus uesperi exoritur. XVII Kal. Iul. gladius orionis oritur. XI Kalendas eiusdem orionis gladius Caesari occidere incipit. VIII Kal. Iul. uero longissimus dies totius anni et nox breuissima solstitium conficiunt.

Plin. hist. nat. XVIII, 28, 268: A solstitio ad fidiculae occasum VI Kal. Iul. Caesari orion exoritur. [*Ptolem. de app. Epiphi* 8: *Καίσαρι νότος καὶ καῦμα. eiusd.* 19: *Καίσαρι ἄνεμος πολὺς πνεῖ.*] XVI Kal. Aug. Assyriae procyon exoritur, dein postridie fere ubique confessum inter omnes sidus indicans, quod canis ortum uocamus, sole partem primam leonis ingresso. Hoc fit post solstitium XXIII die. Sentiunt id maria et terrae, multae uero et ferae, ut suis locis diximus, accenditque solem et magnam aestus obtinet causam. XIII Kal. Aug. Aegypto aquila occidit matutino, etesiarumque prodromi flatus incipiunt [*Ptolem. de app. Epiphi* 27: *Καίσαρι πρόδρομοι πνέουσι*], quod Caesar X Kal. sentire Italiam existimauit. [*Ptolem. de app. Mesori* 1: *Καίσαρι νότος.*] III Kalendas regia in pectore leonis stella matutino Caesari emergit

3 Pachon 17] IV *Id. Mai.* 4 Pachon 20] *Id. Mai. In Sauiliano est* 22. eiusd. 21] XVII *Kal. Iun. In Sauiliano est* 23. 6 Pachon 26] XII *Kal. Iun.* *Καίσαρι χειμάζει om. Petauius.* 7 Payni 6] *pridie Kal. Iun.* 8 *Καίσαρι νότος πνεῖ om. Petauius.* 9 Payni 10] *pridie Non. Iun.* *ὑετία*] *βρονταὶ καὶ ὑετὸς Petauius.* eiusd. 11] *Non. Iun.* 10 *Καίσαρι βροντή, ὑετὸς om. Petauius.* VII Idus *regii Broterii.* 12 XI Kalendas — (13) incipit *delet Petauius.* 13 longissimus *regii primus et secundus,* longissima *edd.* 17 Epiphi 8] VI *Non. Iul. In Sauiliano est* 9, *Petauius* 8 *et* 9 *coniungit, sed Idelerus praecedentem φάσιν die* 8 *collocat.* eiusd. 19] III *Id. Iul. In Sauiliano est* 20.

23 XIII *Harduinus,* XVIII *codd. Cf. Plin. II,* 47, 124. 24 Epiphi 27] XII *Kal. Aug.* 25 *Καίσαρι — πνέουσι om. Petauius.* 26 Mesori 1] VIII *Kal. Aug.* *Καίσαρι νότος om. Petauius.* 27 emergit *Petauius* (*uar. diss. II,* 8), immergit *codd. Harduini et Broterii;* immergitur *edd.*

[*Ptolem. de app. Mesori* 7: *Καίσαρι νότος πνεῖ. eiusd.* 10: *Καίσαρι ἐπισημαίνει*], VIII Id. Aug. arcturus medius occidit, III Idus fidicula occasu suo autumnum inchoat, uti is annotat.

Plin. hist. nat. XVIII, 31, 309: Sequitur ex diuisione temporum autumnus a fidiculae occasu ad aequinoctium ac deinde uergiliarum occasum initiumque hiemis. In his interuallis significant pridie Id. Aug. Atticae equus oriens uesperi, Aegypto et Caesari delphinus occidens. [*Ptolem. de app. Mesori* 20: *Καίσαρι ἐπισημαίνει. eiusd.* 21: *Καίσαρι ἐπισημαίνει· πνιγετός. eiusd.* 23: *Καίσαρι περίστασις.*] XI Kal. Sept. Caesari et Assyriae stella, quae uindemitor appellatur, exoriri mane incipit uindemiae maturitatem promittens [*Ptolem. de app. Mesori* 29: *Καίσαρι ἐπισημαίνει. epagom.* 2: *Καίσαρι ἐπισημαίνει. Thoth* 3: *Καίσαρι ἄνεμος, ὑετὸς, βρονταί. eiusd.* 8: *Καίσαρι ἄνεμοι μεταπίπτοντες, ὑετία· καὶ ἐτησίαι παύονται*]. V Id. Sept. Caesari capella oritur uesperi [*Ptolem. de app. Thoth* 14: *Καίσαρι βορέαι παύονται πνέοντες*], arcturus uero medius pridie Idus uehementissimo significatu terra marique per dies quinque. XVI Kal. Oct. Aegypto spica, quam tenet uirgo, exoritur matutino, etesiaeque desinunt. [*Ptolem. de app. Thoth* 20: *Καίσαρι μετοπώρου ἀρχή· καὶ χελιδὼν ἀφανίζεται.*] Hoc idem Caesari XIV Kalendas, XIII Assyriae significant [*Ioann. Lyd. de mens. p.* 106, 15 *Bekk.*: *Τῇ πρὸ δεκαδύο καλανδῶν Ὀκτωβρίων Καῖσαρ τὰς χελιδόνας ἐκδημεῖν λέγει*] et XI Kalendas Caesari commissura piscium occidens ipsumque aequinoctii sidus VIII Kal. Oct.

Plin. hist. nat. XVIII, 31, 312: Caesari V Kal. heniochus occidit matutino. III Kal. Caesari corona exoriri incipit, et postridie occidunt hoedi uesperi. [*Ptolem. de app. Paophi* 6: *Καίσαρι χειμών, ὑετὸς, βρονταὶ, ἀστραπαί.*] VIII Id. Oct. Caesari fulgens in corona stella oritur et III Idus uergiliae uesperi [*Ptolem. de app. Paophi* 16: *Καίσαρι ἄνεμος ἄτακτος, ὑετὸς, βρονταί*],

1 Mesori 7] *pridie Kal. Aug.* eiusd. 10] III *Non. Aug.* 8 Mesori 20] *Id. Aug.* 9 eiusd. 21] XIX *Kal. Sept.* eiusd. 23] XVII *Kal. Sept.* 12 Mesori 29] XI *Kal. Sept.* 13 epagom. 2] VIII *Kal. Sept.* Thoth 3] *pridie Kal. Sept.* *Καίσαρι om. Petauius.* 14 eiusd. 8] *Non. Sept.* *Καίσαρι* — (15) *παύονται om. Petauius.* 16 Thoth 14] III *Id. Sept.* 20 Thoth 20] XV *Kal. Oct.* *Καίσαρι* — (21) *ἀφανίζεται om. Petauius.* 26 *Ab aequinoctio ad initium hiemis.* 28 Paophi 6] V *Non. Oct.* 29 *χειμὼν — ἀστραπαί*] *ὄμβρος Petauius.* 31 Paophi 16] III *Id. Oct.* *Καίσαρι — βρονταὶ om. Petauius.*

Idibus corona tota. [*Ptolem. de app. Paophi* 26: *Καίσαρι βορέας πνεῖ.*] VI Kal. Nou. suculae uesperi exoriuntur. Pridie Kalendas Caesari arcturus occidit, et suculae exoriuntur cum sole [*Ptolem. de app. Athyr* 4: *Καίσαρι καὶ Μητροδώρῳ ἄνεμοι· χειμάζει*]. IV Nonas arcturus occidit uesperi [*Ptolem. de app. Athyr* 6: *Καίσαρι καὶ Ἱππάρχῳ νότος ἢ βορρᾶς ψυχρός*]. V Id. Nou. gladius orionis occidere incipit. Deinde III Idus uergiliae occidunt.

Ptolem. de app. Athyr 19: *Καίσαρι χειμάζει. eiusd.* 20: *Καίσαρι χειμάζει. eiusd.* 21: *Καίσαρι χειμών. eiusd.* 25: *Καίσαρι ἀκρασία ἀέρος. Choeac* 5: *Καίσαρι καὶ Εὐκτήμονι καὶ Εὐδόξῳ καὶ Καλλίππῳ χειμών. eiusd.* 7: *Καίσαρι καὶ Κόνωνι χειμάζει. eiusd.* 8: *Καίσαρι καὶ Εὐκτήμονι καὶ Εὐδόξῳ χειμών. eiusd.* 12: *Καίσαρι νοτία. eiusd.* 13: *Καίσαρι νοτία. eiusd.* 20: *Καίσαρι χειμάζει. eiusd.* 28: *Καίσαρι χειμών.*

ANTICATONES DVO (*a.* 45).

Sueton. Caes. 56: Reliquit et de analogia duos libros et Anticatones totidem ac praeterea poëma, quod inscribitur iter. Quorum librorum primos in transitu Alpium, cum ex citeriore Gallia conuentibus peractis ad exercitum rediret, sequentes sub tempus Mundensis proelii fecit, nouissimum, dum ab urbe in Hispaniam ulteriorem quarto et uicesimo die peruenit.

Plut. Caes. 54: *Ὁ μὲν οὖν μετὰ ταῦτα γραφεὶς ὑπ' αὐτοῦ πρὸς Κάτωνα τεθνεῶτα λόγος οὐ δοκεῖ πρᾴως ἔχοντος*

1 Paophi 26] x *Kal. Nou.* *Καίσαρι — πνεῖ om. Petauius.* 4 Athyr 4] *pridie Kal. Nou.* *καὶ*] *ἢ Petauius.* *ἄνεμος Petauius.* 5 Athyr 6] IV *Non. Nou.* 6 *Καίσαρι καὶ Ἱππάρχῳ om. Petauius.* *βορρᾶς ἢ νότος Petauius.* 8 *Ab initio hiemis ad brumam.* Athyr 19] XVII *Kal. Decemb.* eiusd. 20] XVI *Kal. Decemb.* 9 eiusd. 21] XV *Kal. Decemb.* *Καίσαρι χειμὼν om. Petauius.* eiusd. 25] XI *Kal. Decemb.* *Καίσαρι* — (10) *ἀέρος om. Petauius.* 10 Choeac 5] *Kal. Decemb.* *Καίσαρι, Εὐκτήμονι, Καλλίππῳ χειμαίνει Petauius.* 11 eiusd. 7] III *Non. Decemb.* *Καίσαρι* — (12) *χειμάζει*] *καὶ χειμαίνει Petauius.* 12 eiusd. 8] *pridie Non. Decemb.* *Καίσαρι καὶ Εὐκτήμονι καὶ om. Petauius.* *χειμαίνει Petauius.* 13 eiusd. 12] VI *Id. Decemb.* *Καίσαρι νοτία om. Petauius.* eiusd. 13] V *Id. Decemb.* *Καίσαρι νοτία et deinde Εὐκτήμονι καὶ Εὐδόξῳ καὶ Καλλίππῳ χειμῶνος ἀὴρ καὶ ὑετία Sauilianus, Καίσαρι χειμέριος ἀὴρ, ὑετὸς Petauius.* 14 eiusd. 20] XVII *Kal. Ian.* eiusd. 28] IX *Kal. Ian.* *Καίσαρι χειμών*] *χειμαίνει Petauius.* 15 *Cf. Cic. ad Att. XII*, 40, 1. 41, 4. *XIII*, 50, 1. 51, 1. *Tac. ann. IV*, 34. *Iuu.* 6, 338 *ibique schol. Marcian. Cap. V p.* 152 *Grot. Hieronym. VI p.* 54 *Vallars. Plut. Cic.* 39. *Appian. b. ciu. II*, 99. *Cass. Dio XLIII*, 13.

οὐδὲ εὐδιαλλάκτως σημεῖον εἶναι. Πῶς γὰρ ἂν ἐφείσατο ζῶντος εἰς ἀναίσθητον ἐκχέας ὀργὴν τοσαύτην; Τῇ δὲ πρὸς Κικέρωνα καὶ Βροῦτον αὐτοῦ καὶ μυρίους ἄλλους τῶν πεπολεμηκότων ἐπιεικείᾳ τεκμαίρονται καὶ τὸν λόγον ἐκεῖνον οὐκ ἐξ ἀπεχθείας, ἀλλὰ φιλοτιμίᾳ πολιτικῇ συντετάχθαι διὰ τοιαύτην αἰτίαν. Ἔγραψε Κικέρων ἐγκώμιον Κάτωνος ὄνομα τῷ λόγῳ θέμενος Κάτωνα· καὶ πολλοῖς ὁ λόγος ἦν διὰ σπουδῆς, ὡς εἰκὸς, ὑπὸ τοῦ δεινοτάτου τῶν ῥητόρων εἰς τὴν καλλίστην πεποιημένος ὑπόθεσιν. Τοῦτο ἠνία Καίσαρα κατηγορίαν αὐτοῦ νομίζοντα τὸν τοῦ τεθνηκότος δι' αὐτὸν ἔπαινον. Ἔγραψεν οὖν πολλάς τινας κατὰ τοῦ Κάτωνος αἰτίας συναγαγών· τὸ δὲ βιβλίον Ἀντικάτων ἐπιγέγραπται.

Idem ibid. 3: *Ἐν τῇ πρὸς Κικέρωνα περὶ Κάτωνος ἀντιγραφῇ παραιτεῖται μὴ στρατιωτικοῦ λόγον ἀνδρὸς ἀντεξετάζειν πρὸς δεινότητα ῥήτορος εὐφυοῦς καὶ σχολὴν ἐπὶ τοῦτο πολλὴν ἄγοντος.*

Idem Cic. 39: *Ἐκ δὲ τούτου διετέλει τιμῶν καὶ φιλοφρονούμενος, ὥστε καὶ γράψαντι λόγον ἐγκώμιον Κάτωνος ἀντιγράφων τόν τε λόγον αὐτοῦ καὶ τὸν βίον ὡς μάλιστα τῷ Περικλέους ἐοικότα καὶ Θηραμένους ἐπαινεῖν.*

Plin. hist. nat. VII, 30, 117: Salue primus omnium parens patriae appellate, primus in toga triumphum linguaeque lauream merite et facundiae Latiarumque litterarum parens atque, ut dictator Caesar hostis quondam tuus de te scripsit, omnium triumphorum lauream adepte maiorem, quanto plus est ingenii Romani terminos in tantum promouisse quam imperii.

Cic. Top. 25, 94: Cum aliquid de utilitate, honestate, aequitate disseritur deque iis rebus, quae his sunt contrariae, incurrunt status aut iuris aut nominis; quod idem contingit in laudationibus. Nam aut negari potest id factum esse, quod laudetur, aut non eo nomine afficiendum, quo laudator affecerit, aut omnino non esse laudabile, quod non recte, non iure factum sit. Quibus omni-

17 *διετέλει τιμῶν] Caesar Ciceronem.* 21 *De Cicerone dicit Plinius. Haec Ursinus ad libros de analogia retulerat reprehensus eo nomine a Scaligero, qui inter incerta collocauit. Et sane si Caesar haec in analogicis scripsisset, a Cicerone in Bruto* 72, 253 *non essent praetermissa. Verum cum Ciceronem a Caesare in Anticatone magnifice laudatum esse ex Plutarcho constet, inde haec a Plinio desumpta esse existimaui.* 27 *Cf. Quintil. III*, 7, 28. aequalitate *Einsiedlensis.* 29 continet *Sangallensis.*

bus generibus usus est nimis impudenter Caesar contra Catonem meum.

Priscian. p. 694 *P.*: Caesar in Anticatone priore: 'Vno enim excepto, quem aliusmodi atque omnis natura finxit, suos quisque habet caros'.

Gell. IV, 16: C. Caesar in Anticatone 'Vnius', inquit, 'arrogantiae superbiaeque dominatuque'.

Plin. epist. III, 12: Erunt officia antelucana; in quae incidere impune ne Catoni quidem licuit. Quem tamen C. Caesar ita reprehendit, ut laudet. Describit enim eos, quibus obuius fuerat, cum caput ebrii retexissent, erubuisse; deinde adicit: 'Putares non ab illis Catonem, sed illos a Catone deprehensos'.

Plut. Cat. min. 11: *Τῆς δὲ κληρονομίας εἰς αὐτόν τε καὶ θυγάτριον τοῦ Καπίωνος ἡκούσης οὐθὲν ὧν ἀνήλωσε περὶ τὸν τάφον ἀπῄτησεν ἐν τῇ νεμήσει. Καὶ ταῦτα πράξαντος αὐτοῦ καὶ πράττοντος ἦν ὁ γράψας, ὅτι κοσκίνῳ τὴν τέφραν τοῦ νεκροῦ μετέβαλε καὶ διήθησε χρυσίον ζητῶν κατακεκαυμένον. Οὕτως οὐ τῷ ξίφει μόνον, ἀλλὰ καὶ τῷ γραφείῳ τὸ ἀνυπεύθυνον καὶ τὸ ἀνυπόδικον ἐπίστευσεν.*

Idem ibid. 36: *Οὔσης δὲ πολλῆς καὶ βασιλικῆς ἐν ἐκπώμασι καὶ τραπέζαις καὶ λίθοις καὶ πορφύραις κατασκευῆς, ἣν ἔδει πραθεῖσαν ἐξαργυρισθῆναι, πάντα βουλόμενος ἐξακριβοῦν καὶ πάντα κατατείνειν εἰς ἄκραν τιμὴν καὶ πᾶσιν αὐτὸς παρεῖναι καὶ προσάγειν τὸν ἔσχατον ἐκλογισμὸν οὐδὲ τοῖς ἔθεσι τῆς ἀγορᾶς ἐπίστευεν, ἀλλὰ ὑπονοῶν ὁμοῦ πάντας, ὑπηρέτας, κήρυκας, ὠνητάς, φίλους, τέλος αὐτὸς ἰδίᾳ τοῖς ὠνουμένοις διαλεγόμενος καὶ προσβιβάζων ἕκαστον οὕτω τὰ πλεῖστα τῶν ἀγορασμάτων ἐπώλει. Διὸ τοῖς τε ἄλλοις φίλοις ὡς ἀπιστῶν προσέκρουσε καὶ τὸν συνηθέστατον ἁπάντων Μουνάτιον εἰς ὀργὴν ὀλίγου δεῖν ἀνήκεστον γενομένην ἐνέβαλεν, ὥστε καὶ Καίσαρι γράφοντι λόγον κατὰ τοῦ Κάτωνος πικροτάτην τοῦτο τὸ μέρος τῆς κατηγορίας διατριβὴν παρασχεῖν.*

Idem ibid. 52: *Τῆς δὲ οἰκίας καὶ τῶν θυγατέρων κηδε-*

3 *Eadem leguntur apud eund. p.* 717. 740. 960: *apud Krehlium loci sunt I p.* 243. 276. 305. 566. C. Caesar *Priscian. p.* 960 *P. I p.* 566 *Kr.* 4 quisque suos *Putschius p.* 740. 5 habere *Krehlius I p.* 243. 13 *τῆς δὲ κληρονομίας*] *fratris Caepionis.* 18 *τὸ — (19) τὸ cod. Sirleti et Iannoctii, τὸν — τὸν ceteri.* 20 *De rebus a Catone Cypri administratis refertur.*

μόνος δεομένων ἀνέλαβε πάλιν τὴν Μαρκίαν χηρεύουσαν ἐπὶ χρήμασι πολλοῖς. Ὁ γὰρ Ὁρτήσιος θνήσκων ἐκείνην ἀπέλιπε κληρονόμον. Εἰς ὃ δὴ μάλιστα λοιδορούμενος ὁ Καῖσαρ τῷ Κάτωνι φιλοπλουτίαν προφέρει καὶ μισθαρνίαν ἐπὶ τῷ γάμῳ. Τί γὰρ ἔδει παραχωρεῖν δεόμενον γυναικὸς ἢ τί μὴ δεόμενον αὖθις ἀναλαμβάνειν, εἰ μὴ δέλεαρ ἐξ ἀρχῆς ὑφείθη τὸ γύναιον Ὁρτησίῳ καὶ νέαν ἔχρησεν, ἵνα πλουσίαν ἀπολάβῃ;

Idem ibid. 54: *Ἐκπεμφθεὶς δὲ εἰς Ἀσίαν, ὡς τοῖς ἐκεῖ συνάγουσι πλοῖα καὶ στρατιὰν ὠφέλιμος γένοιτο, Σερβιλίαν ἐπηγάγετο τὴν ἀδελφὴν καὶ τὸ Λευκούλλου παιδίον ἐξ ἐκείνης γεγονός. Ἠκολούθησε γὰρ αὐτῷ χηρεύουσα καὶ πολὺ τῶν εἰς τὸ ἀκόλαστον αὐτῆς διαβολῶν ἀφεῖλεν ὑποδῦσα τὴν ὑπὸ Κάτωνι φρουρὰν καὶ πλάνην καὶ δίαιταν ἑκουσίως. Ἀλλ᾽ ὅ γε Καῖσαρ οὐδὲ τῶν ἐπ᾽ ἐκείνῃ βλασφημιῶν τοῦ Κάτωνος ἐφείσατο.*

APOPHTHEGMATA SIVE DICTA COLLECTANEA.

Sueton. Caes. 56: Feruntur et a puero et ab adolescentulo quaedam scripta, ut laudes Herculis, tragoedia Oedipus, item dicta collectanea; quos omnes libellos uetuit Augustus publicari.

Cic. ad Fam. IX, 16, 3: Effugere autem si uelim nonnullorum acute aut facete dictorum *famam,* fama ingenii mihi est abicienda; quod si possem, non recusarem. Sed tamen ipse Caesar habet peracre iudicium, et ut Seruius, frater tuus, quem litteratissimum fuisse iudico, facile diceret: hic uersus Plauti non est, hic est, quod tritas aures haberet notandis generibus poëtarum et consuetudine legendi, sic audio Caesarem, cum uolumina iam confe-

4 *προφέρει Palatinus et Parisinus* 1673, *προσφέρει ceteri.* 10 *ἀδελφιδὴν codd. praeter duos.* 15 *Fieri potest, ut ea quoque, quae Plutarchus Cat. min.* 11 (*ταῦτα γάρ ἔνιοι cett.*) 39 (*cf. Vell. II*, 45) 44. 57 *in Catone reprehensa esse refert, ex Caesaris Anticatone petita sint.* 16 *Cum Maduigius ad Cic. de fin. IV*, 26, 72 collectanea *et pleraque eiusdem exitus uocabula post Ciceronem nata esse annotasset, Wesenbergius in addendd. Caesaris librum non ab ipso Caesare, sed a Suetonio* dicta collectanea *appellatum esse suspicatur. Quod ut uerum esse potest, ita nihil impedit, quo minus, ut Cicero illo loco primus* reiectanea *scripsit, sic Caesarem primum* collectanea *dixisse statuamus. Ciceronis, cuius epistola ad Fam. IX*, 16 *anno* 46 *scripta est, et Suetonii testimonia de tempore, quo hic liber a Caesare scriptus sit, recte Drumannus ita uidetur inter se conciliare, ut librum ab adolescente inchoatum etiam extremis uitae annis auctum statuat.* 17 a puero et] ait uero *Memmianus.* 21 famam *Victorius, om. Mediceus.* 22 si *Ernestius,* si id *codd.*

cerit ἀποφθεγμάτων, si quod afferatur ad eum pro meo, quod meum non sit, reicere solere; quod eo nunc magis facit, quod uiuunt mecum fere cotidie illius familiares. Incidunt autem in sermone uario multa, quae fortasse illis, cum dixi, nec illitterata nec insulsa esse uideantur. Haec ad illum cum reliquis actis perferuntur: ita enim ipse mandauit. Sic fit, ut, si quid praeterea de me audiat, non audiendum putet.

EPISTOLAE.

Sueton. Caes. 56: Epistolae quoque eius ad senatum extant; quas primus uidetur ad paginas et formam memorialis libelli conuertisse, cum antea consules et duces non nisi transuersa charta scriptas mitterent. Extant et ad Ciceronem, item ad familiares domesticis de rebus; in quibus si qua occultius perferenda erant, per notas scripsit id est sic structo litterarum ordine, ut nullum uerbum effici posset; quae si quis inuestigare et persequi uelit, quartam elementorum litteram id est d pro a et perinde reliquas commutet.

Gell. XVII, 9: Libri sunt epistolarum C. Caesaris ad C. Oppium et Balbum Cornelium, qui rebus eius absentis curabant. In his epistolis quibusdam in locis inueniuntur litterae singulariae sine coagmentis syllabarum, quas tu putes positas incondite: nam uerba ex his litteris confici nulla possunt. Erat autem conuentum inter eos clandestinum de commutando situ litterarum, ut in scripto quidem alia aliae locum et nomen teneret, sed in legendo locus cuique suus et potestas restitueretur. Quaenam uero littera pro qua scriberetur, ante iis, sicuti dixi, complacebat, qui hanc scribendi latebram parabant. Est adeo Probi grammatici commentarius satis curiose factus de occulta litterarum significatione epistolarum C. Caesaris † scriptarum.

AD M. TVLLIVM CICERONEM.

(*a.* 56.)

Cic. ad. Fam. I, 9, 12: In hac sententia complectendus erat mihi Caesar, ut uides, in coniuncta et causa et dignitate. Hic mul-

10 primus *cod. Vrsini*, primum *reliqui.* 15 qui *Memmianus.* uelit *Ernestius*, uellet *codd.* 19 rebus *regius*, res *ceteri fere omnes.* 29 scriptarum *hic ineptum est. Aut excidit ad quos uel quemadmodum 'epistolae scriptae essent, aut ipsum* scriptarum *corruptum est.*

Iulius Victor p. 266 *Or.*: Solent etiam notas inter se secretiores pacisci, quod et Caesar et Augustus et Cicero et alii plerique fecerunt.

tum ualuit cum uetus amicitia, quam tu non ignoras mihi et Quinto fratri cum Caesare fuisse, tum humanitas eius ac liberalitas breui tempore et litteris et officiis perspecta nobis et cognita.

Idem ibid. VII, 5, 3: De quo tibi homine haec spondeo, non illo uetere uerbo meo, quod, cum ad te de Milone scripsissem, iure lusisti, sed more Romano, quo modo homines non inepti loquuntur: probiorem hominem, meliorem uirum, pudentiorem esse neminem.

(*a.* 55.)

Cic. ad. Fam. I, 9, 20: Cum Pompeius ita contendisset, ut nihil umquam magis, ut cum Crasso redirem in gratiam, Caesarque per litteras maxima se molestia ex illa contentione affectum ostenderet *cett.*

(*a.* 54.)

Cic. ad Fam. VII, 5, 2: Cum de hoc ipso Trebatio cum Balbo nostro loquerer accuratius domi meae, litterae mihi dantur a te, quibus in extremis scriptum erat: † 'M. itfiuium, quem mihi commendas, uel regem Galliae faciam, uel hunc Leptae delega, si uis tu; ad me alium mitte, quem ornem'.

Cic. ad Q. fr. II, 15, 1: A. d. IIII Non. Iun., quo die Romam ueni, accepi tuas litteras datas Placentiae, deinde alteras postridie datas Blandenone cum Caesaris litteris refertis omni officio, diligentia, suauitate. Sunt ista quidem magna uel potius maxima: habent enim uim magnam ad gloriam et ad summam dignitatem. Sed mihi crede, quem nosti, quod in istis rebus ego plurimi aestimo, id iam habeo, te scilicet primum tam inseruientem communi dignitati, deinde Caesaris tantum in me amorem, quem omnibus iis honoribus, quos me a se expectare uult, antepono. Litterae uero eius una datae cum tuis, quarum initium est, quam suauis ei tuus aduentus fuerit et recordatio ueteris amoris, deinde, se effecturum, ut ego in medio dolore ac desiderio tui te, cum a

5 *De Milone Cicero ad Caesarem uidetur scripsisse, ut illius petitionem praeturae ei commendaret. Nam cum Milo anno* 58 *tribunatum inierit, anno* 53 *consulatum petierit, praetor anno* 55 *fuerit necesse est.*
12 ex illa contentione] *Ciceronis cum Crasso, cum hic Gabinium cum contumelia Ciceronis defendisset.* 17 m. itfiuium *Mediceus;* M. Orfium *Victorius,* M. Furium *Cratander,* M. Rufum *'antiquus liber' apud Manutium.* 21 Placentiae *Mediceus,* Placentia *ed. Orellii.* 22 Blandenone] Laude Nonis *Sigonius.* 23 quidem] uel *add. Mediceus.* 28 his *Mediceus.*

me abesses, potissimum secum esse laetarer, incredibiliter delectarunt. 2: Modo mihi date Britanniam, quam pingam coloribus tuis, penicillo meo. Sed quid ago? Quod mihi tempus Romae praesertim, ut iste me rogat, manenti uacuum ostenditur? 3: Trebatium quod ad se miserim, persalse et humaniter etiam gratias mihi agit. Negat enim in tanta multitudine eorum, qui una essent, quemquam fuisse, qui uadimonium concipere posset.

Cic. ad Fam. VII, 8, 1: Scripsit ad me Caesar perhumaniter nondum te sibi satis esse familiarem propter occupationes suas, sed certe fore.

Idem ibid. 17, 2: Cum uiderem me a Caesare honorificentissime tractari et unice diligi hominisque liberalitatem incredibilem et singularem fidem nossem, sic ei te commendaui et tradidi, ut grauissime diligentissimeque potui. Quod ille ita et accepit et mihi saepe litteris significauit et tibi et uerbis et re ostendit mea commendatione sese ualde esse commotum.

Idem ibid. I, 9, 19: De Vatinio primum reditus intercesserat in gratiam per Pompeium, statim ut ille praetor est factus. Post autem Caesaris, ut illum defenderem, mira contentio est consecuta.

Cic. ad Q. fr. II, 16, 5: Sed heus tu, celari uideor a te. Quomodonam, mi frater, de nostris uersibus Caesar? Nam primum librum se legisse scripsit ad me ante et prima sic, ut neget se ne Graeca quidem meliora legisse, reliqua ad quendam locum ῥᾳθυμότερα. Hoc enim utitur uerbo.

Idem ibid. III, 1, 10: De tribunatu quod scribis, ego uero nominatim petiui Curtio, et mihi ipse Caesar nominatim Curtio paratum esse rescripsit meamque in rogando uerecundiam obiurgauit.

Cic. ad Att. IV, 16, 13: Ex fratris litteris incredibilia quaedam de Caesaris in me amore cognoui, eaque sunt ipsius Caesaris uberrimis litteris confirmata. Britannici belli exitus expectatur. Constat enim aditus insulae esse munitos mirificis molibus. Etiam illud iam cognitum est, neque argenti scripulum esse ullum in illa insula neque ullam spem praedae nisi ex mancipiis.

Cic. ad Q. fr. III, 1, 17: Cum hanc iam epistolam compli-

9 *et* 13 te] *Trebatium.* 19 *Cf. ad Q. fr. II*, 16, 3. 22 michi *Mediceus.* de nostris uersibus] *tres libros dicit, quos* de temporibus suis *scripserat. Cf. ad Fam. I*, 9, 23. 28 perscripsit *m. pr. Mediceus.* 31 Trittanici *m. pr. Mediceus* 32 constant *m. pr. Mediceus.* miratos *Mediceus.*

carem, tabellarii a uobis uenerunt a. d. XI Kal. [Sept.] uicesimo die. O me sollicitum! quantum ego dolui in Caesaris suauissimis litteris! Sed quo erant suauiores, eo maiorem dolorem illius ille casus afferebat.

Idem ibid. § 25: Ex Britannia Caesar ad me Kal. Sept. dedit litteras, quas ego accepi a. d. IIII Kal. Octobr., satis commodas de Britannicis rebus; quibus, ne admirer, quod a te nullas acceperim, scribit se sine te fuisse, cum ad mare accesserit.

Philargyr. ad Verg. Georg. III, 204: Esseda uehiculi uel currus genus, quo soliti sunt pugnare Galli. Caesar testis est libro ad Ciceronem III: 'Multa milia equitum atque essedariorum habet'.

Cic. ad Q. fr. III, 5 *et* 6, 3: Caesaris amore, quem ad me perscripsit, unice delector; promissis iis, quae ostendit, non ualde pendeo: nec sitio honores nec desidero gloriam magisque eius uoluntatis perpetuitatem quam promissorum exitum expecto.

Cic. ad Att. IV, 17, 3: Ab Quinto fratre et a Caesare accepi a. d. IX Kalend. Nouembr. litteras confecta Britannia, obsidibus acceptis, nulla praeda, imperata tamen pecunia datas a litoribus Britanniae proximo a. d. VI Kalend. Octobr. Exercitum Britannia reportabant.

Idem ibid. 18, 3: Perspice cum Caesare suauissimam coniunctionem. Qui quidem Quintum meum tuumque dii boni! quemadmodum tractat honore, dignitate, gratia! non secus ac si ego essem imperator. Hiberna legionis eligendi optio delata commodum, ut ad me scribit.

(*a.* 53.)

Cic. Phil. II, 20, 49: Venisti e Gallia ad quaesturam petendam. Acceperam iam ante Caesaris litteras, ut mihi satisfieri paterer a te. Itaque ne loqui quidem sum te passus de gratia.

1 Sept. *codd.*: Oct. *Manutius recte, sed parum probabiliter. Cum Cicero hic mensem non posuisset, peruerse a librariis ex* Idib. Sept., *quae leguntur* § 18, *suppletus est, cum suppleri deberet ex* a. d. XII Kal. Octobr. § 15. 3 ille casus] *obitus Iuliae.* 11 habet] *Cassiuellaunus. Nam ex Britannia haec scripta esse essedariorum commemoratio docet, quos Caesar alibi non uidit.* 18 imperat *Mediceus.* 24 hibernam legionem *codd.*: hiberna legionum *Ernestius. Scripsi* legionis *i. e. eius, cui Quintus praeerat: nam omnium legionum hiberna eligendi optionem delatam esse incredibile est. Vocabulo, quod est* legio, *librarii, cum per compendium scriptum inuenissent, fere ubique peruersos exitus dederunt, ut in hos nobis omnia liceant.* 27 *De M. Antonio dicit Cicero.*

Charis. p. 101 *P.*: Caesar epistolarum ad Ciceronem 'Neque', inquit, 'pro cauto ac diligente se castris continuit'.

(*a.* 50.)

Cic. ad Att. VII, 1, 3: Me autem uterque numerat suum, nisi forte simulat alter. Nam Pompeius non dubitat: uere enim iudicat ea, quae de republica nunc sentiat, mihi ualde probari. Vtriusque autem accepi eiusmodi litteras eodem tempore, quo tuas, ut neuter quemquam omnium pluris facere quam me uideretur. § 7: Gratulans mihi Caesar de supplicatione triumphat de sententia Catonis nec scribit, quid ille sententiae dixerit, sed tantum supplicationem eum mihi non decreuisse. 2, 7: Caesar iis litteris, quibus mihi gratulatur et omnia pollicetur, quomodo exultat Catonis in me ingratissimi iniuria!

Idem ibid. 3, 11: Ille mihi litteras blandas mittit.

(*a.* 49.)

Cic. ad Att. VII, 21, 3: Ipse me Caesar ad pacem hortatur. Sed antiquiores litterae, quam ruere coepit.

Idem ibid. 23, 3: Caesaris litterarum exemplum tibi misi.

Idem ibid. VIII, 2, 1: Ego ad Caesarem unas Capua litteras dedi, quibus ad ea rescripsi, quae mecum ille de gladiatoribus suis egerat. Alteras eodem die dedi, quo has ad te. Non potui non dare, cum et ipse ad me scripsisset et Balbus.

Idem. ibid. 11, 5: Quod quaeris, quid Caesar ad me scripserit, quod saepe, gratissimum sibi esse, quod quierim, oratque, in eo ut perseuerem. Balbus minor haec eadem mandata. *Balbus ad Cic. ibid.* 15 *A*, 3: Balbi mei tuique aduentu delectatum te ualde gaudeo. Is quaecumque tibi de Caesare dixit, quaeque Caesar scripsit, scio, re tibi probabit, quaecumque fortuna eius fuerit, uerissime scripsisse.

Cic. ad Att. IX, 6 *A*: 'Caesar imp. s. d. Ciceroni imp. Cum Furnium nostrum tantum uidissem, neque loqui neque audire meo commodo potuissem, properarem atque essem in itinere praemissis iam legionibus, praeterire tamen non potui, quin et scriberem ad te et illum mitterem gratiasque agerem; etsi hoc et feci saepe

2 continuit] *Q. Cicero. Scripta enim haec uidentur de iis, quae illi accidisse Caesar b. Gall. VI*, 36 *sqq. narrat.* 18 L. Caesaris *Mediceus.* 20 de gladiatoribus suis] *Cf. Caes. b. ciu. I*, 14, 4. 23 scripsit *Mediceus.* 26 te *om. m. pr. Mediceus.* 28 scio re *Victorius;* scire *Mediceus,* si re *margo Cratandri.* uerissime *Manutius,* uelis summe *Mediceus.* 34 et feci] effecit *Mediceus, sed corr. in marg.*

et saepius mihi facturus uideor: ita de me mereris. Imprimis a te peto, quoniam confido me celeriter ad urbem uenturum, ut te ibi uideam, ut tuo consilio, gratia, dignitate, ope omnium rerum uti possim. Ad propositum reuertar: festinationi meae breuitatique litterarum ignosces. Reliqua ex Furnio cognosces'.

Idem ibid. 15, 1: Ille, ut ad me scripsit, legiones singulas posuit Brundisii, Tarenti, Siponti.

Idem ibid. 16, 1: 'Caesar imp. Ciceroni imp. s. d. Recte auguraris de me (bene enim tibi cognitus sum) nihil a me abesse longius crudelitate. Atque ego cum ex ipsa re magnam capio uoluptatem, tum meum factum probari abs te triumpho gaudio. Neque illud me mouet, quod ii, qui a me dimissi sunt, discessisse dicuntur, ut mihi rursus bellum inferrent: nihil enim malo quam et me mei similem esse et illos sui. Tu uelim mihi ad urbem praesto sis, ut tuis consiliis atque opibus, ut consueui, in omnibus rebus utar. Dolabella tuo nihil scito mihi esse iucundius. Hanc adeo habebo gratiam illi; neque enim aliter facere poterit: tanta eius humanitas, is sensus, ea in me est beneuolentia'.

Idem ibid. X, 3 *a*, 2: Caesar mihi ignoscit per litteras, quod non uenerim, seseque in optimam partem id accipere dicit. Facile patior, quod scribit secum Tullum et Seruium questos esse, quia non idem sibi quod mihi remisisset. Sed tamen exemplum misi ad te Caesaris litterarum.

Idem ibid 8 *B*: 'Caesar imp. Ciceroni imp. s. d. Etsi te nihil temere, nihil imprudenter facturum iudicaram, tamen permotus hominum fama scribendum ad te existimaui et pro nostra beneuolentia petendum, ne quo progredereris proclinata iam re, quo integra

5 reliqua — cognosces *omissa in Mediceo in marg. supplentur.* 6 ad me ut *ante corr. Mediceus.* 7 Siponti] si putem *ante corr. Mediceus.* 8 *Praemittuntur haec a Cicerone:* A. d. vi Kal. [*April.*] Caesarem Sinuessae mansurum nuntiabant. Ab eo mihi litterae redditae sunt a. d. vii Kalend., quibus iam opes meas, non ut superioribus litteris [*p.* 770, 30] opem expectat. Cum eius clementiam Corfiniensem illam per litteras collaudauissem, rescripsit hoc exemplo. 9 auguraturi *suprasc.* ris *Mediceus.* 11 gaudio *Crusellinus;* gaudeo *m. pr. Mediceus,* et gaudeo *edd. primae et corr. Mediceus.* 12 quod dii qui ad me *ante corr. Mediceus.* 21 Tulium *Mediceus.* 24 *Hanc epistolam esse puto, de qua Cicero ad Fam. XIV,* 8 *Terentiae scribit:* Quod celeriter me fecisti de Caesaris litteris certiorem, fecisti mihi gratum. *Haec enim scripsit a. d.* iv *Non. Iun.; vi Nonas autem Philotimus, Terentiae libertus, illas Caesaris litteras attulerat.* 27 quo integra *Ernestius,* qua integra *codd.*

etiam progrediendum tibi non existimasses. Namque et amicitiae grauiorem iniuriam feceris et tibi minus commode consulueris, si non fortunae obsecutus uidebere (omnia enim secundissima nobis, aduersissima illis accidisse uidentur) nec causam secutus (eadem enim tum fuit, cum ab eorum consiliis abesse iudicasti), sed meum aliquod factum condemnauisse; quo mihi grauius abs te nil accidere potest. Quod ne facias, pro iure nostrae amicitiae a te peto. Postremo quid uiro bono et quieto et bono ciui magis conuenit quam abesse a ciuilibus controuersiis? Quod nonnulli cum probarent, periculi causa sequi non potuerunt. Tu explorato et uitae meae testimonio et amicitiae iudicio neque tutius neque honestius reperies quicquam quam ab omni contentione abesse. XV Kal. Maias ex itinere'.

(*a.* 47.)

Cic. ad Fam. XIV, 23: Redditae mihi tandem sunt a Caesare litterae satis liberales. *Pro Lig.* 3, 7: Apud quem igitur hoc dico? Nempe apud eum, qui, cum hoc sciret, tamen me, antequam uidit, reipublicae reddidit; qui ad me ex Aegypto litteras misit, ut essem idem, qui fuissem; qui cum ipse imperator in toto imperio populi Romani unus esset, esse me alterum passus est; a quo hoc ipso C. Pansa mihi nuntium perferente concessos laureatos fasces tenui, quoad tenendos putaui; qui mihi tum denique se salutem putauit reddere, si eam nullis spoliatam ornamentis dedisset. *Pro Deiot.* 14, 38: Iubes enim bene sperare et bono esse animo; quod scio te non frustra scribere solere. Memini enim iisdem fere uerbis ad me te scribere meque tuis litteris bene sperare non frustra esse iussum.

(*a.* 45.)

Cic. ad Att. XIII, 7, 1: Sestius apud me fuit et Theopompus pridie: uenisse a Caesare narrabat litteras; hoc scribere, sibi certum esse Romae manere, causamque eam ascribere, quae erat

3 uidebere] ut deberes *Mediceus.* 7 puto *ante corr. Mediceus.* 10 potuerunt quo et plorato *ante corr. Mediceus.* 11 *Cf. ep.* 9, 1. 15 *Cf. ad Att. XI*, 23, 2. 24, 4. *ad Fam. XIV*, 24. 20 me *ante* cum (19) *ponit Coloniensis.* 21 mihi hunc nuntium *schol. Gronouii et Coloniensis.* laureatos fasces *Erfurtensis*, fasces laureatos *ed. Orellii.* 22 salutem se *Coloniensis.* 23 reddere *Erfurtensis et Oxonienses quinque*, dare *ceteri.* 24 enim *Erfurtensis*, enim eum *ed. Orellii.*

in epistola nostra, ne se absente leges suae neglegerentur, sicut esset neglecta sumptuaria.

Idem ibid. 20, 1: A Caesare litteras accepi consolatorias datas pridie Kal. Mai. Hispali.

Idem ibid. 22 *extr.*: Epistolam Caesaris misi, si minus legisses.

AD Q. TVLLIVM CICERONEM.

(*a.* 59) *Cic. ad Q. fr. I*, 2, 11: Vt opinor, Flauii aliquando rem et Pompeius et Caesar tibi commendarunt.

(*a.* 54) *Caes. b. Gall. V*, 48, 3: Tum cuidam ex equitibus Gallis magnis praemiis persuadet, uti ad Ciceronem epistolam deferat. Hanc Graecis conscriptam litteris mittit, ne intercepta epistola nostra ab hostibus consilia cognoscantur. In litteris scribit se cum legionibus profectum celeriter affore; hortatur, ut pristinam uirtutem retineat.

AD BALBVM ET OPPIVM.

(*a.* 54.)

Cic. ad Q. fr. II, 12, 4: De Caesare fugerat me ad te scribere: uideo enim, quas tu litteras expectaris. Sed ille scripsit ad Balbum fasciculum illum epistolarum, in quo fuerat mea et Balbi, totum sibi aqua madidum redditum esse, ut ne illud quidem sciat, meam fuisse aliquam epistolam. Sed ex Balbi epistola pauca uerba intellexerat, ad quae rescripsit his uerbis: 'De Cicerone te uideo quiddam scripsisse, quod ego non intellexi; quantum autem coniectura consequebar, id erat eiusmodi, ut magis optandum quam sperandum putarem'. Iocum autem illius de sua egestate ne sis aspernatus.

Idem ibid. III, 1, 18: Quod interiore epistola scribis me Idib. Sept. Pompeio legatum iri, id ego non audiui scripsique ad Caesarem Vibullium Caesaris mandata de mea mansione ad Pompeium pertulisse nec [ad] Oppium. Quo consilio? (Quamquam Oppium ego tenui.) Quod priores partes Vibullii erant. Cum eo enim coram Caesar egerat, ad Oppium scripserat.

1 epistola nostra] *Minus recte Schützius epistolam Ciceronis ad Caesarem de republica scriptam, sed non missam* (*ad Att. XII*, 40, 2. 51, 2. *XIII*, 21, 1 *al.*) *intellegere uidetur.* eleges ue *et corr.* leges ue *Mediceus.* 3 litteras consolatorias] *de obitu Tulliae.* 20 mea *Mediceus,* et mea *codd.* 31 ad *seclusit Orellius.* 32 Vibullii *Manutius,* Bibuli *codd.* 33 Caesar *Manutius,* Caesare *codd.*

(*a.* 49.)

Cic. ad Att. IX, 6, 1: Roma scripsit Balbus cohortes sex, quae Albae fuissent, ad Curium Minucia transisse; id Caesarem ad se scripsisse, et breui tempore eum ad urbem futurum.

Idem ibid. 7 *C*: 'Caesar Oppio, Cornelio s. Gaudeo mehercule uos significare litteris, quam ualde probetis ea, quae apud Corfinium sunt gesta. Consilio uestro utar libenter et hoc libentius, quod mea sponte facere constitueram, ut quam lenissimum me praeberem et Pompeium darem operam ut reconciliarem. Temptemus hoc modo, si possumus, omnium uoluntates recuperare et diuturna uictoria uti, quoniam reliqui crudelitate odium effugere non potuerunt neque uictoriam diutius tenere praeter unum L. Sullam, quem imitaturus non sum. Haec noua sit ratio uincendi, ut misericordia et liberalitate nos muniamus. Id quemadmodum fieri possit, nonnulla mihi in mentem ueniunt, et multa reperiri possunt. De his rebus rogo uos ut cogitationem suscipiatis. N. Magium, Pompeii praefectum, deprehendi. Scilicet meo instituto usus sum et eum statim missum feci. Iam duo praefecti fabrum Pompeii in meam potestatem uenerunt et a me missi sunt. Si uolent grati esse, debebunt Pompeium hortari, ut malit mihi esse amicus quam iis, qui et illi et mihi semper fuerunt inimicissimi; quorum artificiis effectum est, ut respublica in hunc statum perueniret'.

Idem ibid. 13 *A*, 1: 'Caesar Oppio, Cornelio s. A. d. VII Id. Mart. Brundisium ueni; ad murum castra posui. Pompeius est Brundisii. Misit ad me N. Magium de pace. Quae uisa sunt, respondi. Hoc uos statim scire uolui. Cum in spem uenero de compositione aliquid me conficere, statim uos certiores faciam'.

(*a.* 45.)

Cic. ad Att. XIII, 31, 3: De epistola ad Caesarem κέκρικα.

2 *Cf. Caes. b. ciu. I*, 24, 3. 3 Curtium *Mediceus.* Minucia *m. pr. Mediceus*; in uia Minucia *edd. primae et corr. Mediceus*, uia Minucia *edd. pleraeque.* 13 uincendi] dum *add. m. pr. Mediceus.* 14 id eo cum admodum *ante corr. Mediceus.* 15 mi *ante corr. Mediceus.* 16 suscipiatis] suscipi illis *ante corr. Mediceus.* 17 Magnum Pompeium *m. pr. et* Magnum Pompei *corr. Mediceus.* scilicet *Manutius*, scilicet et *Mediceus.* 21 his *Mediceus.* 26 misit ad me *cett.*] *Cf. Caes. b. ciu. I*, 26, 2. 27 cum] qui *ante corr. Mediceus.* 30 κέκρικα *cod. Lambini*; *KEKBIKA Tornaesianus et Mediceus*, *KEKIBIKA Crusellinus et decurtatus.*

Atque id ipsum, quod isti aiunt illum scribere, se nisi constitutis rebus non iturum in Parthos, idem ego suadebam in illa epistola.

Idem ibid. 46, 2: Balbum conueni. Ex eo haec primum: Paulo ante acceperam eas litteras, in quibus magno opere confirmat ante ludos Romanos. Legi epistolam. Multa de meo Catone, quo saepissime legendo se dicit copiosiorem factum; Bruti Catone lecto se sibi uisum disertum.

AD Q. PEDIVM.

(*a.* 49) *Cic. ad Att. IX*, 14, 1: Litteras accepi ab Q. Pedio, Caesarem ad se pridie Id. Mart. misisse hoc exemplo: 'Pompeius se oppido tenet. Nos ad portas castra habemus. Conamur opus magnum et multorum dierum propter altitudinem maris; sed tamen nihil est, quod potius faciamus. Ab utroque portus cornu moles iacimus, ut aut illum quam primum traicere quod habet Brundisii copiarum cogamus aut exitu prohibeamus'.

AD L. PISONEM.

Charis. p. 60 *P.*: Caesar ad Pisonem: 'Locellum tibi signatum remisi'.

AD P. CLODIVM.

(*a.* 58) *Cic. pro domo* 9, 22: Litteras in contione recitasti, quas tibi a C. Caesare missas diceres: 'Caesar Pulchro', cum etiam es argumentatus amoris esse hoc signum, cum nominibus tantum uteretur neque ascriberet proconsul aut tribuno plebis; deinde gratulari tibi, quod [idem in posterum] M. Catonem tribunatu tuo remouisses et quod eidem in posterum de extraordinariis potestatibus libertatem ademisses; quas aut numquam tibi ille litteras misit, aut si misit, in contione recitari noluit, aut siue ille misit, siue tu finxisti, certe consilium tuum de Catonis honore illarum litterarum recitatione patefactum est.

AD M. CRASSVM.

(*a.* 55) *Plut. Crass.* 16: *Καίτοι τῷ γραφέντι περὶ τούτων νόμῳ Παρθικὸς πόλεμος οὐ προσῆν. Ἤιδεσαν δὲ πάντες, ὅτι πρὸς τοῦτο Κράσσος ἐπτόηται· καὶ Καῖσαρ ἐκ Γαλατίας ἔγραψεν αὐτῷ τὴν ὁρμὴν ἐπαινῶν καὶ παροξύνων ἐπὶ τὸν πόλεμον.*

6 quo *cod. Lambini*; que *Mediceus*, quae *edd. primae*: quem *Ascensiana prima*. 15 exitum *Mediceus*. 17 Caesar de Pisone *cod.* 23 proconsule *Francianus primus*. 24 idem in posterum *deleuit Lambinus*. 25 eidem *Vrsinus*, idem *codd.* 32 *Παρθικὸς Pseudoappianus, πάροικος codd.* 33 ἐπτόητο *Pseudoappianus.* ἔγραφεν *idem.*

AD P. SERVILIVM PATREM.

(*a.* 54) *Cic. ad Q. fr. III*, 1, 20: P. Seruilius pater ex litteris, quas sibi a Caesare missas esse dicebat, significat ualde te sibi gratum fecisse, quod de sua uoluntate erga Caesarem humanissime diligentissimeque locutus esses.

AD CN. POMPEIVM.

(*a.* 52) *Plut. Pomp.* 56: *Ὁ Πομπήϊος ἔφη γράμματα Καίσαρος ἔχειν βουλομένου λαβεῖν διάδοχον καὶ παύσασθαι τῆς στρατείας· ὑπατείας μέντοι καὶ μὴ παρόντι καλῶς ἔχειν αἴτησιν αὐτῷ δοθῆναι.*

AD T. LABIENVM.

(*a.* 54.)

Caes. b. Gall. V, 11, 4: Labieno scribit, ut, quam plurimas posset, iis legionibus, quae sunt apud eum, naues instituat.

Idem ibid. 46, 4: Scribit Labieno, si reipublicae commodo facere posset, cum legione ad fines Neruiorum ueniat.

AD C. FABIVM.

(*a.* 51) *Hirt. b. Gall. VIII*, 6, 3: Litteras ad C. Fabium mittit, ut in fines Suessionum legiones duas, quas habebat, adduceret.

AD C. TREBONIVM.

(*a.* 51) *Hirt. b. Gall. VIII*, 11, 1: Litteras ad Trebonium mittit, ut quam celerrime posset legionem XIII, quae cum T. Sextio legato in Biturigibus hiemabat, arcesseret atque ita cum tribus legionibus magnis itineribus ad se ueniret.

(*a.* 49) *Caes. b. ciu. II*, 13, 3: Caesar per litteras Trebonio magnopere mandauerat, ne per uim oppidum expugnari pateretur, ne grauius permoti milites et defectionis odio et contemptione sui et diutino labore omnes puberes interficerent.

AD L. LENTVLVM.

(*a.* 49) *Cic. ad Att. VIII*, 9, 4: VI Kal. uesperi Balbus minor ad me uenit occulta uia currens ad Lentulum consulem missu Caesaris cum litteris, cum mandatis, cum promissione prouinciae, Romam ut redeat.

AD Q. FVFIVM CALENVM.

(*a.* 48) *Caes. b. ciu. III*, 14, 1: Calenus legionibus equiti-

3 ualde de te *Mediceus*. 27 oppidum] *Massiliam*. 31 VI Kal.] *Mart.* 32 occulta uia currens *Manutius*, occultauit occurrens *Mediceus et edd. primae*.

busque Brundisii in naues impositis, ut erat praeceptum a Caesare, quantum nauium facultatem habebat, naues soluit paulumque a portu progressus litteras a Caesare accipit, quibus est certior factus portus litoraque omnia classibus aduersariorum teneri.

AD SVOS BRVNDISIVM.

(*a.* 48) *Caes. b. ciu. III*, 25, 4: Caesar Brundisium ad suos seuerius scripsit, nacti idoneum uentum ne occasionem nauigandi dimitterent, si uel ad litora Apolloniatium cursum dirigere atque eo naues eicere possent.

AD M. ANTONIVM.

(*a.* 48) *Cic. ad Att. XI*, 7, 2: Ad me misit Antonius exemplum Caesaris ad se litterarum, in quibus erat se audisse Catonem et L. Metellum in Italiam uenisse, Romae ut essent palam: id sibi non placere, ne qui motus ex eo fierent, prohiberique omnes Italia, nisi quorum ipse causam cognouisset; deque eo uehementius erat scriptum.

(*a.* 47) *Cic. Phil. II*, 40, 103: Varronis Casinatem fundum quis uenisse dicet? quis hastam istius uenditionis uidit? quis uocem praeconis audiuit? Misisse dicis Alexandriam, qui emeret a Caesare. Ipsum enim expectare magnum fuit! Quis uero audiuit umquam (nullius autem salus curae pluribus fuit) de fortunis Varronis rem ullam esse detractam? Quid? si etiam scripsit ad te Caesar, ut redderes, quid satis potest dici de tanta impudentia?

AD Q. METELLVM SCIPIONEM.

(*a.* 48) *Caes. b. ciu. III*, 57, 1: Haec cum in Achaia atque apud Dyrrhachium gererentur, Scipionemque in Macedoniam uenisse constaret, non oblitus pristini instituti Caesar mittit ad eum *A.* Clodium, suum atque illius familiarem, quem ab illo traditum initio et commendatum in suorum necessariorum numero habere instituerat. Huic dat litteras mandataque ad eum.

6 *Appianus, postquam ipsum Caesarem Brundisium clam traicere frustra conatum esse narrauit, haec scribit b. ciu. II*, 58: Ὁ δ' οὐκέτι λήσεσθαι προσδοκῶν Ποστούμιον ἀνθ' ἑαυτοῦ προσέταξε διαπλεῦσαί τε καὶ φράσαι Γαβινίῳ τὸν στρατὸν εὐθὺς ἄγειν διὰ θαλάσσης· ἂν δ' ἀπειθῇ, ταῦτα προστάττειν Ἀντωνίῳ καὶ τρίτῳ μετὰ τὸν Ἀντώνιον Καληνῷ. Εἰ δ' οἱ τρεῖς ἀποκνοῖεν, ἐπιστολὴ πρὸς τὸν στρατὸν αὐτὸν ἐγέγραπτο ἄλλη, τὸν βουλόμενον αὐτῶν ἐπὶ τὰς ναῦς ἕπεσθαι τῷ Ποστουμίῳ καὶ καταίρειν ἀναχθέντας ἐς χωρίον ἐς ὅ τι ὁ ἄνεμος ἐκφέρῃ μηδὲν τῶν νεῶν φειδομένους· οὐ γὰρ νεῶν χρῄζειν Καίσαρα, ἀλλὰ ἀνδρῶν. 18 qui *primo loco Vaticanus.* uenisse dicet *Vaticanus*, ueniisse dicit *ceteri.* 19 misisse *Vaticanus*, misisse te *ceteri.* 22 quod *Vaticanus.*

AD CN. DOMITIVM CALVINVM.

(*a.* 48.)

Caes. b. ciu. III, 78, 5: Praemissis nuntiis ad Cn. Domitium Caesar scripsit et, quid fieri uellet, ostendit.

Hirt. b. Alex. 34, 3: Ad legiones profectus unam ex tribus XXXVI secum ducit, duas in Aegyptum ad Caesarem mittit litteris eius euocatas.

Idem ibid. 38, 1: Proxima nocte Pharnaces interceptis tabellariis, qui de Alexandrinis rebus litteras ad Domitium ferebant, cognoscit Caesarem magno in periculo uersari flagitarique ab Domitio, ut quam primum Caesari subsidia mitteret, propiusque ipse Alexandriam per Syriam accederet.

AD A. GABINIVM.

(*a.* 48) *Hirt. b. Alex.* 42, 5: Cum diuersissima parte orbis terrarum Cn. Pompeium Caesar uictor sequeretur compluresque aduersarios in Illyricum propter Macedoniae propinquitatem se reliquiis ex fuga collectis contulisse audiret, litteras ad Gabinium mittit, uti cum legionibus tironum, quae nuper erant conscriptae, proficisceretur in Illyricum coniunctisque copiis cum Q. Cornificio, si quod periculum prouinciae inferretur, depelleret; sin ea non magnis copiis tuta esse posset, in Macedoniam legiones adduceret.

AD Q. CASSIVM LONGINVM.

(*a.* 48.)

Hirt. b. Alex. 51, 1: Interim litteras accepit a Caesare, ut in Africam exercitum traiceret perque Mauritaniam ad fines Numidiae perueniret, quod magna Cn. Pompeio Iuba miserat auxilia maioraque missurus existimabatur.

Idem ibid. 56, 1: Litteras a Caesare missas accipit, quibus cognoscit Pompeium in acie uictum amissis copiis fugisse.

AD AMANTIVM.

(*a.* 47) *Plut. Caes.* 50: *Τῆς μάχης ταύτης τὴν ὀξύτητα καὶ τὸ τάχος ἀναγγέλλων εἰς Ῥώμην πρός τινα τῶν φίλων Ἀμάντιον ἔγραψε τρεῖς λέξεις Ἦλθον, εἶδον, ἐνίκησα.*

AD C. LICINIVM CALVVM.

Sueton. Caes. 73: C. Caluo post famosa epigrammata de reconciliatione per amicos agenti ultro ac prior scripsit.

5 profectus] *Domitius.* 31 *τῆς μάχης ταύτης*] *apud Zelam cum Pharnace commissae. Eodem modo Appian. b. ciu. II*, 91: *Ἐς δὲ Ῥώμην περὶ τῆσδε τῆς μάχης ἐπέστελλεν Ἐγὼ δὲ ἦλθον, εἶδον, ἐνίκησα. Suetonius nihil de litteris, sed in triumpho Pontico trium uerborum titulum:* ueni, uidi, uici *Caesarem praetulisse c.* 37 *refert.*

AD ALIENVM.

(a. 46) B. Afr. 20, 3: Litteras in Siciliam nuntiosque mittere, ut sibi crates materiemque congererent ad arietes, cuius inopia in Africa esset, praeterea ferrum, plumbum mitteretur.

AD ALIENVM ET RABIRIVM POSTVMVM.

(a. 46) B. Afr. 26, 3: Litteris celeriter in Siciliam [missis] ad Alienum et Rabirium Postumum conscriptis [et] per catascopum mittit, ut sine mora ac nulla excusatione hiemis uentorumque quam celerrime exercitus sibi transportaretur: Africam prouinciam perire funditusque euerti ab suis inimicis; quod nisi celeriter sociis foret subuentum, praeter ipsam Africam terram nihil, ne tectum quidem, quo se reciperent, ab illorum scelere insidiisque reliquum futurum.

AD SER. SVLPICIVM.

(a. 46) Cic. ad Fam. XIII, 19, 1: Effectum est et ipsius splendore et nostro reliquorumque hospitum studio, ut omnia, quae uellemus, a Caesare impetrarentur; quod intelleges ex iis litteris, quas Caesar ad te dedit.

AD ATTICVM.

(a. 46) Cic. ad Att. XII, 6, 3: Caesar mihi irridere uisus est quaeso illud tuum, quod erat *εὐπινὲς* et urbanum. Ita porro te sine cura esse iussit, ut mihi quidem dubitationem omnem tolleret.

AD DEIOTARVM.

(a. 45) Cic. pro Deiot. 14, 38: Non dubito, quin tuis litteris, quarum exemplum legi, quas ad eum Tarracone huic Blesamio dedisti, se magis etiam erexerit ab omnique sollicitudine abstraxerit. Iubes enim bene sperare et bono esse animo; quod scio te non frustra scribere solere.

AD LAMIAM.

(a. 45) Cic. ad Att. XIII, 45, 1: Fuit apud me Lamia post discessum tuum epistolamque ad me attulit missam sibi a Caesare; quae quamquam ante data erat quam illae Diocharinae, tamen plane declarabat illum ante ludos Romanos esse uenturum. In qua extrema scriptum erat, ut ad ludos omnia pararet neue committeret, ut frustra ipse properasset. Prorsus ex his litteris non uidebatur

15 ipsius] *Lysonis Patrensis; qui, cum in partibus Pompeianis fuisset, de bonis suis timebat.* 17 his *Mediceus.* 18 ad te] *Ser. Sulpicius Achaiae proconsule praeerat.* 21 et urbanum ita] e turba minuta *Mediceus, sed corr. in marg.* 27 *Vid. p.* 772, 24. 32 ille *Mediceus.*

esse dubium, quin ante eam diem uenturus esset; idemque Balbo, cum eam epistolam legisset, uideri Lamia dicebat.

AD SENATVM.

(*a.* 57) *Caes. b. Gall. II extr.*: Ob easque res ex litteris Caesaris dies quindecim supplicatio decreta est.

(*a.* 55) *Idem ibid. IV extr.*: His rebus gestis ex litteris Caesaris dierum uiginti supplicatio a senatu decreta est.

(*a.* 55) *Plut. Cat. min.* 51: *Ἐκ τούτου Καῖσαρ ἐπιστολὴν γράψας ἀπέστειλεν εἰς τὴν σύγκλητον· ὡς δὲ ἀνεγνώσθη βλασφημίας πολλὰς ἔχουσα καὶ κατηγορίας τοῦ Κάτωνος cett.*

(*a.* 52) *Caes. b. Gall. VII extr.*: † His litteris cognitis Romae dierum uiginti supplicatio redditur.

(*a.* 50 *extremo*) *Caes. b. ciu. I*, 9, 3: Cum litteras ad senatum miserit, ut omnes ab exercitibus discederent, ne id quidem impetrauisse. *Sueton. Caes.* 29: Senatum litteris deprecatus est, ne sibi beneficium populi adimeretur, aut ut ceteri quoque imperatores ab exercitibus discederent. *Appian. b. ciu. II*, 32: *Περιεῖχε δ' ἡ γραφὴ κατάλογόν τε σεμνὸν ὧν ἐξ ἀρχῆς ὁ Καῖσαρ ἐπεπράχει καὶ πρόκλησιν, ὅτι θέλοι Πομπηΐῳ συναποθέσθαι, ἄρχοντος δ' ἔτι ἐκείνου οὔτε ἀποθήσεσθαι καὶ τιμωρὸς αὐτίκα τε τῇ πατρίδι καὶ ἑαυτῷ κατὰ τάχος ἀφίξεσθαι.* *Cic. ad Fam. XVI*, 11, 2: Caesar, amicus noster, minaces ad senatum et acerbas litteras miserat.

(*a.* 47) *Cic. Phil. XIV*, 8, 23: Ad te ipsum, P. Seruili, num misit ullas collega litteras de illa calamitosa pugna Pharsalica? num te de supplicatione uoluit referre? Profecto noluit. At misit postea de Alexandria, de Pharnace.

AD LINGONAS.

(*a.* 58) *Caes. b. Gall. I*, 26, 6: Caesar ad Lingonas litteras nuntiosque misit, ne eos frumento neue alia re iuuarent: qui si iuuissent, se eodem loco, quo Heluetios, habiturum.

1 idemque *Victorius*, itemque *Mediceus et edd. primae.* 8 *ἐκ τούτου*] *cum Cato Caesarem Germanis dedendum censuisset, quod eos per indutias aggressus esset.* 13 *Cf. Caes. b. ciu. I in. Plut. Pomp.* 59. *Caes.* 30. *Anton.* 5. *Cass. Dio XLI*, 1. *Litterae a Caesare extremis diebus anni* 50 *Curioni datae ab hoc ipsis Kal. Ian. anni* 49 *in senatu traditae sunt. Suetonius eas minus recte superiore tempore anni* 50 *missas narrat.* 16 beneficium populi] *ut absenti consulatum petere liceret.* 24 Seruili num *Naugerius*, Seruilium *codd.* 25 calamitosissima *cod. Graeuii.* Pharsalica *Orellius*, Pharsaliae *codd.* 30 eos] *Heluetios.*

IN SARDINIAM ET RELIQVAS PROVINCIAS AFRICAE FINITIMAS.

(*a.* 46) *B. Afr.* 8, 1: Caesar in Sardiniam nuntios cum litteris et in reliquas prouincias finitimas dimisit, ut sibi auxilia, commeatus, frumentum, simulatque litteras legissent, mittenda curarent.

CIRCVM PROVINCIAM AFRICAM.

(*a.* 46) *B. Afr.* 26, 1: Caesar, cum de suo aduentu dubitatio in prouincia esset, neque quisquam crederet ipsum, sed aliquem legatum in Africam cum copiis uenisse, conscriptis litteris circum prouinciam omnes ciuitates facit de suo aduentu certiores.

AD GAETVLOS.

(*a.* 46) *B. Afr.* 32, 4: Quorum ex numero electis hominibus illustrioribus [Gaetulos] et litteris ad suos ciues datis cohortatus, uti manu facta se suosque defenderent, ne suis inimicis aduersariisque dicto audientes essent, mittit.

INCERTVM AD QVOS.

(*a.* 56) *Plut. Crass.* 14: *Ἐνταῦθα δ' ὁδὸς ἦν μία δευτέρας ὑπατείας αἴτησις· ἣν μετιόντων ἐκείνων ἔδει συμπράττειν Καίσαρα τοῖς τε φίλοις γράφοντα καὶ τῶν στρατιωτῶν πέμποντα πολλοὺς ἀρχαιρεσιάσοντας.*

(*a.* 55) *Eumen. paneg.* 4, 11, 2: Quam Caesar, ille auctor uestri nominis, cum Romanorum primus intrasset, alium se orbem terrarum scripsit reperisse tantae magnitudinis arbitratus, ut non circumfusa Oceano, sed complexa ipsum Oceanum uideretur.

(*a.* 50 *extremo*) *Plut. Caes.* 31: *Παρὰ Καίσαρος ἧκον*

12 quorum] *Gaetulorum. Cf. b. Afr.* 55, 1. 18 *ἐκείνων*] *Pompeium et Crassum dicit.* 21 quam] *Britanniam.* 25 *Cf. Sueton. Caes.* 29: Cum aduersariis pepigit, ut dimissis octo legionibus Transalpinaque Gallia duae sibi legiones et Cisalpina prouincia uel etiam una legio cum Illyrico concederetur, quoad consul fieret. *Appian. b. ciu. II,* 32: *Τοὺς οὖν φίλους ἐκέλευεν ὑπὲρ αὐτοῦ συμβῆναι τὰ μὲν ἄλλα αὐτὸν ἔθνη καὶ στρατόπεδα ἀποθήσεσθαι, μόνα δ' ἕξειν δύο τέλη καὶ τὴν Ἰλλυρίδα μετὰ τῆς ἐντὸς Ἄλπεων Γαλατίας, ἕως ὕπατος ἀποδειχθείη. Plut. Pomp.* 59: *Κικέρων ἔπραττε διαλλαγάς, ὅπως Καῖσαρ ἐξελθὼν Γαλατίας καὶ τὴν ἄλλην στρατιὰν ἀφεὶς πᾶσαν ἐπὶ δυσὶ τάγμασι καὶ τῷ Ἰλλυρικῷ τὴν δευτέραν ὑπατείαν περιμένῃ. Has condiciones Suetonius eodem tempore, quo Caesar litteras ad senatum* (*p.* 780, 13) *misit, Appianus paulo ante, Plutarchus paulo post latas referunt. Ipsae condiciones accuratissime a Suetonio poni uidentur; qui tamen quod Caesarem octo legiones dimittere uoluisse scribit duabus uel una retenta, id ita tantum fieri potuit, ut, cum duas legiones retineret, ea, quam una cum Pompeii legione ex senatusconsulto tradiderat, dimissis adnumeraretur. Nam una sua, altera Pompeii ex senatusconsulto tradita anno* 50 *Caesarem nouem legiones habuisse p.* 120 *demonstrauimus.*

ἐπιστολαὶ μετριάζειν δοκοῦντος· ἠξίου γὰρ ἀφεὶς τὰ ἄλλα πάντα τὴν ἐντὸς Ἄλπεων καὶ τὸ Ἰλλυρικὸν μετὰ δυεῖν ταγμάτων αὐτῷ δοθῆναι, μέχρι οὗ τὴν δευτέραν ὑπατείαν μέτεισι.

(a. 48) *Plut. Pomp.* 68: Ἑωθινῆς δὲ φυλακῆς ὑπὲρ τοῦ Καίσαρος στρατοπέδου πολλὴν ἡσυχίαν ἄγοντος ἐξέλαμψε μέγα φῶς, ἐκ δὲ τούτου λαμπὰς ἀρθεῖσα φλογοειδὴς ἐπὶ Πομπηΐου κατέσκηψε· καὶ τοῦτο ἰδεῖν φησι Καῖσαρ αὐτὸς ἐπιὼν τὰς φυλακάς.

(a. 48) *Appian. b. ciu. II*, 79: Πομπήϊος δὲ πυθόμενος ἐκέλευε τοῖς πεζοῖς μήτ᾽ ἐπεκθεῖν ἔτι μήτ᾽ ἐκτρέχειν ἐκ τῆς φάλαγγος μηδ᾽ ἀκοντίζειν, ἀλλ᾽ ἐν προβολῇ διαστάντας ἀμύνεσθαι διὰ χειρὸς τοῖς δόρασι τοὺς ἐπιόντας. Καὶ τόδε τινὲς αὐτοῦ τὸ στρατήγημα ἐπαινοῦσιν ὡς ἄριστον ἐν περικυκλώσει· ὁ δὲ Καῖσαρ ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς καταμέμφεται. Τάς τε γὰρ πληγὰς ὑπὸ τῆς βολῆς εὐτονωτέρας γίγνεσθαι καὶ τοὺς ἄνδρας ὑπὸ τοῦ δρόμου προθυμοτέρους· ἑστῶτας δ᾽ ἀποψύχεσθαί τε καὶ τοῖς ἐπιθέουσιν εὐβλήτους δι᾽ ἀτρεμίαν οἷα σκοποὺς εἶναι· ὃ καὶ τότε γενέσθαι. Τὸ γὰρ δέκατον τέλος σὺν αὐτῷ περιδραμεῖν τὰ λαιὰ τοῦ Πομπηΐου ἔρημα ἱππέων γενόμενα καὶ πανταχόθεν ἀτρεμοῦντας ἐς τὰ πλευρὰ ἐσακοντίζειν, μέχρι θορυβουμένοις ἐμπεσόντας βίᾳ τρέψασθαι καὶ τῆς νίκης κατάρξαι.

(a. 48) *Plut. Caes.* 48: Τοῖς δὲ φίλοις εἰς Ῥώμην ἔγραφεν, ὅτι τῆς νίκης ἀπολαύοι τοῦτο μέγιστον καὶ ἥδιστον, τὸ σώζειν τινὰς ἀεὶ τῶν πεπολεμηκότων πολιτῶν αὐτῷ.

(a. 48) *Cic. ad Att. XI*, 6, 7: Quaere ex Diochare, Caesaris liberto, quem ego non uidi, qui istas Alexandreas litteras attulit.

(a. 48) *Idem ibid.* 17, 3: Illum ab Alexandria discessisse nemo nuntiat, constatque ne profectum quidem illim quemquam post Idus Mart. nec post Idus Decembr. ab illo datas ullas litteras. Ex quo intellegis illud de litteris a. d. V Id. Febr. datis (quod inane esset, etiamsi uerum esset) non uerum esse.

4 Ea nocte, quam pugna Pharsalica secuta est, haec accidisse dicuntur. 6 ἀρθεῖσα *Heldius*, ἀφθεῖσα *uel* ἁφθεῖσα *codd.* 9 πυθόμενος] *fusis equitibus sinistrum cornu a Caesare circumueniri. Rem ipsam male narrauit Appianus. Vid. Caes. b. ciu. III*, 92. *Ceterum quo minus Caesarem idem, quod in commentariis reprehendit, in litteris post pugnam missis reprehendisse credamus, causa nulla est.* 29 illim *codd. Malaspinae,* illi *Mediceus.* 31 quo] illud *add. Mediceus. Cf. ep.* 16, 1: Non meo uitio fit, ut me ista epistola nihil consoletur. Nam et exigue scripta est et suspiciones magnas habet non esse ab illo; quas animaduertisse te existimo.

(*a.* 46) *Cic. ad Fam. IX*, 6, 1: Cum ille scripsisset, ut opinor, se in Alsiense uenturum *cett.*

(*a.* 45) *Cic. ad Att. XIII*, 7, 1: Sestius apud me fuit et Theopompus pridie: uenisse a Caesare narrabat litteras; hoc scribere, sibi certum esse Romae manere causamque eam ascribere, quae erat in epistola nostra, ne se absente leges suae neglegerentur, sicut esset neglecta sumptuaria.

(*a.* 45) *Cic. ad Att. XIII*, 45, 1: Fuit apud me Lamia post discessum tuum epistolamque ad me attulit missam sibi a Caesare; quae quamquam ante data erat quam illae Diocharinae, tamen plane declarabat illum ante ludos Romanos esse uenturum.

Sueton. Caes. 26: Gladiatores notos, sicubi infestis spectatoribus dimicarent, ui rapiendos reseruandosque mandabat; tirones neque in ludo neque per lanistas, sed in domibus per equites Romanos atque etiam per senatores armorum peritos erudiebat precibus enitens, quod epistolis eius ostenditur, ut disciplinam singulorum susciperent ipsique dictata exercentibus darent.

POËMATA.

Tac. de orat. 21: Nisi forte quisquam aut Caesaris pro Decio Samnite aut Bruti pro Deiotaro rege ceterosque eiusdem lentitudinis ac teporis libros legit, nisi qui et carmina eorundem miratur. Fecerunt enim et carmina et in bibliothecas retulerunt non melius quam Cicero, sed felicius, quia illos fecisse pauciores sciunt.

Sueton. Caes. 56: Feruntur et a puero et ab adolescentulo quaedam scripta, ut laudes Herculis, tragoedia Oedipus; quos omnes libellos uetuit Augustus publicari.

Plut. Caes. 2: *Καὶ ποιήματα γράφων καὶ λόγους τινὰς ἀκροαταῖς ἐκείνοις ἐχρῆτο.*

Sueton. uit. Terent. 5: C. Caesar:

'Tu quoque, tu in summis, o dimidiate Menander,
Poneris et merito, puri sermonis amator.
Lenibus atque utinam scriptis adiuncta foret uis,
Comica ut aequato uirtus polleret honore

2 in Alsiense uenturum] *cum ex Africa et Sardinia rediret.* 3 *Vid. p.* 772, 29. 8 *Vid. p.* 779, 30. 10 Diocharinae] *quas Diochares, Caesaris libertus, attulerat.* 18 *Cf. Plin. ep. V*, 3. 19 *Vid. p.* 750, 26. 24 *Vid. p.* 765, 17. 25 Oedipus *Memmianus*, Oedipi *uel* Oedippi *ceteri.* 28 ἐκείνοις] *piratis, a quibus captus erat.*

Cum Graecis, neque in hac despectus parte iaceres.
Vnum hoc maceror et doleo tibi deesse, Terenti'.

Plin. hist. nat. XIX, 8, 144: Nec non olus quoque siluestre est trium foliorum Diui Iulii carminibus praecipue iocisque militaribus celebratum. Alternis quippe uersibus exprobrauere lapsana se uixisse apud Dyrrhachium praemiorum parsimoniam cauillantes. Est autem id cyma siluestris.

Sueton. Caes. 56: Reliquit et de analogia duos libros et Anticatones totidem ac praeterea poëma, quod inscribitur iter. Quorum librorum primos in transitu Alpium, cum ex citeriore Gallia conuentibus peractis ad exercitum rediret, sequentes sub tempus Mundensis proelii fecit, nouissimum, dum ab urbe in Hispaniam ulteriorem quarto et uicesimo die peruenit.

INCERTA.

Diomed. p. 365 *P.*: Cicero causarum XIII: Re uendita, iterum empta. Vnde manifestum fit uenita non dici, sed aut uenumdata aut uendita. Vt Cicero C. Caesar: 'Possessiones redimi, eas postea pluris uenditas'.

Gell. VII, 9: M. Tullius et C. Caesar mordeo memordi, pungo pepugi, spondeo spepondi dixerunt.

Quintil. I, 7, 21: Optimus, maximus, ut mediam i litteram, quae ueteribus u fuerat, acciperent, C. primum Caesaris inscriptione traditur factum. *Vel. Long. p.* 2228 *P.*: Antiquis uarie scriptitatum est mancupium, aucupium, manubiae, siquidem C. Caesar per i scripsit, ut apparet ex titulis ipsius. *Cassiod. ex Cornuto p.* 2284 *P.*: Lacrumae an lacrimae, maxumus an maximus, et si quae similia sunt, scribi debeant, quaesitum est. Terentius Varro tradidit Caesarem per i eiusmodi uerba solitum esse enuntiare et scribere: inde propter auctoritatem tanti uiri consuetudinem factam.

Isidor. origg. IV, 12, 7: Telinum, cuius Iulius Caesar meminit dicens: 'Corpusque suaui telino ungimus'.

5 *Cf. Caes. b. ciu. III*, 48, 1. 9 inter *Memmianus.* 13 peruenit] *cum contra Pompeii liberos proficisceretur.* 19 *Haec male ad libros de analogia relata esse adiuncta Ciceronis mentio docet.* 26 *Eadem ponit Isidorus origg. I*, 26, 15. 30 *Haec alii Straboni Caesari tribuenda existimant. Scaliger et Grialius senarium fuisse putant huiusmodi:* corpusque suaui telini unguine ungimur. 31 suaui] suum *Gudianus primus.* telinio *uar. lect. apud Vulcanium et 'alii' Areuali.* ungimur *'alii' Areuali.*

Nonius p. 198 *M.*: Cinis feminino apud Caesarem et Catulum et Caluum lectum est, quorum uacillat auctoritas.

Caper p. 2244 *P.*: Lutum atque macellum singulariter exire memento, licet Memmius ista macella dicat et Caesar luta.

1 Caesarem] *ad Strabonis tragoedias hoc referendum opinatur Meyerus.* 2 *Exemplum a Nonio adiectum ex Caluo petitum esse Charis. p.* 78 *P. demonstrat.* 4 *Hoc alii ad libros de analogia retulerunt; Meyerus in Strabonis tragoediis positum fuisse credit, nescio cur, nisi forte* luta *tragoediae potissimum apta iudicauit. Num dictatoris sit, ego quoque dubito, cum, qui* harenas *uitiose dici existimauit* (*p.* 755, 4), *non uideatur* luta *probauisse. Nonius p.* 212 *M. ex Ciceronis epistolis ad Hirtium haec profert:* luta et limum aggerebant, *et potest fieri, ut Caper Caesarem errore commemorauerit, nisi forte haec uerba, quae potius ab iis, qui Mutinam obsidebant, scripta uidentur, ex epistola Hirtii sunt uel, si Capro aliquid tribuendum putas, Caesaris Octauiani Ciceronianis ad Hirtium interposita: nam quod ad Octauianum quoque Ciceronis epistolae erant, quo minus unam et alteram illius in Hirtiano corpore positam fuisse credamus, causa non est.* *Ex iis, quae inter Caesaris fragmenta ponebantur, et alia quaedam exclusi, de quibus dicere necesse non est, et haec. Quae apud Priscianum leguntur p.* 719 *P.* (*I p.* 278 *Kr.*)*:* Caesar in auguralibus: 'Si sincera pecus erat' *Lucii Caesaris esse apparet ex eodem Prisciano p.* 791 (*I p.* 368 *Kr.*)*:* L. Caesar: 'Certaeque res augurantur' *οἰωνοσκοποῦνται*; *et eiusdem Lucii Caesaris esse, quae Macrobius profert Sat. I,* 16: Iulius Caesar sextodecimo auspiciorum libro negat nundinis contionem aduocari posse, id est cum populo agi, ideoque nundinis Romanorum haberi comitia non posse, *Festus ostendit p.* 161, 30 *Müll.:* Maiorem consulem L. Caesar putat dici uel eum, penes quem fasces sint, uel eum, qui prior factus sit; praetorem autem maiorem urbanum, minores ceteros. *Neuter autem liber a Suetonio commemoratur, quem, cum diligentissime de Caesaris scriptis referat, tot uoluminum mentionem omisisse incredibile est: nam quod librum* de astris *non commemorauit, uidetur is item ut Ptolemaei de apparentiis et quae Ioannes Lydus de ostent. p.* 357 *Bekk. se ex Clodio Tusco uertisse affirmat fastis similis fuisse. Ineptum epigramma* Thrax puer astricto (*Burm. anthol. II p.* 62) *Caesare indignum iudicaui. Quae uero apud Seru. ad Verg. Aen. I,* 267 *in Fuldensi codice leguntur:* Occiso Mezentio Ascanium, sicut Iulius Caesar scribit, Iulum coeptum uocari uel quasi ἰοβόλον id est sagittandi peritum uel a prima barbae lanugine, quam ἴουλον Graeci dicunt, quae ei tempore uictoriae nascebatur, *haec quin impudenter conficta sint, non dubito, non minus quam illa de ephemeridibus* (*p.* 5) *aut quod auctor libri de origine gentis Romanae pluribus locis cum aliorum tum Caesaris testimonio utitur, nisi quod haec aliquanto recentiora uidentur.*

A. HIRTII
FRAGMENTA.

ANTICATO AD M. TVLLIVM CICERONEM (*a.* 45).

Cic. ad Att. XII, 40, 1: Qualis futura sit Caesaris uituperatio contra laudationem meam, perspexi ex eo libro, quem Hirtius ad me misit, in quo colligit uitia Catonis, sed cum maximis laudibus meis. Itaque misi librum ad Muscam, ut tuis librariis daret. Volo enim eum diuulgari; quod quo facilius fiat, imperabis tuis. 41, 4: Hirtii epistolam si legeris, quae mihi quasi *πρόπλασμα* uidetur eius uituperationis, quam Caesar scripsit de Catone, facies me, quid tibi uisum sit, si tibi erit commodum, certiorem. 44, 1: Illius librum, quem ad me misit de Catone, propterea uolo diuulgari a tuis, ut ex istorum uituperatione sit illius maior laudatio. 45, 3: Tu uero peruulga Hirtium. Id enim ipsum putaram, quod scribis, ut, cum ingenium amici nostri probaretur, *ὑπόθεσις* uituperandi Catonis irrideretur. 47, 3: Hirtii librum, ut facis, diuulga.

EPISTOLAE.

AD M. TVLLIVM CICERONEM.

(*a.* 47) *Cic. ad Att. XI*, 14, 3: Quintus pergit, ut ad me et Pansa scripsit et Hirtius; isque item Africam petere cum ceteris dicitur.

(*a.* 45.)

Cic. ad Att. XII, 35, 1: Hirtii epistolam tibi misi et recentem et beneuole scriptam.

Idem ibid. 37, 4: Hirtius ad me scripsit Sex. Pompeium Corduba exisse et fugisse in Hispaniam citeriorem, Gnaeum fugisse nescio quo; neque enim curo. Nihil praeterea noui. Litteras Narbone dedit XIIII Kal. Mai.

Idem ibid. XIII, 21, 1: Ad Hirtium dederam epistolam sane grandem, quam scripseram proxime in Tusculano. Huic, quam tu mihi misisti, rescribam alias.

9 me *om. Mediceus.* 14 deuolga *Mediceus.* 28 tu *Mediceus*, tum *decurtatus et Tornaesianus.*

(*a.* 44.)

Cic. ad Att. XV, 5, 2: Vt tu de prouincia Bruti et Cassii per senatusconsultum, ita scribit et Balbus et Hirtius; qui quidem se actutum. Etenim iam in Tusculano est mihique, ut absim, uehementer auctor, et ille quidem periculi causa, quod sibi etiam fuisse dicit.

Idem ibid. 6, 1: 'Hirtius Ciceroni suo s. Rure iam redierim quaeris, an ego, cum omnes caleant, ignauiter aliquid faciam. Etiam ex urbe sum profectus. Vtilius enim statui abesse. Has tibi litteras exiens in Tusculanum scripsi. Noli autem me tam strenuum putare, ut ad Nonas recurram. Nihil enim iam uideo opus esse nostra cura, quoniam praesidia sunt in tot annos prouisa. Brutus et Cassius utinam, quam facile a te de me impetrare possunt, ita per te exorentur, ne quod calidius ineant consilium! Cedentes enim haec ais scripsisse. Quo? aut quare? Retine, obsecro te, Cicero, illos et noli sinere haec omnia perire; quae funditus mediusfidius rapinis, incendiis, caedibus peruertuntur. Tantum, si quid timent, caueant; nihil praeterea moliantur. Non mediusfidius acerrimis consiliis plus quam etiam inertissimis, dummodo diligentibus, consequentur. Haec enim, quae fluunt, per se diuturna non sunt; in contentione praesentes ad nocendum habent uires. Quid speres de illis, in Tusculanum ad me scribe'.

Idem ibid. 8, 1: Post tuum discessum binas a Balbo: nihil noui; itemque ab Hirtio, qui se scribit uehementer offensum esse ueteranis.

(*a.* 43.)

Cic. ad Fam. XII, 5, 2: Hirtius nihil nisi considerate, ut mihi crebris litteris significat, acturus uidebatur.

Cic. Phil. XII, 4, 9: An uos A. Hirtium, praeclarissimum consulem, C. Caesarem, deorum beneficio natum ad haec tempora, quorum epistolas spem uictoriae declarantes in manu teneo, pacem uelle censetis? Vincere illi expetunt pacisque dulcissimum et pulcherrimum nomen non pactione, sed uictoria concupiuerunt.

AD CAESAREM.

(*a.* 46) *Cic. ad Fam. IX*, 6, 1: Cum ille scripsisset, ut opi-

3 senatusconsultum ita *Victorius*, scita *Mediceus et edd. primae.* qui *Crusellinus, om. Mediceus et edd. primae.* 4 actutum *Crusellinus*, acturum *Mediceus et edd. primae.* 5 auctor] est *cum Lambino add. seqq.* 15 retiueo *ante corr. Mediceus.* 16 que fonditus *Mediceus.* 35 *Vid. p.* 783, 1.

nor, se in Alsiense uenturum, scripserunt ad eum sui, ne id faceret; multos ei molestos fore ipsumque multis; Ostiae uideri commodius eum exire posse. Id ego non intellegebam quid interesset. Sed tamen Hirtius mihi dixit et se ad eum et Balbum et Oppium scripsisse, ut ita faceret.

AD ATTICVM.

(*a.* 45) *Cic. ad Att. XII*, 44, 1: Et Hirtium aliquid ad te συμπαθῶς de me scripsisse facile patior (fecit enim humane), et te eius epistolam ad me non misisse, multo facilius: tu enim etiam humanius.

AD M. ANTONIVM.

(*a.* 43) *Anton. ep. ad Hirt. et Octauian. ap. Cic. Phil. XIII*, 17, 34: Negatis pacem posse fieri, nisi aut emisero Brutum aut frumento iuuero. § 36: Concordiae factam esse mentionem scribitis in senatu et legatos esse consulares quinque.

AD SENATVM.

(*a.* 43.)

Cic. Phil. VIII, 2, 6: Nec illa hostilia uerba nec bellica, quae paulo ante ex collegae litteris Pansa recitauit: 'Deieci praesidium, Claterna potitus sum; fugati equites, proelium commissum, occisi aliquot'.

Cic. Phil. XIV, 2, 6: Ad litteras ueniam, quae sunt a consulibus et a propraetore missae. 1, 1: Ex litteris, quae recitatae sunt, patres conscripti, sceleratissimorum hostium exercitum caesum fusumque cognoui. 10, 28: Hic adolescens maximi animi, ut uerissime scribit Hirtius, castra multarum legionum paucis cohortibus tutatus est secundumque proelium fecit. 8, 24: Aut supplicatio ob rempublicam pulcherrime gestam postulantibus nostris imperatoribus deneganda est, aut supplicatione decernenda hostes eos, de quibus decernitis, iudicetis necesse est.

2 optiae *Mediceus*. 8 scripsisse] *de morte Tulliae*. et te] ecce *ante corr. Mediceus*. 22 consulibus *Ferrarius*, consule *codd. Cf. c.* 8, 22. 24 fusum caesumque *Nonius p.* 312 *M.* 25 hic adolescens] *Octauianus*. 28 nostris *codd.*, uestris *ed. Orellii*.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Cum absolutis quaestionibus typothetae aliquantum intermitterent, retractatis interim quae scripseram nactus etiam edd. ueteres, quibus antea carebam, nonnulla, de quibus minus recte dixeram, in ipsis scriptoris uerbis aut in annotatione subiecta reprehendere et ad haec addenda ablegare legentes potui. 5, 12 *ab im. scr.* Tencteros. 8, 17 *ab im. scr.* Geidunnos. 12, 3 *scr.* 20, 2. 13, 14 *ab im. scr.* extr. *pro* 7 *et* 7 *pro* 6 *et u.* 5 *ab im.* 38, 4. 39, 2 *pro* 28, 4. 29, 1 *et u. ult.* 15, 6 *pro* 15, 7. 14, 1 *dele* 48, 3 *et u.* 4 *scr.* 5, 3 *et u.* 14 *scr.* 45, 4 *pro* 45, 3 *et u.* 23 3 et 5 *pro* 2 et 4 *et u.* 24 44, 1 *pro* 44, 2 *et u.* 28 1 et 3 *pro* 1 et 2. 15, 4 *ab im. scr.* 85, 8. 17, 19 *scr.* 85, 4. 18, 14 *scr.* 32 *pro* 33 *et u.* 15 *ab im.* 2, 5 *pro* 2, 4 *et u.* 8 *ab im. adde Caecinam ap. Cic. ad Fam. VI*, 7, 2 si scit et persuasus est. 19, 7 *scr.* 67, 2 *et u.* 12 70, 5 *et u.* 16 74, 3 *pro* 74, 2 *et* 83, 5 *pro* 83, 4 et *u.* 19 VIII, 5, 3. 20, 5 *scr.* 10, 5 *et u.* 15 *ab im.* 65, 4. 21, 1 *scr.* iubet tradi *et u.* 9 *ab. im.* 74, 3 *pro* 74, 2 *et u.* 5 *ab im.* 38, 2 *pro* 38, 1 *et u.* 4 *ab im. post* 68, 2 *adde* 69, 2 *et u.* 3 *ab im. scr.* 84, 2 *pro* 84, 1 *et u.* 2 *ab im.* 4 et 5 et 6 *pro* 3 et 4 et 5 *et u. ult. dele* 87, 1. 22, 2 *dele* 18, 5 *et u.* 16 *scr.* 8, 5 *pro* 8, 4 *et u.* 18 70, 3 *pro* 70, 2 *et u.* 2 *ab im. scr.* eaedem. 23, 4 *scr.* 8, 5 *et u.* 17 opulentissimum eius regni *et u.* 14 *ab im.* 52, 2 *pro* 52, 3 *et u.* 12 *ab im. dele* 87, 5 *et u.* 11 *ab im. scr.* 85, 5 *pro* 85, 4 *et u.* 9 *ab im.* 25, 4 *pro* 25, 3 *et* 84, 3 *pro* 84, 2 *et u.* 6 *ab im. dele* et 8 *et* et 10. 79, 2 *et u.* 5 *ab im. dele* 3 extr. *et scr.* 6, 1 *pro* 6, 2 *et u.* 4 *ab im. dele* 73, 4 *et u.* 3 *ab im. scr.* 25, 4 *pro* 25, 3 *et u.* 2 *ab im. dele* 1 et. 24, 4 *scr.* 80, 2 *pro* 80, 1 *et u.* 10 8, 5 *pro* 8, 4 *et u.* 23 Ateguae *pro* Vliae *et u.* 7 *ab im.* 23, 2 *pro* 23, 1. 25, 3 *scr.* 19, 1 *pro* 19, 7 *et u.* 12 25 *pro* 26 *et u.* 21 40, 7 *pro* 40, 8. 26, 11 *scr.* 1827 *et ibid. et u.* 18 c. 3, 7. 27, 3 *scr.* renuntiauerunt *et u.* 17 *ab im.* 7, 5 *pro* 7, 3 *et u.* 3 *ab im.* 40, 2 *pro* 40, 1 *et u.* 2 *ab im. dele* 37, 4. 28, 1 *scr.* 27, 3 *pro* 27, 4. — *V.* 3 Quamuis *etiam* c. 38, 4 *legitur.* — *V.* 8 *Infinitiuum historicum praeterea* c. 31, 5 *et* 33, 5 *posui.* — *V.* 17 *scr.* 26, 2 et 4 *pro* 11, 2 *et u.* 5 *ab im. scr.* 31, 3. 29, 5 *scr.* 23, 3. 34, 15 *scr.* 29, 6. 31, 6 *pro* 26, 6. 35, 5 *Apud Ioannem Lydum de mag. p.* 225, 12 *Bekk. haec leguntur:* Ἐκ τῶν Ῥαιτικῶν ὀρῶν, ἃ τῆς Κελτικῆς ὀρεινῆς εἶναί φησιν ὁ Καῖσαρ ἐν βιβλίῳ τῷ πρώτῳ τῆς κατ' αὐτὸν Γαλλικῆς ἐφημερίδος, ἐκ μιᾶς πηγῆς ὅ τε Ῥῆνος ὅ τε Ἴστρος οὐδέτερος δὲ αὐτῶν μὴ τὴν ἐπωνυμίαν ἀμείψας ἐπὶ τὴν θάλασσαν ἐξωθεῖται. Ὁ μὲν γὰρ Ῥῆνος πᾶσαν τὴν Γαλατικὴν μεσόγειον τριχῇ διῃρημένην εἰς Κελτικὴν, Γερμανικὴν καὶ Γαλατικὴν διατρέχων οὐκ ἄρδει μόνον αὐτὴν μετὰ Ῥοδανὸν, ἀλλὰ καὶ φρουρεῖ φυλάττων ἀνέφοδον· πρὸς δὲ τὸ πέρας σχεδὸν τῆς δύσεως εἰς Μόσον τὸν ποταμὸν γείτονα τοῦ βορείου πρὸς δύσιν ὠκεανοῦ ὀλισθαίνων ἀποβάλλει μὲν τὴν οὖσαν αὐτῷ κατ' ἀρχὰς ἐπωνυμίαν, μετ' ἐκείνου δὲ τοῖς τῆς Βρεττανικῆς θαλάττης ἐπισύρεται κόλποις. Ὁ δὲ Ἴστρος *cett. Apparet Lydum siue Samonicum, ex quo se haec sumpsisse ille ait p.* 226, 11, *ea, quae apud Caesarem legerat, non bene memoria tenuisse. Nam de montibus Raeticis nihil Caesar, de tribus Galliae partibus initio primi commentarii, de Rheno et Mosa IV*, 10, *sed de utraque re aliter refert; Danubium VI*, 25, 2 *commemorat.* 36, 10 *scr.* Apollinarem. — *V.* 2 *ab im. Wilmansius in Pertzii tabular. IX p.* 303 *sqq. demonstrare conatus est Iulium Celsum Caesaris commentarios secutum librum de bellis Caesaris scripsisse atque inde Vincentium hausisse, quia quae hic

profert et a uerbis Caesaris nonnihil discreparent et ex aliis libris, quam in quibus apud Caesarem leguntur, petita dicerentur. Neutro argumento id, quod Wilmansio uisum est, probari iis, quae p. 37, 3 *diximus, demonstratur.* 39, 24 *Exemplari Fabriciano etiam Dauisius in curis secundis usus est et scripturis a Grutero enotatis Dionysius Vossius.* 43, 9 *ab im. Hauniensem primum post Elberlingium adhibuit Whittius. De quo codice quod aliquoties a nobis secundum silentium conferentis relatum est, id ibi fecimus, ubi secundi Hauniensis siue Gottorpiensis scripturam ita posuerat Whittius, ut, quid in primo inuenisset, appareret.* 44, 12 *ante* 'ille *excidit* 'ipse' uel. 46, 12 *Etiam quae in gestis Treuerorum c.* 11 — 17 *leguntur maxime ex quinto et sexto comm. de b. Gall. petita, ex interpolato codice descripta sunt.* 47, 2 *ab im. scr.* dicendae *et u. ult.* singulae. 53, 9 *ab im. ante* collocari *adde* et omnia auxilia *et u.* 8 *ab im. post* compleri *adde* et interea sarcinas in unum locum conferri. 56, 4 *ab im. scr.* 44, 11. 57, 14 *scr.* 13 *pro* 22 *et* 11 *pro* 19 *et u.* 16 si *pro* nisi. 63, 20 *scr.* erat haec. 64, 13 *scr.* §. 6 *et u.* 26 *scr.* et *pro* ac. 68, 15 *ab im. post* Par. sec. *adde* Leid. pr. Cui. *et u.* 12 *ab im. scr.* VII, 40, 6. 69, 16 *ab im. scr.* ciuitatum *et u.* 14 *ab im.* 70, 6. 70, 1 *scr.* I, 14, 1. 72, 2 *scr.* I, 36, 2 *et u.* 3 II, 8, 2 *pro* II, 8, 3. *Apud Cic. Phil. IX,* 7, 16, *quem locum praetermisi, in Vaticano codice est* quoq. uersus. 74, 15 *ab im. Maduigius in emendd. Cic. libb. de legg. et acadd. p.* 183 *item ut Bentleius et Elberlingius scribendum existimauit:* Ad alteram partem succedunt Vbii, quorum fuit ciuitas ampla atque florens, ut est captus Germanorum, paulo, quam sunt eiusdem generis ceteri, humaniores, *quia uerba* ut est captus Germanorum *necessario cum sequentibus coniungenda essent:* captu *enim facultatem tantum ingenii significari. Hoc uerum est, uideoque me minus recte iudicium interpretatum esse. Nihilo tamen minus meam rationem teneo, cum illa ascita originem corruptelae non satis perspiciam, neque significationem uocabuli* captus *impedimento esse existimo, quo minus uerba* ut est captus Germanorum *superioribus adiungantur. Hoc enim dicit Caesar, ciuitatem Vbiorum amplam atque florentem fuisse, qualem amplitudinem et florem Germanorum ingenium recipiat, nimirum opum atque potentiae. Romano autem homini, ut ciuitas ampla atque florens dici posset, praestantia legum instituta ipsorumque ciuium humanitas requiri uidebatur; atque eam humanitatem quoque Caesar ex parte Vbiis concedit.* 75, 16 *scr.* Schneiderus Scaligerani et quorundam deteriorum codicum. 78, 11 *ab im. scr.* 29, 3. 79, 13 *ante* Haun pr. *adde* Cui. *et dele* Ox. *et u.* 23 *scr.* 4 *pro* 3. 80, 3 *scr.* II, 29, 5 *et u.* 17 *ab im.* III, 61, 3. 83, 1 *scr.* Indutiomarum *et u.* 14 *ab im.* VI, 9, 6. 85, 3 Posset *et* possit *male in codd. permutata sunt b. Gall. I,* 17, 3. *II,* 17, 4 *extr.* 18, 2. *VI,* 29, 4. 33 *extr. VII,* 2, 2. 71, 2. *Verum I,* 8, 2. *III,* 11, 5. *V,* 11, 4. 46, 4 *imperfecta recte ponuntur utpote ex futuris directae orationis conuersa.* 86, 2 *post* Leid. pr. *adde* et Vind. pr. 87, 9 *Palmarum similitudine in cornibus describendis etiam Plinius usus est hist. nat. XI,* 37, 123: Sparsit haec [*cornua natura*] in ramos ut ceruorum, aliis simplicia tribuit ut in eodem genere subulonibus ex argumento dictis, aliorum finxit in palmas digitosque emisit ex iis, unde placycerotas uocant. 88, 15 *ab im. scr.* III, 6, 5 *pro* III, 6, 3. 90, 5 *ab im. scr.* 20, 3. 97, 18 *scr.* accedant. 98, 5 *scr.* 58, 2. 101, 13 *ab im. scr.* ἔθαψεν *et u.* 7 *ab im.* I, 77, 2. 105, 12 *Non solum* his *pro* iis, *sed etiam* hos, *cum* eos *scribere deberent, librarios posuisse certissimo documento sunt,*

quae b. Gall. VI, 13, 4 *in codd. scripta sunt. Nam commemoratis druidibus et equitibus cum deinceps haec leguntur:* Illi rebus diuinis intersunt, sacrificia publica ac priuata procurant, religiones interpretantur; ad hos magnus adolescentium numerus disciplinae causa concurrit, *necessario extrema uerba ad equites referenda sunt, cum de druidibus posita esse apertum sit. Itaque Caesar* ad eos *scripserat.* 106, 4 *scr.* 76, 3. 108, 3 *ab im. scr.* 64, 6 *pro* 64, 4. 109, 13 *pro* mille *scr.* singula *et u.* 17 76, 3. 110, 19 *scr.* II, 29, 4 *et u.* 22 VII, 87, 5 *et u.* 24 *post* Haun. pr. *adde* Scal. Leid. pr. Oxon. *et dele deinceps* in Scal. — omissum est (*u.* 25). 111, 14 *scr.* V, 11, 8. 112, 14 *ab im. Vide an scribendum sit:* centurionibus duplicem summam praedae nomine condonandam pollicetur. 114, 5 *scr.* V, 40, 6. — *V.* 16 *adde* annum quintum et decimum *ex mon. Ancyr. tab. III u.* 1. 119, 1 *scr.* Belgis. 127, 4 *ab im. scr.* 3, 2. 128, 8 *scr.* 6, 5. 130, 11 *ab im. scr.* 59 *pro* 49 *et u.* 9 *ab im.* 64, 2. 133, 6 *scr.* §. 2. 138, 17 *et* 26 *scr.* 48, 7. 150, 12 *scr.* 28 *et u.* 14 29. — *V.* 14 *ab im. nimis breuiter dixi.* Incedere timorem alicui *Cicero et Caesar non dixerunt; dixit ex antiquioribus Sallustius* (*Cat.* 31), *et inde a Liuio frequentatum est.* 153, 4 *dele* et *et u.* 11 *pro* atque *pone* et *et u.* 13 *ab im. scr.* 6, 2. 154, 7 *ab im. scr.* 78. 161 *extr. Dio l. cit. priorem oppugnationem Caesaris castrorum a Pompeio institutam, dum ille Dyrrhachium aggressus erat, confudit cum altera, qua Pompeius erupit* (*Caes. b. ciu. III*, 62 *seqq.*). *Rectius haec narrauerat Appianus b. ciu. II*, 60; *sed ei quoque loco sinister casus lacunam inflixit.* 163, 17 *ab im. Poteram uerbo Elberlingii rationem refutare, qui seruata ipsa codd. scriptura ita scribendum putauit:* At Pompeius cognitis his rebus, quae erant Orici atque Apolloniae gesta, Dyrrhachio timens diurnis eo nocturnisque itineribus contendit, simulac Caesar appropinquare dicebatur; tantusque *cett. Verum Pompeius, postquam Oricum et Apolloniam a Caesare capta esse cognouerat, non expectabat, dum Caesar appropinquare diceretur, id quod ineptissime fecisset, sed ex illis rebus de Caesaris consiliis coniecturam capiens et Dyrrhachio timens sua sponte eo contendebat.* — *V.* 13 *ab im. scr.* facta *pro* dicta. 167, 14 *adde Caes. b. Gall. V*, 43, 5: ut se sub ipso uallo constipauerant recessumque primis ultimi non dabant. 169, 5 Petraeus *uel* Petreus *scribendum esse iam Herzogius coniecerat. De hoc nomine in inscriptione inuento dixit Carolus Keilius anall. epigraph. et onomatol. p.* 137, *illud Thessalis frequentatum esse docuit idem ibid. et in Bergkii et Caesaris ephemerid. a.* 1846 *p.* 975. — *V.* 9 *scr.* magna opinione. 172, 7 *scr.* ac *pro* et. 173, 4 *ab im. Fortasse scriptum fuit:* quod sibi cotidie melius subgerere tempus. — *V. ult. scr.* sagittas *pro* tela. 174, 7 *ab im. scr.* tela iaciebant. 177, 16 *ab im. scr.* eduxit. 184, 15 *scr.* I, 85, 6 *et u.* 7 *ab im.* equitum. 185, 3 *post* uti *excidit* castra. 196, 17 *scr.* III, 24. 197, 21 *scr.* 45, 3 *et u. ult.* 53, 5. 200, 11 *Morus* re *post* constituta, *Daehnius idem post* prope *inserendum putauit. Verum* res *hic minus significanter ponitur.* 202, 3 *scr.* 2, 5. 207, 10 *scr.* 61, 2 *et u.* 5 *ab im.* quartum *pro* quater. 208, 7 *scr.* c. 2, 4 *et u.* 9 *ab im.* profugere. 211, 9 *Iurinius iam senarium numerum delendum dixerat; qui non repetita extrema syllaba uocabuli* naues *ortus est, sed quia huic* ui *superscriptum erat, ut* nauis *legeretur.* — *V.* 10 *scr.* §. 4. 212, 14 *ab im. scr.* 72, 4. 215, 7 Valles *b. Alex.* 73, 3 *seruata est.* 216, 12 *ab im. Minus accurate dixi equitum auxiliarium partem legionibus partem leui armaturae attributam esse. Auxiliares equites a sociis ex foedere*

mittebantur, legionarii a Romanis ex sociis siue prouincialibus conscribebantur. Cf. Tac. ann. III, 42: alam equitum, quae conscripta e Treueris militia disciplinaque nostra habebatur. 217, 3 *scr.* collocabat.

222, 5 *et* 6 *scr.* munitiones suas. 227, 15 *ab im. scr.* 22, 1 *pro* 22, 2 *et u.* 14 *ab im. ante* 64 *adde* 61, 3 *et pro* 7 *pone* 8. 233, 11 *pro* legato Caesaris *pone* propraetore a Caesare misso *et u.* 11 *ab im. scr.* 53, 5 *et u.* 5 *et* 4 *ab im.* tempore noctis. 238, 21 *scr.* tempore *pro* nocte.

240 *u. ult. post* essent' *adde* nisi quod post 'subsidio' contra codd. 'tunc' adicitur. 241, 3 *scr.* 40, 7. 242, 7 *scr.* 3. 243, 19 *scr.* 43, 5. 247, 11 *ab im. scr.* accurrit. 249, 4 *ab im. scr.* 30 *et u.* 3 *ab im.* oppugnandum. 261, 18 *Bernardus in mémoires de la société des antiquaires de France uol. XVIII p.* 341 *sqq. prolatis quattuor inscriptionibus non* Segusianos, *sed* Segusiauos *dictos esse demonstrauit idemque codices Plinii, Strabonis, Ptolemaei magis hoc quam illud tueri ostendit. Ad Caesarem quod attinet, b. Gall. VII*, 64, 4 Segusiauis *in Par. pr. scriptum esse retuli, idemque et ibi et eiusd. l.* 75, 2 *in codice Parisino regiae bibliothecae numero* 5766 *saeculi XIII, qui octo libros de b. Gall. continet* (*uid. Iahn. annall. V*, 406), *inuenit Bernardus. B. Gall. I*, 10, 5 *codices* Sebusianos *exhibent; quam scripturam Bernardus ita defendit, ut* Segusiauos *a* Sebusianis *Arare discretos fuisse et hos ad sinistram, illos ad dextram eius fluminis ripam habitasse statuat. Verum hoc apertissime Strabo refutat, qui IV p.* 283 *Alm. Rhodanum, antequam Arari coniungatur, per fines Allobrogum et Segusiauorum fluere refert:* φέρεται δ' ἀπὸ τῶν Ἄλπεων οὗτος [ὁ Ῥοδανὸς] πολὺς καὶ σφοδρὸς, ὅς γε καὶ διὰ λίμνης ἐξιὼν τῆς Λημέννης φανερὸν δείκνυσι τὸ ῥεῖθρον ἐπὶ πολλοὺς σταδίους· κατελθὼν δὲ εἰς τὰ πεδία τῆς χώρας τῆς Ἀλλοβρίγων καὶ Σεγοσιαβῶν συμβάλλει τῷ Ἄραρι κατὰ Λούγδουνον πόλιν τῶν Σεγοσιαβῶν. Ala *autem* Sebosiana *commemorata in inscriptione Britannica* (*ap. Orell.* 1630: *eandem commemorauerat Tacitus hist. III*, 6, *ubi nunc* Sebonianae *legitur*), *quam perridicule Bernardus mulierem nationis Sebusianorum esse putauit, ab homine* Seboso *uidetur appellata esse. Itaque apud Caesarem omnibus tribus locis* Segusiaui *restituendi sunt.*

416 *comma u.* 16 *sublatum pone u.* 17 *ante* et. 451, 4 *scr.* consensio. 523, 28 *Praenomen* L. *omittendum erat, ut factum est in Leid. pr.: neque enim* Lucius, *sed* Quintus *appellatus est* Sertorius. 588, 4 *scr.* si *pro* se. 629 *in nota ad u.* 6 *post* corpore *adde* praeterquam hic et p. 652, 27. 716, 15 *dele* per. 750, 21 *scr.* Reges.

INDEX NOMINVM QVAE IN COMMENTARIIS ET FRAGMENTIS LEGVNTVR.

INDEX RERVM IN QVAESTIONIBVS ET NOTIS PRAETER EMENDATIONEM COMMENTARIORVM TRACTATARVM.

bel. Afr. 52, 5 Iuba cum Labieno capti-
venissent: (this constr. elsewhere too in the
commentaries) ib. 96, 1 Scipio interim cum
Damasippo et Torquato et [illegible] iactati cum
peterent, — deferuntur

Pieces to set:

B. Civ. I 85, III 82, 83.

Bell. Alex. 67, 68 | ... 71, 72 |

B. Gall. VII 20 | VIII 52, 53